R. 4984

BENEDICTI XIV.

PONT. OPT. MAX.

OLIM

PROSPERI DE LAMBERTINIS

QUÆSTIONES CANONICÆ

ET MORALES

IN MATERIIS

AD SACRAM CONCILII CONGREGATIONEM SPECTANTIBUS,

AB EODEM PROPOSITÆ AC DISCUSSÆ,

DUM MUNUS SECRETARII EJUSDEM CONGREGATIONIS OBIRET,

UNA CUM EARUM RESOLUTIONIBUS,

Quæ ab ipsa Sacra Congregatione prodierunt,

NUNC PRIMUM

IN UNUM CORPUS COLLECTÆ, CONSENTANEO ORDINE DIGESTÆ, ATQUE IN DUO VOLUMINA DISTRIBUTÆ.

TOMUS PRIMUS.



IN TYPOGRAPHIA BASSANENSI;

MDCCLXVII.

SUMPTIBUS REMONDINIANIS.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

R. 4984

BENEDICTI XIV.

PONT. OPT. MAX.

OLIM

PROSPERI DE LAMBERTINIS

QUÆSTIONES CANONICÆ

ET MORALES

IN MATERIIS

AD SACRAM CONCILII CONGREGATIONEM SPECTANTIBUS,

AB EODEM PROPOSITÆ AC DISCUSSÆ,

DUM MUNUS SECRETARII EJUSDEM CONGREGATIONIS OBIRET,

UNA CUM EARUM RESOLUTIONIBUS,

Quæ ab ipsa Sacra Congregatione prodierunt,

NUNC PRIMUM

IN UNUM CORPUS COLLECTÆ, CONSENTANEO ORDINE DIGESTÆ, ATQUE IN DUO VOLUMINA DISTRIBUTÆ.

TOMUS PRIMUS.

IN TYPOGRAPHIA BASSANENSI;

MDCCLXVII.

SUMPTIBUS REMONDINIANIS.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

RECENTIS EDITORIS PRÆFATIO.

DUM Benedictus XIV. Pontifex Optimus Maximus adhuc in minoribus ageret, & Secretarii munus obiret Congregationis Cardinalium, Tridentini Concilii Interpretum, plurima, prout occasio, aut officii sui ratio postulabat, doctissime elucubraverat ad eas Causas pertinentia, quæ in eadem Sacra Congregatione identidem proponebantur. De hisce suis scriptis ipse clariss. Auctor ita loquitur in Præfatione novæ Editionis egregii sui Operis de Synodo Diœcesana: „ Cum nos olim munere Secretarii „ prædictæ (Concilii) Congregationis ornati fuerimus, „ eam instituimus consuetudinem, quæ deinde a Se„ cretariis successoribus nostris servata fuit, ut in fo„ liis, quæ ante singulas ipsius Congregationis Sessiones „ typis impressa distribuuntur, antiquiores ejusdem Tri„ bunalis resolutiones adnotaremus, si quæ ad alicujus „ controversiæ tunc vertentis decisionem facere vide„ rentur; adjectis etiam nonnullis præstantiorum Cano„ nistarum auctoritatibus, quæ ad propositam quæstio„ nem illustrandam conferrent. Hinc factum est, ut „ hujusmodi folia tam a nobis, quam a Successoribus „ nostris exarata, utpote studiosorum usibus proficua, „ deinde in unum veluti corpus collecta simul ederen„ tur, hoc inscripta titulo: *Thesaurus Resolutionum Sa„ cræ Congregationis Concilii:* cujus Thesauri jam plura „ volumina extant; & quatuor quidem priora nostris „ lucubrationibus constant, reliqua ad eos pertinent, „ qui nobis in eodem Secretarii munere successerunt „. In ea, quæ Romæ ad usum Academiæ Liturgicæ Conimbricensis adornata est, elegantissima omnium Pontificis nostri Operum Editione, initio Tomi duodeci-

mi, & postremi, sapientissimus illorum Collector promiserat, se omnia etiam hujusmodi scripta separatim in alio volumine exhibiturum; sed, nescio qua de causa, promissis deinde non stetit, & tota illa Lambertinianorum Operum Collectio in Tractatu *de Synodo Diœcesana* terminata est. Ut igitur nostra hæc, quam modo concinnamus, omnibus numeris absoluta in lucem prodeat, nihilque desit eorum, quæ a tanto Pontifice elucubrata sunt, necessarium duximus Romani illius Editoris ceteroquin diligentissimi, quemque in reliquis semper secuti sumus, defectum supplere, atque ex Thesauro illo Resolutionum S. Congregationis Concilii huc transferre quæcumque ab Auctore nostro tunc temporis conscripta sunt, quatuor nempe priora ejus Operis integra volumina, paucis solummodo, ad ordinem quod pertinet, leviter immutatis, ac in meliorem, magisque consentaneam formam dispositis. Cum enim in Thesauro concinnando chronologicus dierum, mensium, atque annorum ordo servatus sit, in quibus singulæ Causæ in Congregatione propositæ atque agitatæ fuerunt, cumque plurimæ eodem die vel non propositæ, vel non penitus decisæ, vel ad aliud tempus reservatæ, vel rursus in alia Congregatione retractatæ fuerint; hinc factum est, ut non pauca, quæ jam uno in loco dicta fuerant, in alio repetere necesse fuerit. Nos igitur, ut ab hujusmodi repetitionibus, quoad fieri posset, abstineremus, illum quidem chronologicum Thesauri ordinem retinuimus, sed ita tamen, ut quæcumque ad unam eamdemque Quæstionem pertinebant, quæque antea variis locis dispersa legebantur, omnia simul in uno eodemque loco opportune collecta conjungerentur. Qua ex re illud præterea commodi nobis accidit, ut quis uniuscujusque Causæ propositæ exitus fuerit, statim uno intuitu plene cognosci possit, neque amplius, quemadmodum in Thesauro identidem necesse est, per plura volumina quærendum sit.

Totum hoc Opus in hunc modum digestum in duo excrevit justæ molis volumina in folio, & *Quæstiones Canonicas* (hoc enim titulo nunc primum illud insignire opportunum duximus) complectitur fere sexcentas. Hujusmodi vero Quæstiones quam scienter, quam erudite, quam nervose tractentur, supervacaneum est hic a nobis commemorari; satis enim est si sciamus, eas a doctissimi nostri Scriptoris calamo prodiisse. Illud tantummodo Lectorem nostrum præmonebimus, eas certe non solum Episcopis, eorumque Vicariis, non secus ac causarum Patronis, atque aliis in Ecclesiastico foro versantibus, ut primo aspectu videri posset, sed etiam Parochis, Confessariis, omnibusque Ecclesiasticis viris apprime utiles, imo plane necessarias futuras. Ut autem horum omnium usibus melius consuleremus, illas duobus uberrimis Indicibus summa diligentia confectis instruendas curavimus, quorum alterum, nempe Quæstionum, earumque Titulorum, initio primi voluminis, alterum, scilicet rerum & verborum absolutissimum, ad calcem totius operis apposuimus. Vale, Lector humanissime, & Miscellanea etiam Auctoris nostri Opuscula plurima, quæ jam collecta & prælo parata habemus, propediem expecta.



NOI RIFORMATORI
DELLO STUDIO DI PADOVA.

AVendo veduto per la fede di revisione, ed approvazione del P. F. *Filippo Rosa Lanzi* Inquisitor General del Santo Officio di *Venezia* nel Libro intitolato: *Quæstiones Canonicæ in materiis ad Congregationem Concilii pertinentibus a SS. D. N. Benedicto XIV. discussæ &c. stamp.* non v' esser cosa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per attestato del Secretario nostro, niente contro Principi, e buoni costumi, concediamo Licenza a *Gio. Battista Remondini* Stampator *di Venezia*, che possa essere stampato, osservando gli ordini in materia di Stampe, e presentando le solite Copie alle pubbliche Librerie di Venezia, e di Padova.

Dat. li 18. Maggio 1767.

(*Sebastian Zustinian Rif.*
(*Andrea Tron Cav. Rif.*
(*Girolamo Grimani Rif.*

Registrato in Libro a Carte 316. al Num. 2130.

Davidde Marchesini Segretario.

Addi 21. Maggio 1767.

Registrato nel Magistrato Eccellentissimo contro la Bestemmia.

Gio: Pietro Dolfin Segretario.

RE-

INDEX
QUÆSTIONUM
QUÆ IN TOTO OPERE CONTINENTUR

TOMUS PRIMUS.

QUÆSTIO I.
In Causa Senogalliensi Censuum, die 15. Januarii 1718. pag. 1

QUÆSTIO II.
In Causa Astensi Jurium Parochialium, die 29. Januarii 1718. ibid.

QUÆSTIO III.
In Causa Montis Falisci Missæ Conventualis, die 29. Januarii 1718. 2

QUÆSTIO IV.
In Causa Bisuntina Restitutionis in integrum, die 29. Januarii 1718. ibid.

QUÆSTIO V.
In Causa Aquinatensi Nullitatis Matrimonii, die 29. Januarii 1718. 3

QUÆSTIO VI.
In Causa Firmana Ædificationis Ecclesiæ, die 29. Januarii 1718. ibid.

QUÆSTIO VII.
In Causa Ferrariensi Applicationis Missarum, die 12. Februarii 1718. 4

QUÆSTIO VIII.
In Causa Neapolitana, seu Vici Æquensis Ordinationis, die 12. Februarii 1718. 5

QUÆSTIO IX.
In Causa Bisuntina Restitutionis in integrum, die 12. Februarii 1718. ibid.

QUÆSTIO X.
In Causa Tudertina Cappellaniæ, die 12. Februarii 1718. 6

QUÆSTIO XI.
In Causa Cremonensi, die 19. Februarii 1718. ibid.

QUÆSTIO XII.
In Causa Carpentoractensi, die 19. Februarii 1718. 7

QUÆSTIO XIII.
In Causa Gurgensi, die 19. Februarii 1718. ibid.

QUÆSTIO XIV.
In Causa Segnensi, die 19. Februarii 1718 8

QUÆSTIO XV.
In Causa Florentina, die 12. Martii 1718. 8

QUÆSTIO XVI.
In Causa Casalensi Montis Pietatis, die 12. Martii 1718. ibid.

QUÆSTIO XVII.
In Causa Aquipendii Visitationis Sacrorum Liminum, die 12. Martii 1718. 9

QUÆSTIO XVIII.
In Causa Nullius, seu Vesprimiensi Jurisdictionis, die 12. Martii 1718. ibid.

QUÆSTIO XIX.
In Causa Abulensi Matrimonii, die 26. Martii 1718. 10

QUÆSTIO XX.
In Causa Canariensi, die 26. Martii 1718. 11

QUÆSTIO XXI.
In Causa Mediolanensi Reductionis Missarum, die 26. Martii 1718. 12

QUÆSTIO XXII.
In Causa Florentina Præeminentiarum, die 26. Martii 1718. ibid.

QUÆSTIO XXIII.
In Causa Callienſi, die 9. Aprilis 1718. 13

QUÆSTIO XXIV.
In Causa Frisingensi, die 7. Maii 1718. ibid.

QUÆSTIO XXV.
In Causa Neocastrensi Restitutionis in integrum, die 7. Maii 1718. 14

QUÆSTIO XXVI.
In Causa Lunensi Sarzanensi Erectionis Collegiatæ, die Maii 1718.

QUÆ

QUÆSTIO XXVII.
In Causa Toletana, die 7. Maii 1718. 15

QUÆSTIO XXVIII.
In Causa Romana Suspensionis Oneris, & Reintegrationis Eleemosynæ Missarum, die 7. Maii 1718. ibid.

QUÆSTIO XXIX.
In Causa Elboreusi Declarationis Indulti, die 21. Maii 1718. 17

QUÆSTIO XXX.
In Causa Romana, die 21. Maii 1718. 18

QUÆSTIO XXXI.
In Causa Romana, die 21. Maii 1718. 19

QUÆSTIO XXXII.
In Causa Civitatis Castellanæ, die 21. Maii 1718. ibid.

QUÆSTIO XXXIII.
In Causa Papiensi, die 21. Maii 1718. 20

QUÆSTIO XXXIV.
In Causa Bononiensi, die 21. Maii 1718. ibid.

QUÆSTIO XXXV.
In Causa Romana, seu Prænensi Indulti, die 21. Maii 1718. 21

QUÆSTIO XXXVI.
In Causa Sedunensi, die 11. Junii 1718. 22

QUÆSTIO XXXVII.
In Causa Nullius, seu Farfensi subrogationis Ecclesiæ, die 11. Junii 1718. ibid.

QUÆSTIO XXXVIII.
In Causa Senogallien. Censuum, die 2. Julii 1718. 23

QUÆSTIO XXXIX.
In Causa Cajetana, die 2. Julii 1718. ibid.

QUÆSTIO XL.
In Causa Mediolanensi Oneris Missarum, die 2. Julii 1718. ibid.

QUÆSTIO XLI.
In Causa Lucana, die 2. Julii 1718. 24

QUÆSTIO XLII.
In Causa Romana Legati, die 2. Julii 1718. 25

QUÆSTIO XLIII.
In Causa Spoletana Quartæ Funeralis, die 23. Julii 1718. ibid.

QUÆSTIO XLIV.
In Causa Isclana Parochialis, die 23. Julii 1718. 26

QUÆSTIO XLV.
In Causa Ugentina, seu Hydruntina Ordinationis, die 23. Julii 1718. ibid.

QUÆSTIO XLVI.
In Causa Romana, seu Sipontina, die 23. Julii 1718. 27

QUÆSTIO XLVII.
In Causa Romana Legatorum, die 23. Julii 1718. ibid.

QUÆSTIO XLVIII.
In Causa Romana, seu Januen. applicationis Legatorum, die 13. Augusti 1718. 28

QUÆSTIO XLIX.
In Causa Milevitana, die 13. Augusti 1718. ibid.

QUÆSTIO L.
In Causa Tudertina Funerum, die 13. Augusti 1718. 29

QUÆSTIO LI.
In Causa Fanensi sepulturæ, & Quartæ Funeralium, die 13. Augusti 1718. ibid.

QUÆSTIO LII.
In Causa Neapolitana, Prætensæ Simoniæ, die 13. Augusti 1718. 30

QUÆSTIO LIII.
In Causa Feretrana Reductionis Onerum, die 3. Septembris 1718. 31

QUÆSTIO LIV.
In Causa Leodiensi Dispensationis, die 3. Septembris 1718. ibid.

QUÆSTIO LV.
In Causa Bracharensi Reductionis Missarum, die 3. Septembris 1718. ibid.

QUÆSTIO LVI.
In Causa Novariensi Aggregationis, die 3. Septembris 1718. 32

QUÆSTIO LVII.
Dubia Jubilationum proposita die 24. Septembris 1718. ibid.

QUÆSTIO LVIII.
In Causa Romana dotium, die 24. Septembris 1718. 34

QUÆSTIO LIX.
In Causa Romana Dotium, die 24. Septembris 1718. 34

QUÆ-

QUÆSTIO LX.
In Causa Casalensi Irregularitatis, die 24. Septembris 1718. 35

QUÆSTIO LXI.
In Causa Casalensi Commutationis voluntatis, die 24. Septembris 1718. 36

QUÆSTIO LXII.
In Causa Hortana Punctaturarum, die 24. Septembris 1718. ibid.

QUÆSTIO LXIII.
In Causa Ferentina Distributionum, die 24. Septembris 1718. ibid.

QUÆSTIO LXIV.
In Causa Narniensi, Jurispatronatus, die 19. Novembris 1718. 37

QUÆSTIO LXV.
In Causa Messanensi Subsidiorum dotalium, die 19. Novembris 1718. ibid.

QUÆSTIO LXVI.
In Causa Romana, die 19. Novembris 1718. 38

QUÆSTIO LXVII.
In Causa Spoletana Quartæ funeralis, die 19. Novembris 1718. ibid.

QUÆSTIO LXVIII.
In Causa Mantuana Applicationis Sacrificii, die 19. Novembris 1718. 39

QUÆSTIO LXIX.
In Causa Astensi Beneplaciti, die 19. Novembris 1718. ibid.

QUÆSTIO LXX.
In Causa Romana Canonicatus, die 3. Decembris 1718. 40

QUÆSTIO LXXI.
In Causa Cassanensi, die 3. Decembris 1718. ibid.

QUÆSTIO LXXII.
In Causa Civitatis Castellanæ Irregularitatis, die 3. Decembris 1718. ibid.

QUÆSTIO LXXIII.
In Causa Bergomensi, die 3. Decembris 1718. 41

QUÆSTIO LXXIV.
In Causa Aliphana Redditionis rationis, die 3. Decembris 1718. ibid.

QUÆSTIO LXXV.
In Causa Bononiensi, die 3. Decembris 1718. 42

QUÆSTIO LXXVI.
In Causa Nullius, seu Brictinoriensi, & Policastrensi, die 3. Decembris 1718. ibid.

QUÆSTIO LXXVII.
In Causa Strigoniensi, die 17. Decembris 1718. ibid.

QUÆSTIO LXXVIII.
In Causa Verulana Visitationis Sacrorum Liminum, die 17. Decembris 1718. 43

QUÆSTIO LXXIX.
In Causa Fesulana Restitutionis in integrum, die 17. Decembris 1718. 44

QUÆSTIO LXXX.
In Causa Nullius, seu Sancti Severini Jurisdictionis, die 21. Januarii 1719. ibid.

QUÆSTIO LXXXI.
In Causa Nepesina Canonicatus, die 21. Januarii 1719. 45

QUÆSTIO LXXXII.
In Causa Romana Cappellaniæ, die 4. Februarii 1719. ibid.

QUÆSTIO LXXXIII.
In Causa Sagonensi Nullitatis Professionis, die 4. Februarii 1719. 46

QUÆSTIO LXXXIV.
In Causa Cremensi Reductionis Missarum, die 4. Februarii 1719. ibid.

QUÆSTIO LXXXV.
In Causa Venota Reductionis Missarum, die 4. Februarii 1719. 47

QUÆSTIO LXXXVI.
In Causa Milevitana Expositionis SS. Sacramenti, die 4. Februarii 1719 ibid.

QUÆSTIO LXXXVII.
In Causa Asculana Visitationis, die 4. Februarii 1719. 48

QUÆSTIO LXXXVIII.
In Causa Calaguritana Beneficiorum, die 4. Februarii 1719. ibid.

QUÆSTIO LXXXIX.
In Causa Alexandrina, die 4. Martii 1719. ibid.

QUÆSTIO XC.
In Causa Fanensi, die 4. Martii 1719. 49

QUÆSTIO XCI.
In Causa Casalensi Residentiæ, die 4. Martii 1719. ibid.

QUÆSTIO XCII.
In Causa Ferrariensi, die 4. Martii 1719. 50

QUÆSTIO XCIII.
In Causa Aquipendensi Indulti, die 18. Martii 1719. 51

QUÆSTIO XCIV.
In Causa Leodiensi Ejectionis Novitiæ, die 18. Martii 1718. ibid.

QUÆSTIO XCV.
In Causa Ordinis S. Francisci, die 18. Martii 1718. 52

QUÆSTIO XCVI.
In Causa Romana Præposituræ, die 1. Aprilis 1719. ibid.

QUÆSTIO XCVII.
In Causa Isclana Parochialis, die 1. Aprilis 1719. 53

QUÆSTIO XCVIII.
In Causa Pistoriensi Matrimonii, die 1. Apr. 1719. ibid.

QUÆSTIO XCIX.
In Causa Tudertina, die 22. Aprilis 1719. 54

QUÆSTIO C.
In Causa Bisuntina, die 22. Aprilis 1719. ibid.

QUÆSTIO CI.
In Causa Antequexensi in Indiis Occidentalibus, die 22. Aprilis 1719. ibid.

QUÆSTIO CII.
In Causa Magdalunensi, die 22. Aprilis 1719. 55

QUÆSTIO CIII.
In Causa Æsina Cappellaniæ, die 22. Aprilis 1719. 56

QUÆSTIO CIV.
In Causa Comensi Distributionum, die 22. Apr. 1719. ibid.

QUÆSTIO CV.
In Causa Vercellensi, die 6. Maii 1719. 57

QUÆSTIO CVI.
In Causa Comensi, die 6. Maii 1719. 58

QUÆSTIO CVII.
In Causa Uxentina, seu Neritonensi Ordinationis, die 6. Maii 1719. ibid.

QUÆSTIO CVIII.
In Causa Januensi Dispensationis, die 20. Maii 1719. 59

QUÆSTIO CIX.
In Causa Reatina Unionis Ecclesiæ, die 20. Maii 1719. 62

QUÆSTIO CX.
In Causa Neapolitana Matrimonii, die 20. Maii 1719. 63

QUÆSTIO CXI.
In Causa Aquensi, die 8. Julii 1719. ibid.

QUÆSTIO CXII.
In Causa Cremonensi Erectionis Collegiatæ, die 8. Julii 1719. 64

QUÆSTIO CXIII.
In Causa Sanctæ Crucis de la Sierra in Indiis Occidentalibus, die 8. Julii 1719. 65

QUÆSTIO CXIV.
In Causa Iprensi Dispensationis, die 5. Augusti 1719. 66

QUÆSTIO CXV.
In Causa Regiensi, die 5. Augusti 1719. 67

QUÆSTIO CXVI.
In Causa Brundusina Adimplementi, die 5. Augusti 1719. ibid.

QUÆSTIO CXVII.
In Causa Auximana Restaurationis Ecclesiæ Parochialis, die 5. Augusti 1719. 68

QUÆSTIO CXVIII.
In Causa Amalphitana Præposituræ, die 5. Augusti 1719. ibid.

QUÆSTIO CXIX.
In Causa Larinensi, die 26. Augusti 1719. 69

QUÆSTIO CXX.
In Causa Panormitana Nullitatis Matrimonii, die 30. Septembris 1719. ibid.

QUÆSTIO CXXI.
In Causa Romana, Legati, die 30. Septembris 1719. 70

QUÆSTIO CXXII.
In Causa Fulginatensi, die 30. Septembris 1719. ibid.

QUÆSTIO CXXIII.
In Causa Cathacensi Commutationis voluntatis, die 30. Septembris 1719. 71

QUÆSTIO CXXIV.
In Causa Sulmonensi, die 30. Septembris 1719. ibid.

QUÆSTIO CXXV.
In Causa Lucana Commutationis voluntatis, die 30. Septembris 1719. 72

QUÆSTIO CXXVI.
In Causa Sicula, die 18. Novembris 1719. 73

QUÆSTIO CXXVII.
In Causa Justinopolitana Missarum, die 18. Novembris 1719. 74

QUÆ-

QUÆSTIO CXXVIII.
In Causa Parmensi Translationis Parochiæ, die 2. Decembris 1719. 75

QUÆSTIO CXXIX.
In Causa Januensi Nullitatis Professionis, die 2. Decemb. 1719. ibid.

QUÆSTIO CXXX.
In Causa Lucana Præposituræ, die 2. Decemb. 1719. 76

QUÆSTIO CXXXI.
In Causa Syracusana Erectionis Collegiatæ, die 2. Decembris 1719. ibid.

QUÆSTIO CXXXII.
In Causa Reatina Legati, die 2. Decembris 1719. 77

QUÆSTIO CXXXIII.
In Causa Cavensi, seu Massæ Lubrensis, die 16. Decembris 1719. ibid.

QUÆSTIO CXXXIV.
In Causa Ordinis S. Augustini Magisterii, die 16. Decembris 1719. 78

QUÆSTIO CXXXV.
In Causa Cassanensi Concursus, die 16. Decembris 1719. ibid.

QUÆSTIO CXXXVI.
In Causa Æsina Præeminentiæ, die 16. Decembris 1719. 79

QUÆSTIO CXXXVII.
In Causa Bononiensi Missarum, die 16. Decembris 1719. 80

QUÆSTIO CXXXVIII.
In Causa Comensi Nullitatis Professionis, die 13. Januarii 1720. 81

QUÆSTIO CXXXIX.
In Causa Virdunensi Restitutionis in integrum, die 24. Februarii 1720. ibid.

QUÆSTIO CXL.
In Causa Mantuana, die 24. Februarii 1720. ibid.

QUÆSTIO CXLI.
In Causa Novariensi, die 24. Februarii 1720. 82

QUÆSTIO CXLII.
In Causa Bononiensi, die 24. Februarii 1720. ibid.

QUÆSTIO CXLIII.
In Causa Fulginatensi Fontis Baptismalis, die 24. Februarii 1720. ibid.

QUÆSTIO CXLIV.
In Causa Æsina Juris eligendi Concionatorem, die 16. Martii 1720. 83

QUÆSTIO CXLV.
In Causa Ariminensi nullitatis Matrimonii, die 16. Martii 1720. ibid.

QUÆSTIO CXLVI.
In Causa Romana Subsidii Dotalis, die 16. Martii 1720. 84

QUÆSTIO CXLVII.
In Causa Romana Nullitatis Professionis, die 16. Martii 1720. ibid.

QUÆSTIO CXLVIII.
In Causa Ulyxbonensi Occidentali Nullitatis Matrimonii, die 16. Martii 1720. 86

QUÆSTIO CXLIX.
In Causa Portalegrensi, die 16. Martii 1720. ibid.

QUÆSTIO CL.
In Causa Burgensi, die 13. Aprilis 1720. 87

QUÆSTIO CLI.
In Causa Firmana Jurisdictionis, die 13. Aprilis 1720. 88

QUÆSTIO CLII.
In Causa Sancti Severini Applicationis Legati, die 13. Aprilis 1720. ibid.

QUÆSTIO CLIII.
In Causa Fanensi Reductionis Missarum, die 13. Aprilis 1720. 89

QUÆSTIO CLIV.
In Causa Prænestina Jurisdictionis, die 27. Aprilis 1729. ibid.

QUÆSTIO CLV.
In Causa Albanensi, die 27. Aprilis 1720. 90

QUÆSTIO CLVI.
In Causa Romana, seu Tusculana, die 27. Aprilis 1720. ibid.

QUÆSTIO CLVII.
In Causa Herbipolensi Ecclesiarum Parochialium, die 27. Aprilis 1720. 92

QUÆSTIO CLVIII.
In Causa Nucerina Parochialis, die 11. Maii 1720. ibid.

QUÆSTIO CLIX.
In Causa Uxentina Parochialis, die 11. Maii 1720. 96

QUÆSTIO CLX.
In Causa Firmana Cappellaniæ, die 11. Maii 1720. ibid.

QUÆSTIO CLXI.
In Causa Vestana seu Sypontina Ordinationis, die 11. Maii 1720. 97

QUÆ-

QUÆSTIO CLXII.
In Causa Interamnensi Taxæ Seminarii, die 11. Maii 1720. 97

QUÆSTIO CLXIII.
In Causa Asculana Reædificationis Ecclesiæ, die 11. Maii 1720. ibid.

QUÆSTIO CLXIV.
In Causa Romana Census, die 11. Maii 1720. 98

QUÆSTIO CLXV.
In Causa Romanæ Onerum, die 8. Junii 1720. ibid.

QUÆSTIO CLXVI.
In Causa Bojanensi Matrimonii, die 8. Junii 1720. 99

QUÆSTIO CLXVII.
In Causa Anagnina distributionum, die 8. Junii 1720. 105

QUÆSTIO CLXVIII.
In Causa Imolensi Dismembrationis, die 8. Junii 1720. 106

QUÆSTIO CLXIX.
In Causa Portucallensi Reductionis Congruæ, die 8. Junii 1720. 107

QUÆSTIO CLXX.
In Causa Leodiensi Confirmationis Concordiæ, die 8. Junii 1720. 108

QUÆSTIO CLXXI.
In Causa Illerdensi Translationis, die 22. Junii 1720. ibid.

QUÆSTIO CLXXII.
In Causa S. Agathæ Gothorum, die 22. Junii 1720. 109

QUÆSTIO CLXXIII.
In Causa Imolensi Congruæ, die 22. Junii 1720. 110

QUÆSTIO CLXXIV.
In Causa Pragensi Matrimonii, die 13. Julii 1720. 111

QUÆSTIO CLXXV.
In Causa Nullius Pisciensi Commutationis voluntatis, die 13. Julii 1720. 112

QUÆSTIO CLXXVI.
In Causa Veneta, die 13. Julii 1720. 113

QUÆSTIO CLXXVII.
In Causa Fulginatensi Commutationis voluntatis die 13. Julii 1720. 114

QUÆSTIO CLXXVIII.
In Causa Aquensi Dismembrationis, die 13. Julii 1720. ibid.

QUÆSTIO CLXXIX.
In Causa Aquilana, die 13. Julii 1720. 115

QUÆSTIO CLXXX.
In Causa Neapolitana Sponsalium, die 13. Julii 1720. 116

QUÆSTIO CLXXXI.
In Causa Gerundensi, die 24. Augusti 1720. ibid.

QUÆSTIO CLXXXII.
In Causa Jadrensi, die 24. Augusti 1720. 117

QUÆSTIO CLXXXIII.
In Causa Lucæoriensi Nullitatis Matrimonii, die 7. Septembris 1720. 118

QUÆSTIO CLXXXIV.
In Causa Cremonensi Collegiatæ, die 7. Septembris 1720. 123

QUÆSTIO CLXXXV.
In Causa Lugdunensi Nullitatis Professionis, die 7. Septembris 1720. 124

QUÆSTIO CLXXXVI.
In Causa Turonensi, die 7. Septembris 1720. ibid.

QUÆSTIO CLXXXVII.
In Causa Neapolitana Matrimonii, die 1. Octobris 1720. ibid.

QUÆSTIO CLXXXVIII.
In Causa Vercellensi Residentiæ, die 1. Octobris 1720. 125

QUÆSTIO CLXXXIX.
In Causa Oriolensi Canonicatus Pœnitentiarii, die 1. Octobris 1720. 126

QUÆSTIO CXC.
In Causa Coloniensi, die 16. Novembris 1720. ibid.

QUÆSTIO CXCI.
In Causa Taurinensi Matrimonii, die 16. Novembris 1720. 127

QUÆSTIO CXCII.
In Causa Romana Indulti, die 16. Novembris 1720. 128

QUÆSTIO CXCIII.
In Causa Ulyssiponensi Occidentalis Confraternitatis, die 7. Decembris 1720. 129

QUÆSTIO CXCIV.
In Causa Tarentina Archipresbyteratus, die 7. Decembris 1720. 130

QUÆSTIO CXCV.
In Causa Feltrensi Jubilationis, die 11. Januarii 1721. ibid.

QUÆ-

QUÆSTIO CXCVI.
In Causa Romana nullitatis Professionis, die 11. Januarii 1721. 130

QUÆSTIO CXCVII.
In Causa Firmana Legatorum die 11. Januarii 1721. 131

QUÆSTIO CXCVIII.
In Causa Mediolanensi, seu Comensi Reductionis Onerum, die 11. Januarii 1721. 133

QUÆSTIO CXCIX.
In Causa Tranensi Confirmationis Concordiæ, die 11. Januarii 1721. ibid.

QUÆSTIO CC.
In Causa Parisiensi Dispensationis, die 25. Januarii 1721. 134

QUÆSTIO CCI.
In Causa Montis Falisci, die 25. Januarii 1721. 135

QUÆSTIO CCII.
In Causa Viennensi Nullitatis Professionis, die 25. Januarii 1721. ibid.

QUÆSTIO CCIII.
In Causa Caputaquensi, seu Neapolitana Ordinationis, die 25. Januarii 1721. 136

QUÆSTIO CCIV.
In Causa Hydruntina Matrimonii, die 25. Januarii 1721. ibid.

QUÆSTIO CCV.
In Causa Nullius, seu Farfensi Reaptationis Ecclesiæ, die 8. Februarii 1721. 137

QUÆSTIO CCVI.
In Causa Romana, seu Januensi Legati, die 8. Februarii 1721. ibid.

QUÆSTIO CCVII.
In Causa Ariminensi Matrimonii, die 8. Martii 1721. 138

QUÆSTIO CCVIII.
In Causa Fulginatensi, die 31. Maii 1721. ibid.

QUÆSTIO CCIX.
In Causa Romana Expeditionis Litterarum Apostolicarum, die 31. Maii 1721. 139

QUÆSTIO CCX.
In Causa Ferentina Matrimonii, die 21. Junii 1721. ibid.

QUÆSTIO CCXI.
In Causa Astensi Officii Fabricerii, die 21. Junii 1721. ibid.

QUÆSTIO CCXII.
In Causa Camerinensi Legatorum, die 21. Junii 1721. ibid.

QUÆSTIO CCXIII.
In Causa Parisiensi Dispensationis, die 12. Julii 1721. 140

QUÆSTIO CCXIV.
In Causa Auximana, seu Camerinensi Jurisdictionis, die 12. Julii 1721. 141

QUÆSTIO CCXV.
In Causa Romana Cappellaniæ, die 2. Julii 1721. 142

QUÆSTIO CCXVI.
In Causa Compsana Aggregationis, die 12. Julii 1721. ibid.

QUÆSTIO CCXVII.
In Causa Mexicana, die 12. Julii 1721. 143

QUÆSTIO CCXVIII.
In Causa Camerinensi Renunciationis, die 12. Julii 1721. ibid.

QUÆSTIO CCXIX.
In Causa Pistoriensi, & Pratensi, die 2. Augusti 1721. 144

QUÆSTIO CCXX.
In Causa Leodiensi Professionis, die 2. Augusti 1621. 146

QUÆSTIO CCXXI.
In Causa Cremonensi Erectionis Collegiatæ, die 2. Augusti 1721. 147

QUÆSTIO CCXXII.
In Causa Ratisbonensi Vicariæ, die 2. Augusti 1721. ibid.

QUÆSTIO CCXXIII.
In Causa Elborensi Dubiorum, die 2. Augusti 1721. 148

QUÆSTIO CCXXIV.
In Causa Cavensi, seu Caputaquensi Jurisdictionis, die 2. Augusti 1721. 149

QUÆSTIO CCXXV.
In Causa Taurinensi Matrimonii, die 23. Augusti 1721. 150

QUÆSTIO CCXXVI.
In Causa Ravennatensi matrimonii, die 23. Augusti 1721. ibid.

QUÆSTIO CCXXVII.
In Causa Theatina Matrimonii, die 23. Augusti 1721. 151

QUÆSTIO CCXXVIII.
In Dubio Visitationis, die 13. Septembris 1721. ibid.

QUÆSTIO CCXXIX.
In Causa Romana Legati, die 13. Septembris 1721. 152

QUÆ-

QUÆSTIO CCXXX.
In Causa Meletensi, die 13. Septembris 1721. 153

QUÆSTIO CCXXXI.
In Causa Fundana Applicationis Missarum, die 13. Septembris 1721. ibid.

QUÆSTIO CCXXXII.
In Causa Bononiensi Juris visitandi, die 2. Octobris 1721. 154

QUÆSTIO CCXXXIII.
In Causa Fulginatensi Priovatus, quoad curam Animarum, die 2. Octobris 1721. ibid.

QUÆSTIO CCXXXIV.
In Causa Trajectensi, die 22. Novembris 1721. 155

QUÆSTIO CCXXXV.
In Causa Bitectensi, die 22. Novembris 1721. 156

QUÆSTIO CCXXXVI.
In Dubio professionis, die 22. Novembris 1721. 157

QUÆSTIO CCXXXVII.
In Causa Prænestina, die 22. Novembris 1721. ibid.

QUÆSTIO CCXXXVIII.
In Causa Visitationis Sacrorum Liminum, die 22. Novembris 1721. 158

QUÆSTIO CCXXXIX.
In Causa Ulyxponensi Occidentali, die 22. Novembris 1721. 159

QUÆSTIO CCXL.
In Causa Sorana Nullitatis, & Censuravum, die 20. Decembris 1721. 160

QUÆSTIO CCXLI.
In Causa Florentina, die 17. Januarii 1722. 161

QUÆSTIO CCXLII.
In Causa Mechliniensi, die 17. Januarii 1722. 162

QUÆSTIO CCXLIII.
In Causa Caputaquensi Visitationis sacrorum Liminum, die 17. Januarii 1722. 163

QUÆSTIO CCXLIV.
In Causa Lucana Funerum, die 17. Januarii 1722. ibid.

QUÆSTIO CCXLV.
In Causa Spoletana, die 7. Februarii 1722. 164

QUÆSTIO CCXLVI.
In Causa Neapolitana Congruæ, die 28. Februarii 1722. ibid.

QUÆSTIO CCXLVII.
In Causa Veliternensi, die 14. Martii 1722. 165

QUÆSTIO CCXLVIII.
In Causa Taurinensi, die 14. Martii 1722. 166

QUÆSTIO CCXLIX.
In Causa Imolensi Parochialis, die 28. Martii 1722. ibid.

QUÆSTIO CCL.
In Causa Nullius, seu Brictinoriensi Indulti, die 28. Martii 1722. 167

QUÆSTIO CCLI.
In Causa Aquilana, die 28. Martii 1722. ibid.

QUÆSTIO CCLII.
In Causa Camerinensi Celebrationis Missarum, die 28. Martii 1722. 168

QUÆSTIO CCLIII.
In Causa Ariminensi Jurium Parochialium, die 18. Martii 1722. ibid.

QUÆSTIO CCLIV.
In Causa Januensi, die 2. Maii 1722. 169

QUÆSTIO CCLV.
In Causa Papiensi, die 2. Maii 1722. ibid.

QUÆSTIO CCLVI.
In Causa Castellana, die 2. Maii 1722. 170

QUÆSTIO CCLVII.
In Causa Americana, die 2. Maii 1722. 171

QUÆSTIO CCLVIII.
In Causa Verulana, die 2. Maii 1722. 172

QUÆSTIO CCLIX.
In Causa Imolensi Beneficii, die 2. Maii 1722. ibid.

QUÆSTIO CCLX.
In Causa Firmana, die 23. Maii 1722. ibid.

QUÆSTIO CCLXI.
In Causa Savonensi, die 23. Maii 1722. 173

QUÆSTIO CCLXII.
In Causa Cajacensi Irregularitatis, & Censuravum, die 23. Maii 1722. ibid.

QUÆSTIO CCLXIII.
In Causa Coloniensi Functionum Pontificalium, & Benedictionis Abbatialis, die 13. Junii 1722. 174

QUÆ-

QUÆSTIO CCLXIV.
In Causa Romana Dotis Cappellaniarum, die 13. Julii 1722. 174

QUÆSTIO CCLXV.
In Causa Mutinensi, die 13. Junii 1722. 175

QUÆSTIO CCLXVI.
In Causa Ulixbonensi Occidentali, die 13. Junii 1722. 176

QUÆSTIO CCLXVII.
In Causa Americana, die 13. Junii 1722. ibid.

QUÆSTIO CCLXVIII.
In Causa Americana, die 13. Junii 1722. 177

QUÆSTIO CCLXIX.
In Causa Januensi Jurisdictionis, die 4. Julii 1722. 178

QUÆSTIO CCLXX.
In Causa Volaterrana, Seminarii, die 4. Julii 1722. ibid.

QUÆSTIO CCLXXI.
In Causa Aquipendensi, die 4. Julii 1722. 179

QUÆSTIO CCLXXII.
In Causa Pratensi Matrimonii, die 4. Julii 1722. 180

QUÆSTIO CCLXXIII.
In Causa Neapolitana Matrimonii, die 4. Julii 1722. ibid.

QUÆSTIO CCLXXIV.
In Causa Vadensi Reductionis Missarum, die 4. Julii 1722. 181

QUÆSTIO CCLXXV.
In Causa Tudertina Electionis Sepulturæ, die 4. Julii 1722. 182

QUÆSTIO CCLXXVI.
In Causa Mexicana, die 4. Julii 1722. ibid.

QUÆSTIO CCLXXVII.
In Causa Melphitensi, die 8. Augusti 1722. 183

QUÆSTIO CCLXXVIII.
In Causa Placentina Lecturæ, die 8. Augusti 1722. 184

QUÆSTIO CCLXXIX.
In Causa Neapolitana Sponsalium, die 8. Augusti 1722. 185

QUÆSTIO CCLXXX.
In Causa Mantuana Catechismi, die 8. Augusti 1722. ibid.

QUÆSTIO CCLXXXI.
In Causa Ariminensi, die 8. Augusti 1722. 185

QUÆSTIO CCLXXXII.
In Causa Nullius Castellanæ, die 29. Augusti 1722. 188

QUÆSTIO CCLXXXIII.
In Causa Neapolitana, die 29. Augusti 1722. 189

QUÆSTIO CCLXXXIV.
In Causa Regiensi Pensionis, die 19. Septembris 1722. ibid.

QUÆSTIO CCLXXXV.
In Causa Consentina Visitationis, & Censuravum, die 19. Septembris 1722. 190

QUÆSTIO CCLXXXVI.
In Causa Bononiensi, die 19. Septembris 1722. 191

QUÆSTIO CCLXXXVII.
In Causa Lucana Cappellaniæ, die 19. Septembris 1722. ibid.

QUÆSTIO CCLXXXVIII.
In Causa Lauretana Distributionum, die 19. Septembris 1722. 192

QUÆSTIO CCLXXXIX.
In Causa Romana Legati, die 21. Novembris 1722. 193

QUÆSTIO CCXC.
In Causa Turritana Vicarii Capitularis, die 21. Novembris 1722. ibid.

QUÆSTIO CCXCI.
In Dubio Matrimonii, die 21. Novembris 1722. 194

QUÆSTIO CCXCII.
In Causa Comaclensi Electionis, die 5. Decembris 1722. 195

QUÆSTIO CCXCIII.
In Causa Atriensi, die 5. Decembris 1722. ibid.

QUÆSTIO CCXCIV.
In Causa Legionensi, & Astoricensi Unionis, die 5. Decembris 1722. 196

QUÆSTIO CCXCV.
In Causa Monasteriensi, die 5. Decembris 1722. ibid.

QUÆSTIO CCXCVI.
In Causa Pacensi Restitutionis in integrum, die 5. Decembris 1722. 197

QUÆSTIO CCXCVII.
In Causa Spoletana, die 5. Decembris 1722. ibid.

QUÆ-

QUÆSTIO CCXCVIII.
In Causa Cavienſi Erectionis Parochialis, die 19. Decembris 1722. 197

QUÆSTIO CCXCIX.
In Causa Romana, die 19. Decembris 1722. 198

QUÆSTIO CCC.
In Causa Januenſi Pactionum, die 19. Decembris 1722. 199

QUÆSTIO CCCI.
In Causa Uratislavienſi, die 16. Januarii 1723. 200

QUÆSTIO CCCII.
In Causa Valentina die 16. Januarii 1723 ibid.

QUÆSTIO CCCIII.
In Causa Fulginatenſi, die 30. Januarii 1723. ibid.

QUÆSTIO CCCIV.
In Causa Montis Marani Servitii Eccleſiæ, die 30. Januarii 1723. 201

QUÆSTIO CCCV.
In Causa Lunenſi Sarzanenſi Viſitationis Sacrorum Liminum, die 30. Januarii 1723. 202

QUÆSTIO CCCVI.
In Causa Anglonenſi Cathedratici, Decimarum, & Quartæ Funeralis, die 30. Januarii 1723. ibid.

QUÆSTIO CCCVII.
In Causa Januenſi Juriſdictionis, die 20. Februarii 1723. 203

QUÆSTIO CCCVIII.
In Causa Cæſenatenſi, ſeu Forolivienſi Matrimonii, die 20. Februarii 1723. 204

QUÆSTIO CCCIX.
In Causa Spoletana, die 20. Februarii 1723. 205

QUÆSTIO CCCX.
In Causa Perusina, ſeu Nucerina, die 20. Februarii 1723. 206

QUÆSTIO CCCXI.
In Causa Albanenſi Funerum, die 20. Februarii 1723. ibid.

QUÆSTIO CCCXII.
In Causa Cæſenatenſi Erectionis Archipresbyteratus, die 20. Februarii 1723. ibid.

QUÆSTIO CCCXIII.
In Causa Salamantina, die 6. Martii 1723. 207

QUÆSTIO CCCXIV.
In Causa Nullius, ſeu Aſculana, die 6. Martii 1723. 208

QUÆSTIO CCCXV.
In Causa Cervienſi Legatorum, die 6. Martii 1723. 209

QUÆSTIO CCCXVI.
In Causa Hortana Decimarum, die 6. Martii 1723. 210

QUÆSTIO CCCXVII.
In Causa Cænetenſi, die 10. Aprilis 1723. ibid.

QUÆSTIO CCCXVIII.
In Causa Majoricenſi Sponſalium, die 10. Aprilis 1723. 211

QUÆSTIO CCCXIX.
In Causa Neapolitana Reſtitutionis in integrum, die 10. Aprilis 1723. ibid.

QUÆSTIO CCCXX.
In Causa Veliterna Taxæ Seminarii, die 24. Aprilis 1723. 212

QUÆSTIO CCCXXI.
In Causa Sorana Funerum, die 24. Aprilis 1723. ibid.

QUÆSTIO CCCXXII.
In Causa Firmana Matrimonii, die 24. Aprilis 1723. ibid.

QUÆSTIO CCCXXIII.
In Causa Giennenſi Nullitatis Matrimonii, die 15. Maii 1723. 213

QUÆSTIO CCCXXIV.
In Causa Moguntina Conſignationis Fructuum Canonicatus, die 15. Maii 1723. 214

QUÆSTIO CCCXXV.
In Causa Monaſterienſi, die 15. Maii 1723. ibid.

QUÆSTIO CCCXXVI.
In Causa Malacitana Nullitatis Profeſſionis, die 15. Maii 1723. 215

QUÆSTIO CCCXXVII.
In Causa Guadixenſi Reſtitutionis in integrum, die 15. Maii 1723. ibid.

QUÆSTIO CCCXXVIII.
In Causa Pampilonenſi Confirmationis Concordiæ, die 15. Maii 1723. ibid.

QUÆSTIO CCCXXIX.
In Causa Cæſenatenſi, die 15. Maii 1723. 217

QUÆSTIO CCCXXX.
In Dubio Præbendæ Theologalis, die 5. Junii 1726. ibid.

QUÆSTIO CCCXXXI.
In Causa Sabinenſi, ſeu Narnienſi Parochialis, die 5. Junii 1723. 219

QUÆ-

QUÆSTIO CCCXXXII.
In Causa Cremonenſi, die 5. Junii 1723. 219

QUÆSTIO CCCXXXIII.
In Causa Fanenſi, die 5. Junii 1723. 220

QUÆSTIO CCCXXXIV.
In Causa Montis Politiani, die 26. Junii 1723. ibid.

QUÆSTIO CCCXXXV.
In Causa Sorana, die 26. Junii 1723. 221

QUÆSTIO CCCXXXVI.
In Causa Vaſionenſi Præeminentiarum, die 26. Junii 1723. ibid.

QUÆSTIO CCCXXXVII.
In Causa Iſernienſi, die 26. Junii 1723. ibid.

QUÆSTIO CCCXXXVIII.
In Causa Ordinis Canonicorum Regularium SS. Salvatoris, die 17. Julii 1723. 222

QUÆSTIO CCCXXXIX.
In Causa Firmana Renunciationis, die 17. Julii 1723. ibid.

QUÆSTIO CCCXL.
In Causa Cæſenatenſi, die 17. Julii 1723. 223

QUÆSTIO CCCXLI.
In Causa Aquilana Juriſdictionis, die 31. Julii 1723. 224

QUÆSTIO CCCXLII.
In Causa Provinciæ Romanæ Capuccinorum Nullitatis Profeſſionis, die 31. Julii 1723. 225

QUÆSTIO CCCXLIII.
In Causa Pampilonenſi Indulti, die 31. Julii 1723. 226

QUÆSTIO CCCXLIV.
In Causa Albinganenſi Concurſus, die 28. Auguſti 1723. ibid.

QUÆSTIO CCCXLV.
In Causa Herbipolenſi, & Fuldenſi Concordiæ, die 28. Auguſti 1723. 227

QUÆSTIO CCCXLVI.
In Causa Civitatis Caſtellanæ, die 28. Auguſti 1723. 230

QUÆSTIO CCCXLVII.
In Causa Bononienſe Indulti, die 18. Septembris 1723. ibid.

QUÆSTIO CCCXLVIII.
In Causa Melevitana Juriſdictionis, die 18. Septembris 1723. 231

QUÆSTIO CCCXLIX.
In Causa Tiraſonenſi Matrimonii, die 18. Septembris 1723. 232

QUÆSTIO CCCL.
In Causa Mediolanenſi, die 18. Septembris 1723. 233

QUÆSTIO CCCLI.
In Causa Caputaquenſi Juriſdictionis, die 2. Octobris 1723. 234

QUÆSTIO CCCLII.
In Causa Neapolitana Cappellaniæ, die 2. Octobris 1723. ibid.

QUÆSTIO CCCLIII.
In Causa Nullius Provinciæ Compoſtellanæ, die 2. Octobris 1723. 235

QUÆSTIO CCCLIV.
In Causa Anglonenſi, & Turſenſi, die 2. Octobris 1723. ibid.

QUÆSTIO CCCLV.
In Causa Urbinatenſi, die 2. Octobris 1723. 236

QUÆSTIO CCCLVI.
In Causa Cajetana, die 2. Octobris 1723. ibid.

QUÆSTIO CCCLVII.
In Causa Romana Matrimonii, die 2. Octobris 1723. 237

QUÆSTIO CCCLVIII.
In Causa Liparitana, die 20. Novembris 1723. ibid.

QUÆSTIO CCCLIX.
In Causa Barchinonenſi Matrimonii, die 20. Novembris 1723. 238

QUÆSTIO CCCLX.
In Causa Pampilonenſi Unionis, die 20. Novembris 1723. 239

QUÆSTIO CCCLXI.
In Causa Aquenſi, die 20. Novembris 1723. ibid.

QUÆSTIO CCCLXII.
In Causa Ordinis S. Franciſci, die 20. Novembris 1723 240

QUÆSTIO CCCLXIII.
In Causa Melevitana, die 4. Decembris 1723. 241

QUÆSTIO CCCLXIV.
In Causa Eugubina, die 4. Decembris 1723. 242

QUÆSTIO CCCLXV.
In Causa Montis Alti Sponſalium, die 4. Decembris 1723. ibid.

QUÆSTIO CCCLXVI.
In Causa Neapolitana, seu Cavensi, die 18. Decembris 1723. 242

QUÆSTIO CCCLXVII.
In Causa Lyciensi Visitationis, & Censurarum, die 18. Decembris 1723. 243

QUÆSTIO CCCLXVIII.
In Causa Clusina Reparationis Ecclesiæ, die 18. Decembris 1723. 245

QUÆSTIO CCCLXIX.
In Causa Urbis, die 18. Decembris 1723. ibid.

QUÆSTIO CCCLXX.
In Causa Prænestina Taxæ Seminarii, die 18. Decembris 1723. 246

INDEX QUÆSTIONUM

TOMI SECUNDI.

QUÆSTIO CCCLXXI.
In Causa Oscensi Canonicatus Pœnitentiarii, die 15. Januarii 1724. 3

QUÆSTIO CCCLXXII.
In Causa Anglonensi, die 15. Januarii 1724. 4

QUÆSTIO CCCLXXIII.
In Dubio Matrimonii, die 15. Januarii 1724. 5

QUÆSTIO CCCLXXIV.
In Causa Ostiensi, die 29. Januarii 1724. ibid.

QUÆSTIO CCCLXXV.
In Causa Januensi Translationis Parochiæ, die 29. Januarii 1724. 6

QUÆSTIO CCCLXXVI.
In Causa Romana Taxæ Seminarii, die 12. Februarii 1724. 7

QUÆSTIO CCCLXXVII.
In Causa Uratislaviensi, die 12. Februarii 1724. ibid.

QUÆSTIO CCCLXXVIII.
In Causa Albinganensi Matrimonii, die 12. Februarii 1724. 8

QUÆSTIO CCCLXXIX.
In Causa Geruntinensi, seu Cariatensi, die 12. Februarii 1724. 9

QUÆSTIO CCCLXXX.
In Causa Leopoliensi Matrimonii, die 10. Junii 1724. 10

QUÆSTIO CCCLXXXI.
In Causa Gravinensi, die 10. Junii 1724. 11

QUÆSTIO CCCLXXXII.
In Causa Romana Cappellaniæ, die 10. Junii 1724. ibid.

QUÆSTIO CCCLXXXIII.
In Causa Novariensi, die 10. Junii 1724. 12

QUÆSTIO CCCLXXXIV.
In Causa Comensi, die 10. Junii 1724. 13

QUÆSTIO CCCLXXXV.
In Causa Mediolanensi, die 10. Junii 1724. ibid.

QUÆSTIO CCCLXXXVI.
In Causa Ulixbonensi Occidentali, die 8. Julii 1724. 14

QUÆSTIO CCCLXXXVII.
In Causa Placentina, die 8. Julii 1724. 16

QUÆSTIO CCCLXXXVIII.
In Causa Coloniensi Erectionis Seminarii, die 8. Julii 1724. 17

QUÆSTIO CCCLXXXIX.
In Causa Savonensi, die 28. Julii 1724. 18

QUÆSTIO CCCXC.
In Causa Amalphitana, die 28. Julii 1724. 20

QUÆSTIO CCCXCI.
In Causa Eistettensi, die 28. Julii 1724. ibid.

QUÆSTIO CCCXCII.
In Causa Ragusina, die 28. Julii 1724. 21

QUÆSTIO CCCXCIII.
In Causa Mutinensi Matrimonii, die 19. Augusti 1724. 22

QUÆSTIO CCCXCIV.
In Causa Montis Politiani, die 19. Augusti 1724. 23

QUÆ-

QUÆSTIO CCCXCV.
In Causa Bononiensi, die 9. Septembris 1724. 24

QUÆSTIO CCCXCVI.
In Causa Neapolitana Nullitatis Professionis, die 9. Septembris 1724. ibid.

QUÆSTIO CCCXCVII.
In Dubio Matrimoniorum, die 9. Septembris 1724. ibid.

QUÆSTIO CCCXCVIII.
In Causa Neapolitana, die 30. Septembris 1724. 27

QUÆSTIO CCCXCIX.
In Causa Cæsaraugustana, die 30. Septembris 1724. 28

QUÆSTIO CCCC.
In Causa Comensi, die 30. Septembris 1724. 29

QUÆSTIO CCCCI.
In Causa Amalphitana, die 30. Septembris 1724. ibid.

QUÆSTIO CCCCII.
In Causa Calaritana, die 30. Septembris 1724. 30

QUÆSTIO CCCCIII.
In Causa Fulginatensi, die 30. Septembris 1724. 31

QUÆSTIO CCCCIV.
In Causa Fæsulana, die 30. Septembris 1724. ibid.

QUÆSTIO CCCCV.
In Causa Lunensi Sarzanensi Parochialis, die 18. Novembris 1724. ibid.

QUÆSTIO CCCCVI.
In Causa Romana Dotium, die 18. Novembris 1724. ibid.

QUÆSTIO CCCCVII.
In Causa Auximana, die 18. Novembris 1724. 32

QUÆSTIO CCCCVIII.
In Causa Montis Falisci, die 18. Novembris 1724. 33

QUÆSTIO CCCCIX.
In Causa Romana Nullitatis Professionis, die 2. Decembris 1724. ibid.

QUÆSTIO CCCCX.
In Causa Aurienſi Unionis, die 2. Decembris 1724. 34

QUÆSTIO CCCCXI.
In Causa Montis Regalis, die 2. Decembris 1724. 35

QUÆSTIO CCCCXII.
In Causa Lauretana, die 16. Decembris 1724. ibid.

QUÆSTIO CCCCXIII.
In Causa Turritana, die 16. Decembris 1724. ibid.

QUÆSTIO CCCCXIV.
In Causa Namurcensi dispensationis, die 16. Decembris 1724. 36

QUÆSTIO CCCCXV.
In Dubio Oratorii privati, die 16. Decembris 1724. ibid.

QUÆSTIO CCCCXVI.
In Causa Camerinensi, die 13. Januarii 1725. 39

QUÆSTIO CCCCXVII.
In Causa Rossanensi, die 13. Januarii 1725. ibid.

QUÆSTIO CCCCXVIII.
In Causa Provinciæ Romanæ, die 13. Januarii 1725. 40

QUÆSTIO CCCCXIX.
In Causa Tusculana, die 13. Januarii 1725. 41

QUÆSTIO CCCCXX.
In Causa Placentina, die 13. Januarii 1725. 42

QUÆSTIO CCCCXXI.
In Causa Portucallensi, die 13. Januarii 1725. ibid.

QUÆSTIO CCCCXXII.
In Causa Aquilana, die 3. Februarii 1725. 43

QUÆSTIO CCCCXXIII.
In Causa Tridentina Fructuum, die 3. Februarii 1725. ibid.

QUÆSTIO CCCCXXIV.
In Causa Januensi, die 3. Februarii 1725. 44

QUÆSTIO CCCCXXV.
In Causa Triventina Laudi, die 3. Martii 1725. 45

QUÆSTIO CCCCXXVI.
In Causa Asculana, die 3. Martii 1725. ibid.

QUÆSTIO CCCCXXVII.
In Causa Sancti Marci, die 3. Martii 1725. 46

QUÆSTIO CCCCXXVIII.
In Causa Neapolitana, die 24. Martii 1725. ibid.

QUÆ-

QUÆSTIO CCCCXXIX.
In Causa Ratisbonensi, die 24. Martii 1725. 46

QUÆSTIO CCCCXXX.
In Causa Caputaquensi, die 24. Martii 1725. 47

QUÆSTIO CCCCXXXI.
In Causa Sancti Miniati, die 24. Martii 1725. 48

QUÆSTIO CCCCXXXII.
In Dubio Regularium ad Triremes damnatorum, & expletæ pœna a triremibus redeuntium, die 24. Martii 1725. 49

QUÆSTIO CCCCXXXIII.
In Causa Neapolitana Cappellaniarum, die 14. Aprilis 1725. 50

QUÆSTIO CCCCXXXIV.
In Causa Mediolanensi Sponsalium, die 14. Aprilis 1725. 51

QUÆSTIO CCCCXXXV.
In Causa Bononiensi, die 14. Aprilis 1725. ibid.

QUÆSTIO CCCCXXXVI.
In Causa Lucana, die 14. Aprilis 1725. 52

QUÆSTIO CCCCXXXVII.
In Causa Brugnatensi Collegialitatis, die 14. Aprilis 1725. 57

QUÆSTIO CCCCXXXVIII.
In Causa Gnesnensi, die 14. Aprilis 1725. 58

QUÆSTIO CCCCXXXIX.
In Causa Leopoliensi Matrimonii, die 9. Junii 1725. ibid.

QUÆSTIO CCCCXL.
In Causa Melevitana Seminarii, die 9. Junii 1725. ibid.

QUÆSTIO CCCCXLI.
In Causa Romana, seu Januensi Legati, die 9. Junii 1725. 59

QUÆSTIO CCCCXLII.
In Causa Lunensi Sarzanensi Præeminentiarum, die 9. Junii 1725. 60

QUÆSTIO CCCCXLIII.
In Causa Civitatensi Vicariatus, die 9. Junii 1725. 61

QUÆSTIO CCCCXLIV.
In Causa Viennensi Juvium Parochialium, die 9. Junii 1725. ibid.

QUÆSTIO CCCCXLV.
In Causa Salernitana Sponsalium, die 9. Junii 1725. 62

QUÆSTIO CCCCXLVI.
In Causa Vigiliensi Matrimonii, die 23. Junii 1725. ibid.

QUÆSTIO CCCCXLVII.
In Causa Bituntina Sponsalium, die 23. Junii 1725. 63

QUÆSTIO CCCCXLVIII.
In Causa Neocastrensi Parochialis, die 23. Junii 1725. ibid.

QUÆSTIO CCCCXLIX.
In Causa Atriensi, die 23. Junii 1725. 64

QUÆSTIO CCCCL.
In Causa Cornetana, die 23. Junii 1725. ibid.

QUÆSTIO CCCCLI.
In Causa Lauretana, die 13. Julii 1725. 65

QUÆSTIO CCCCLII.
In Causa Reatina, die 13. Julii 1725. 66

QUÆSTIO CCCCLIII.
In Causa Consentina, die 13. Julii 1725. 68

QUÆSTIO CCCCLIV.
In Causa Sanctæ Severinæ, die 13. Julii 1725. ibid

QUÆSTIO CCCCLV.
In Causa Savonensi, die 13. Julii 1725. 69

QUÆSTIO CCCCLVI.
In Causa Aquilana, die 4. Augusti 1725. ibid.

QUÆSTIO CCCCLVII.
In Causa Theatina, die 4. Augusti 1725. 70

QUÆSTIO CCCCLVIII.
In Causa Cordubensi, die 4. Augusti 1725. 71

QUÆSTIO CCCCLIX.
In Causa Romana, seu Albinganensi, die 4. Augusti 1725. 72

QUÆSTIO CCCCLX.
In Causa Bononiensi, die 1. Septembris 1725. 73

QUÆSTIO CCCCLXI.
In Causa Firmana Cappellaniarum, die 1. Septembris 1725. 74

QUÆSTIO CCCCLXII.
In Causa Gravinensi, die 1. Septembris 1725. 75

QUÆ-

QUÆSTIO CCCCLXIII.
In Causa Coloniensi, die 22. Septembris 1725. 75

QUÆSTIO CCCCLXIV.
In Causa Monopolitana Congruæ, die 22. Septembris 1725. 76

QUÆSTIO CCCCLXV.
In Causa Januensi Legati, die 22. Septembris 1725. ibid.

QUÆSTIO CCCCLXVI.
In Causa Veneta, seu Januensi Legati, die 22. Septembris 1725. 77

QUÆSTIO CCCCLXVII.
In Causa Romana, seu Bononiensi, die 22. Septembris 1725. ibid.

QUÆSTIO CCCCLXVIII.
In Causa Ulixbonensi Cappellaniæ, die 22. Septembris 1725. 78

QUÆSTIO CCCCLXIX.
In Dubiis Sponsalium, die 22. Septembris 1725. ibid.

QUÆSTIO CCCCLXX.
In Causa Portallegrensi, die 17. Novembris 1725. ibid.

QUÆSTIO CCCCLXXI.
In Causa Toletana, die 17. Novembris 1725. 79

QUÆSTIO CCCCLXXII.
In Causa Camerinensi, die 1. Decembris 1725 ibid.

QUÆSTIO CCCCLXXIII.
In Causa Compsana, die 1. Decembris 1725. 80

QUÆSTIO CCCCLXXIV.
In Causa Ordinis Præmonstratensis, die 1. Decembris 1725. ibid.

QUÆSTIO CCCCLXXV.
In Causa Romana, seu Viterbiensi, die 15. Decembris 1725. 81

QUÆSTIO CCCCLXXVI.
In Causa Legionensi Visitationis Sacrorum Liminum, die 15. Decembris 1725. ibid.

QUÆSTIO CCCCLXXVII.
In Causa Vicensi Relicti Annui, die 15. Decembris 1725. 82

QUÆSTIO CCCCLXXVIII.
In Causa Florentina Matrimonii, die 12. Januarii 1726. 83

QUÆSTIO CCCCLXXIX.
In Causa Urbaniensi, die 12. Januarii 1726. 84

QUÆSTIO CCCCLXXX.
In Causa Aliphana Curæ, die 12. Januarii 1726. ibid.

QUÆSTIO CCCCLXXXI.
In Causa Cremonensi Processionis, die 12. Januarii 1726. 85

QUÆSTIO CCCCLXXXII.
In Causa Posnaniensi, die 12. Januarii 1726. ibid.

QUÆSTIO CCCCLXXXIII.
In Causa Aquinatensi, die 12. Januarii 1726. 86

QUÆSTIO CCCCLXXXIV.
In Causa Hispalensi Archidiaconatus, die 26. Januarii 1726. ibid.

QUÆSTIO CCCCLXXXV.
In Causa Casalensi, die 26. Januarii 1726. 87

QUÆSTIO CCCCLXXXVI.
In Causa Pratensi die 26. Januarii 1726. ibid.

QUÆSTIO CCCCLXXXVII.
In Causa Sancti Marci, die 26. Januarii 1726. 88

QUÆSTIO CCCCLXXXVIII.
In Causa Camerinensi, die 26. Januarii 1726. ibid.

QUÆSTIO CCCCLXXXIX.
In Causa Cathacensi, die 26. Januarii 1726. 89

QUÆSTIO CCCCXC.
In Causa Lancianensi, die 9. Februarii 1726. ibid.

QUÆSTIO CCCCXCI.
In Causa Romana, die 9. Februarii 1726. 90

QUÆSTIO CCCCXCII.
In Causa Caputaquensi, die 23. Februarii 1726. 91

QUÆSTIO CCCCXCIII.
In Causa Melevitana, die 23. Februarii 1726. ibid.

QUÆSTIO CCCCXCIV.
In Causa Asculana, die 23. Februarii 1726. 92

QUÆSTIO CCCCXCV.
In Causa Senensi die 16. Martii 1726. 94

QUÆSTIO CCCCXCVI.
In Causa Taurinensi, die 16. Martii 1726. ibid.

QUÆ-

QUÆSTIO CCCCXCVII.
In Causa Florentina, die 16. Martii 1726. 94

QUÆSTIO CCCCXCVIII.
In Causa Spoletana Decimarum, die 16. Martii 1726. 95

QUÆSTIO CCCCXCIX.
In Causa Turritana, die 30. Martii 1726. ibid.

QUÆSTIO D.
In Causa Cathacensi, die 30. Martii 1726. ibid.

QUÆSTIO DI.
In Causa Castrensi, die 30. Martii 1726. 96

QUÆSTIO DII.
In Causa Sancti Marci, die 30. Martii 1726. ibid.

QUÆSTIO DIII.
In Causa Calaguritana, die 13. Aprilis 1726. 97

QUÆSTIO DIV.
In Causa Placentina, die 13. Aprilis 1726. ibid.

QUÆSTIO DV.
In Causa Reatina, die 13. Aprilis 1726. 98

QUÆSTIO DVI.
In Causa Urbis, die 13. Aprilis 1726. ibid.

QUÆSTIO DVII.
In Causa Fulginatensi, die 4. Maii 1726. 100

QUÆSTIO DVIII.
In Causa Mantuana, die 4. Maii 1726. ibid.

QUÆSTIO DIX.
In Causa Papiensi, die 4. Maii 1726. 101

QUÆSTIO DX.
In Causa Senogalliensi, die 18. Maii 1726. ibid.

QUÆSTIO DXI.
In Causa Siculana Nullitatis Professionis, die 18. Maii 1726. 102

QUÆSTIO DXII.
In Causa Uritana, die 18. Maii 1726. 103

QUÆSTIO DXIII.
In Causa Neapolitana, die 8. Junii 1726. ibid.

QUÆSTIO DXIV.
In Causa Derthonensi, die 8. Junii 1726. 104

QUÆSTIO DXV.
In Causa Trivicana, seu Tricaricensi, die 8. Junii 1726. 105

QUÆSTIO DXVI.
In Causa Lavellana, seu Romana, die 8. Junii 1726. 106

QUÆSTIO DXVII.
In Causa Nullius Fasani die 8. Junii 1726. 107

QUÆSTIO DXVIII.
In Causa Mechliniensi Legitimitatis Prolis, die 6. Julii 1726. ibid.

QUÆSTIO DXIX.
In Causa Firmana, die 27. Julii 1726. 108

QUÆSTIO DXX.
In Causa Placentina, die 27. Julii 1726. ibid.

QUÆSTIO DXXI.
In Causa Nucerina Paganorum, die 27. Julii 1726. 109

QUÆSTIO DXXII.
In Causa Trevirensi, die 27. Julii 1726. ibid.

QUÆSTIO DXXIII.
In Causa Policastrensi, die 17. Augusti 1726. ibid.

QUÆSTIO DXXIV.
In Causa Policastrensi, die 17. Augusti 1726. 110

QUÆSTIO DXXV.
In Causa Maceratensi, die 7. Septembris 1726. ibid.

QUÆSTIO DXXVI.
In Causa Ulixbonensi, die 7. Septembris 1726. 111

QUÆSTIO DXXVII.
In Causa Florentina, seu Lucana, die 28. Septembris 1726. 112

QUÆSTIO DXXVIII.
In Causa Urgellensi, die 28. Septembris 1726. 113

QUÆSTIO DXXIX.
In Causa Reatina, die 26. Septembris 1726. 114

QUÆSTIO DXXX.
In Causa Bambergensi Canonizatus, die 28. Septembris 1726. 115

QUÆ-

QUÆSTIO DXXXI.
In Causa Larinensi Restitutionis in integrum, die 11. Januarii 1727. 115

QUÆSTIO DXXXII.
In Causa Illerdensi, die 11. Januarii 1727. ibid.

QUÆSTIO DXXXIII.
In Causa Pisaurensi Hæreditatis, die 11. Januarii 1727. 116

QUÆSTIO DXXXIV.
In Causa Giennensi Celebrationis Ordinum, die 25. Januarii 1727. 117

QUÆSTIO DXXXV.
In Causa Lancianensi, die 25. Januarii 1727. 118

QUÆSTIO DXXXVI.
In Causa Januensi, die 25. Januarii 1727. ibid.

QUÆSTIO DXXXVII.
In Causa Eugubina, seu Perusina Matrimonii, die 25. Januarii 1727. 119

QUÆSTIO DXXXVIII.
In Causa Alatrina, die 25. Januarii 1727. ibid.

QUÆSTIO DXXXIX.
In Causa Mantuana, die 25. Januarii 1727. 120

QUÆSTIO DXL.
In Causa Auxitana Procurationis, die 8. Februarii 1727. 121

QUÆSTIO DXLI.
In Causa Montis Regalis, die 8. Februarii 1727. ibid.

QUÆSTIO DXLII.
In Causa Firmana Nullitatis Professionis, die 8. Februarii 1727. 122

QUÆSTIO DXLIII.
In Causa Calaritana, die 8. Februarii 1727. ibid.

QUÆSTIO DXLIV.
In Causa Agrigentina Matrimonii, die 15. Martii 1727. ibid.

QUÆSTIO DXLV.
In Causa Amerina, die 15. Martii 1727. 123

QUÆSTIO DXLVI.
In Causa Florentina, die 29. Martii 1727. ibid.

QUÆSTIO DXLVII.
In Causa Tiburtina die 26. Aprilis 1727. 132

QUÆSTIO DXLVIII.
In Causa Calaritana, die 26. Aprilis 1727. 133

QUÆSTIO DXLIX.
In Causa Romana, die 26. Aprilis 1727. ibid.

QUÆSTIO DL.
In Causa Maceratensi, die 26. Aprilis 1727. ibid.

QUÆSTIO DLI.
In Causa Mazariensi, die 10. Maii 1727. 134

QUÆSTIO DLII.
In Causa Majoricensi, die 10. Maii 1727. 135

QUÆSTIO DLIII.
In Causa Aquilana, die 10. Maii 1727. ibid.

QUÆSTIO DLIV.
In Causa Coloniensi, die 24. Maii 1727. 136

QUÆSTIO DLV.
In Causa Nonantulana, seu Eugubina, die 24. Maii 1727. ibid.

QUÆSTIO DLVI.
In Causa Burgi S. Donnini, die 24. Maii 1727. 137

QUÆSTIO DLVII.
In Causa Civitatis Ducalis, die 7. Junii 1727. 138

QUÆSTIO DLVIII.
In Causa Coloniensi, die 7. Junii 1727. ibid.

QUÆSTIO DLIX.
In Causa Coloniensi, die 7. Junii 1727. 139

QUÆSTIO DLX.
In Causa Florentina, die 7. Junii 1727. ibid.

QUÆSTIO DLXI.
In Causa Florentina, die 7. Junii 1727. 140

QUÆSTIO DLXII.
In Causa Catanensi, die 7. Junii 1727. ibid.

QUÆSTIO DLXIII.
In Causa Novariensi, die 5. Julii 1727. 141

QUÆSTIO DLXIV.
In Causa Mazariensi, die 5. Julii 1727. 142

QUÆ-

QUÆSTIO DLXV.
In Causa Anconitana, die 5. Julii 1727. 143

QUÆSTIO DLXVI.
In Causa Voliterana, die 5. Julii 1727. 144

QUÆSTIO DLXVII.
In Causa Monopolitana, die 2. Augusti 1727. ibid.

QUÆSTIO DLXVIII.
In Causa Arianensi, die 2. Augusti 1727. 145

QUÆSTIO DLXIX.
In Causa Pratensi, die 2. Augusti 1727. ibid.

QUÆSTIO DLXX.
In Causa Florentina, die 2. Augusti 1727. 146

QUÆSTIO DLXXI.
In Causa Romana, die 23. Augusti 1727. ibid.

QUÆSTIO DLXXII.
In Causa Mantuana, die 23. Augusti 1727. 147

QUÆSTIO DLXXIII.
In Causa Romana, die 20. Septembris 1727. 151

QUÆSTIO DLXXIV.
In Causa Osnabrugensi, die 20. Septembris 1727. ibid.

QUÆSTIO DLXXV.
In Causa Viterbiensi, die 20. Septembris 1727. 152

QUÆSTIO DLXXVI.
In Causa Novariensi, die 22. Novembris 1727. ibid.

QUÆSTIO DLXXVII.
In Causa Firmana, die 22. Novembris 1727. 153

QUÆSTIO DLXXVIII.
In Causa Ulyssiponensi Orientalis, die 22. Novembris 1727. ibid.

QUÆSTIO DLXXIX.
In Causa Ariminensi, die 6. Decembris 1727. 155

QUÆSTIO DLXXX.
In Causa Fanensi, die 6. Decembris 1727. ibid.

QUÆSTIO DLXXXI.
In Causa Venafrana, seu Nullius Montis Cassinensis Matrimonii, die 6. Decembris 1727. 156

QUÆSTIO DLXXXII.
In Causa Cæsenatensi, die 6. Decembris 1727. ibid.

QUÆSTIO DLXXXIII.
In Causa Tusculana, die 6. Decembris 1727. ibid.

QUÆSTIO DLXXXIV.
In Causa Savonensi, die 27. Januarii 1728. 157

QUÆSTIO DLXXXV.
In Causa Compostellana, die 27. Januarii 1728. ibid.

QUÆSTIO DLXXXVI.
In Causa Neocastrensi, die 27. Januarii 1728. 158

QUÆSTIO DLXXXVII.
In Causa Aquipendenti, die 27. Januarii 1728. 159

QUÆSTIO DLXXXVIII.
In Causa Messanensi, die 27. Januarii 1728. ibid.

QUÆSTIO DLXXXIX.
In Causa Colonienſi, die 27. Januarii 1728. 160

QUÆSTIO DXC.
In Causa Squillacensi, die 21. Februarii 1728. ibid.

QUÆSTIO DXCI.
In Causa Alexandrina, die 21. Februarii 1728. 161

QUÆSTIO DXCII.
In Causa Calaritana, die 21. Februarii 1728. ibid.

QUÆSTIO DXCIII.
In Causa Toletana, die 17. Aprilis 1728. 163

QUÆSTIO DXCIV.
In Causa Neapolitana, die 17. Aprilis 1728. 164

QUÆSTIO DXCV.
In Causa Mediolanensi, die 17. Aprilis 1728. ibid.

QUÆ-

QUÆSTIONES CANONICÆ

IN MATERIIS AD CONGREGATIONEM CONCILII SPECTANTIBUS

A SS. D. N. BENEDICTO XIV.

Discussæ, dum munus Secretarii ejusdem Congregationis obiret.

QUÆSTIO I.

In Causa Senogallien. Censuum, die 15. Jan. 1718.

LEOPARDUS Leopardi in Annis 1694. & 1696. favore Confraternitatis Sanctissimi Sacramenti duos Census in forte scutorum 370. imposuit conventis fructibus ad rationem quinque pro centenario; Hippolytus vero dicti Leopardi filius ab Officialibus dictæ Confraternitatis Anno 1699. reductionem obtinuit fructuum dictorum Censuum ad rationem quatuor pro centenario absque Apostolico Beneplacito. Quare supplicat vel talem reductionem validam declarari, vel eam tam pro præterito, quam pro futuro tempore, præcipue attenta bona fide, revalidari. Eminentissimus Cardinalis Parraccianus in Urbe Sanctissimi D. N. Vicarius, Anno superiori, quo Ecclesiæ præsidebat Senogalliensi, retulit, se de hujusmodi reductionibus factis a Locis Piis propria auctoritate, nixum plurimorum Doctorum opinionibus dubitasse, & signanter *Ricci allegat. a Monacell. tom. 2. tit. 14. formul. 5. num. 4. Marin. resolut. 6. num. 11. & segg. Baruf. in suo Torcular. Juris resolut. 100. per tot. & potissimum Oraculo Sacræ Congregationis Episcoporum, & Regularium, quæ in terminis rescripsit per hæc verba: Prævia Oratorum absolutione ad cautelam, quatenus non adsit in promptu aliud investimentum magis utile, & idoneum præfatam reductionem pro suo arbitrio, & conscientia revalidet, atque confirmet.* Auctoritatibus autem præfatis Eminentissimus Relator subdit, Oratorem opponere auctoritatem *Card. de Luca de alienat. disc. 6. num. 5. & de Cens. disc. 14. num. 4. & 5. distinguentis Census consignativos a reservativis, ut in illis non sit opus Apostolico, vel Episcopali Beneplacito, in istis vero utique pro moderatione antedicta:* Ideoque censet, necessarium esse sapientissimum Sacræ Congregationis Oraculum pro exemplari Regula.

Sacra Congr. nihil voluit decidere. Sed respondit *Dilata, & exhibeatur Instrumentum reductionis.*

QUÆSTIO II.

In Causa Astensi Jurium Parochialium, die 29. Jan. 1718.

INFIRMITAS, atque obitus Comitis Eustachii Pallio, qui, Conjuge defuncta, se contulerat ad Conventum Fratrum Eremitarum Ordinis S. Augustini Civitatis Astensis, & in eo, solutis Conventui alimentis, vitam, habitu indutus sæculari, ducebat, occasionem dedit controversiæ inter dictos Patres, atque Priorem Parochialis Ecclesiæ Sancti Pauli, intra cujus limites dicitur esse memoratus Conventus.

Correpto siquidem lethali morbo Comite prædicto, cum Patres eidem Sanctissimæ Eucharistiæ Viaticum, & Oleum Infirmorum administraverint, atque Cadaver sepulturæ mandaverint, absque Parochi præsentia, & interventu, non obstante quod Ordinarius iisdem inhibuisset, ne prædicta peragerent, hinc factum est, ut judiciali lite introducta, fuerint, utraque Parte informante, in hac Sacra Congregatione proposita, atque discussa dubia, quæ sequuntur.

I. An Patres Sancti Augustini licite potuerint, irrequisito Parocho, Sacramenta administrare, & Corpus tumulare in Casu, &c. & quatenus negative.

II. An sit locus exhumationi Cadaveris, & restitutioni omnium emolumentorum Funeralium in casu.

Quibus die 27. Novembris 1717. hoc, qui sequitur modo, responsum fuit, *ad primum negative, ad secundum negative, quo ad primam partem, & quo ad secundam, teneri ad quartam funeralium, & amplius*; & in Congregatione habita die 11. Decembris ejusdem Anni, denegata fuit Patribus Augustinianis nova audientia præter quam quoad quartam funeralem, ut ex sequenti colligitur rescripto, *audiantur super quarta funerali tantum.*

Controversia itaque ad solam quartam funeralem redacta, existimant Patres, se ad ejus solutionem non teneri, tum quia exemptio ab ejus solutione fundamentum habere dicitur in Bulla Nicolai V. quæ incipit *Regimini*, & quæ est impressa inter collectas a Fratre Laurentio Empoli fol. 269. & Conventus Astensis fundatio Concilium Tridentinum ultra annos quadraginta præcessit, cum in eo, usque ab anno 1415. coactum fuerit Capitulum Generale; tum quia idem Pontifex Nicolaus V. exemptionem a quarta funerali elargitus est Patribus Carmelitis, cum expressa derogatione *ad Clementinam dudum de sepulturis*, quo Privilegio Augustiniani putant se frui debere ob Privilegiorum communicationem, quæ inter utramque Religionem intercedit.

Excipit e contra Prior Parochialis Ecclesiæ Sancti Pauli, Patres Augustinianos esse ad solutionem quartæ adstrictos, non solum quia Privilegium ipsis a Nicolao V. concessum, non continet derogationem *ad Clementinam dudum de sepulturis*, sed etiam quia nullum præsidium habere possunt ab alio Privilegio Patribus Carmelitis ab eodem Pontifice concesso, cum in materia exem-

 ptionis

ptionis a quarta funerali communicatio Privilegiorum non suffragetur.

Quæritur ergo

An sit standum, vel recedendum a decisis die 27. Novembris 1717. quoad quartam funeralem.

Sacra Congr. die 12. Febr. declaravit standum esse in decisis, & Cautam non esse amplius proponendam.

QUÆSTIO III.

In Causa Montis Falisci Missæ Conventualis, die 29. Jan. 1718.

IN Terra Marthæ Diœcesis Montis Falisci, Ecclesia reperitur sub invocatione, & nomine Sanctæ Marthæ, cui altera Parochialis Sancti Blasii fuit alias unita. Illi in Divinis inserviunt Præpositus, atque Canonici, & Præpositus habet principaliter, & in capite curam Animarum, & tres ex quatuor Canonicis, qui vulgo Capitulum, & Canonici Capitulares appellantur, auxilium Præposito præstant in exercenda prædicta cura Animarum.

Præter hos, alii quinque extant Canonici, qui supranumerarii dicuntur, & tam hi, quam illi in Choro conveniunt ad recitandum Divinum Officium, seu partem Divini Officii, Dominicis, & Festis diebus; Matutinum etenim non recitant, sed tantummodo Primam, Tertiam, Sextam, & Nonam, & Vesperas sua hora decantant, & tempore Quadragesimæ, singulis diebus, Completorium.

Canonici Capitulares, qui & de numero dici possunt, una cum Præposito, per turnum, Dominicis, & Festis diebus Missam canunt, & applicant pro Populo, & Festis mobilibus, primæque Classis semper Missa cantatur a Præposito, qui illam applicat pariter pro Populo.

Tam Præpositus, quam singuli Canonici suas habent præbendas, & bona assignata, sed nullos habent reditus communes, præter annua scuta sexaginta circiter, quæ proveniunt ex nonnullis Legatis piis, quæque, demptis expensis, vix sufficiunt pro adimplemento onerum injunctorum, nec ullas pariter habent quotidianas distributiones.

Almutiam deferunt coloris violacei, sed Archivio, sigillo, aliisque requisitis Collegialitatem arguentibus, carent, quæ omnia desumpta sunt ex Relatione Ordinarii; Et ex fide a Cancellario Episcopali transmissa, habetur, Præposituram non esse tamquam primam Dignitatem Sedi Apostolicæ reservatam, sed ab Episcopo, si non vacet in mensibus reservatis, conferri per concursum, juxta Concilii Tridentini dispositionem.

Hisce fundamentis innixi, tam Præpositus, quam Canonici asserunt, Collegialitatis signa deesse, & consequenter Ecclesiam Sanctæ Marthæ Collegiatam dici non posse; Quo stante, inferunt, se, præter Missam, quam pro Populo applicant, nullatenus teneri ad celebrationem Missæ Conventualis, cum hoc onus impositum dicant Cathedralibus, & Collegiatis Ecclesiis, juxta Textum *in Cap. Creatura de Celebratione Missarum.*

Multoque magis, cum in Visitatione per Episcopum facta anno 1631. habeatur, quod Ecclesia prædicta habitu solum, & non actu Collegiata dici valeat, & in alia visitatione peracta anno 1645. hæc legantur, *Missa Conventualis, quæ cantatur, applicetur pro Ecclesia, sive pro Populo, sive pro Benefactoribus in communi. Quando autem accidit in Festis de Præcepto cantare Missam pro aliquo Benefactore particulari, nunquam propterea omittatur Missa Conventualis, sed eo casu cantentur duæ Missæ, altera nempe pro Ecclesia, quæ erit Conventualis, altera pro Benefactore particulari,*

Adversus hæc reponit Episcopus, se dubitare, an Præpositus, & Canonici propriæ satisfaciant obligationi, applicando tantummodo Missam, Dominicis, & Festis diebus pro Populo, & omittendo celebrationem Missæ Conventualis, quæ non pro Populo, sed pro Benefactoribus est applicanda, uti resolutum fuit ab hac Sacra Congregatione in Camerinen. Missæ Conventualis 6. Junii 1705, & 5. Junii 1706. Negari etenim non potest, curam Animarum esse penes Præpositum principaliter, & minus principaliter penes prædictos Canonicos; & quando cura Animarum est penes Canonicos, ipsi propriæ non satisfaciunt obligationi, applicando Dominicis, & Festis diebus Missam pro Populo, cum ulterius teneantur celebrare Missam Conventualem, ut in terminis Canonicorum Cathedralis, & Collegiatarum Ecclesiarum Civitatis Viterbiensis resolvit hæc Sacra Congregatio die 31. Martii 1708. & in terminis Capituli Cathedralis Ecclesiæ Balneoregiensis, cujus duo Canonici in altera dictæ Civitatis parte exercent curam Animarum, hæc eadem Sacra statuit Congregatio die 19. Augusti 1713.

His positis, quæritur

An Canonici nuncupati Ecclesiæ Sanctæ Marthæ Terræ Marthæ teneantur ad celebrationem Missæ Conventualis in casu &c.

Sacr. Congr. die 12. Febr. 1718. Respondit *Negative, & amplius.*

QUÆSTIO IV.

In Causa Bisuntina Restitutionis in integrum, die 29. Jan. 1718.

ASCANIUS Boucaud huic Sacræ Congregationi supplicavit pro restitutione in integrum, adversus Regularem professionem a se emissam inter Canonicos Regulares Ordinis Sancti Augustini, in Monasterio, sive Abbatia Montis Benedicti Bisuntinæ Diœcesis, elapso jam dudum quinquennio, remissisque de more ad Archiepiscopum Bisuntinum precibus pro informatione, ille, nedum processum transmisit a suis subdelegatis compilatum super asserto metu qui dicitur fuisse incussus a Georgina Matre ut Ascanius Professionem Regularem emitteret, sed in Epistola huic Sac. Congregationi scripta retulit sibi videri, quod Professio nullitatis vitio laboret ob allegatam metus causam, cum potissimum mater, post obitum patris, filiorum curam suscepisset.

In Processu autem, qui ab Archiepiscopo transmissus fuit, plures habentur Testium depositiones. Nonnulli dicunt importunas fuisse adhibitas a Matre suasiones, atque sollicitationes, ut filius non sæcularem, quam exoptabat, sed Regularem militiam amplecteretur. Inter hos Testes extat Avia recurrentis, & cum Avia concordat Patruus Sacerdotali charactere insignitus, qui ait, sæpe Matrem Ascanio minatam fuisse, ut Religionem ingrederetur sub obtentu præcipue, quod eum alere non poterat, tum propter angustiam rei familiaris, tum propter numerum quatuor liberorum, quos habebat.

Alii Testes in eodem processu deponentes testantur, se ab Ascanio, tempore Novitiatus, audivisse, quod Professionem Regularem emittere nolebat, & quod, propter Matris, & Cognatorum timorem in Abbatia permanebat; Alter quoque ex Testibus narrat, Ascanium Novitiatus tempore ad Matrem accessisse, ut ab ea obtineret licentiam proficiscendi ad Bellum, quam tamen impetrare non potuit; Et alter, hoc factum confirmando, addit, quod fuit ad Monasterium ab eadem Matre reductus, quasi per violentiam, & Patruus Ascanii, modum enarrando, quo habitum Regularem assumpsit, inquit, ab eo dictum habitum assumptum fuisse coram se & coram Avunculis, ex quibus quidam Claudius, qui interesse non potuit, occasione, qua Ascanium ad se accedentem dimisit, hortatus est, ne Canonicalem præbendam desereret, quasi quod si præbendam deseruisset, nihil aliud sperare posset, quod, propter Claudii divitias, ait Testis, erat maximopere ab Ascanio pertimescendum.

Item Testes in sæpe memorato Processu deponentes narrant, se, ipso Professionis die, & paucis ante Professionem momentis, Ascanium audivisse asserentem, & conquerentem, quod a Cognatis coactus Professionem erat emissurus; Nec desunt Testes de auditu proprio exponentes, quod Georgina Mater, ipso eodem Professionis die anceps erat, & formidabat propter incertitudinem de emittenda a filio Professione; Et alter ex eis concludit, quod illa eadem die fuit a prædicta Matre rogatus, ut Ascanio suaderet Professionis emissionem, & licet id strenue peregisset, nullam tamen ab illo reportavit responsionem, taciturnitatem hanc referendo ad animum a Professione Regulari alienum.

Tandem Testes ejusdem Processus dicunt, se ab Ascanio, post emissam Professionem, intellexisse, quod erat adversus eam reclamaturus, & in recitato Processu extat licentia a Religione illi concessa die 21. Aprilis anno 1697. ut ad Summum Pontificem recurrere posset pro declaratione nullitatis Professionis, nondum elapso quinquennio. Adsunt quoque Testes attestantes ejus ad Urbem accessum, pro dicta declaratione reportanda, fuisse a Cognatis, & præcipue a Matre impeditum, comminante, quod ipsum, in hypothesi accessus, Carceribus mancipare fecisset; Cumque die 20. Augusti anno 1714. Apostolicus Visitator Votorum renovationem ab Abbatiæ Religiosis postulasset, Ascanius renuit id peragere, uti plerique

plerique ex iisdem Religiosis deponunt, licet alter ex eis referat, illum fuisse a Priore Conventus vocatum, & in ejusdem Prioris Cubiculo, cuidam paginæ subscripsisse, ignorando quid ageret.

Hæc sunt, quæ haurire potui ex Processu transmisso ab Archiepiscopo Bisuntino. Nunc autem operæ pretium est, ut aliqua adnotentur, quæ sunt extra Processum, & alia quæ ad eundem pertinent Processum. Adnotandum est extra Processum, quod Archiepiscopus in sua Epistola narrat, fuisse ab Ascanio renovatam Professionem die 20. Aprilis anno 1700. licet subdat, hanc renovationem fuisse ab eo factam, ex improviso, & sine matura, & sufficienti deliberatione. Circa Processum vero est adnotandum, quod Testes in eodem deponentes, deponunt quidem coram Judice, & emisso juramento, sed absque interrogatoriis, & quod in Processu deest fides obitus Matris, quæ necessaria videbatur, ut deprehendi posset, quo anno illa mortua sit; Informantes enim potissimam refundunt in eam rationem metus, & contendunt, quod illa vivente, semper metus duraverit, ita ut Ascanius excusandus sit, si longe post quinquennium a Concilio præfixum reclamavit.

Porro, his stantibus, quæritur

An sit locus restitutioni in integrum in casu &c.

Sacr. Congr. die 12. Febr. 1718. respondit *Negative.*

Et iterum die 21. Jan. 1719. confirmavit standum esse in decisis, & amplius.

QUÆSTIO V.

In Causa Aquinaten. Nullitatis Matrimonii, die 29. Jan. 1718.

VINCENTIUS Ruzzanus loci Pontis Curvi ab Apollonia, & ab Angela ejus Matre fuit anno 1696. in Curia Ecclesiastica de crimine stupri cum Apollonia commissi accusatus, & in carceres ejusdem Curiæ conjectus.

Deventum fuit ad constructionem Processus, & in eo geminæ Obstetrices a Judice deputatæ ad recognoscendum Apolloniam attentatum, sed non perfectum, & consummatum stuprum retulerunt.

Inter testes examinatos, alii de amore, quo Vincentius Apolloniam prosequebatur, alii de bona Apolloniæ fama, alii de rumore commissi stupri, alii de consensu Vincentii in Matrimonium cum Apollonia ineundum, deposuerunt, & ipsa Apollonia, in suo examine, dixit, se stupro consensisse, quia Vincentius sibi, in Matrimonii fidem, annulum tradiderat; dictumque Apolloniæ fuit a Teste confirmatum, qui prope ejusdem domum immediate habitabat, quique per parietem ligneum annuli oblationem, dixit, se intellexisse.

Vincentius examini suppositus, post aliquas interrogationes, conatum ad stuprum confessus est, & sese promptum exhibuit ad Apolloniam in uxorem ducendam, quod Matrimonium ut perficeretur, Archipresbyterum accersiri rogavit, & attentis tum confessione, tum oblatione Vincentii, Judex, dimissis Biruariis, jussit eum in libertatem poni, & convocari mandavit Archipresbyterum, ipsamque Apolloniam, & post signaram signo Crucis suam a Vincentio depositionem coram duobus Testibus, scribere enim nesciebat, celebratum fuit in Cancellaria Matrimonium coram Archipresbytero, & Testibus.

Celebrato hoc modo Matrimonio, Vincentius carceres evasit: Cumque dicti Matrimonii nullitatem, post plurium annorum intervallum, probaturus, attulisset primo loco Apolloniæ attestationem exaratam anno 1705. in qua ait, nec se ab illo fuisse stupratam, nec ab eo annulum recepisse.

Secundo loco depositionem Abbatis Gerardi, qui retulit, se audivisse a Canonico Joanne Baptista Parisio, Matrimonii Teste jam defuncto, quod scrupulis angebatur, ex quo in Processu scripta non fuerant verba Vincentii, qui in actu Matrimonii coram Vicario dixerat, se illud contrahere ob vim, & ob timorem carceris, atque triremium.

Tertio loco Joannis Antonii, qui Matrimonio interfuit, Testimonium, quo testatus est Vincentium prima vice assensum noluisse præstare, & tandem præstitisse, sub ea conditione, ne secum Apollonia cohabitaret, quæ conditio, uti subdit Testis, assensum præsefert non voluntarium, sed coactum.

Quarto loco, cujusdam Thomæ attestationem, in qua inquit, se ab Apollonia, & ab ejus Consobrina deprehendisse, quod annulus nunquam fuerat a Vincentio datus Apolloniæ.

Et ultimo tandem loco Biruariorum dicta, ex quibus colligitur, Vincentium in ipso Matrimonii actu protestatum fuisse se Matrimonium contrahere non volentem, sed invitum, atque coactum, nec se unquam Apolloniæ annulum tradidisse.

Propositum fuit, die 27. Martii 1706. in hac Sacra Congregatione dubium: *An constet de nullitate Matrimonii in casu &c.* Cumque, nulla capta resolutione, responsum fuerit, quod coadjuvarentur probationes juxta instructionem, demandatum est Episcopo, ut fidem Matrimonii, quod inter Vincentium, atque Apolloniam celebratum dicebatur, in authentica forma transmitteret, & rescriberet, cur tamdiu causam nullitatis ejusdem Matrimonii siluisset; transmissaque subinde dicta Matrimonii fide, in qua illud celebratum asserebatur die 6. Julii 1696. una cum relatione, quod nullitatis causa usque ad eam diem fuerat protracta, ex quo conjuges extrema paupertate pressi, necessarios litis sumptus ministrare non valuerunt, fuit iterum propositum præinsertum dubium die 5. Junii 1706. & illi fuit responsum *negative.*

Cumque Vincentius eandem nullitatis instantiam nunc prosequi intendat, & præter relata documenta, recentes attestationes exhibeat Archipresbyteri, & Canonicorum Collegiatæ Ecclesiæ Sancti Bartholomæi Civitatis Pontis Curvi, & Parochi suæ Parochiæ, in quibus dicitur, eum ab Apollonia vivere separatum, & ultra citationes personales, adversus Apolloniam repetitas, epistolam Ordinarii adducat anno præterito scriptam, in qua dicit, se a pluribus informatis Testibus audivisse, quod nunquam cum Apollonia cohabitavit, & quod hæc eadem Mulier, a Vicario examinata, hoc ipsum confirmavit, fatendo, quod Matrimonium nunquam fuit consummatum, quodque Causa ulteriorem non habuit progressum, propter miserabilem Viri statum; idemque Vincentius præterea se offerat promptum, atque paratum ad subjiciendum formali examini Testes olim pro nullitate Matrimonii inductos, qui ad perpetuam, uti dicitur, fuerant examinati.

Quæritur.

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

Sacr. Congr. die 12. Febr. 1718. Respondit *In decisis, & amplius.*

QUÆSTIO VI.

In Causa Firmana Ædificationis Ecclesiæ, die 29. Jan. 1718.

FRANCISCUS Vannus, in ultimo, cum quo decessit, Testamento, reliquit Imagini Beatissimæ Virginis Angelorum extra Portam Sancti Andreæ Terræ Montis Georgii octo loca montium, ut in ejus Imaginis honorem fabricaretur Ecclesia; utque hæc sua ultima voluntas executione non careret, deputavit, & elegit Doctorem Joannem Franciscum Passarum, qui Fabricæ assisteret, attributa ipsi facultate vendendi, & alienandi loca montium absque etiam suorum hæredum consensu.

Secuto Testatoris obitu, Passarus executor, eo subtentu, quod Ecclesia fabricari non posset in loco a Testatore electo, & in quo est Imago memoratæ Beatissimæ Virginis Angelorum, ex quo inhæret lateri collis fere ruinosi, licentiam ab Episcopo Ripano, qui tunc Firmanam Diœcesim administrabat, reportavit, eandem Ecclesiam fabricandi in altero solo, ab Imagine distante per passus geometricos centum viginti, & ab Oppido per passus bis centum quinquaginta.

Displicuit hæc loci commutatio Hæredibus Francisci Vanni, tum quia propter majorem ab Oppido distantiam ejus habitatores incommodum passuri dicebantur, tum quia cum ipsi hæredes in vim Testamenti teneantur celebrari facere Missas in Ecclesia ædificanda, loci commutationem existimabant sibimet fore præjudicialem, factaque idcirco oblatione domus, quam possident prope Januam Sancti Andreæ, ut in ea novæ Ecclesiæ constructio impleri possit, habitoque subinde ad hanc Sacram Congregationem recursu; hæc, prævia relatione Archiepiscopi Firmani, eidem commilit, ut veris existentibus narratis, & præsertim, quod Ecclesia in loco a Testatore assignato construi non posset, facultatem impertiri valeret pro suo arbitrio, & conscientia, eandem Ecclesiam ædificandi in domo ab Hæredibus designata, & Archiepiscopus, utens arbitrio sibi dato, annuit petitis.

Hisce sese opposuerunt coram Auditore Sanctissimi, tum Passarus Executor, tum Hæredes Philippi Vanni fratris Testatoris; ille sub fundamento, quod, se inaudito, Sacræ Congregationis resolutio, & Archiepiscopi Firmani Decretum prodiissent; hi vero sub alio funda-

men-

mento, quod controversia hæc pertinens ad Ecclesiæ constructionem discuti non posset, nisi post aliam litem terminatam, & in Tribunali A. G. introductam, quam huic præjudicialem asserebant; sed cum ad amputandam quamcumque dilationem, Hæredes Francisci Vanni Testatoris, se promptos, paratosque exhibuerint ad Ecclesiam ære proprio ædificandam, consentiendo, ut interim, & in forma depositi pretium locorum montium erogandum in Ecclesiæ constructionem remaneret penes Passarum Executorem Testamentarium, Auditor Sanctissimi, firmo remanente dicto deposito, causam ad hanc Sacram Congregationem remisit super puncto commutationis voluntatis.

Contendunt Hæredes Francisci Vanni, aptiorem esse locum ab ipsis electum pro constructione Ecclesiæ, comparative ad alium, in quo Passarus ab Episcopo Ripano obtinuit, ut Ecclesia construeretur; quod assumptum ut comprobent, animadvertendas proponunt, tum meliorem situs a se assignati capacitatem, tum minorem incommoditatem tam incolarum Oppidi Sancti Georgii, quam Sacerdotum Missas in nova Ecclesia celebrare debentium, & quod ulterius in via S. Andreæ, ad quam dicunt Testatorem respexisse, & in qua proponunt Ecclesiæ ædificationem, nulla alia existit Ecclesia, in qua Missa celebretur præter Ecclesiam Monialium Sancti Andreæ, in qua unica Missa dicitur pro Monialibus, licet in eadem via tercentum circiter habitent Personæ, quando in loco ab Executore electo pro novæ Ecclesiæ constructione alia reperitur Ecclesia, in qua duæ Missæ qualibet hebdomada celebrantur, præter iliam, quæ diebus festivis dicitur pro Populo Rustico per Cappellanum Communitatis.

Quæritur itaque

An, & quomodo sit locus commutationi voluntatis bonæ mem. Francisci Marini de Vannis, in casu &c.

Sacr. Congr. die 12. Febr. 1718. Respondit

Affirmative juxta Votum Archiepiscopi, reservato jure Executori Testamentario adimplendi voluntatem Testatoris in domo ab hæredibus assignata.

QUÆSTIO VII.

In Causa Ferrarien. Applicationis Missarum, die 12. Febr. 1718.

CALAMELLUS de Calamellis, post fabricatam anno 1348. Cappellam in Cathedrali Ecclesia Ferrariensi sub invocatione SS. Joannis Evangelistæ, & Antonii Viennensis, duas in illa fundavit Cappellanias, aliam reditus scutorum centum, aliam reditus scutorum quinquaginta, cum onere, quod *Cappellani*, verba sunt fundationis, *continue celebrent Missas, ita quod diebus ferialibus specialiter pro anima ipsius Calamelli, Patris, Matrisque suæ, Fratrum, & Sororum, suorum Nepotum, Propinquorum, & Benefactorum suorum, & Dominæ Catharinæ ejus Uxoris, & omnium Fidelium Defunctorum Missas celebrent Mortuorum; quod si fuerint negligentes, pro qualibet vice solvant denarios sex per Reverendissimum Episcopum convertendos ad dictum usum.*

In executionem oneris injuncti, Cappellani quotidie Missas celebrarunt, & celebrant, sed Missas nec applicarunt, nec applicant, nisi illis diebus ferialibus, in quibus in Kalendario dicitur *de ea*, & pro hujus facti ratione, nedum longævam afferunt observantiam, sed ulterius innituntur Visitationi factæ anno 1669. a clar. mem. Cardinali Cerro Episcopo Ferrariensi, in qua, loquendo de applicatione Missarum, quæ fieri debebat a Cappellanis possidentibus Cappellanias fundatas a Calamello de Calamellis, sic statuit: *Mandavit celebrari quotidie, & cum applicatione Sacrificii diebus ferialibus ad tenorem fundationis.*

Collato Episcopatu Ferrariensi Eminentissimo Domino Cardinali Ruffo, in Congregatione ab ipso deputata super visitatione suæ Diœcesis, suppofita fuit examini dispositio sæpe memorati Calamelli de Calamellis, & existimatum fuit, Cappellanos ab eo institutos nullatenus satisfacere propriæ obligationi, celebrando quotidie, & applicando tantummodo Missam diebus ferialibus, in quibus in Kalendario dicitur *de ea*, sed teneri ad celebrandum quotidie cum applicatione, itaut sola differentia inter dies, in quibus fit Officium duplex, & inter dies, in quibus duplex Officium non fit, consistere debeat in hoc, quod in diebus, in quibus non fit Officium duplex, celebrare teneantur Missas Mortuorum, quas celebrare non debent in diebus Officii duplicis, absque eo quod tamen applicationem omittant ullo die, sive sit, sive non sit dies Officii duplicis.

Ab hoc Congregationis deputatæ sensu, Cappellani se gravatos existimarunt, & benigne illis concessa ab Eminentissimo Episcopo licentia recurrendi ad hanc Sacram Congregationem, operæ pretium est exponere momenta rationum, quæ utrique parti assistere possunt.

Dicitur itaque in informatione Eminentissimi Episcopi non posse Capellanis suffragari vel observantiam, vel præteritas Visitationes, quia quando est clara lex fundationis, illa est servanda, & præsidium constitui non potest vel in consuetudine, vel in aliorum sensu. Dicitur etiam, applicationem Missarum pro Anima Calamelli, & Patris, & Matris ejusdem, & aliorum ipsius Propinquorum ad paucos redigi dies, si fiat illis tantum diebus, in quibus in Kalendario dicitur *de ea*, cum singulo mense, aut pauci, aut nulli adsint dies, in quibus fit Officium de Feria: cumque Testator non esset Sacerdos, sed Laicus, & consequenter præsumi valeat ignarus Feriarum, atque dierum, in quibus in Kalendario fit Officium de Feria, urget maxima verisimilitudo, quod quocumque die voluerit celebrationem, & applicationem Missæ, & quod nomine dierum Ferialium intellexerit, prout Vulgus intelligit, eos dies, in quibus celebrari possunt Missæ privatæ Defunctorum, quæ juxta Rubricam dici valent quocumque die præter quam in Festis duplicibus, & Dominicis. Dicitur denique in citata informatione, nullam esse difficultatem quoad applicationem diebus Ferialibus, cum id expresse dictum fuerit a Testatore, idemque judicium ferendum esse, quo ad applicationem cæteris aliis diebus, cum vera sit Doctorum opinio, quod quando ex verbis, aut mente Fundatoris non colligitur, quod ipse reliquerit libertatem applicationis Sacrificii, illud est pro Anima ipsius applicandum.

Et concordant hujus Sacræ Congregationis resolutiones. In Tinen. etenim applicationis Sacrificii die 18. Augusti 1668. lib. 26. Decretorum fol. 61. sic legitur: *Ex dispositione Testamentaria antiquitus facta a pio Testatore reperitur fundata quædam Cappellania cum onere Cappellano pro tempore sacrum faciendi singulis Dominicis, aliisque Festivis diebus, nulla adjecta declaratione, ad cujus suffragium applicandum esset Sacrificium. Ideo Episcopus Tinen. supplicat per Sacram Congregationem declarari, an hujusmodi Sacrificium applicandum sit pro Anima ipsius Testatoris, an vero ad libitum Cappellani, uti hactenus factum esse comperit. Die 18. Augusti 1668. Sacra Congregatio Concilii respondit, applicandum esse Sacrificium pro Anima Testatoris*; & cum hoc eodem sensu Sacra Congregatio processit in Lucana anni 1683. pag. 241. a tergo, & in Collen. ejusdem anni pag. 264. lib. 33. & in alia Collen. anni 1686. lib. 35. & in Vicentina anni 1688. fol. 471. lib. 38. & in Spoletana applicationis, seu reductionis Missarum anni 1710. fol. 4. a tergo lib. 60.

Pro Cappellanis e contra facit, primo, quod in re, & ad effectum de quo agitur, attendenda sunt verba fundationis, cumque ex illis non habeatur nisi quod Cappellani celebrent quotidie, & quod Sacrificium applicent diebus ferialibus, celebratio erit quidem quolibet die adimplenda, sed applicatio fieri non debebit, nisi diebus ferialibus, diebus scilicet, in quibus in Kalendario dicitur *de ea*, cum dies Feriales, juxta proprietatem sermonis, illi sint, in quibus fit Officium de Feria. Facit secundo, quod dispositio Calamelli de Calamellis dubia ad minus censeri potest. Admissa autem dubietate, observantia longæva, & in Visitationibus Episcoporum formiter approbata juxta sensum Doctorum de materia tractantium, tanti esse debet roboris, & momenti, ut ipsi diebus solum ferialibus applicare teneantur, sicut & ipsi, & sui Prædecessores prædictis solum diebus applicarunt, & sicut Episcopi in suis Visitationibus statuerunt. Facit denique tertio discretiva, quæ legitur in fundatione Calamelli de Calamellis: *Continue celebrent Missas, ita quod diebus Ferialibus specialiter pro Anima ipsius Calamelli &c. Missas celebrent Mortuorum*, quasi quod Fundator dies expressit, in quibus voluit applicationem, in illis, in quibus non expressit, applicationem noluisse dicendus sit. Multoque magis, quia demandando quotidianam celebrationem in Cappella a se fabricata in Cathedrali Ecclesia, & nonnullos dies designando, in quibus exoptabat Missæ applicationem, verisimile admodum est, ut omnibus diebus respexerit ad servitium Cathedralis Ecclesiæ, & ad majorem numerum Missarum in ea celebrandarum, & quod aliquibus diebus, ultra dictum servitium Ecclesiæ voluerit applicationem Missarum pro Anima sua, & pro Animabus suorum Propinquorum.

Cohærenter ad hæc, Sacra hæc eadem Congregatio in Causa Collen. Applicationis Sacrificii anno 1685. agendo de

do de quadam dispositione, in qua cautum fuerat, ut Cappellanus pro tempore Missam celebraret omnibus diebus hebdomadæ, præter unum, cum hoc quod tres Missæ qualibet hebdomada celebrarentur de Mortuis pro Anima Fundatoris, censuit, Cappellanum teneri applicare dumtaxat tres Missas de Mortuis, & non alias. Item hæc eadem Sacra Congregatio in alia Collen. applicationis Sacrificii anno 1689. tractando de quadam Cappellania instituta cum onere Missam quotidie celebrandi hora determinata, post terminatum scilicet Officium Divinum in Cathedrali, ut Mercatores, & Scholarum Discipuli illi interesse possent, respondit, Cappellanum non teneri applicare Sacrificium pro Anima Fundatoris. Et demum hæc eadem Sacra Congregatio in quadam causa Tricastinen. Applicationis Sacrificii Missæ, in qua quæstio erat de quadam Cappellania fundata cum obligatione celebrandi quotidie quadam hora determinata pro commoditate nonnullarum Monialium, & applicandi qualibet feria secunda non impedita Missam Mortuorum pro Anima Fundatoris, respondit anno 1711. Missam esse applicandam ad libitum Sacerdotis celebrantis, excepta Missa in feria secunda applicanda pro Anima Fundatoris, uti habetur pag. 332. & pag. 358. a terg. lib. 61. Decretorum.

His autem pro utraque Parte deductis, quæritur

I. An Cappellani instituti a Calamello de Calamellis teneantur quocumque die Missam applicare pro anima Fundatoris, & ejus Propinquorum, & quatenus negative.

II. An teneantur tantummodo applicare Missas diebus ferialibus, in quibus in Kalendario dicitur de ea, *& quatenus negative.*

III. In quibus diebus teneantur applicare.

Sacr. Congr. die 26. Mart. 1718. Respondit

Ad primum affirmative. In reliquis satis provisum.

Et iterum die 24. Febr. 1720. confirmavit standum esse in decisis, & amplius.

QUÆSTIO VIII.

In Causa Neapolitana, seu Vici Æquen. Ordinationis, die 12. Febr. 1718.

BENEDICTUS Mannellus cupiens prima Clericali Tonsura initiari, aliosque successive Ordines ab Episcopo Vici Æquensis, tanquam a suo Ordinario suscipere, petiit ab Eminentissimo Archiepiscopo Neapolitano litteras testimoniales, ex quo longo temporis spatio moratus fuerat in dicta Civitate, & Eminentissimus Archiepiscopus eas denegavit, sub obtentu, quod ordinatio Benedicti ad se, & non ad Episcopum Vici Æquensis pertineret.

Habito per Benedictum recursu ad hanc Sacram Congregationem, exquisita fuit primo informatio Eminentissimi Archiepiscopi, & subinde datæ sunt litteræ ad Episcopum Vici Æquensis, & ab utroque nedum opportunæ responsiones habitæ fuerunt, sed ulterius transmissi sunt Processiculi, una cum necessariis documentis.

Contendit Eminentissimus Archiepiscopus, Ordinationem Benedicti ad se spectare: licet enim Nicolaus ejus Pater natus sit in Civitate Vici, certum nihilominus est, quod a quinque supra triginta annis se transtulit ad Civitatem Neapolitanam, in qua moratus est, & moratur, exercendo artem argentariam, & gemmariam; uti nedum ex Testibus examinatis, sed ex confessione judiciali ipsius Nicolai desumitur. Additur, quod Uxorem duxit in eadem Civitate, in eadem quoque liberos procreavit, quodque notabilibus est, ex documentis insertis in Processu Curiæ Archiepiscopalis habetur, Benedictum, de cujus agitur ordinatione, Neapoli natum fuisse, Neapoli Sacramentum Confirmationis recepisse, & in denunciatione facta per Parochum circa ejus liberum statum, tanquam Neapolitanum denuntiatum fuisse.

Itaut applicabilis videatur dispositio Bullæ 44. quæ incipit *Speculatores*, sanctæ memoriæ Innocentii XII. ibi: *At si Pater in alino loco, ubi ejus filius natus est, tamdiu, ac eo animo permanserit, ut inibi vere domicilium de jure contraxerit, tunc non origo Patris, sed domicilium per Patrem legitime, ut præfertur, contractum, pro ordinatione ejusdem filii attendi debeat.*

Episcopus econtra Vici Æquensis asserit, sui juris esse ordinationem Benedicti. Nicolaus etenim illius Pater Vici natus est, Vici possidet bona stabilia, in hac eadem Civitate solvit onera communitativa, in hac ipsa Urbe admissus est tanquam Civis ad Syndici electionem. Ad hanc demum Urbem sæpius rediit, relinquendo in propria domo Uxorem, & liberos; cumque ad Civitatem Neapolitanam iverit, exercendi gratia mercaturam, sive artem aurificam, & gemmariam, nec Apothecam fixam, & stabilem habuerit, nec bona stabilia emerit: & interrogatus a Promotore Fiscali Curiæ Archiepiscopalis, dixerit, se semper habuisse, & adhuc animum redeundi ad Civitatem, in qua natus est; quod ipsum confirmatur a Testibus, qui, & hanc Nicolai declarationem, & alia referunt in Superioribus recensita: hinc, juxta sensum Episcopi Vici Æquensis, infertur, ad se, tanquam ad Ordinarium, spectare ordinationem Benedicti; multoque magis cum in citata Bulla Innocentiana habeantur hæc verba: *Cæterum subditus ratione originis is tantum sit, ac esse intelligatur, qui naturaliter natus est in ea Diœcesi, in qua ad ordines promoveri desiderat, dummodo tamen ibi natus non fuerit ex accidente, occasione nimirum itineris, officii, legationis, mercaturæ, vel cujusvis alterius temporalis moræ, seu permanentiæ ejus Patris in illo loco, sed vera tantum & naturalis Patris origo erit attendenda*: & paulo post: *Subditus autem ratione domicilii ad effectum suscipiendi ordines, is dumtaxat censeatur, qui licet alibi natus fuerit, illud tamen adeo stabiliter constituerit in aliquo loco, vel per decennium saltem in eo habitando, vel majorem revum, ac bonorum suorum partem cum instructis ædibus in locum hujusmodi transferendo, ibique insuper per aliquod considerabile tempus commorando, satis superque suum perpetuo ibidem permanendi animum demonstraverit, & nihilominus ulterius utroque casu, se vere, & realiter animum hujusmodi habere jureurando affirmet.*

Addit Benedictus impossibilem sibi esse sacrorum saltem Ordinum susceptionem in Civitate Neapolitana, cum ibi Pater bona stabilia non habeat, & juxta ejus Curiæ leges Patrimonium pro ordinatione constitui non possit, nisi in bonis stabilibus in Diœcesi Neapolitana existentibus.

Quæritur itaque

Ad quem spectet ordinatio Oratoris in casu.

Sacr. Congr. die 12. Mart. 1718. Respondit.

Spectare ordinationem ad Episcopum Vici Æquen. cum Testimonialibus Eminentissimi Archiepiscopi Neapolitani, & amplius.

QUÆSTIO IX.

In Causa Bisuntina Restitutionis in integrum, die 12. Febr. 1718.

PATER Alexius Martin. Ordinis Sancti Dominici supplices preces exhibuit Sanctissimo Domino Nostro pro obtinenda declaratione nullitatis suæ Professionis, non obstante lapsu quinquennii, remissisque de more precibus ad Archiepiscopum Bisuntinum pro informatione, & voto, nedum ipse requisitam transmisit informationem, in qua suum votum aperuit, sed una cum informatione Processum a se confectum transmisit.

Prætendit Pater Alexius suam Professionem emissam usque ab anno 1685. nullitatis vitio laborare; primo quia post habitum Religiosum assumptum in Conventu Polinienſi, transmissus fuit ad Conventum Bisuntinum, ut in eo Novitiatum expleret; cumque, novitiatus anno decurrente, ægritudine correptus transiverit ad locum de Poligni, ibique gratia recuperandæ valetudinis, plerisque diebus permanserit, tum in domo suorum parentum tum in Conventu dicti loci, &, recuperata valetudine, ad Conventum Bisuntinum rediverit, in quo Novitiatum complevit, hæc anni Novitiatus interruptio nullam reddit Professionem subsequenter emissam, etiam si a Conventu Novitiatus discesserit, & in domo Parentum, & in alio Conventu habitaverit ex legitima causa, & suorum Superiorum accedente licentia.

Secundo quia Professionem Regularem non emisit in Conventu Bisuntino ad id designato, sed in Conventu Polinienſi ad id nullatenus designato, in quo rerum themate urget Bulla Urbani VII. relata in ejus Summario num. 5. quæ Professiones sic emissas declarat esse nullas.

Tertio quia Thomas Martin. ejusdem Frater, & Religiosus Dominicanus, natu major, eidem metum incussit, itaut ejus Professio tamquam emissa per metum, nulla censenda sit.

Archiepiscopus e contra Bisuntinus putat, hæc tria fundamenta non esse subsistentia; in sua etenim informatione dicit, allegatam anni Novitiatus interruptionem non prodesse in casu, & ad effectum, de quo agitur, utpote secutam ex causa infirmitatis, & pro recuperanda valetudine, & accedente suorum Superiorum licentia. Asserit ulterius, Professionem non posse dici nullam in sequelam Bullæ Urbani VIII. tum quia Conventus Polinen-

linienſis eſt Conventus ſtrictioris obſervantiæ; & Urbanus in citata Conſtitutione, inhærendo decreto Capituli Generalis, habiti in Civitate Mediolanenſi anno 1622. declaravit tantummodo nullas illas Profeſſiones, quæ in Provinciis, & Congregationibus Regni Galliæ non emitterentur in Conventibus ſtrictioris obſervantiæ; tum quia licet Conventus Polinienſis non fuerit deputatus pro Novitiatu, viget tamen immemorabilis conſuetudo, qua non admiſſa innumeræ Profeſſiones corruerent, ut Novitii, qui ſuum Novitiatum in Conventu ſtrictioris obſervantiæ deputato compleverunt, poſſint de licentia Superiorum ad Patriam ſe conferre, & in Patriæ Conventu Profeſſionem emittere. Dicit tandem Archiepiſcopus, metum allegatum nullius eſſe roboris, & momenti, cum reprehenſiones, & cætera ab ejus Fratre Religioſo geſta, nec metum conſtituant cadentem in conſtantem virum, nec ex induſtria facta ſint ad extorquendum aſſenſum in Profeſſione.

Fundamenta deducta in informatione Archiepiſcopi Biſuntini exornantur a ſcribente pro Joanne Franciſco Martin., qui eſt Frater Alexii, & qui ſe opponit declarationi nullitatis Profeſſionis. Præter autem recitata fundamenta, aliud ille ſubnectit, & eſt, quod ab anno 1685. in quo Alexius Profeſſionem emiſit, nedum Presbyteratus Ordinem ad Titulum Religioſæ paupertatis recepit, ſed etiam munera, ſibi a Religione impoſita, Procuratoris nonnullorum Conventuum, Socii, Lectoris Philoſophiæ, & aliquando Prioris exercuit, quaſi quod in his reponi valeat tacita quædam Profeſſio.

Quæritur itaque

An ſit locus reſtitutioni in integrum in caſu,

Sacr. Congr. die 12. Mart. 1718. reſpondit,
Negative & amplius.

QUÆSTIO X.

In Cauſa Tudertina Cappellaniæ, die 12. Febr. 1718.

ANno 1686. Confratres Societatis Beatiſſimæ Virginis de Lilio Terræ Aquaſpartæ, Diœceſis Tudertinæ, poſt factam nonnullorum bonorum aſſignationem, Cappellaniam perpetuam inſtituerunt, reſervando ſibimetipſis jus nominandi, ſive præſentandi, & onere Cappellano impoſito celebrandi certum numerum Miſſarum, & alias quæſdam ſacras functiones pro Confraternitate peragendi, & pro prima vice in Cappellanum perpetuum nominaverunt Clericum Carolum Stephanum Gentilem.

In Epiſcopali Cancellaria non reperitur Decretum inſtitutionis hujuſce Juris Patronatus; ſed de eo non videtur dubitari poſſe, tum quia bonæ memoriæ Planettus Tudertinus Epiſcopus, in litteris expeditis favore dicti Caroli Stephani, & ſignatis die 10. Junii anno 1698. teſtatus eſt, ſe approbaſſe, & confirmaſſe auctoritate ſua ordinaria Inſtitutionem Cappellaniæ perpetuæ cum reſervatione Juris Patronatus favore Confratrum, tum quia Cappellaniam vacantem per liberam dimiſſionem memorati Caroli Stephani Gentilis, ad præſentationem Confratrum, & cum expreſſione Juris Patronatus Laicorum, contulit die 18. Julii anno 1701. Clerico Lucio Antonio Moſcatello, uti refert modernus Epiſcopus Tuderinus in ſua informatione ad hanc Sac. Congreg. tranſmiſſa.

Moſcatellus, poſt lapſum nonnullorum annorum, Cappellaniæ renuntiavit, factaque nova nominatione a Confratribus in Perſona Clerici Cajetani Corſetti, cum ſuperadditione nonnullorum aliorum onerum, quorum nulla mentio habetur in Cappellaniæ Inſtitutione, & ſignanter audiendi Confeſſiones Confratrum, & Sororum; uti plene legi poteſt in Actu nominationis tranſmiſſo, & relato in Summario Scripturæ circumferendæ, Eminentiſſimus Dominus Cardinalis Gualterius, tunc Epiſcopus Tudertinus, nominationem a Confratribus factam admiſit; ſed cum honoribus, & oneribus in fundatione, & erectione expreſſis, uti deſumitur ex ejuſdem litteris authenticis expeditis anno 1714. in Secretaria hujus Sac. Congregationis exhibitis.

Adepta per Clericum Cajetanum Corſetti poſſeſſione Cappellaniæ, fuit ab eodem excitata prætenſio, ſe videlicet non teneri, niſi ad onera in Fundatione expreſſa, tum quia nominatio a Confratribus facta dicto modo, fuit admiſſa ab Eminentiſſimo Gualterio, tum quia non erat in facultate Confratrum nova onera ſuperaddere, quæ in Fundatione non fuerant appoſita, & ulterius ſimul, & ſemel huic Sac. Congregationi ſupplicavit pro declaratione, ut ad titulum ſæpe memoratæ Cappellaniæ perpetuæ ſacris Ordinibus initiari valeret; Cumque ex informatione moderni Epiſcopi Tudertini colligatur eumdem, juxta legem Fundationis Cappellaniæ, eſſe obligatum ad celebrationem tercentum circiter Miſſarum quolibet anno, & Cappellaniæ reditus conſiſtere in ſcutis quinquaginta circiter, itaut, dempto Miſſarum onere, vix eidem ſuperſint ſcuta viginti, & ipſe ſe promptum exhibeat ad ſupplendum de proprio alia decem ſcuta annua, quæ unita cum aliis viginti, quæ ſuperſunt, detractis oneribus Miſſarum, conſtituunt annuum reditum ſcutorum triginta, quæ eſt ſumma præfixa, & ſtatuta pro ſuſcipiendis ſacris Ordinibus in Civitate, & Diœc. Tudertina, ſive quis ordinetur ad titulum Beneficii, ſive ad titulum Patrimonii, & ſive ad titulum partim Beneficii, & partim Patrimonii, uti teſtatur modernus Epiſcopus Tudertinus in aliis ſuis litteris ſignatis die 18. Januarii 1718. & in Secretaria exhibitis.

Quæritur

I. *An Clericus Cajetanus Corſetti teneatur ad onera de novo appoſita in nominatione de ſe facta a Confratribus, & non memorata in Fundatione.*

II. *An idem ordinari poſſit ad titulum ejuſdem Cappellaniæ, ſuperaddito ex bonis Patrimonialibus alio annuo reditu ſcutorum decem.*

Sacr. Congr. die 12. Mart. 1718. reſpondit,
Ad 1. Negative, & amplius. Ad 2. Affirmative.

QUÆSTIO XI.

In Cauſa Cremonen. die 19. Febr. 1718.

IN Conſtitutione ſan. mem. Urbani VIII. edita die 12. Decembris 1634. quæ eſt la 190. in Bull. Tom. 5. & pro cujus executione fuit ab eodem Summo Pontifice die 20. Martii 1635. deputata hæc Sacra Congregatio, præſcribitur, ut qui a Summis pro tempore Pontificibus præfecti fuerint Epiſcopalibus Eccleſiis, ſi ſint in Urbe, debeant poſt menſem a die eorum promotionis, hoc eſt a die pronunciationis factæ per Papam in Conſiſtorio, uti late Bullam interpretando docet *Fagnan. in Cap. Eam te num. 4. & ſeqq. & præſertim num. 23. aliiſque ſeqq. tit. de reſcriptis*, itineri ſe committere, & ad Eccleſiam ſibi commiſſam, ad perſonaliter in ea reſidendum conferre, ſub nonnullis graviſſimis pœnis eo ipſo incurrendis, uti videri poteſt a §. 7. uſque ad 11. citatæ Bullæ.

ALexander Litta præfectus a SS. D. N. Epiſcopali Eccleſiæ Cremonenſi ante terminum temporis ſtatuti ab Urbana Conſtitutione, ſupplices preces exhibuit pro ejus prorogatione, cum enim adhuc ad ſuam Eccleſiam non acceſſerit, uti nequit menſibus a Sacro Concilio Tridentino indultis, quemadmodum deſumitur ex reſolutione hujus Sacræ Congregationis die 12. Decembris 1707. in qua cum propoſitum fuiſſet dubium: *An Epiſcopi noviter promoti poſſint uti trimeſtri Conciliario abſendi a reſidentia ultra menſem conceſſum a ſan. mem. Urbano VIII. in ejus Bulla antequam ad reſidentiam primo accedant.*

Supplicationis fundamentum reponitur tum in hyemis rigore, qui non modicum affert itinerantibus incommodum, tum in alia cauſa, quam Secretarius in Sac. Congr. exponet.

De incurſu Oratoris in pœnas a Conſtitutione Urbana inflictas nulla quæſtio excitari valet, licet enim hic, & nunc elapſum ſit tempus a memorata Bulla præfixum, cum tamen ante temporis terminum ſupplicaverit, id ſatis eſſe videtur, ut a quacumque pœna cenſeatur exemptus juxta Decretum editum die 13. Martii 1693. *Sanctiſſimus Dominus noſter decrevit, & reſpective mandavit tempus & tempora non currere, pendente recurſu, ac impedimento Sanctitatis Suæ, vel Secretarii, qui referre non valeat, itaut hoc medio tempore, nullæ cenſuræ incurrantur a ſupplicantibus Epiſcopis, precibus Secretario tempore habili oblatis.*

Redactaque idcirco controverſia ad tempus futurum, ſeu ad termini prorogationem.

Quæritur

An & quomodo Oratoris precibus ſit annuendum in caſu &c.

Sacr. Congr. reſpondit,
Ad duos Menſes.

QUÆ-

QUÆSTIO XII.

In Cauſa Carpentoracten. die 19. Febr. 1718.

IN Bulla 15. ſan. mem. Sixti V. Bull. Tom. 2. edita pro viſitatione Sacrorum Liminum ab Epiſcopis facienda, præſcribitur, ut Epiſcopi Itali, vel ex Italicis Inſulis, unde in Italiam commodius trajici poteſt, veluti Siculi, Sardi, Corſi, & alii adjacentium Provinciarum Italiæ, ac etiam Dalmatiæ & Græcarum, quæ e regione ipſis Italiæ, & Siciliæ oris ſunt, tertio anno, Germani vero, Galli, Hiſpani, Belgæ, Bohemæ, Hungari, Angli, Scoti, Iberni, & cæteri omnes, qui in Europa ſunt citra mare Germanicum, & Balticum, ac omnium Inſularum Maris Mediterranei quarto anno ad Urbem accedant Sanctorum Apoſtolorum Limina viſitaturi, uti videri poteſt in §. 6. citatæ Bullæ, & in Epiſtola circulari ad univerſos Orbis Epiſcopos ſcripta a Sacra Congregatione Concilii die 16. Nov. 1673. ad amputandam quamcunque ambagem ſtatutum fuit, ut initium triennii, aut quadriennii deſumendum ſit a die 20. Decembris anni 1585. quo edita fuit Sixtina Conſtitutio.

Epiſcopus Carpentoractenſis ex ultimis Viſitationibus Sacrorum Liminum a ſuis Prædeceſſoribus, & a ſe peractis animadvertens, ſibi impoſitum eſſe onus viſitandi de triennio in triennium, ſupplices preces exhibet pro ſubrogatione quadriennali loco triennii.

Pro Epiſcopo facit primo, quod in regeſtis hujus Sacræ Congregationis frequentior adnotatio Viſitationis Sacrorum Liminum, quo ad Epiſcopos Carpentoractenſes, non triennium reſpicit, ſed quadriennium; Facit ſecundo, quod Epiſcoporum Vaſionenſium onus non ad triennium reſtringitur, ſed ad quadriennium ampliatur; Facit tertio, quod Archiepiſcopi Avenionenſis, & Epiſcopi Cavallicenſis Viſitationes ut plurimum adnotatæ reperiuntur ad terminos quadriennii, & non triennii, uti fuſius Secretarius in Sacra exponet Congregatione; Facit denique quarto, quod Epiſcopi Galli Limina viſitare tenentur non quolibet triennio, ſed quolibet quadriennio, & juxta Geographos, Civitas Carpentoractenſis eſt caput Comitatus Venuſini in Provincia, & eſt Urbs Galliæ Narbonenſis.

Adeoque dicunt Doctores, Comitatum Venuſinum, & Civitatem Avenionenſem eſſe in partibus Galliæ, ſed non de Gallia, quemadmodum plene habetur *in deciſ. 80. num. 1. & ſeqq. poſt Tondut. de Penſionibus Eccleſiaſticis, & in diſquiſit. Legal. Pauli de Gandecombe cap. 12. n. 1. & pluribus ſeqq.*

Comitatus enim Venuſinus factus eſt de Dominio temporali Sedis Apoſtolicæ in ſolemni pace inita anno 1228. tempore Gregorii IX. Summi Pontificis, quæ pax eſt in regeſtis hujus Pontificis, exiſtentibus in Archivio Vaticano fol. 81. & pluribus ſeqq. & Civitas Avenionenſis anno 1348. facta eſt de Dominio Eccleſiæ, cum Clemens Papa VI. eam emerit a Joanna Neapolis Regina, ſicuti deſumitur ex Inſtrumento emptionis impreſſo in Bull. Civitatis Avenionenſis pag. 139. & plene referunt *Boſchett. in vita Clementis VI. pag. 101. in principio. Raynald. in Annalibus Eccleſiaſticis ad annum 1348. n. 11. & 12. Noſtradamo in Hiſtoria Provinciæ par. 4. pag. 406. in fine Bell. Conſ. 57. num. 5.*

Facit econtra adverſus Epiſcopum, quod, & primus, & ultimi viſitationis Status non de quadriennio, ſed de triennio loquuntur, & quod, ſi pro Eccleſia Carpentoractenſi ſubrogaretur quadriennium loco triennii, idem etiam fieri deberet quoad Metropolitanam Eccleſiam Avenionenſem; cum præcedentes Archiepiſcoporum Avenionenſium viſitationes quadriennales ſint, & poſtremæ ſint triennales, ſicuti Secretarius refert in Sacra Congregatione.

His autem poſitis, quæritur

An Epiſcopus Carpentoractenſis teneatur ad Sacrorum Liminum viſitationem de triennio in triennium, vel de quadriennio in quadriennium.

Sacr. Congr. reſpondit,
Teneri de quadriennio in quadriennium.

QUÆSTIO XIII.

In Cauſa Gurgen. die 19. Febr. 1718.

SACRUM Concilium Tridentinum permittit Epiſcopis, ut ſingulis annis abeſſe poſſint a ſuis Diœceſibus duobus, aut tribus menſibus, dummodo id ex æqua cauſa fiat, & abſque ullo Gregis detrimento, & dummodo a Cathedrali non abſint ſolemnioribus quibuſdam diebus, ibi enumeratis, & a Summo Pontifice Urbano VIII. in ſupra memorata Conſtitutione 190. menſes hi Conciliares non fuerunt ſublati, ut idem Summus Pontifex declaravit. *Teſte Fagnan. in cap. eam te num. 21. & 22. de reſcriptis, & in cap. Qualiter num. 25. de Clericis non reſid.* ſuitque ab hac Sacra Congregatione admiſſum tunc cum primo coacta fuit, die ſcilicet 28. Martii 1635. occaſione Indulti conceſſi Epiſcopo Caſalenſi non reſidendi per tempus determinatum in ſua Eccleſia.

Cohærenter ad hæc a Jacobo Maximiliano Epiſcopo Civitatis Gurck Norici in Carinthia petitur, ut ſibi habitare permittatur præter tres menſes Conciliares, aliis tribus menſibus in quodam Palatio a ſe cum aliis Bonis empto, quod dicitur *Mayerhoffen*, quodque eſt ſuæ Diœceſi conterminum, licet ſitum ſit in Diœceſi Archiepiſcopi Salisburgenſis.

Ut autem inſtantiæ merita perpendantur, operæ pretium eſt, nonnulla de ordinario Epiſcoporum Gurgentium reſidentiæ loco, & nonnulla alia de hoc novo extraordinario loco referre, quæ in ſupplici Oratoris libello leguntur.

Ordinaria Epiſcoporum Gurgentium reſidentia ſita eſt in quodam Caſtro ſupra montem fabricato, ad quod hyberno tempore vix præ nivis, & gelu impedimento accedi poteſt, & quod æſtivo tempore tutum, & ſecurum non eſt propter fulgura, & tempeſtates. Hæc eadem etiam reſidentia diſtat ab Eccleſia Cathedrali per iter unius horæ, & ab ædificiis ferri, & mineralium, ex quibus Epiſcopales reditus exiguntur, per iter trium horarum.

Novus vero, & extraordinarius reſidentiæ locus ſitus eſt in loco aeris clementioris. Adhæret ille ædificiis ferri, & mineralium, nec diſtat, niſi per trium horarum ſpatium ab Eccleſia Cathedrali, & eſt propior Eccleſiis Parochialibus, Epiſcopo ſubjectis, & aliis menſæ Epiſcopalis Præſidiis.

Ab hac autem novæ reſidentiæ ſituatione, infert Orator, æquum eſſe, ut ſibi facultas indulgeatur, in ea manendi tribus menſibus hybernis, & tribus menſibus æſtivis. Primo, quia ad hunc locum facilior erit ſubditorum acceſſus; Secundo, quia feliciori fruetur valetudine propter aeris temperiem, ſi in dicto loco dicto tempore ſibi habitare permittatur; Tertio, quia propior erit ædificiis, cæteriſque Eccleſiæ Bonis, quorum omnium cura diligentior hiſce temporibus eſt neceſſaria, quibus graviſſimæ exiguntur contributiones; Quarto, quia facillime pro obeundis Eccleſiaſticis Functionibus.

Præter hæc addit idem Orator circumſtantias Facti, & Juris; teſtatur enim ſe habere intentionem relinquendi Eccleſiæ pro commodo ſuorum in Epiſcopatu Succeſſorum, Palatium, & alia Bona, quæ dicuntur *Mayerhoffen*, & profitetur ſe, ut ſarta tecta permaneant Jura Metropolitani Salisburgenſis, exercere nolle actus Juriſdictionis Ordinariæ in novo loco, ſed ſe in ſuam Diœceſim eſſe ingreſſurum, quotieſcumque ſe offeret occaſio eos exercendi. Succedit mox narratis Facti circumſtantiis, Juris ponderatio, quod ſtante vicinitate loci, in quo petit habitare, vicinitate inquam ad ſuam Diœceſim, dici ſemper poterit, quod eſt moraliter præſens juxta ea, quæ referunt Doctores allegati per Dianam in editione coordinata *Tom. 3. tract. 3. reſolut. 71. num. 4.*

In hoc itaque rerum themate quæritur

An, & quomodo Oratoris precibus ſit annuendum in caſu &c.

Sacr. Congr. reſpondit,
Non eſſe locum, & ad mentem, & mens eſt, ut recurrat ad Sanctiſſimum in caſibus particularibus.

QUÆSTIO XIV.

In Cauſa Segnen. die 19. Febr. 1718.

PROPTER impedimentum, quod dicitur ab intrinſeco, quod videlicet provenit ab infirmitate, Apoſtolica Sedes conſuevit impartiri licentiam Epiſcopis diſcedendi a ſua Eccleſia, ſed ad tempus, uti probat *Textus in capit. Nihil. 7. quæſt. 1.* & adnotavit *Fagnan. in cap. Ex parte num. 77. de Clericis non reſid.* quem ſequitur *Roſa de reſid. Epiſcoporum cap. 3. num. 31. & 32.*

Ob hoc impedimenti genus, hoc eſt infirmitatis, Adamus Epiſcopus Segnenſis in Croatia diſpenſari petit a reſidendo in ſua Diœceſi, quoad uſque ad alium transferatur Epiſcopatum, aut Epiſcopatui, quem obtinet, renuntiare poſſit ad terminos *Textus in cap. Niſi cum pridem §. Alia vero cauſa tit. de renunciatione.*

Re-

Refert enim, se suam Diœcesim visitasse, ovesque sibi creditas confirmationis Sacramento muniviſſe, dum validi ori corporis valetudine fruebatur, sed subsequenter experturn fuisse, quod, quoties Diœcesim ingressus est, toties mortali ægritudine correptus, nec sanitatem, nec vires recuperare potuit, nisi e Diœcesi egrediendo, & ad alios locos clementioris aeris se transferendo, quæ omnia dicit, se probare posse testimoniis Medicorum, Cleri sui, & vicinorum Prælatorum. Præterea se offert promptum, & paratum ad conferendos ordines suis Diœcesanis in quadam Cappella cujusdam suæ Arcis hæreditariæ, pro quibus peragendis testatur, habuisse licentiam ab Ordinario, ab Episcopo scilicet Lagrabiensi.

Hæc sunt, quæ ex epistolis ab Oratore Sanctissimo Domino Nostro scriptis, & a Sanctitate Sua ad hanc Sacram Congregationem pro hac re definienda transmissis, haurire potui.

Adeoque quæritur

An, & quomodo Oratoris precibus sit annuendum in casu &c.

Sacr. Congr. respondit,
Ad sex Menses.

QUÆSTIO XV.

In Causa Florentina, die 12. Mart. 1718.

FRANCISCUS de Ginoris in suo ultimo, cum quo decessit Testamento, hæredem instituit Thomam filium, eique demandavit, ut Cappellam a se emptam sub invocatione SS. Francisci, & Hieronymi dotaret in florenis quingentis; pro qua dotatione obligavit Domum magnam, ad se pertinentem, uti desumitur ex Testamento rogato anno 1448.

Nullum in dicto Testamento fuit onus impositum Rectori Cappellæ: adeoque Junipera del Benino Vidua Thomæ filii hæredis instituti, deveniendo ad Cappellæ dotationem, assignavit pro pretio florenorum quingentorum, septem partes cujusdam Apothecæ, nulla facta oneris mentione, uti pariter colligitur ex publico Instrumento, rogato an. 1492. & cohærenter ad hæc in Inventario anni 1563. in Actis exhibito per tunc temporis Cappellæ Rectorem, enunciatur, dictam Cappellam non habere onus, nisi subventionis decimarum pro Studio Pisano.

Anno 1596. exorta fuit controversia inter Rectorem, & Priorem, & Canonicos Collegiatæ Ecclesiæ Sancti Laurentii, in qua Cappella sita est, & Cappellæ Rectorem, qui fuerat a Canonicis punctatus, ex quo Choro non interfuerat: Et controversiæ decisione commissa tunc temporis Vicario Generali Florentino, fuit ab eodem demandatum, ut delerentur punctaturæ, eodemque contextu Vicarius declaravit, ut a die 1. Maii 1597. Rector Cappellæ, ejusque successores tenerentur per se, vel per alium Missas in hebdomada bis celebrare, necnon quolibet anno Festivitatem facere Sanctorum Francisci, & Hieronymi cum impensa scutorum trium, & facere unum Officium Defunctorum pro Animabus Defunctorum Familiæ de Ginoris, uti desumitur ex quodam transumpto libri Recordiorum Capituli memoratæ Ecclesiæ Collegiatæ.

Cappellæ Rector se subjecit oneribus a Vicario Generali Florentino impositis. At ignoratur, quænam fuerit ejus Successorum præcisa observantia; immediatus enim Prædecessor Laurentii de Franchis moderni Cappellani, qui Cappellaniam obtinuit spatio annorum 56. nec Festum Sanctorum Francisci, & Hieronymi, nec Officium Defunctorum celebravit, licet Missas pro majori parte recitaverit, absque eo quod sciri possit, an eas, nec ne applicaverit in suffragium Animæ Fundatoris, aut aliorum de ipsius Familia, uti refert Archiepiscopus Florentinus in sua informatione transmissa ad hanc Sacram Congregationem.

Rebus in hoc statu manentibus, collata fuit Cappellania Laurentio de Franchis, qui animadvertens, reditus Apothecæ assignatos decrevisse, manum admovit ad perquirendam Cappellaniæ fundationem, supplicesque preces Sacræ Congregationi exhibuit pro declaratione suæ exemptionis ab oneribus a Vicario Generali injunctis anno 1597. uti supra fuit expositum: cumque Sacra Congregatio die 13. Martii 1717. jusserit, quod Causa poneretur in folio, de ejus meritis hic, & nunc per consequens agendum est.

Pro Cappellano facit, quod in fundatione non fuit ullum onus impositum, & quod Vicarius Generalis non poterat onera superaddere in fundatione non apposita, uti respondit hæc Sacra Congregatio anno 1589. Episcopo Ariminensi lib. 7. Epistolarum pag. 38. & in Sarnen. 3. Julii 1690. lib. 40. Decretorum pag. 340. & in Asten. Cappellaniæ 14. Februarii 1699. fol. 57. lib. 49. Decretorum; absque eo quod obstare possit aut acceptatio Rectoris tunc temporis, aut factum illius Successorum, tum quia Successorum observantia est disformis, tum quia actus a Prædecessoribus gesti, tunc Successoribus præjudicare possunt, quando versamur in Prædecessoribus, qui habent jus obligandi se, & suos Successores, quod non videtur in casu præsenti verificari.

Facit e contra adversus Cappellanum sententia lata a Vicario Generali Florentino, & quod ex actibus per longum temporis spatium continuatis, licet a principio fuerint voluntarii, datur actio, & coactio in futurum favore piæ causæ ad terminos *Textus in cap. ad Apostolicam de simonia*.

His itaque pro utraque parte deductis, quæritur

An Rector Cappellaniæ teneatur adimplere onera, de quibus agitur in casu &c.

Sacr. Congr. respondit,
Negative.

QUÆSTIO XVI.

In Causa Casalen. Montis Pietatis, die 12. Mart. 1718.

ADMINISTRATORES Montis Pietatis Civitatis Casalensis anno 1692. supplicarunt pro facultate accipiendi pecunias ad rationem interusurii trium pro centenario, & exigendi a Pignorantibus ad rationem quinque pro centenario, & die 19. Aprilis Sacra hæc Congregatio, prævia Episcopi relatione, petitam facultatem concessit pro scutis 3000. dummodo pro eadem dumtaxat summa exigi posset interusurium ad rationem quinque, & dummodo intra triennium, ex tunc decurrendum fieret dictæ summæ restitutio.

Pauperum indigentiæ, quæ fuerunt causa recursus habiti ab Administratoribus Montis Pietatis, excreverunt, iisdemque Administratoribus supplicantibus pro nova facultate accipiendi duplas 6000. ad rationem trium, & exigendi ad rationem quinque, hæc eadem Sacra Congregatio, attenta relatione Episcopi Casalensis, & veris existentibus narratis, & præsertim, quod facta fuisset restitutio scutorum 3000. licentiam impartita est recipiendi summam scutorum 3000. sub annuo interusurio trium pro centenario, nec non exigendi a Pignorantibus pro eadem dumtaxat summa scutorum 3000. ad rationem quinque pro centenario, renovataque clausula, quod summa recipienda intra triennium a die receptionis decurrendum restitueretur, uti colligitur ex Decreto edito die 28. Januarii 1708. & paulo post, die videlicet 7. Julii 1708. ampliata fuit ab hac Sacra Congregatione facultas, usque ad summam scutorum 6000. ita tamen, ut hæc summa intra sexennium, a die receptionis decurrendum, restitueretur.

Facultates ab hac Sacra Congregatione concessæ Administratoribus Montis Pietatis non fuerunt sufficientes, ut occurri posset necessitatibus Pauperum, qui egestate pressi confugere incœperunt ad Hebræos, a quibus mutuas acceperunt pecunias ad rationem decem, & octo pro quolibet centenario, & anno; ad quod inconveniens de medio tollendum, cum sæpe memorati Administratores supplices iterum preces exhibuerint pro licentia accipiendi duplas decem mille ad rationem trium pro centenario, & quinque exigendi a Pignorantibus, Episcopus Casalensis requisitus pro informatione, & voto, nedum asseruit calamitates esse certissimas, sed ulterius in ea fuit opinione, ut petita facultas pro summa expressa concedi valeat,

Concessioni autem favet, quod nulla amplius esse valet dubitatio, quin Sacri Montes Pietatis aliquid ultra sortem pro necessariis Ministrorum impensis exigere possint: Antiqua etenim, celebrisque controversia magnis animorum motibus agitata inter Inquisitorem Mantuæ, & Beatum Bernardinum Feltrensem, uti legitur in vita hujus Beati scripta a Morastico, & pro qua hinc inde pugnatum est inter Theologos, & Canonistas, resoluta fuit in Concilio Lateranensi a summo Pontifice Leone X. quemadmodum legitur in ejus Constitutione 11. Bull. tomo primo, ita ut reprobentur nonnullorum paucorum assertiones, qui post Concilium Lateranense improbare ausi sunt, quod Sacri Montes pietatis aliquid moderatum ultra sortem recipiant pro necessariis impensis,

Absque

Absque eo, quod de moderatione in hypothesi præsenti quæstio excitari valeat; tum quia relata hujus Sacræ Congregationis exempla sonant in exactionem a Pignorantibus ad rationem quinque pro centenario; tum quia duo sunt pro Ministrorum salariis, & reliqua tria solvuntur pro emendatione damni emergentis, cui Mons subjectus est, summam recipiendo ad rationem trium pro centenario ad terminos *Textus in L. unica C. de sententiis, quæ pro eo quod interest*, & juxta communem doctrinam Theologorum, *Duce Divo Thoma 2. 2. quæst. 78. art. 11. ad 1.*

E contra concessioni adversatur summa, quæ exorbitans videri potest, & quod nec in supplici Oratorum libello, nec in informatione Episcopi dicitur adimpletam fuisse conditionem præscriptam in Concessione, facta die 7. Julii 1708. quod scuta scilicet 6000. fuerint intra sexennium jam decursum restituta.

Quocirca quæritur

An, & pro qua summa, & quomodo Oratorum precibus sit annuendum.

Sacr. Congr. respondit,
Affirmative pro aliis scutis 6000. cum iisdem cautelis, & conditionibus appositis in præcedentibus concessionibus, & ad mentem.

QUÆSTIO XVII.

In Causa Aquipendii Visitationis Sacrorum Liminum, die 12. Mart. 1718.

IN relatione status Ecclesiæ de more ab Episcopo Aquipendii ad hanc Sacram Congregationem transmissa, legitur ab eodem institutas fuisse in sua Diœcesi Conferentias, sive Congregationes pro discutiendis Casibus Conscientiæ, quæ singulo quoque mense coguntur, cuique diligentissimè interveniunt omnes Parochi, & Sacerdotes, quibus fidelium Sacramentales Confessiones commissæ sunt, & reliquus Ecclesiasticorum Cœtus.

In eadem relatione habetur, quatuor esse Conventus Regularium in Civitate Aquipendii, Augustinianorum videlicet, Minorum Conventualium, Capuccinorum, & Patrum Minoris Observantiæ, & Religiosos in iisdem degentes sæpe sæpius non esse in numero a Sanctionibus Apostolicis præscripto.

Rursus in citata legitur relatione, alios quinque esse Religiosorum Conventus in Diœcesi, duos Patrum Minoris Observantiæ, alterum in Terra Canini, alterum in terra Farenesii, ubi pariter existit Conventus Capuccinorum; quartus Conventus est ille Servorum B. Mariæ Virginis, qui est in Terra Ischiæ, & postremus est Conventus Carmelitarum in Oppido Cellularum, qui est Episcopali Visitationi subjectus. Tandem in relatione, aliis prætermissis dubiis, qui specialem non merentur discussionem, proponit Episcopus, an Regularibus qui suorum subditorum confessiones audire cupiunt, liberum sibi sit, & licitum, conditionem in concedendis facultatibus injungere, interessendi videlicet menstruis disceptationibus, & Congregationibus Casuum Conscientiæ.

Pro parte affirmativa ponderari posse videtur, id non esse novum; claræ etenim mem. Cardinalis de Luca in annotationibus ad Concilium Tridentinum disc. 2. num. 12. dixit, id futurum esse maximopere proficuum, tum, ut Episcopus perspectas habeat opiniones omnium suorum Confessariorum, tum ut quantum possibile est, uniformis sit Confessariorum doctrina in materia morum, & signanter contractuum, in qua sæpe sæpius Theologi dissident a Theologis, & a Canonistis; quibus addi posset, collationem hanc omnium Confessariorum tam Sæcularium, quam Regularium futuram esse non inutilem pro animorum unione juxta ea, quæ habentur in actis Ecclesiæ Mediolanensis tomo 1. par. 4. in Instruct. Confess. pag. 647. *Ideo Regularium Superiores Confessores suos sæpius moneant, & ad hanc animorum unionem in Fidelium ædificatione adhortentur, curentque in primis, ut dum in casuum resolutione diversa inter eos, & Parochos sententia fuerit, prudenter in eos se gerant, & ad Laicorum notitiam id non veniat, sed ad nos pro decisione recurrant.*

Negativæ e contra favent opinioni ea, quæ sequuntur; primo quod Episcopus Confessariorum Regularium doctrinam perspectam habere potest in examine, quod illorum approbationem præcedit ad terminos Sacri Concilii Tridentini *sess. 23. cap. 15. de reform.* Secundo, quod in Decretis pro Reformatione Regularium, editis a Clemente VIII. præscribitur, quod in singulis Monasteriis, & Conventibus bis in hebdomada habeatur lectio Sacræ Scripturæ, vel Casuum Conscientiæ, ad quam Fratres omnes convenire tenentur. Tertio, quod hic in Urbe, in decem & septem Conventibus fiunt Congregationes Casuum Conscientiæ, illisque interveniunt Parochi tantummodo, & Confessarii ex Clero Sæculari, & Regulares, in quorum Conventibus prædictæ Casuum Lectiones habentur. Quarto tandem, quod ab hac Sacra Cong. die 12. Maii 1688. uti habetur lib. Decretorum 35. fol. 238. prodiit hæc resolutio in quedam Causa Forosempronien. accessus ad Congregationem Casuum Conscientiæ.

Episcopus exponit in Civitate Forosempronien. duo adesse Regularium Cœnobia, unum scilicet Minorum Conventualium Sancti Francisci, alterum vero Barnabitarum, quæ propter exiguum Religiosorum numerum inibi degentium, subjecta sunt jurisdictioni Ordinarii ex Decreto sanctæ mem. Innocentii XI. incipien. ut in parvis, & licet dicti Religiosi hujusmodi subjectionem agnoscant, atque patientur, qui tamen ex eis sæcularium Confessiones, eodem Ordinario approbante, excipiunt, ad Congregationem Casuum Conscientiæ, quæ singulis mensibus habetur, cuique Confessarii omnes intersunt, accedere renuunt; quo circa petit declarari, an prædictos Confessarios Regulares cogere possit ad interessendum præfatæ Congregationi Casuum Conscientiæ; Sacra &c. respondit negative.

His positis, quæritur

An in casu, de quo agitur, permissum esse valeat Episcopo concedenti Sacerdotibus Regularibus facultatem audiendi confessiones sæcularium, injungere ut intersint Congregationibus Casuum Conscientiæ.

Sacr. Congr. respondit,
Negative, & detur Decretum in Forosempronien. 12. Maii 1688.

QUÆSTIO XVIII.

In Causa Nullius, seu Vesprimien. Jurisdictionis, die 12. Mart. 1718.

COLLEGIATA Ecclesia Beatæ Mariæ Virginis de Alba Regali Diœcesis Vesprimien. fuit variis decorata Privilegiis a Summis Pontificibus, ut ex his, quæ mox dicentur, colligi potest.

Clemens etenim Papa Tertius eam recepit sub protectione Sancti Petri, statuitque, ut bona, & jura a Præposito, & Canonicis acquisita, & acquirenda, firma apud ipsos remanerent, ut præter Papam, ejusque de Latere Legatum, nemo eosdem suspenderet, interdiceret, aut excommunicaret, ut nullus Archiepiscopus, vel Episcopus, Missas in dicta Ecclesia celebrare posset, nisi a Præposito invitatus, ut demum Præpositus, & Clerici chrisma, & Oleum Sanctum, Consecrationes Altarium, & Basilicarum, & Sacros Ordines a quovis recipere valeant Antistite, qui communionem haberet cum Sede Apostolica.

Insignia hæc Privilegia propter nonnullorum Ordinariorum audaciam, qui jurisdictionem exercere præsumpserunt in Præpositum, & Canonicos, aliqualiter labefactata fuerunt; hujusque rei cognitione delata ad Summum Pontificem Bonifacium Octavum, nedum ille confirmavit Privilegium Clementis, sed clarius illud explicando, liberavit Ecclesiam, Possessiones, Villas, & Castra ad eandem pertinentia, ab omni jure Archiepiscopi Strigoniensis, & Episcopi Vesprimiensis, eaque declaravit immediate subjecta Papæ, aut ejus de Latere Legato, exclusis aliis cæteris, & signanter his, qui prærogativa Legati Nati potirentur.

Similia erga Collegiatam Ecclesiam Beatæ Mariæ Virginis de Alba Regali præstita fuerunt a Martino Quinto Summo Pontifice. Instante autem Mathia Rege Hungariæ, ut Præpositus, & Canonici uti possent Privilegiis etiam quoad bona post exemptionem acquisita, a quorum usu Privilegiorum per ignorantiam abstinuerant, atque ut Præpositus, qui a tempore immemorabili de excessibus, & criminibus omnium sibi subjectorum Clericorum, & Sæcularium, forum Ecclesiasticum concernentibus, inquisiverat, correxerat, puniverat, & omnimodam exercuerat jurisdictionem, nedum in foro conscientiæ, sed etiam in foro contentioso, tam in Alba Regali, quam in aliis Ecclesiis, & locis sibi subjectis, in posterum in hisce, & similibus peragendis continuare posset, Sixtus Papa Quartus annuit petitis, & per alias litteras Apostolicas memorata Privilegia extendit ad Ecclesias Parochiales, quas voluit esse Præposito subjectas una cum Castris, aliisque locis ad Ecclesiam Collegiatam pertinentibus, quo ad utramque legem Diœcesanam, & Jurisdictionis, itaut nullus Ordinarius sub ob-

tentu curæ animarum se in Parochialibus ingerere posset: Et hæc omnia demum Privilegia, petente Ludovico Hungariæ Rege, fuerunt in forma specifica confirmata a Summo Pontifice Leone X. cum clausula, etiamsi non essent in usu.

Constans opinio est, uti Reverendissimus Nuntius Viennensis in sua informatione testatur, Præpositos fuisse in pacifica Possessione exemptionum a Summis Pontificibus suæ Ecclesiæ concessarum usque ad annum 1541. quo Alba Regalis fuit a Turcis occupata. Continuavit hæc eadem possessio post annum 1688. quo dicta Urbs fuit e Turcarum manibus vindicata; Franciscus enim Miller, qui tunc Præposituram obtinuit, juribus suis pacifice usus est, nec ullas passus fuit molestias, aut ab Archiepiscopo Strigoniensi, aut ab Episcopo Vesprimiensi. Pacifica hæc quoque possessio, aliquali tempore continuavit post habitam a Felice de Bernabeis Præposituram; sed cum variæ inter ipsum, & clar. mem. Cardinalem Kolonicz Archiepiscopum Strigoniensem simultates subinde fuerint exortæ, Præpositus ab Archiepiscopo de facto omni jurisdictione, & exemptione spoliatus est, fuitque ejus subditis tam Ecclesiasticis, quam Sæcularibus demandatum, ne in posterum eidem obedientiam, & subjectionem exhiberent.

Adversus hæc Felix de Bernabeis Præpositus reclamavit, sed incassum: Cumque ex una parte Eminentissimus Dominus Cardinalis de Saxonia Archiepiscopus Strigoniensis opportunum existimaverit, a vestigiis sui Prædecessoris nullatenus recedere, & sic consequenter jurisdictionem exercere in Præpositum & alios, qui se tutos ab ejus jurisdictione, & exemptos reputabant in sequelam Privilegiorum supra memoratorum, & ex alia parte Reverendissimus Episcopus Quinquecclesien., modernus Præpositus Ecclesiæ B. Mariæ Albæ Regalis, pro suæ Ecclesiæ juribus tuendis, & propugnandis, se obstrictum esse recognoverit, post amicabilem compositionem, & absque strepitu, & figura judicii frustra tentatam, delata est ad hanc Sacram Congregationem controversiæ cognitio. Quæritur itaque,

I. An constet de omnimoda exemptione activa, & passiva Præpositi & Ecclesiæ Beatæ Mariæ Albæ Regalis, ejusque annexorum tam quoad Episcopum Vesprimien., quam quoad Metropolitanum, seu Primates Regni, & quatenus affirmative.

II. An eidem Præposito competat facultas concedendi dimissorias, in casu &c.

Sacr. Congr. die 26. Mart. 1718. respondit,
Ad primum affirmative, ad secundum negative.

Concessa subinde nova audientia, & die 17. Junii 1719. reproposita Causa, die 8. Julii 1719. responsum fuit recedendum a decisis, quoad Archiepiscopum Strigoniensem.

Obtenta ab Eminentissimo Strigoniensi nova audientia, disputatum fuit in Congregatione habita die 8. Julii 1719. sequens dubium, *an sit standum vel recedendum a decisis*, & responsum fuit, *recedendum esse a decisis, quoad Archiepiscopum Strigoniensem*, petitaque subinde, & obtenta a Præposito Albæ Regalis nova audientia, disputatoque in Congregatione habita *die 26. Augusti ejusdem anni* 1719. sequenti dubio, *an sit standum in primo, vel secundo loco decisis*, responsum fuit, *in secundo loco decisis, & proinde non constare de omnimoda exemptione Præpositi, & Ecclesiæ Albæ Regalis, quoad Archiepiscopum Strigoniensem tanquam Delegatum Apostolicum in exempto.*

Non obstante nova audientia, a Præposito semel impetrata, novus ab eodem habitus est ad Sacr. Congregationem recursus, quæ attenta gravitate materiæ, nec non aliquali suffragiorum scissura, eum censuit iterum audiendum.

Itaque die 20. Decembris 1721. disputato dubio an esset standum vel recedendum a decisis die 26. Augusti 1719. *responsum fuit*, prævio recessu a decisis sub die 8. Julii, & 26. Augusti 1719. standum esse in primo loco decisis sub die 26. Martii, & 17. Decembris 1718.

Impetrata autem ab Eminentissimo Archiepiscopo nova Audientia, quæritur die 13. Junii 1722.

An sit standum vel recedendum a decisis die 20. Decembris 1721.

Sacr. Congr. die 29. Augusti 1722. respondit,
In decisis sub die 20. Decembris 1721. & amplius

QUÆSTIO XIX.

In Causa Abulen. Matrimonii, die 26. Mart. 1718.

ALPHONSUS Gonzalez Barroso, & Maria Hernandez Corbo loci S. Jacobi del Collado Diœcesis Abulensis, post obtentam a Sede Apostolica dispensationem super impedimento quarti gradus consanguinitatis, quo erant inter se conjuncti, matrimonium contraxerunt in facie Ecclesiæ, & servatis servandis a Sacro Concilio Tridentino præscriptis.

Post contractum hoc modo matrimonium, Conjuges pacifice, & per spatium quinquennii cohabitarunt, & licet matrimonii consummationi vacaverint, illud tamen consummare nullatenus potuerunt, ut ipsimet Conjuges declararunt, & loci Parochus, cui res delata fuit, eosdem quo ad thorum separavit, ut Curiam Ecclesiasticam Abulensem de hoc facto redderet certiorem.

Facta Conjugum separatione, iisdemque coram Ordinario constitutis, Maria Hernandez judicialiter retulit, se quinque annis cum Alphonso cohabitasse, & patientiam præstitisse, sed nunquam copulam fuisse consummatam propter præproperam seminis ejectionem, a dicto Alphonso profluentem. Fuit hoc ipsum ab Alphonso judicialiter confirmatum, deputatoque per Vicarium Generalem Abulensem Perito, Peritus, post rem sedulo examinatam, censuit, Alphonsum esse impotentem quoad Virginem, sed non quoad Corruptam.

Post hæc, instante Alphonso pro nova cohabitatione, eo sub fundamento, quod consultis Chirurgis, fas erat sibi sperare, quod ope medicamentorum coeundi, & consummandi potentiam esset acquisiturus, memoratus Vicarius Generalis Abulensis demandavit, ut Conjuges ad cohabitationem redirent; sed cum nec minus post adhibita medicamenta matrimonium fuerit spatio quatuor mensium consummatum, & præcedens impedimentum adhuc durare compertum sit, ut Maria, & Alphonsus judicialiter confessi sunt, prolata fuit per Curiam Ecclesiasticam sententia die 18. Junii 1698. super nullitate matrimonii, & data fuit Mariæ libertas nubendi cui maluisset, & Alphonso facultas eligendi alium statum sibi bene visum, excepto pro tunc statu matrimoniali.

In sequelam hujus sententiæ, Maria ad alia vota transivit, novumque matrimonium cum alio, Viro adhuc vivente, contraxit. Alphonsus vero post lapsum biennii, licentiam postulavit nubendi cum Vidua; cumque Peritus, qui ejus impotentiam qualificaverat quoad Virginem, non quoad Corruptam, iterum consultus, hoc ipsum confirmasset, Vicarius Generalis permisit Alphonsum matrimonium cum Vidua contrahere.

Contraxit Alphonsus matrimonium anno 1700. cum Vidua Catharina Martin Niero, & post ejus mortem, præcedente Ordinarii licentia, aliud matrimonium contraxit anno 1710. cum Vidua Maria Sanchez; cumque, hac pariter mortua, insteterit pro habenda facultate nubendi cum Virgine Josepha Sanchez, cum qua etiam dicitur rem habuisse, & Periti a Judice electi eum habilem, & idoneum dixerint ad contrahendum, & consummandum cum Virgine Matrimonium, ex quo potissimum temporis beneficio, immodicus ille calor, a quo præpropera seminatio ortum ducebat, cessaverit; Vicarius Generalis Abulensis omnia retulit per epistolam Sanctissimo Domino Nostro, ut sciret quid in hac re agere deberet, & a Sanctitate Sua hujus Articuli definitio fuit huic Sacræ Congreg. remissa.

Videtur autem primum matrimonium esse instaurandum, & Alphonsum redire debere ad Mariam Hernandez primam Conjugem, aut quia matrimonium inter eosdem contractum, dissolutum fuit per Curiam Ecclesiasticam Abulensem ex falsa causa, ex impotentia videlicet respectiva naturali, & perpetua, quæ juxta antiquiores Theologos non est impedimentum dirimens matrimonium, uti docet Divus Thomas in 4. sent. dist. 34. quæst. 1. art. 2. ad 5. *Non potest esse perpetuum impedimentum naturale in Viro respectu alterius, sed si non possit implere carnalem actum cum Virgine, & possit cum Corrupta, tunc medicinaliter aliquo instrumento posset claustra pudoris frangere, & ei conjungi, nec esset hoc contra matrimonium, quia non fieret ad delectationem, sed ad medicamentum.*

Aut quia procedendo etiam cum communiori Recentiorum opinione, qui asserunt, dari impotentiam naturalem perpetuam, non absolutam erga omnes, sed respectivam erga aliquas puta Virgines, eamque quoad Virgines constituere impedimentum impediens, & dirimens matrimonium; cum sententia tamen Curiæ Abulensis huic

huic impotentiæ respectivæ erga Virgines, & non erga Corruptas fuerit innixa, hocque fundamentum modo cessaverit, uti nedum ex Medicorum attestationibus, sed ex commercio carnali habito per Alphonsum cum Virgine Josepha Sanchez desumitur, sibi vindicare posse locum videtur constans juris propositio, quod, soluto per Judicis Ecclesiastici sententiam matrimonio propter impotentiam, si Conjux ille, qui judicatus est impotens ex post facto potens deprehendatur, primum matrimonium est reintegrandum, uti probat Textus *in cap. Laudabilem, & in cap. Fraternitatis de frigidis, & maleficiatis, & in Can. requisiti* 33. *quæst.* 1. quæ Juris Canonici dispositio procedit, etiamsi in sequelam sententiæ dissolutionis primi matrimonii, alter ex Conjugibus, qui non erat impotens, aliud matrimonium contraxerit, uti contigit in hypothesi præsenti, in qua Maria Hernandez alium Virum duxit adhuc viventem, quemadmodum ad rem docet Divus Thomas in 4. sent. dist. 34. quæst. 1. art. 2. *In hoc Ecclesia quandoque errat, quia per triennium quandoque non sufficienter experiri potest perpetuitas impotentiæ; unde si Ecclesia se deceptam inveniat, per hoc, quod ille, in quo erat impedimentum, invenitur, carnalem copulam cum eadem, vel cum alia perfecisse, redintegrat præcedens matrimonium, & dirimit secundum, quamvis de ejus licentia factum.* Cumque D. Thomas loquatur in terminis matrimonii dissoluti per sententiam Ecclesiæ post experimentum triennale ad terminos Textus *in cap. Laudabilem de frigidis, & maleficiatis*, a fortiori Divi Thomæ doctrina erit in hypothesi nostra retinenda, in qua Curia Abulensis sententiam protulit dissolutionis absque experimento triennali, quod juxta veriorem sententiam est necessarium, etiamsi Conjuges fateantur matrimonium non fuisse consummatum.

E contra autem videtur, quod sit locus matrimonio contrahendo inter Alphonsum, & Josepham Sanchez, & sic consequenter, quod non sit reintegrandum matrimonium inter Alphonsum, & Mariam Hernandez; fuit enim hoc matrimonium dissolutum per sententiam Ecclesiæ, servatis servandis, prolatam, de cujus errore non est quæstio excitanda, ex quo Alphonsus rem habuit cum Virgine Josepha Sanchez, dissolutio siquidem matrimonii inter Alphonsum, & Mariam Hernandez processit, aut ex impotentia respectiva naturali, non quoad speciem, sed quoad individuum, quemadmodum contendit scribens pro Alphonso, aut propter impotentiam respectivam perpetuam ex maleficio, cujus meminerunt ultimi Periti consulti, in qua facti specie non reintegratur primum matrimonium, etiam si Conjux impotens ex post potens evadat, ut in terminis primæ impotentiæ naturalis respectivæ quoad individuum probat Textus *in cap. Fraternitatis, ibique Glos. in verbo simili de frigidis, & maleficiatis*, & in terminis impotentiæ respectivæ perpetuæ ex maleficio probat alius Textus *in Can. Si per fortiarias* 33. *quæst.* 1. Absque eo quod quidquam faciat, quod primum matrimonium fuit dissolutum sine prævio experimento triennali, si enim Alphonsus, & Maria Hernandez per quinquennium cohabitarunt, & copulæ vacarunt, licet inutiliter, aptabilis videtur Doctorum assertio, quod triennium computatur a die copulæ intentatæ, nec oportet, quod illud triennium a Judice sit assignatum.

Hæc sunt, quæ pro primi matrimonii instauratione, & pro concedenda facultate contrahendi secundum matrimonium dici valent. Verum cum hæc omnia dependeant ab illa facti circumstantia, an Alphonsus rem habuerit cum Virgine Josepha, & ex impotente evaserit potens quoad Virgines, operæ pretium est reverenter insinuare, an hic & nunc supersedendum sit, tam ab instauratione matrimonii cum Maria Hernandez, quam a concessione licentiæ contrahendi matrimonium cum Virgine Sanchez. Licet enim sententia super dissolutione matrimonii nunquam transeat in judicatum, habet tamen pro se præsumptionem juris, si non de jure, quæ non videtur tolli posse ex relatione duorum Peritorum, & ex rumore extrajudiciali commercii carnalis, habiti ab Alphonso cum Virgine Josepha.

Consimilis casus fuit in hac Sacra Congregatione discussus die 16. Maii 1711. in quadam Causa *Oriolen. dispensationis*. Fuerat enim dissolutum matrimonium propter perpetuum impedimentum arctitudinis fœminæ; cumque Vir aliud matrimonium contraxisset, plureſque anni elapsi essent, fœmina, quæ fuit arcta reputata, fuit ab alio deflorata, qui paratus erat ad eam in uxorem ducendam, exortaque quæstione super instauratione primi matrimonii, ad amputandam quamcumque controversiam, tam fœmina, quæ propter arctitudinem fuerat a Viro separata, quam Vir, qui dissoluto matrimonio, aliam duxerat in uxorem, opportunum existimarunt, Sanctissimo supplicare pro dissolutione primi matrimonii rati, & non consummati, quæ ipsis concessa fuit.

Itaque stantibus his, quæritur

I. An hic & nunc sit supersedendum, tam a primi matrimonii instauratione, quam a licentia contrahendi secundum; & quatenus negative.

II. An primum matrimonium sit instaurandum, seu potius sit locus licentiæ contrahendi secundum.

Sacr. Congr. die 9. Apr. 1718. respondit,
Ad 1. Affirmative, & proponatur, citata Maria prima uxore.
Ad 2. Satis provisum in primo.

QUÆSTIO XX.

In Canarien. die 26. Mart. 1718.

ANNO 1653. Servus Dei Petrus de Betancur, de cujus Beatificationis Causa introducenda agitur in Sacrorum Rituum Congregatione, in Civitate Guatimalæ, auctoritate ordinaria intercedente, quamdam Religiosam Congregationem instituit, quæ Bethlemitarum dicta est, pro exercendis erga proximos in Hospitalibus præcipue degentes, ferventiores Christianæ Charitatis actus. Factæ etiam fuerunt hujus Congregationis Constitutiones, quæ die 26. Martii 1687. fuerunt approbatæ a Venerabili Dei Servo Innocentio XI. per suas literas Apostolicas in forma Brevis.

Congregatio hæc Religiosa, quæ tractu temporis excrevit, & plures Domos in variis Civitatibus acquisivit, vulgo habita fuit pro vera Religione, & consequenter pro veris Religiosis habiti sunt illi, qui ei nomen dederunt; sed cum in Brevi supra memorato, Congregatio Bethlemitica nomen habeat Confraternitatis hominum piorum, nec unquam in eodem Brevi sermo fiat, vel de Congregatione in Religionem erigenda, vel de Votis expressis, & perpetuis a Confratribus emittendis, quæstio excitata fuit, an prædicta Congregatio esset, necne vera Religio.

Ad tollendam de medio hanc Controversiam, annis præteritis accessit ad Urbem Frater Michael a Jesu Maria, sufficienti instructus mandato Procuræ, ut a Sede Apostolica obtineret declarationem, quod Congregatio esset vera Religio, vel ad minus obtineret, ut Congregatio in veram Religionem erigeretur.

Pro hoc negotio discutiendo, fuit deputata Congregatio particularis cla. mem. Cardinalium S. Clementis, Gabrielli, & Eminentissimi Paracciani, a qua, perpensis perpendendis, sequens prodiit Decretum. *Sacra Congregatio Eminentissimorum, & RR. DD. Cardinalium S. Clementis, Gabrielli, & Paracciani per Sanctissimum Dominum Nostrum specialiter deputata, visis, & mature perpensis suprascriptis precibus, censuit, si Sanctitati Suæ placuerit, posse per litteras Apostolicas in forma Brevis prædictam Congregationem Bethlemiticam in Indiis Occidentalibus erigi in veram Religionem, cum Votis solemnibus emittendis ex integro etiam ab iis, qui hactenus vota emiserunt in eadem Congregatione; Ita tamen, ut omittentes nova Vota prius certiorentur de inefficacia præcedentium Votorum ad constituendos eos vere Religiosos. Romæ 8. Octobris 1709.* & cohærenter ad hæc fuit anno 1710. expeditum Breve a Sanctissimo Domino Nostro.

Habita hujusce rei notitia a Mathia Gonzalez de Olivera de Terra de la Ortova Insulæ Tanerifæ Canarien. qui in Congregatione Bethlemitica Professionem emiserat, habitum ipse dimisit, & indutus veste sæculari, ubique incedere cœpit, videntibus, & non reclamantibus Fratribus Bethlemiticis; cumque coram Episcopo Insularum S. Jacobi Cubæ, Jamaicæ, & Floridæ die 4. Octobris 1714. comparuisset, & declarari petiisset, se esse Personam liberam, nullo Matrimonii, vel Religionis vinculo innodatam, & petitam declarationem obtinuisset, ab Indiis ad Insulas Canariensis rediit, & exhibita prædicta declaratione coram Ordinario, licentiam ab eodem die 18. Junii 1715. reportavit contrahendi matrimonium, quod & subsequenter contraxit cum Maria Emanuela Peniche.

Post contractum matrimonium, Mathias Sanctissimo supplicavit pro declaratione validitatis ejusdem, ejusque instantia inniti posse videtur sequenti fundamento, quod vota ab eo præcedenter emissa, sunt Vota simplicia non solemnia, solumque Votum solemne in Religione approbata impedit Matrimonium contrahendum, & dirimit contractum, juxta Textum *in cap. Minimus, & in cap. Insinuante, qui Clerici, vel voventes*: exceptis Votis simplicibus, quæ post biennium Novitiatus in Societate

Jesu emittuntur, quorum vigore impeditur matrimonium contractum ex Constitutione Gregorii XIII. edita anno 1582. quæ incipit, *Quanto fructuosius*, & ex alia ejusdem Pontificis edita anno 1584. quæ incipit *Ascendente Domino*, ita ut dubitari tantum valeat in foro conscientiæ, an Orator citra dispensationem possit exigere debitum ab uxore, licet reddere teneatur, juxta doctrinam D. Thomæ *in 4. Sent. dist. 38. quæst. 1. art. 2. quæstiunc. 2. ad 3. & ad. 4.* Cum autem Mathiæ Gonzalez de Olivera preces fuerint a Sanctitate Sua ad hanc Sacr. Congregationem remissæ, quæritur

An matrimonium, de quo agitur, sit validum in casu &c.

Sacr. Congr. die 9. Apr. 1718. respondit,
Matrimonium esse validum, sed illicitum.

QUÆSTIO XXI.

In Causa Mediolanen. Reductionis Missarum, die 26. Mart. 1718.

FRANCISCUS Carcanus in suo ultimo, cum quo decessit, Testamento condito anno 1620. demandavit, ut erigeretur quædam Cappellania Laicalis de jure patronatus suæ Familiæ in Ecclesia Monialium Cappuccinarum Sanctæ Praxedis Civitatis Mediolani, cum annua dote librarum 700. illius monetæ, ex certis bonis detrahenda, & onere celebrationis quatuor Missarum qualibet hebdomada, quoties ad illam nominaretur Sacerdos de Familia. Si autem eligendus esset Cappellanus extraneus, huic imposuit onus Missæ quotidianæ cum eleemosyna tamen librarum 300. tantummodo, quæ tunc erat sufficiens juxta taxam eo tempore vigentem.

Idem Testator codicillando, confirmavit disposita in Testamento, & addidit, *che potendo detti miei Eredi ritener qualche cosa di dette lire trecento, il tutto ceda a lor benefizio.*

Ad normam hujusce dispositionis Joannes Carcanus hæres Francisci Testatoris, in defectum Sacerdotum de Familia, Sacerdotem extraneum nominavit in Cappellanum, cum onere Missæ quotidianæ, & assignatione librarum 300. annuarum, constituentium scuta 40. monetæ Romanæ.

Prætendente autem Promotore piorum Legatorum Civitatis Mediolani, quod Joannes teneretur ad augmentum eleemosynæ usque ad summam, & quantitatem librarum 400. annuarum ad formam taxæ determinatæ in Synodo Diœcetana, pro quotidiano Sacrificio, bina dubia fuerunt in hac Sacra Congregatione proposita die 9. Septembris 1702. primo videlicet, *An dictus hæres teneatur ad augmentum eleemosynæ in summa librarum 400. & quatenus negative; secundo, an sit locus reductioni Missarum, si non inveniatur Sacerdos, qui velit dictam Missam quotidianam celebrare pro annua eleemosyna librarum 300. a Testatore præscripta in casu*, quibus dubiis responsum fuit in Congregatione, habita die 30. Septembris 1702. hoc qui sequitur modo, *ad primum respondit negative, ad secundum censuit, dandam esse resolutionem eveniente casu.*

Eminentissimus Archiepiscopus in suis litteris scriptis die 10. Junii 1717. refert, nullum adesse ex Familia Carcana qui Cappellaniam valeat, aut possit obtinere, & sic consequenter advocandum esse Sacerdotem extraneum, nec ullum inter extraneos reperiri, qui cum prædicto stipendio librarum 300. assumere velit onus Missæ quotidianæ; Taxa etenim Synodalis Diœcesis Mediolanensis est librarum 400.

His ergo positis, quæritur

An supposito, quod nullus inveniatur Sacerdos, qui velit Missam quotidianam celebrare pro annua eleemosyna librarum 300. a Testatore præscripta, sit locus reductioni in casu &c.

Sacr. Congr. die 9. Apr. 1718. respondit,
Affirmative.

QUÆSTIO XXII.

In Causa Florentina Præeminentiarum, die 26. Mart. 1718.

OCCASIONE qua Joannes Guerinus Canonicus Collegiatæ Ecclesiæ Sancti Laurentii Civitatis Florentinæ Coadjutorem a Sede Apostolica obtinuit, inter ipsum, aliosque Canonicos exorta est controversia quoad functiones, quæ sunt de Hebdomada, & Turno, quæ *Paraturæ* vocantur, an scilicet Canonicus Coadjutus eas per se ipsum explere valeat, non obstante, quod habeat Coadjutorem, & an impedito, vel nolente Canonico Coadjuto, jus eas peragendi pertineat ad Canonicum Coadjutorem, vel potius ad Canonicum in Turno succedentem, commissaque harum controversiarum decisione Reverendiss. Archiepiscopo Florentino, tamquam arbitratori, & amicabili compositori, fuit laudum ab illo prolatum, in quo declaravit competiisse, & competere Canonico Guerino Coadjuto jus & facultatem explendi, & exercendi per se ipsum, quatenus velit, aut possit, omnes, & quascumque functiones Canonicales, quas facere, & explere poterat, antequam a Sede Apostolica Coadjutorem obtinuisset, sed eo nolente, aut alias non adimplente functiones, jus eas faciendi transire debere ad alios Canonicos in ordine succedentes, & illis supplere nolentibus facultatem devolvi ad Coadjutorem, & non aliter, nec alio modo, ut ex tenore laudi, quod a Canonico Guerino exhibetur.

Huic laudo Canonicus Guerinus nullatenus acquievit in ea parte, quæ Canonico Dominico Cianfonio suo Coadjutori est præjudicialis, habitoque pro illius reformatione recursu ad hanc Sacram Congregationem, remissisque precibus pro informatione ad eundem Reverendiss. Archiepiscopum Florentinum, retulit ipse a se fuisse prolatum laudum supradictum, & se ulterius terminum præfixisse Capitulo ad jura sua deducenda in hac Sacra Congregatione, & a Capitulo fuisse confignatas nonnullas Scripturas, in quibus tota facti series exponitur, cum instantia, ut illæ ad EE. VV. transmitterentur, & cum declaratione, quod aliam partem hac in re facere nolebat.

In Scripturis autem a Capitulo transmissis continetur Capitulare Decretum factum die 15. mensis Septembris anno 1702. in quo inter cætera cavetur *che il Turno del Coro, circa la celebrazione della Santa Messa, delle Parature, e vantaggi dell' ebdomada d' augmenti, ed altri emolumenti sia solamente del Coadjutore nel suo luogo, e non del Coadjuto, reputar dovendosi questo come non interveniente in ogni caso, che si tratti di detta celebrazione, ed altro, come sopra, ancorchè fosse presente*; & ex hoc Decreto inferunt Canonici, quod Coadjutus per se ipsum explere nequit functiones nuncupatas de Hebdomada, & Turno, & multo magis, cum Canonicus Guerinus illi Decreto se subscripserit, quando factum est, illudque fuerit executioni mandatum a Canonico de Zipolis, qui in Coadjutorem obtinuerat Canonicum Bruscolum, juxta documentum a Capitulo transmissum. Addunt iidem Canonici, quod, impedito, aut nolente Coadjuto, functiones de hebdomada peragi non debent ab ejus Coadjutore, sed a Canonicis proxime succedentibus, vel quia ita fert consuetudo Metropolitanæ Ecclesiæ Florentinæ, de qua testatur Magister cæremoniarum; vel quia hæc est differentia inter Coadjutores Dignitatum, & Coadjutores Canonicorum, quod primi, uti sedentes in stallo Dignitatum explere debent functiones spectantes ad Dignitatem Coadjutam; quod procedere non potest in Coadjutoribus Canonicorum, qui sicuti sedent post omnes Canonicos, ita non admittuntur ad honorarias functiones, si alii adsint Canonici, juxta tradita per *Pignatel. consult. 185. num. 3. & 4. to. 4.* ponderando, quod resolutiones Congregationis Sacrorum Rituum in Patavina 14. Februarii 1615. & 3. Decemb. 1616. & in Neritonen. 12. Octobris 1619. quæ, impedito Coadjuto, firmant jus functiones peragendi devolvi ad Coadjutorem, & non ad Canonicum in Turno succedentem, loquuntur in terminis Coadjutorum Dignitatum, & non Canonicorum.

Adversus hæc reponit Canonicus Guerinus, se posse explere functiones nuncupatas de Hebdomada, & Turno, non obstante, quod habeat Coadjutorem; in Bulla siquidem Coadjutoriæ hæc habentur, *toties quoties dictus Joannes Guerinus noluerit, aut non potuerit per se ipsum dictæ Ecclesiæ, ratione Canonicatus, ac præbendæ hujusmodi deservire, sic vice, & loco dicti Joannis Guerini, tamquam dictæ Ecclesiæ Canonicus, illi in Divinis, ac alias deservire &c.* quorum tenor verborum importat, ut Coadjutus, si velit, functiones explere valeat, & possit; Absque eo, quod quidquam referat Decretum allegatum Capitulare anni 1702. tum quia fuit abrogatum ab alio Decreto Capitulari edito die 5. Martii 1704. uti testatur Reverendissimus Archiepiscopus in suo voto, quod laudum præcessit, tum quia primum illud Decretum non fuit auctoritate ordinaria vallatum. Subdit quoque scribens pro Canonico Guerino, consuetudinem Ecclesiæ Metropolitanæ Florentinæ non esse probatam ex attestatione Magistri cæremoniarum, nec est omittendum, quod allegatæ resolutiones Congregationis Sacrorum Rituum firmantes, quod Coadjutores Dignitatum, & non Canonici explere debent functiones spectantes ad Dignitatem Coadjutam, fuerunt ab hac Sacra Congregatione. Concilii extensæ ad Coadjutores Canonicorum; In causa etenim Casalen. confirmationis statuti, proposita die 28. Januarii 1690. in qua quæsitum fuit, *an Coadjutori, absente Canonico Coadjuto, indistincte competat exercitium omnium functionum sui Coadjuti*, licet Canonici in ordine succedentes prætenderent eas ad se, & non ad Coadjutores Canonicorum pertinere, responsum fuit, *danda esse Decreta supra allegata a Sacra Rituum Congregatione edita in Patavina videlicet, & Neritonen.*

His positis, quæritur

I. An Canonicus Coadjutus possit per se ipsum explere functiones nuncupatas de Hebdomada, & Turno in casu &c.

II. An eo impedito, vel nolente, possit dictas functiones peragere Coadjutor, seu potius jus eas explendi devolvatur ad Canonicum in Turno succedentem in casu.

Sacr. Congr. die 9. Apr. 1718. Respondit,
Ad 1. affirmative, & amplius. Ad 2. affirmative, quoad primam partem, & negative quoad secundam.

QUÆSTIO XXIII.

In Causa Callien. die 9. Apr. 1718.

COMITES de Lutiis, ad quos jure hæreditario Familiæ Brancaleonæ pertinet jus nominandi ad Cappellaniam in Cathedrali Ecclesia Callienſi erectam sub invocatione S. Bernardini, contendunt, Cappellanum a se nominatum non teneri deferre Pluviale certis diebus, & celebrare certis pariter diebus, & horis præscriptis, uti demandatum fuit ab Episcopo in Tabellis pro regulanda officiatura Cathedralis Ecclesiæ exaratis.

Fundamenta dictorum Comitum de Lutiis consistunt in his, quæ sequuntur; Probant itaque primo, reditus Cappellaniæ esse in scutis 27. & obulis 30. monetæ Urbini; cumque Cappellanus teneatur celebrare quolibet anno Missas 182. inferunt eum aliis oneribus gravari non potuisse.

Secundo contendunt, quod onera, tum delationis Pluvialis, tum celebrationis certis diebus, & horis, nullatenus adsint in fundatione Cappellaniæ, hinc deducendo non potuisse Episcopum onera apponere, quæ in fundatione non sunt apposita. Et quamvis Cappellaniæ fundationem invenire non potuerint, alias tamen Cappellaniarum erectarum in Cathedrali Ecclesia fundationes exhibent, in quibus onera recensita non inveniuntur.

Tertio iidem Actores asserunt, observantiam pro se militare, ad quod assumptum demonstrandum, Testes proferunt deponentes, quod sui Cappellani ad libitum in Cathedrali Ecclesia celebrarunt extra dies, & horas in Tabellis præscriptas.

Adversus hæc reponit Episcopus, se curare observantiam Tabellarum, ob eum solum finem, ne sua Cathedralis debito fraudetur obsequio: Qua præmissa protestatione, subdit, antiquum esse morem Ecclesiæ Callienſis, quod fiant Tabellæ, tum pro diebus, in quibus Sacerdotes debent deferre Pluvialia, tum pariter pro diebus, & horis, in quibus Missæ sunt celebrandæ, quæ res, ut ponatur in claris, copiam authenticam transmisit antiquarum Tabellarum, necnon antiquas Constitutiones editas usque de anno 1568. in quibus a suis Prædecessoribus demandatum est, ut ordo Tabellæ servetur quoad celebrationem Missarum in Cathedrali Ecclesia explendam.

Affert ulterius Edictum Episcopi Castellani, publicatum anno 1689. in quo loquendo de Cappellanis obligatis ad celebrandum in Cathedrali Ecclesia, hæc habentur: *Con il presente publico Editto, inerendo anche al Decreto da noi sopra di ciò fatto nella Sacra Visita, ordiniamo, e comandiamo a tutti li Cappellani, tanto perpetui, come amovibili, che hanno il peso di celebrare nella detta Cattedrale, che inviolabilmente osservino da loro stessi, o per mezzo d' altri la solita tavola, sì delle Messe cantate, come delle prime, ed ultime, e delli Piviali nel modo, e forma, che si ripartirà dal Signor Preposto.* Cumque Antistes hic, in eodem edicto testetur de immemorabili observantia, *l' attenta applicazione &c. ci obbliga ad inculcare con ogni più ardente zelo quel tanto da tempo immemorabile hanno parimente determinato i nostri Antecessori, li quali per riparare alla necessità, che la medesima Chiesa ha de' Ministri, che con titolo di Mansionarj, o Beneficiati prestino quel servizio, che richiede il buon ordine della Gerarchia Ecclesiastica, obbligarono gli Officiatori delle dette Cappelle della detta Cattedrale a cantare ec. portare li Piviali ec. e celebrare le Messe per le loro Cappelle nell' ore distribuite &c.* concludit modernus Episcopus, nullatenus esse permissum Cappellano Cappellaniæ Sancti Bernardini se eximere a prædictis oneribus in Tabella, sive Tabellis præscriptis.

Multoque magis, cum non solum duo Testes Sacerdotes, qui, spatio triginta annorum, Cappellanias obtinuerunt de jure patronatus Laicorum erectas in Cathedrali Ecclesia Callienſi, dicant se Missas celebravisse ad normam Tabellæ, tresque alii Sacerdotes observantiam confirment Tabellæ, quo ad delationem Pluvialium, sed quod magis est, ipsimet Cappellani Cappellaniæ Sancti Bernardini, occasione recipiendi institutionem ab Episcopo, se juramento obstrinxerint observandi dispositionem Tabellarum, uti signanter colligitur ex institutione moderni Cappellani, *offerens se paratum sustinere onera ejusdem Cappellæ, tam quoad celebrationem Missarum, quam in parendo Tabellæ, faciendo Hebdomadarias, servando statuta, & laudabiles consuetudines Ecclesiæ, & sic medio juramento tactis, & præsertim observare Decreta Illustrissimi, & Reverendissimi Episcopi quoad Cappellas, & servitium Ecclesiæ.*

Quæritur itaque

An Cappellanus Sancti Bernardini teneatur deferre Pluviale, & sacrum celebrare certis diebus, & horis præscriptis in Tabellis in casu &c.

Sacr. Congr. die 4. Mart. 1719. Respondit,
Affirmative, & amplius.

QUÆSTIO XXIV.

In Causa Frisingen. die 7. Maji 1718.

JOSEPH Felix Dopste instat, declarari, nullum fuisse matrimonium a se contractum cum Maria Clara Rorboschin; & quatenus matrimonium validum reputetur, supplicat pro ejus dissolutione, seu dispensatione, sub obtentu, quod illud fuerit ratum, sed non consummatum, & Maria Clara adhæret tum instantiæ, tum supplicationi, uti desumitur ex ejus declaratione coram Officiali Frisingensi, a quo de ordine hujus Sacræ Congregationis fuit compilatus Processus.

Fundamentum instantiæ super nullitate Matrimonii constituitur in hoc, quod contractum fuisse dicitur per vim, & metum Mariæ Claræ incussum, itaut propter animi perturbationem ignoretur, an affirmative, vel negative responderit Sacerdoti, de more interroganti, an matrimonio cum Joseph Felice contrahendo assensum præstaret, quemadmodum ipsa Maria Clara coram dicto officiali Leodiensi asseruit.

Fundamentum deinde supplicationis pro dissolutione, seu dispensatione matrimonii tanquam rati, & non consummati reponitur in mutuo, & concordi amborum Conjugum pro dispensatione consensu, in ætatis inæqualitate inter eos intercedente, & in odio implacabili, quo Uxor affecta est erga Virum, itaut periculum mortis immineat, uti desumitur ex responsionibus Mulieris coram Officiali, & ex informatione Ordinarii.

De Summi Pontificis potestate in dispensando super Matrimonio rato, & non consummato, nulla est in foro, & in praxi disputatio; & sola controversia reduci consuevit ad Causam, an adsit videlicet causa sufficiens pro tali dispensatione concedenda, & an verificata dici valeat circumstantia, quod Matrimonium sit ratum, & non consummatum, ex defectu etenim verificationis hujusce circumstantiæ, Sacra hæc Congregatio noluit annuere dispensationi, licet ageretur de Muliere, quæ fuerat hæresis labe infecta, & quæ a Consanguineis hæreticis sollicitabatur, ut ad vomitum rediret sub spe, & pollicitatione alterius dotis, & alterius mariti, uti desumi valet *ex Causa Eisleten. dispensationis*, quæ fuit proposita *die 15. Septembris 1716.* & resoluta *die 15. Maji 1717.*

Loquendo de Causa præcipua, uti diximus in casu, est illa odii implacabilis cum periculo vitæ, & hæc licet a plerisque scribentibus pro sufficienti habeatur, existimatur tamen insufficiens a Fagnano *in cap. ex parte num. 15. de Conversione Conjugatorum.*

Et post hæc sermonem transferendo ad verificationem illius circumstantiæ, quod Matrimonium scilicet fuerit ratum, & non consummatum, operæ pretium est investigare, an in hypothesi ejus verificationi obstet, quod vir & mulier in eodem thalamo cubarunt, licet maritus dicat se non consummasse, & licet uxor asserat, se debitum denegasse, tum quia ille sibi potens esse non videbatur, tum quia statim ipsam accusare incœpit, & increpare, quod infantem peperisset, & quod esset morbo gallico affecta.

His

His positis, quæritur,

An constet de nullitate Matrimonii, & quatenus negative, an sit locus dispensationi in casu &c.

Sacr. Congr. Respondit,

Negative & amplius.

QUÆSTIO XXV.

In Causa Neocastren. Restitutionis in integrum, die 7. Maii 1718.

SOROR Maria Magdalena Diaco nata est die 29. Julii anno 1694. & Professionem emisit in Monasterio Sanctæ Claræ Civitatis Neocastri die 11. Aprilis 1711. cumque elapso quinquennio, judicium nullitatis Professionis instituere voluerit, expeditæ fuerunt consuetæ litteræ Ordinario Neocastren. pro compilatione Processus, auditis interesse habentibus.

In Processu autem per dictum Ordinarium (Vicarium nempe Capitularem, Sede Episcopali vacante) compilato, & transmisso, nedum continentur responsiones Sororis Mariæ Magdalenæ positionibus sibi datis a Procuratore sui Monasterii, in quibus constanter asseruit, a se fuisse emissam Professionem propter metum, a Patre, & a Matre incussum, sed, quod notatu dignum est, in eodem continentur Processu attestationes, & examina Patris, & Matris, Jo. scilicet Baptistæ Diaco, ac Beatricis Coronæ, qui minas enarrant, a seipsis Filiæ intentatas, ut Professionem faceret. Corroborantur hæc ex dictis aliorum Testium, qui referunt, se fuisse præsentes, tunc cum Mater metum Puellæ injecit, ut regulari observantiæ, & Professioni nomen daret. Alii deponunt de præpotentia Patris, & Universitas Neocastri testatur de publica voce, & fama in eo, quod attinet ad Professionem, emissam per vim, & metum.

In quo rerum themate, scribens pro Sorore Maria Magdalena sustinet, non esse ambigendum de nullitate Professionis, attentis, ex una parte, qualitate minarum, & ex alia, sexu, & ætate Sororis prædictæ.

Adversus tamen hæc, animadverti potest, quod Pater, & Mater adhuc vivunt, itaut in ambiguo sit, utrum recedendo a priori voluntate, facinus admissum in cogenda Puella ad profitendum, publica confessione emendare statuerint, vel potius Filiæ genio indulgere volentes, dixerint, se fecisse, quod non fecerunt. Rursus ponderandum est, quod Ordinarius non videtur fidem Testibus præstare, uti colligitur ex tota ejus informatione, & præcipue ex sequentibus verbis, *utinam factum esset tale, quale per Oratricem figuratur, sic enim communis humani generis hostis tot non bene faceret luera;* cumque Ordinarius per seipsum confecerit Processum, & interfuerit examini Testium, ejus profecto judicium non videtur esse contemnendum, juxta celebrem Epistolam Hadriani, scriptam Varo Legato Provinciæ Ciliciæ, de qua Calistratus *in L. Testium ff. de Testibus: tu magis scire potes, quanta fides habenda sit Testibus, quin, & cujus dignitatis, & cujus existimationis sint, & qui simpliciter visi sint dicere, utrum unum, eundemque, & præmeditatum sermonem attulerint, an ad ea, quæ interrogaveris ex tempore verisimilia responderint.*

Quocirca quæritur,

An sit locus restitutioni in integrum, in casu.

Responsum Sacr. Congregationis fuit,

Dilata, & coadjuventur probationes per Episcopum (Cathacen.) qui procedat contra parentes ad formam Conc. Tridentini, eo quod parentes ipsi fatebantur, sese metu filiam coegisse, ut ab ea regularem professionem extorquerent.

Absente igitur tunc temporis Episcopo Neocastren. a sua diœcesi, & allegato Vicario suspecto deputatus fuit Episcopus Cathacen. ut contra Parentes Sororis Magdalenæ Diaco procederet, & ut coram ipso coadjuvarentur probationes; cumque omnia demandata fuerint jam adimpleta; absoluto namque ab Episcopo Cathacen. viginti Testium examine, qui vim, & metum Moniali illatum testabantur, ipse pronunciaverat, utrumque Parentem incidisse in excommunicationem a Conc. Tridentino comminatam; his stantibus, reproposita Causa die 16. Decembr. 1719. nulla fuit capta resolutio; repropositaque iterum sub die 13. Jan. 1720. Sacr. Congregatio pariter respondit, *Dilata*; eadem deinde repropositа die 24. Febr. 1720. nec ulla tunc quoque fuit capta resolutio; sed visis actis Curiæ Cathacensis, Sacr. Congregatio, ut cautius procederet, rescripsit, *Dilata, & ad mentem*; & mens fuit, quod moderno Episcopo Neocastren. scriberetur pro secreta informatione. Licet enim in hac Causa bini fuerint confecti processus, nullus tamen a loci Episcopo confectus erat. Nam primus a Vicario Capitulari, alter ab Episcopo Cathacen. tanquam delegato fuerat compilatus. Supervenerunt itaque responsiones moderni Episcopi Neocastren. quibus lectis, & examinatis die 7. Dec. 1721. responsum fuit, *Non esse locum restitutioni in integrum, & quoad absolutionem a Censuris ad d. Secretarium cum Sanctissimo.*

Reclamavit ab hac decisione Maria Magdalena, & licet pluries rejecta, tandem die 28. Sept. 1726. impetravit, ut iterum audiretur. Consultius tamen censuit Sacr. Congregatio, antequam Causa proponeretur, requirere Episcopum Mileten. ut hac de re secretas notitias investigaret, ac de iis EE. PP. instrueret; adventisque ad Urbem ipsius Episcopi literis, quarum exempla in Sacr. Congregatione die 21. Aug. 1728. distributa sunt; & absolutis Parentibus Oratricis a Censuris; ac Monasterio, quod olim viriliter propugnavit validitatem Professionis, voluntati Monialis acquiescente, propositum fuit decidendum quæsitum,

An esset standum, vel recedendum a decisis.

Sacr. Congr. die 11. Sept. 1728. Respondit,

Prævio recessu a decisis, esse locum restitutioni in integrum, & ad mentem.

QUÆSTIO XXVI.

In Causa Lunen. Sarzanen. Erectionis Collegiatæ, die 7. Maii 1718.

PRÆVIIS duabus luculentis relationibus Eminentissimi Domini mei Cardinalis Tanarii, Sacra hæc Congregatio die 26. Januarii 1704. concessit, ut Ecclesia Beatæ Mariæ Virginis de Populo, existens in Terra Pontremoli Diœcesis Lunen. Sarzanen. & intra limites Parochialis Ecclesiæ S. Geminiani, erigi posset in Collegiatam, & quod Juspatronatus Canonicatuum, excepto Canonicatu Reghini, in quo mandavit observantiam dispositionis Fundatoris, esset reservatum ad lineam tantum masculinam eorum, qui Bona sua pro illorum erectione conferre promittebant, & die 19. Junii 1704. hæc eadem Sacra Congr. extendit dictum Juspatronatus etiam ad lineam fœmininam, ex quo facta est oblatio augmenti Bonorum pro Dote prædictorum Canonicatuum.

His ita statutis, nihil aliud supereße videbatur pro erectione novæ Collegiatæ, sed dum Deputati omnem operam navabant pro ejus actuali erectione, nova, & magna excitata fuit a Capitulo Cathedralis Ecclesiæ Lunen. Sarzanen. controversia, consistens in præjudicio, quod sibi ex erectione Collegiatæ provenire dicebat; cum enim ad ipsum pertineret jus conferendi Parochialem Ecclesiam Sancti Geminiani, & hujus Parochialis Bona essent applicanda Præposito novæ Collegiatæ, & ad Præpositum pro tempore Animarum cura esset deferenda, suppresso quocunque Titulo Collativo Ecclesiæ Sancti Geminiani, præjudicium Capituli certum esse videbatur; quocirca in Congregatione habita *die 3. Septembris* 1707. propositis duobus dubiis, primo scilicet, *an constaret de jure conferendi, & quatenus affirmative*, secundo, *an illud obstaret erectioni Collegiatæ*, ad utrumque responsum fuit *affirmative*.

Juridica hæc Capituli oppositio sepulchralem quodammodo lapidem impositura videbatur erectioni novæ Collegiatæ, non sine damno cultus Divini, nec fine præcedentium expensarum non modica jactura; cumque nullus alius supereßet locus de medio tellendi oppositionem Capituli, quam eidem offerendo jus præsentandi ad unum ex Canonicatibus, in nova Collegiata erigendis, ad emendandum videlicet damnum, quod in ipsum derivabat ex suppressione Parochialis Ecclesiæ S. Geminiani, uti hujusce Causæ historiam referendo admonuit R. P. D. Petra, olim a secretis hujus Sac. Congregationis *tomo 3. suorum Commentar. pa. 66. num. 39. & 40.* Domini de Maraffiis Fundatores unius ex Canonicatibus in Collegiata erigendis, se promptos, & paratos exhibuerunt ad cedendum Juspatronatus favore Capituli Cathedralis Ecclesiæ Lunen. Sarzanen.

Delata hujus oblationis notitia ad hanc Sacram Congregationem, fuit juxta morem scriptum Ordinario pro informatione, cumque Ordinarius, in commissi sibi muneris adimplementum, Edicta affigi jusserit, ut unusquisque sua jura deducere posset in eo quod attinet ad novæ Collegiatæ erectionem, plures inventi sunt Oppositores; se opposuit etenim Capitulum Lunen. Sarzanen. sese opposuerunt Ratiocinatores Comitatus, Rectores Ecclesiarum Parochialium S. Columbani, S. Nicolai, & S. Christinæ, Archipresbyter SS. Hippolyti, & Cassiani de Saliceto, Parochiani S. Geminiani, & Confratres Confraternitatis in ea Ecclesia erectæ.

Folia oppositionum fuerunt ab Ordinario transmissa, & fideliter referuntur in Summario Informantis pro erectione Collegiatæ, qui contendit nonnullas oppositiones tolli ex facto, nonnullas non esse præsentis inspectionis, & non-

& nonnullas, utpote necessario connexas cum erectione Collegiatæ, esse contemnendas, gratia quippe erectionis est ex natura sua præjudicialis, & statim ac aliqua Ecclesia erecta est in Collegiatam, eidem competunt nonnullæ prærogativæ, quæ antecedenter non competebant, & quæ forte ante erectionem ad alias pertinebant Ecclesias, juxta *decis.* 1445. *coram Seraphino.*

Quæritur itaque

An, & quomodo relaxanda sint Decreta edita die 26. Januarii, & 19. Julii 1704. super erectione Collegiatæ in Oppido Pontremoli in casu &c.

Sacr. Congr. respondit,

Affirmative cum omnibus conditionibus expressis in folio Capituli, & dumodo institutio authorizabilis, & approbatio Personæ præsentandæ ad Canonicatum pertineat ad Episcopum, & sola expeditio literarum Collationis spectet ad Capitulum Cathedralis, nec non prævia ratificatione obligationum per Deputatos, & Syndicos Communitatis factarum favore Ecclesiæ Collegiatæ faciendæ a generali Consilio Pontremoli legitime congesto.

QUÆSTIO XXVII.

In Causa Toletana, die 7. Maji 1718.

MARIA Teresia Lopez Malo Monialis Professa in Monasterio Commendatricium Calatravæ Ordinis S. Benedicti, Civitatis Matriti, Sanctissimo Domino Nostro supplicavit pro facultate mutandi dispositionem, a se factam, dum erat in Novitiatu, & a Sanctitate Sua fuit supplex Oratricis libellus ad hanc Sacram Congregationem remissus.

Ut autem adæquatum de instantia ferri valeat judicium, videtur esse necessarium primo loco exponere tenorem dispositionis, a Moniali factæ, dum erat in Novitiatu, secundo loco referre dispositionem, quam ipsa facere meditatur, & tertio loco circumstantias enarrare, quæ in consimili dispensatione concedenda, vel negandа, ab hac Sacra Congregatione ponderari consueverunt: nulla etenim quoad Potestatem Pontificiam esse valet difficultas, tum quia prohibitio disponendi tam inter vivos, quam in ultima voluntate quoad Monachos, & Moniales, descendit a jure positivo, hoc est, a Textu *in Authentica ingressi C. de Sacrosanctis Ecclesiis, & a cap. quia ingredientibus de Testamentis*, quam sua auctoritate Summus Pontifex tollere potest; tum quia si Ecclesiasticas Historias transcribere liceret, facile esset exempla afferre Monachorum etiam Sanctorum, qui ante juris positivi prohibitionem de Bonis suis in ultima voluntate disposuerunt.

Ducto itaque initio a tenore dispositionis, factæ ante Professionem a Sorore Maria Teresia, tres ipsa instituit Cappellanias, & jus ad eas nominandi sibi reservavit, & post suum obitum jus illud detulit ad nonnullos suos Consanguineos, illisque deficientibus, ad Patrem Rectorem Collegii Societatis Jesu, absque eo, quod tamen Ecclesiam expresserit, in qua Cappellani deberent Missas celebrare, uti non solum ex Oratricis precibus desumitur, sed etiam habetur ex relatione Archiepiscopi Toletani.

Transeundo ad hujus dispositionis mutationem, Soror Maria Teresia vellet, ut a Summo Pontifice sibi indulgeretur facultas disponendi, primo, quod Cappellani nominandi deberent esse ex suis Consanguineis intra quartum gradum, & in eorum defectu, ex pauperioribus, & magis egenis Sacerdotibus, suo Monasterio inservientibus, secundo, quod Missæ semper in Ecclesia sui Monasterii celebrarentur, & tertio, quod jus nominandi Cappellanos deferretur ad ejusdem Monasterii Abbatissam, subdendo hæc omnia esse admodum rationabilia, tum quia Ecclesia sui Monasterii non habet sufficientem numerum Missarum, & propter ejus paupertatem, Sacerdores illi inservientes, accedunt ad celebrandum in aliis Ecclesiis, ut eleemosynam Missarum obtineant; tum quia consanguinei in prima dispositione vocati ad jus activum nominandi, jam mortui sunt; & tandem quia Pater Rector Collegii Societatis Jesu se promptissimum, & paratissimum exhibuit, & exhibet ad renunciandum pro se, suisque Successoribus juri nominandi sibimet, vel Successoribus suis deferendo post obitum Sororis Teresiæ, quæ omnia referuntur etiam, & confirmantur in allegata informatione Archiepiscopi Toletani.

Post hæc nihil aliud superest, quam circumstantias enarrare, in quibus Sacra hæc Congregatio consimiles petitiones aliquando rejiciendas, & aliquando censuit admittendas.

In quadam Causa *Toletana*, die 8. Julii 1668. Sacra Congregatio negative respondit petitioni cujusdam Monialis Sanctæ Claræ, quæ post demandatam in suo Testamento, quod in sæculo condiderat, Cappellaniæ fundationem, post suum obitum erigendam, & ad quam suos vocaverat Consanguineos, postulabat facultatem de iisdem Bonis disponendi favore sui Monasterii, sed in ea Causa, Oratrix ad mutationem dispositionis procedebat non tam ex amore erga suum Monasterium, quam ex odio concepto adversus Consanguineos. Item in quadam Causa *Bononien.* Sacra hæc Congregatio noluit concedere licentiam revocandi Testamentum cuidam Regulari, qui ante Professionem illud condiderat, hæredem relinquendo suum Monasterium, licet ageretur de Professo inter Jesuatos, & licet Ordo Jesuatorum, tempore petitionis, fuisset jam suppressus a Summo Pontifice Clemente IX. uti colligitur ex resolutionibus in dicta Causa editis *die 25. Februarii 1679. & die 23. Augusti 1692.* sed in ea Causa nedum aderat præjudicium Monasterii, hæredis instituti in primo Testamento, cujus bona, & Jura ad Sedem Apostolicam erant devoluta, sed ulterius Papa Religionem supprimendo, Professis permiserat transitum ad aliam Religionem, & quatenus in sæculo permansissent in habitu Clericali, præstationem ex reditibus Monasterii assignaverat.

E contra Sacra hæc eadem Congregatio in quadam Causa *Florentina die 13. Julii 1686.* indulsit Fratri Camillo Lando, Ordinis S. Augustini, ut, accedente consensu Fratrum sui Conventus, renunciare posset juribus, sibi competentibus super quadam Domo, favore sui Fratris germani, & in alia Causa *Limana 27. Junii 1699.* concessit cuidam Moniali, ut de certa quantitate disponeret, cujus dispositionem sibi reservaverat in Testamento, quod fecerat ante Professionem.

Uno verbo, admissa novæ dispositionis rationabilitate, tota quæstio reduci videtur ad præjudicium eorum, qui ex prima dispositione jus acquisiverant, cumque in facti specie, nulla quæstio esse videatur quoad novæ dispositionis rationabilitatem, nec præjudicium in jure activo nominandi ullum adsit, ex quo Consanguinei vocati jam decesserunt, & Pater Rector Collegii suum præstiterit, & præstet assensum, & in eo, quod attinet ad jus passivum quodcumque cesset præjudicium certarum Personarum, cum certæ Personæ non essent in prima dispositione ad illud vocatæ, & in eadem prima dispositione non fuerit expressa Ecclesia, in qua Missæ essent celebrandæ, quasi quod deduci hinc valeat consequentia, licitum esse Professo, seclusa etiam quacumque dispensatione, declarare Testamentum, a se conditum ante emissam Professionem, dummodo declaratio non importet novam dispositionem, putat Soror Maria Teresia Lopez suis precibus annui posse. Quocirca ponderatis relatis circumstantiis, & examinato puncto, an in re, de qua agitur, sufficiat consensus Patris Rectoris, & an pro eodem præstando requiratur beneplacitum Apostolicum; nonnulli etenim volunt illud esse necessarium, etiamsi agatur de quærendis *Donat. in prax. Rev. Regular. tom. 1. tract. 14. quæst. 59.* & alii censent esse necessarium in quæstis, non in quærendis *Tamburin. de jure Abbat. tom. 3. disp. 13. quæst. 9. n. 5.*

Quæritur,

An Oratricis precibus sit annuendum in casu &c.

Sacr. Congr. respondit,

Affirmative prævia renunciatione facienda per P. Præpositum Generalem.

QUÆSTIO XXVIII.

In Causa Romana Suspensionis Oneris, & Reintegrationis Eleemosynæ Missarum, die 7. Maji 1718.

ÆGIDIUS Ursini de Vivariis anno 1647. suum ultimum condidit Testamentum, in quo, post nonnulla relicta Legata, suam Animam instituit hæredem, mandavitque, ut a suis Executoribus Testamentariis fieret bonorum distributio ad usus pios, ita tamen, ut major eorum pars applicaretur fundationi Missarum celebrandarum in Altaribus Privilegiatis.

Pro adimplemento hujusce voluntatis, duo ex Executoribus Testamentariis, tres etenim fuerunt a Testatore nominati, bona hæreditaria inter plures Ecclesias distribuerunt anno 1648. & inter prædictas Ecclesias, elegerunt illam Sancti Pauli in Platea Columnæ, quæ postea fuit translata ad aliam Ecclesiam Sancti Caroli ad Catenarios, & pro dotis assignatione, unicuique Ecclesiæ cesserunt, & assignarunt scuta 1400. pro qualibet Missa quotidiana celebranda, superaddita declaratione, quod in casu cujuscumque evictionis, aut partialis, aut totalis, cessare deberet proportionabiliter onus celebrationis Missarum.

A do-

A dotis assignatione procedendum erat ad ejus effectivam consignationem, adeoque omnes tres Executores Testamentarii, per organum Procuratoris a se deputati, consignarunt Patribus Barnabitis, ad quos Ecclesia Sancti Pauli pertinebat, litteras patentales tredecim Locorum Montium, cum uno tertio Montis Salis tertiæ erectionis, qui reddebant annuum fructum scutorum 60. Patresque onus acceptarunt celebrandi unam Missam quotidianam pro Anima Testatoris, & in Actibus mox recensitis, assignationis videlicet, & correspectivæ acceptationis, nonnullæ conditiones appositæ fuerunt, quod videlicet in casu extractionis locorum Montium, aut extinctionis Montis Salis in totum, vel in parte, pretium reinvestiri deberet in aliis locis Cameralibus, & non vacabilibus, ad creditum hæreditatis Ægidii Ursini, & ad liberam pro Conventu fructuum exactionem, & quod si contingeret ex causa extinctionis, aut extractionis imminutio fructuum, itaut Patres non haberent quolibet anno scuta 60. permissum ipsis esse deberet celebrationem Missarum suspendere, idque toties quoties fructuum contingeret imminutio.

Assignationis tempore fructus locorum Montis Salis erant in scutis *quatuor cum dimidio* pro quolibet loco, & sic juxta calculum, Patres habebant quolibet anno scuta 60. casus autem evenit anno 1656. quod fructus dictorum locorum Montium fuerunt redacti *ad quatuor* pro quolibet loco, & anno 1625. ad tria, itaut propter varias etiam extractiones, diversis aliis temporibus secutas, non habuerint, nec habeant Patres nisi locos undecim, & sexaginta *centesimos* diversorum locorum Camerali um non vacabilium, & in fructu nec habuerint, nec habeant nisi annua scuta *triginta quatuor, & obulos octoginta*, cumque, his minime obstantibus, ab anno 1653. usque ad totum annum 1715. celebrata fuerit semper missa quotidiana, itaut dicti Patres pro toto recensito tempore celebrationis remanserint in damno scutorum 927. re delata ad Sacram Congregationem particularem, deputatam super revisione omnium onerum Missarum Urbis, post demandatam Abbati Brunetto relationem, uti habetur ex rescripto dictæ Congregationis *die* 3. *Februarii* 1716. & post exhibitam a dicto Abbate demandatam relationem, hujus negotii examen ad hanc Sacram Concilii Congregationem remissum fuit, uti colligitur ex alio rescripto die 24. Martii ejusdem anni, sequentibus verbis concepto, *ad Sacram Congregationem Concilii, & Fiscalis Sacræ Visitationis mittet pro dubii propositione.*

Dominus Fiscalis commissum sibi munus strenue adimplevit, & longam pro veritate Scripturam, per manus circumferendam, docte de more exaravit.

In Scriptura autem contendit, celebrationem Missæ quotidianæ pro Anima Ursini de Vivariis esse intermittendam, quousque fructus locorum Montium assignatorum, & extractorum, per eorum continuum investimentum in alios locos Montium ascendant ad annua scuta 60. dicit enim hoc descendere ex claro, & litterali pacto, quod legitur in Instrumento. Contendit ulterius, semper fuisse debitam eleemosynam scutorum 60. sermonem etiam habendo de Missis hucusque celebratis, animadversis pluribus verbis, appositis in Instrumento, quæ perpetuitatem importare videntur. Contendit tandem, ex fructibus locorum Montium esse ante omnia detrahendam favore Patrum, illam pecuniarum summam, quam dicit esse debitam pro reintegratione Missarum celebratarum, quæque in minori summa a Patribus recepta fuit, habita ratione scutorum 60. quæ ipsi pro Missa quotidiana celebranda expresse pepigerunt, & hoc assumptum idem Dominus Fiscalis sic explicat, & moderatur, ut scilicet pecunia debita sit Patribus pro eleemosyna Missarum celebratarum post annum 1676. ut hæc eleemosynæ reintegratio fiat ante omnia, & sic ante fructuum reinvestimenta, & denique, ut hoc interim, & quo ad usque Missa quotidiana non celebratur, Patres commemorationem pii Testatoris faciant quotidie in Sacrificio: Commemoratio hæc etenim consona videtur pietati Christianæ, & cessura est in levamen Animæ Fundatoris; & in eo quod attinet ad reintegrationem ante omnia faciendam, sed solum pro Missis celebratis post annum 1676. subdit idem Dominus Fiscalis, hæc esse consona rationi, tum quia anticipate Missæ fuerunt a Patribus celebratæ, cum celebratæ fuerint quando juxta pactum poterant a celebratione desistere, tum quia modicum tempus elapsum fuit ab anno 1653. quo factum fuit Instrumentum conventionis, ad annum 1656. quo fructus locorum Montium redacti fuerunt ad scuta *quatuor*, & modicum etiam damnum hoc tempore in Patres derivavit, quando e contra, & longum tempus ab anno 1676. ad annum 1715. elapsum est, & magnum fuit, hoc intermedio tempore, damnum, cum hoc intermedio tempore, nedum secutæ sint plures Montium extractiones, sed universalis contigerit fructuum diminutio a quatuor ad tria.

Hæc, & alia plura legi possunt in scriptura Domini Fiscalis, ad quam remissive me habeo, solumque mihi addidisse fas sit, exemplarem esse articulum, an qui Missas celebravit, credens se esse obligatum ad eas celebrandas, quando in veritate non erat obligatus, implorare valeat officium Judicis pro earum eleemosyna obtinenda, sicut enim, qui aliquid solvit pro causa pia, putans se esse obligatum ad solvendum, quando in veritate obligatus non erat, non potest repetere quod solvit, juxta elegantem Ulpiani *textum in L. Cum is, qui* 32. §. *si in ea, ff. de conditione indebiti*, ibi: *si in ea opinione sit Mulier, ut credat se pro dote obligatam, quidquid dotis nomine dederit, non repetit, sublata enim falsa opinione, relinquitur pietatis causa, ex qua solutum repeti non poterit*, ita ex identitate rationis dubitandum videtur, an sit, nec ne prohibitum implorare officium Judicis pro eleemosyna Missarum, quas quis celebravit, putando se esse obligatum, quando obligatus non erat; sublato quippe errore, semper subsistit causa pietatis, quæ si impedit conditionem indebiti, impedire etiam dici valet, ne petenti Judex officium suum impertiatur.

At quidquid sit de his, quæritur

I. *An celebratio Missæ quotidianæ pro Anima quondam Ægidii Ursini de Vivariis, intermittenda sit, quousque fructus Locorum Montium, pro hujusmodi celebratione assignatorum, per eorum continuum investimentum in alia Loca Montium, in totum ascendant ad annua scuta sexaginta in casu &c.*

II. *An pro Missis, hucusque celebratis, annua semper eleemosyna scutorum sexaginta fuerit debita in casu &c. Et quatenus affirmative.*

III. *An ex iisdem fructibus Locorum Montium ante omnia sit detrahenda, & persolvenda tota illa pecuniarum summa, quæ pro reintegratione eleemosynæ Missarum celebratarum, ad istiusmodi annuam rationem sexaginta scutorum hactenus desideratur, in casu &c.*

Ad primum dubium die 21. Maji 1718. fuit responsum *affirmative*, & ad secundum, & tertium *dilata*, eodemque modo responsum fuit ad prædicta postrema duo dubia in Congregatione habita *die* 3. *Decembris anni* 1718. Cumque mihi fuerit demandatum, ut ex Regestis S. Congregationis recognoscerem, an alias fuerit admissa compensatio Missarum in præteritum celebratarum, quando non aderat obligatio celebrandi, cum Missis in posterum ex obligatione celebrandis, quasi quod articulus hic sit maximopere exemplaris, ex quo omnes, qui petunt reductionem Missarum, Missas celebrarunt, quando non erant obligati ad celebrandum, & admissa semel compensatione prædicta, non poterit illa denegari eis, quibus conceditur reductio Missarum, mandatis ea que decet reverentia morem gessi, & in Regestis hæc adnotata adinveni.

In Congregatione habita *die* 5. *Martii* 1689. proposita fuit in folio Causa *Romana Missarum*, in qua cum Deputati Archihospitalis Consolationis de Urbe instarent pro compensatione Missarum in præteritum ultra debitum celebratarum cum Missis deinceps celebrandis, & subscriptum esset dubium, *an locus sit petitæ compensationi*, responsum fuit *negative*, uti habetur *lib.* 39. *Decret. pag.* 92. sed in hac Causa constabat de non applicatione Missarum anticipate celebratarum, ad tramites voluntatis Pii Fundatoris.

In Congregatione habita *die* 2. *Augusti* 1710. proposita fuit in folio Causa, *Romana Reductionis Missarum*, in qua pariter Parochus S. Salvatoris de Curte exoravit pro compensatione, proposito, inter alia dubia, hoc etiam dubio, *an pro Missis in futurum celebrandis ad formam reductionis compensari debeant ad favorem Rectoris Missæ in præteritum ab ipso celebratæ ultra ratam fructuum perceptorum, in casu*, & huic dubio responsum fuit *negative* in Congregatione subsequenter habita *die* 30. *Augusti ejusdem anni*, quod etiam fuit confirmatum in Congregatione habita *die* 14. *Martii* 1711. instante Parocho pro recessu a docilis, uti videri potest *lib.* 60. *Decretor. fol.* 299. *&* *fol.* 332. *&* *lib.* 61. *fol.* 113.

In Congregatione habita *die* 18. *Februarii* 1713. proposita fuit inter Summaria precum instantia Deputatorum Ecclesiæ SS. Ambrosii, & Caroli Nationis Lombardorum de Urbe, supplicantium pro suspensione nonnullorum onerum, pro quorum adimplemento Missæ fuerant anticipate celebratæ, & prævia relatione clar. mem. Cardinalis de Abdua, Sacra Congregatio indulsit suspensionem celebrationis Missarum usquequo æquaretur numerus Missarum anticipate celebratarum, uti videri potest *lib.* 63. *Decret. pag.* 76.

In Congregatione habita *die* 31. *Julii* 1717. proposita fuit in folio Causa, *Romana Missarum*, & cum instantibus Patribus Augustinianis Excalceatis, propositum fuisset inter alia dubia hoc dubium, *an, & quomodo sit locus suspensioni celebrationis Missarum, donec compensetur numerus Missarum excessive celebratarum, in casu*, prævia relatione Eminentissimi Cardinalis Ruffi, responsum fuit *affirmative, juxta ejusdem votum.*

His stantibus, die 6. Maii 1719. proposito iterum quæsito, prædicta dubia remanserunt adhuc indecisa, & a Sacr. Congr. rescriptum fuit *Iterum proponatur.*

Porro licet in foliis memoratarum Congregationum, Causæ totius factum fuerit expositum, indicare tamen in proposito opportunum existimamus.

Primo, quod in executionem ultimæ voluntatis Ægidii Ursini de Vivariis, fuerunt ab Executoribus Testamentariis per organum Procuratoris ab ipsis deputati, consignatæ Patribus Barnabitis litteræ patentales tredecim locorum Montium, cum uno tertio Montis Salis tertiæ erectionis, qui reddebant annuum fructum scutorum 60. onere imposito, & a Patribus acceptato celebrandi unam Missam quotidianam.

Secundo, quod in Instrumento assignationis conventum fuit, quod in casu extractionis locorum Montium assignatorum, sive totaliter, sive partialiter, pretium investiri deberet in aliis locis Cameralibus non vacabilibus, itaut fructus reinvestimenti quotannis ascendant ad annua scuta 60. monetæ, cum additione, quod si pretium exigendum a locis Montium extractis, vel extinctis, non sufficeret pro habenda annua quantitate scutorum 60. *tunc liceat dictæ Venerabili Ecclesiæ Conventui, & Patribus cum fructibus decurrendis eorundem locorum Montium subrogare in locum extractorum tot alia loca Montium, quæ sufficiant pro supplemento dictorum annuorum scutorum* 60. *monetæ, & interim suspendere celebrationem Missarum, idque fieri possit, & debeat, toties quoties casus extractionis, aut extinctionis hujusmodi evenerit, ac etiamsi forte fructus dictorum locorum Montium, qui hodie reddunt annua scuta quatuor cum dimidio monetæ pro quolibet, ad minorem reditum reducantur, quia dictæ partes intendunt, & volunt, quod semper, & perpetuo annuus reditus pro stipendio Missæ prædictæ manuteneatur ad dicta scuta* 60. *monetæ.*

Tertio, quod assignatio locorum Montium facta fuit anno 1653. & quod anno 1656. fructus locorum Montium reductionem passi sunt a quatuor cum dimidio ad quatuor pro quolibet loco, & quod aliæ diminutiones, & extractiones sequentibus temporibus contigerunt, ita ut licet datus fuerit casus, quod Patres non habuerint annua scuta 60. sed tantum annua scuta 34. & obulos 80. nihilominus continuaverint in celebratione Missæ quotidianæ usque ad annum 1715.

Quarto tandem, & ultimo, quod Patrum præsens prætensio in hoc sita est, quod antequam celebrationem Missæ quotidianæ reassumant pro Anima Ægidii Ursini, quam reassumere nolunt, nisi eleemosyna ascendat ad annua scuta 60. uti fuit resolutum ab hac Sacra Congregatione in responsione ad dubium supra recensitum, volunt, quod ex fructibus locorum Montium sibi persolvatur tota illa pecuniarum summa, quæ deficit ad rationem scutorum 60. annuorum pro Missis in præteritum celebratis.

Fiscalis Visitationis Apostolicæ, qui nunc est Episcopus Minerbinensis, scripsit pro veritate super hoc articulo, & sensit Patres bonum jus fovere, & sic ante omnia ipsis esse debitam reintegrationem, sed pro Missis celebratis ab anno 1676. ad annum 1715. non autem pro Missis celebratis ab anno 1653. ad annum 1656. ex quo modicum fuit damnum, quod hoc parvo tempore Patres passi sunt, & potissimum pro hoc asserto fundamentum repositum fuit in hoc, quod incongruum videbatur, ut Patres, qui Missas celebrarunt, tempore quo ab earum celebratione poterant abstinere, conventa careant eleemosyna, & multo magis, quia verisimile ipsi admodum videbatur, quod Patres quando Missas celebrarunt, notitiam non habuerint pacti, ad cujus tramites poterant a celebratione abstinere, attento videlicet magno lapsu temporis ab anno 1653. ad annum 1676. quo rationabiliter fieri potuisset suspensio Missarum, & animadverso ulterius, quod onus perpetuum Missæ fuerat in Tabella descriptum absque ulla adnotatione, vel indicatione pacti.

Scripsit ad opportunitatem præsens Fiscalis Visitationis Apostolicæ, idemque probare conatus est, Patres malum jus fovere, tum quia de Jure, quando quis non obstante taxatione congrui stipendii pro Missis celebrandis incongruam acceptavit eleemosynam, non potest Missarum numerum minuere, non potest compensare cum Missis in posterum celebrandis, nec potest ulterius stipendium postulare; tum quia pactum in Instrumento appositum suspendendi celebrationem Missarum, usquequo completa esset annua summa scutorum 60. fuit mere facultativum, & non obligatorium, hinc inferendo, quod si Patres loco suspensionis Missarum, continuare voluerunt in earum celebratione, & sic hanc viam elegerunt, nequeant ipsi ad aliam modo viam convolare, & instare pro reintegratione summæ, quæ defecit; & eo fortius quia per totum fere tempus, quo contigit fructuum imminutio, fuit ab eis pro Missis celebratis recepta eleemosyna ultra manualem, quo stante, sustinet verisimile admodum esse, quod Patres bene sciverint pactum, sed eodem uti noluerint, ne præsentanea commoditate eleemosynarum, quibus indigebant, carerent.

Scripsit in hac eadem Causa pro veritate D. Advocatus Corazza, idemque fuit in sensu intentioni Patrum contrario. Tam Scriptura Fiscalis, quam D. Advocati circumferetur.

Adeoque quæritur

I. *An pro Missis hucusque celebratis annua semper eleemosyna scutorum* 60. *debita fuerit in casu, & quatenus affirmative.*

II. *An ex eisdem fructibus locorum Montium ante omnia sit detrahenda, & persolvenda tota illa pecuniarum summa, quæ pro reintegratione eleemosynæ Missarum celebratarum ad hujusmodi annuam rationem* 60. *sc. hactenus desideratur in casu &c.*

Ad prædicta dubia, in quibus per quatuor & amplius vices propter æqualem suffragiorum scissuram nunquam fuit capta resolutio

Sacr. Congregatio tandem die 17. Jan. 1722. respondit,

Ad mentem quod committatur negotium Eminentissimo Profecto.

QUÆSTIO XXIX.

In Causa Elboren. Declarationis Indulti, die 21. *Maii* 1718.

FUIT a Sanctissimo Domino Nostro per suas litteras, expeditas in forma Brevis, concessum Hospitali Spiritus Sancti Civitatis Elborensis, Indultum, quod omnia Legata pia in Civitate, & Diœcesi Elborensi a Testatoribus relicta, & in posterum relinquenda, quæ intra tempus, pro executione præfixum, non fuerunt executioni demandata, eidem Hospitali applicata conferentur, dummodo tamen Legata pia non fuissent certis personis relicta.

Priores, & Beneficiati Parochialium Ecclesiarum Civitatis, & Diœcesis Elborensis in supplici libello, Sanctissimo Domino Nostro exhibito, exposuerunt, se ab Administratoribus Hospitalis indebite vexari, sub obtentu præcitati Indulti, dixerunt enim se cogi ad faciendam in fine anni quamdam fidem de numero Missarum non satisfactarum, remissoque examine precum ad hanc Sacram Congregationem, fuit de more scriptum, pro informatione Ordinario Elborensi.

Retulit Ordinarius, se instantiam Parochorum, & Beneficiatorum communicasse Administratoribus Hospitalis, nec rationes subsistentes, & validas ab illis audivisse, quæ ad negotium facere possent, & post plura conclusit, quod Indultum Sanctissimi Domini Nostri declaratione indigebat, & signanter, an sub illo comprehensæ dici possent eleemosynæ a Testatoribus relictæ, vel designatæ pro celebratione Missarum, & an eo ipso, quod eleemosynæ non solvuntur intra tempus designatum ad opera pia peragenda, impetrantes censendi sint privati actione ad easdem petendas, uti fusius ex ejus relatione desumi valet.

Delata ad Sacram hanc Congregationem memorata informatione, transmissisque foliis rationum allegatarum ab Administratoribus Hospitalis, cum animadversum fuerit, in illis impugnari hujus Sagræ Congregationis jurisdictionem, quasi quod ipsa non posset moderari, aut declarare Indultum a Summo Pontifice concessum, a Prioribus & Beneficiatis Ecclesiarum Parochialium iterum supplicatum fuit Sanctitati Suæ pro concessione omnium facultatum necessariarum, & opportunarum, & supplicatione ad hanc Sacram Congregationem remissa, causa inter prædictos Priores, & Beneficiatos, & Administratores Hospitalis proponitur super declaratione Indulti.

Contendunt Priores, & Beneficiati, quod in Indulto non comprehendantur Legata Missarum tam perpetuarum, quam Manualium, licet illud conceptum sit per hæc verba, Le-

ba, *Legata pia relicta, & relinquenda;* Tum quia Legata Missarum sunt speciali nota digna, tum quia Legata, & onera Missarum, ut plurimum a Testatoribus relinquuntur certis Ecclesiis, & certis Altaribus, itaut certis quodammodo locis relicta dicenda sint, seu certis Personis, & tandem quia speciales in oneribus Missarum adsunt Pontificiæ Constitutiones; quoad Missas etenim non adimpletas, facultates Reverendæ Fabricæ sibi vindicant locum, & quoad earum reductionem in futurum urgent Decreta san. mem. Urbani Octavi, & Innocentii XII. necnon facultates hujus Sagræ Congregationis.

Contendunt ulterius Priores, & Beneficiati, quod ultra terminum a Testatoribus designatum, pro executione piorum operum a se relictorum, præfigendus sit hæredibus, vel Executoribus Testamentariis alius novus terminus, antequam Legata pia non adimpleta applicentur Hospitali; præter etenim possibilitatem, quod ab hæredibus, & Executoribus Testamentariis aliqua legitima causa afferatur pro mora excusanda, uti ponderat Scribens pro Prioribus, & Beneficiatis, urget exemplum ejus, qui sub juramento promisit solvere quolibet anno partem sui debiti, quam unica vice solvere debuisset, si etenim uno omittat anno solutionem partis conventæ, jus disponit, ut pro tota summa agi valeat a Creditore, *Textus in L. si quis major C. de Transactionibus*, & tamen, non obstante hac litterali juris dispositione, agi nequit pro tota summa, nisi Creditor plene probet, Debitorem fuisse in dolo juxta *Decis.* 583. *num.* 3. *par.* 1. *divers. & decis.* 1059. *& decis.* 1136. *coram Seraphino.*

Contendunt denique Priores, & Beneficiati Indultum esse restringendum ad terminum annorum triginta, excipienda esse etiam ab Indulto Legata relicta certis locis, necnon Legata, pro quibus aut obtentæ fuerunt, aut obtinebuntur compositiones a Reverenda Fabrica Sancti Petri; item petunt, quod inhibeatur quæcumque condonatio, nec non quæcumque compositio cum debitoribus Legatorum, & tandem, ut executio Indulti soli committatur Episcopo.

His stantibus, quæritur

I. *An Legata Missarum tam perpetuarum, quam manualium comprehendantur in Indulto, seu Brevi, de quo agitur, in casu &c.*

II. *An, & qui terminus, ultra designatum a Testatoribus, sit præfigendus Hæredibus, aut Executoribus Testamentariis, antequam Legata pia non adimpleta applicentur Hospitali Expositorum Elboræ, in casu &c.*

III. *An, & quomodo sit consulendum Sanctissimo Domino Nostro pro moderatione Brevis, seu Indulti, de quo agitur, in casu &c.*

Tunc autem nulla fuit capta resolutio, sed fuit rescriptum, *quod audiventur Ministri Reverendæ Fabricæ*, adeoque repropositа Causa in Congregatione habita die 3. Septembris 1718. fuerunt disputata dubia, quæ sequuntur.

I. *An Legata Missarum, tam perpetuarum, quam manualium comprehendantur in Indulto, seu Brevi, de quo agitur in casu*; & huic dubio responsum fuit *dilata.*

II. Fuit propositum sequens dubium, *an, & qui terminus, ultra designatum a Testatoribus, sit præfigendus hæredibus, aut Executoribus Testamentariis, antequam Legata pia non adimpleta applicentur Hospitali expositorum Elboræ, in casu &c.* & huic dubio fuit responsum, *esse assignandum terminum trium annorum decurrendorum a die, quo Hospitale interpellaverit hæredes pro adimplemento in Curia Episcopali.*

III. Fuit disputatum sequens dubium, *an, & quomodo sit consulendum Sanctissimo Domino Nostro pro moderatione Brevis, seu Indulti, de quo agitur in casu*, & huic dubio fuit responsum, *ad tertium, Breve non comprehendere Legata pia relicta certis personis, & locis, nec minus Legata, pro quibus obtentæ fuerunt, aut obtinebuntur compositiones a Reverenda Fabrica Sancti Petri. Exprimatur etiam Hospitale non posse facere vigore Brevis compositiones seu condonationes cum debitoribus, & quod Brevis executio ad solum Episcopum pertinere debeat.*

Causa hac pro tertia vice repropositа die 17. Decembr. 1718. quæsitum fuit,

I. *An Legata Missarum, tam perpetuarum, quam manualium comprehendantur in Indulto, seu Brevi, de quo agitur in casu.*

II. *An sit standum vel recedendum a decisis quoad secundum, & tertium.*

Sacr. Congr. die 21. Jan. 1719. respondit,

Ad 1. *affirmative, & ad mentem. Ad* 2. *in decisis, dempta tamen interpellatione facienda, & quoad* 3. *standum in decisis, non adempta Episcopis facultate exequendi etiam per suos delegatos.*

QUÆSTIO XXX.

In Causa Romana, die 21. *Maii* 1718.

GUILLIELMUS Melfort, qui obtinet Archipresbyteratum in Collegiata Ecclesia Sancti Eustachii, debet ex causa dicti Beneficii ad Sacros Ordines ascendere, sed nonnullis indiget dispensationibus, ut ex sequenti facti serie desumitur.

Gullielmus origine Scotus Londini natus est anno 1686. ex Genitoribus conspicuæ, & nobilissimæ familiæ, sed hæresis labe infectis, qui tamen hæresim abjurarunt, & Catholicam Religionem fubinde amplexi sunt, dum ipse erat in ætate annorum duorum, & postquam ab Administro Ecclesiæ Anglicanæ Baptismum receperat.

Tempore quo gloriosæ memoriæ Jacobus Secundus Angliæ Rex e Regno fuit expulsus, ipse cum suis Genitoribus Gallias, & deinde Flandriam petiit, & in Universitate Duacensi suorum studiorum cursum explevit, & ab Episcopo Attrebatensi Confirmationis Sacramentum suscepit, & post hæc, cum Gallias reversus fuisset, fuit ab Episcopo Nivernensi ad primam Tonsuram, & ad quatuor Ordines Minores promotus. Duobus ab hinc annis Romam venit, & a Sanctissimo Domino Nostro dictum Archipresbyteratum Sancti Eustachii obtinuit.

In hoc itaque rerum statu, primo videndum est, an Orator sit irregularis propter Baptismum ab Hæretico receptum. Porro ab Hæreticis baptizati sunt irregulares: Textus *in Can. Ventum est in fine prima quæst. prima*, & sola difficultas in hoc consistit, utrum hæc irregularitas incurratur ab eo, qui in adulta ætate fuit ab hæretico baptizatus.

Pro irregularitate contrahenda etiam ab Infante, facit Textus *in Can. qui qualibet prima quæst.* 7., & hanc opinionem tuetur *Majol. de irregularitate lib.* 3. *cap.* 12.; pro irregularitate vero contrahenda solum ab illo, qui in adulta ætate baptizatur, facit Textus *in Can. placuit, & in Can. qui apud Donatistas prima quæst.* 4. & hanc opinionem tuetur Glossa *in Can. qui in qualibet in verbo Baptizati prima quæst.* 7., & fuse prosequitur Suarez *de Censuris disput.* 42. *sect. prima*, ubi docet, crimen esse fundamentum hujus irregularitatis, & crimen consistere in voluntaria susceptione Baptismi ab hæretico.

Rursus cum Orator natus sit ex Parentibus hæreticis, inquirendum est, an ex hoc capite irregularitatem incurrerit. Juxta veriorem sententiam, hæreticorum filii sunt irregulares: Textus *in cap. quicumque* 2. §. *hæretici, & in cap. statutum* 15. *de hæreticis in* 6. Cum autem Parentes Oratoris Catholicam fidem amplexi sint, operæ pretium est examinare, an propter hanc circumstantiam, nulla dici valeat ab ipso irregularitas incursa; Doctores etenim hanc statuere videntur differentiam inter hæreticum, & hæretici filium, quod hæreticus, hæresi etiam abjurata, remanet irregularis, juxta Textum *in Can. Presbyter de pœnitentia dist.* 5. e contra vero hæretici filius non est irregularis, si Parentes Catholicam fidem amplexi sint, uti docet Suarez *in allegato Tractatu de Censuris disp.* 43. *sect.* 3. & sequitur *Cardinalis Albitius de inconstantia in fide cap.* 24. *num.* 75. *&* 76. & est de mente hujus Sacræ Congregationis, uti colligitur ex ejusdem epistola anni 1591. *Epistolarum lib.* 7. *pag.* 277. *a tergo.*

Orator quoque fuit, uti diximus, prima Tonsura, & quatuor Minoribus Ordinibus ab Episcopo Nivernensi initiatus; cumque in hac Ordinatione non adfuerint litteræ dimissoriales sui Ordinarii, examinandum est, an remanserit suspensus ab executione Ordinum susceptorum, quamdiu proprio Ordinario videbitur expedire, juxta Concilium Tridentinum *sess.* 23. *cap.* 8. *de Reformatione*; absque eo quod suffragari possit ratio Domicilii per Oratorem in Galliis contracti, quia non sunt probata requisita Domicilii ad effectum Ordines suscipiendi ad tramites Bullæ, *Speculatores* §. *subditus, quæ est la quaranta quattro in Bull. parvo san. mem. Innocentii XII.*

Tandem cum debeat Orator ad Sacros Ordines ascendere, & sit arctatus ab Archipresbyteratu, quem obtinet, testimoniales non exhibet litteras eorum Ordinariorum, in quorum Diœcesibus tanto tempore moram traxit, ut aliquo potuerit impedimento canonico irretiri, ut in citata Bulla præscribitur; cumque ipse paratus sit vitam, & mores, necnon Baptismum, & Confirmationem probare per Testes fide dignos, videndum est, an id admitti valeat.

Exemplo ejus, quod passim practicatur in Tribunali Sanctissimæ Inquisitionis, in quo concurrente morali impossibilitate probandi libertatem Status quoad aliquos, qui volunt Matrimonio copulari, admittitur libertatis probatio per Testes, & per juramentum ejus, qui vult Matrimonium contrahere, intimata pœnarum comminatione adversus Polygamos.

Omnia itaque in unum colligendo, quæritur

I. *An Orator sit irregularis, ex quo Baptismum ab Hæretico recepit.*

II. *An irregularis sit, ex quo natus est a Parentibus hæreticis, & quatenus affirmative.*

III. *An ei sit indulgenda dispensatio.*

IV. *An remanserit suspensus a susceptorum Ordinum executione, ex quo eos recepit sine dimissoriis proprii Episcopi, & quatenus affirmative.*

V. *An hæc suspensionis pœna de medio tollenda sit per Apostolicam dispensationem, non obstante quod sui Ordinarii consensus deficiat.*

VI. *An probatio de Vita, & moribus, necnon Baptismi, & Confirmationis fieri possit per Testes, deficientibus Litteris Testimonialibus Ordinariorum, juxta præscripta in Bulla* Speculatores.

Sacr. Congr. respondit,

Ad Primum, & Secundum negative. Ad Tertium satis provisum. Ad Quartum, & Quintum affirmative. Ad Sextum dilata, & ad mentem.

QUÆSTIO XXXI.

In Causa Romana die 21. *Maii* 1718.

CLARÆ Memoriæ Cardinalis Corradus in suo Testamento facto die 7. Januarii anni 1666. sic disposuit.

Amplius dispono, quod instituantur a prædictis Eminentiss. Dominis meis hujus Testamenti Executoribus duæ Cappellaniæ cum onere singulis Sacerdotibus, qui illas pro tempore obtinebunt, celebrandi per se ipsos Missam quotidianam, altera scilicet in dicta Ecclesia Sanctæ Mariæ Transpontem pro suffragio Animæ meæ, altera vero in Ecclesia Sancti Gregorii pro suffragio Animarum Patris, Matris, Fratris, atque Attinentium, & Benefactorum, ac Familiarium meorum hoc ordine, videlicet die Lunæ pro Anima Patris mei, die Martis pro Anima Matris meæ, die Mercurii pro Anima Fratris mei, die Jovis pro Animabus Benefactorum, die Veneris pro Animabus Attinentium, & die Sabbati pro Animabus Familiarium nostrorum, atque iste Ordo successive in perpetuum servetur.

Cappellania fundata in Ecclesia Sancti Gregorii, tribus ab hinc annis, translata fuit ad Ecclesiam Sanctorum Fabiani, & Sebastiani extra mœnia Urbis, Apostolica auctoritate intercedente; cumque Abbas, & Monachi dictæ Ecclesiæ, ordine, quo supra, Missas fecerint celebrare, sed prætermiserint celebrationem die Dominico, dubitare incœperunt, an adæquate, & integre satisfecerint oneri annexo dictæ Cappellaniæ, habitoque recursu ad hanc Sacram Congregationem, rescriptum fuit *Eminentissimo Protectori, qui dignetur Sacram Congregationem Concilii instructam reddere, & votum aperire.*

Eminentissimus Protector in sua informatione sensit, Monachos esse obligatos ad celebrationem Missæ etiam die Dominico, motus ex verbis Fundationis, & signanter ex his, quæ sequuntur, *cum onere singulis Sacerdotibus qui illas pro tempore obtinebunt, celebrandi per se ipsos Missam quotidianam.* Quoad punctum vero, an die Dominico Monachi sint obligati ad Missæ applicationem, idem Eminentissimus Protector, docte de more, hinc inde deductis rationibus, dixit, articulum esse dubium, & quia Monachi in præteritum Missam die Dominico non celebraverant, & idcirco instabant pro absolutione, idem Eminentissimus Protector conclusit, quod in omnem casum Monachi absolvi possent cum aliqua tenui compositione præscribenda, vel ab hac Sacra Congregatione, vel ab altera Fabricæ Sancti Petri.

Ex his, quæ hucusque dicta sunt, satis aperte desumitur, difficultatem consistere in hoc, an Monachi teneantur Missam die Dominico applicare.

Pro applicatione facit primo, quod versamur in Missa quotidie celebranda ex dispositione hominis, in quo rerum statu urget propositio, quod obligatus ad celebrandum, obligatus etiam censetur ad applicandum pro Fundatore, licet in Fundatione nulla facta sit mentio applicationis, juxta antiquam resolutionem hujus Sacr. Congregationis in *Tinen. applicationis Sacrificii* 18. *Augusti* 1668. cum aliis resolutionibus concordantibus laudatam in folio Congregationis a me distributo *pro die* 12. *Februarii hujus ejusdem anni* 1718. *in Causa Ferrarien. applicationis Missarum.*

Facit secundo pro applicatione, quod licet pius Fundator quamlibet hebdomadæ diem expresserit, designando applicationem, & eandem applicationem non designaverit pro Missa celebranda die Dominico, hinc tamen non infertur, quod dicta die voluerit relinquere liberam Sacrificii applicationem, sed potius sibi vindicat locum præsumptio, quod singulis hebdomadæ diebus voluerit pro singulis in particulari applicationem Sacrificii, & die Dominico eandem voluerit applicationem pro omnibus in communi.

Tum quia pius Testator in eodem Testamento, in eadem oratione, & cum eadem dote alteram Cappellaniam fundavit, & cum quoad hanc nulla sit difficultas, immo clarum sit quotidianam voluisse Missæ applicationem, idem judicium erit etiam ferendum in ordine ad Cappellaniam, de qua nunc agitur.

Tum quia Monachi Sancti Gregorii, in quorum Ecclesia fuit præsens Cappellania fundata, Missam applicarunt etiam die Dominico; in eorum etenim libris adnotata est a Cappellano celebrante celebratio, nedum aliis diebus, sed etiam die Dominico. Uniformis hæc autem adnotatio domonstrat, applicationem non solum aliis diebus, sed etiam die Dominico factam fuisse, & ab hac uniformi adnotatione oritur observantia, quæ viam aperit interpretationi voluntatis pii Fundatoris.

Facit tertio pro applicatione, quod Ecclesia Sancti Gregorii, in qua fuit, uti diximus, Cappellania fundata, Missis abundat, nedum diebus ferialibus, sed etiam die Dominico. Dici ergo nequit, quod Testator die Dominico voluerit simplicem Missæ celebrationem pro majori cultu Ecclesiæ, & pro majori commoditate Populi, ad eam accedentis: Et cessante hoc respectu, cessat ratio, propter quam fuit alias ab hac Sacra Congregatione determinatum, quod Cappellanus, qui tenebatur celebrare, non tenebatur applicare, juxta resolutiones in citato folio allegatas.

E contra adversus applicationem Missæ die Dominico faciunt ea, quæ sequuntur. Cardinalis Fundator geminas Cappellanias instituit, alteram in Ecclesia Sanctæ Mariæ Transpontem, cum celebratione Missæ quotidianæ pro suffragio Animæ suæ, alteram in Ecclesia Sancti Gregorii, enumeratis diebus, & personis, pro quibus erat applicanda Missa, & omisso die Dominico, in quo de applicatione locutus non est. Dici ergo nequit, quod voluerit pro anima sua applicationem die Dominico, cum animæ suæ consuluerit per applicationem Missæ quotidianæ ab alio Cappellano in alia Ecclesia celebrandæ. Similique ratione dici non potest, quod die Dominico voluerit applicationem in communi, pro omnibus illis pro quibus demandaverat applicationem in particulari, aliis diebus per ipsum designatis, urgente nedum discretiva inter diem Dominicum, & alios dies, sed etiam taxativa pro aliis diebus, & non pro die Dominico, in quo rerum statu, durum videtur, quod Missa die Dominico sit ex præcepto Fundatoris applicanda.

Additur, quod disputato in hac Sacra Congregatione dubio, an esset die Sabbati Missa applicanda, in hypothesi, in qua Fundatrix demandaverat applicationem aliis hebdomadæ diebus, & applicationem non demandaverat die Sabbati, sed simplicem in illo celebrationem, responsum fuit *negative*, uti desumitur ex folio Congregationis habitæ die 1. Decembris 1714. pro Causa Romana Reductionis, & applicationis Missarum, & ex alio folio pro Congregatione die 15. Decembris 1714. *lib.* 64. *Decretorum.*

His præmissis, quæritur

I. An Monachi ratione dictæ Cappellaniæ teneantur ad celebrationem Missæ die Dominico in casu &c. & quatenus affirmative.

II. An teneantur ad ejusdem Missæ applicationem, & quatenus affirmative.

III. An quoad præteritum sint absolvendi.

Sacra Congregatio decisionem distulit ad aliam diem.

QUÆSTIO XXXII.

In Causa Civitatis Castellanæ, die 21. *Maii* 1718.

JACOBUS Paradisi Sacerdos, & Canonicus Cathedralis Ecclesiæ Civitatis Castellanæ fuit a suo Ordinario suspensus a celebratione Missæ, propter morbum paralyticum, quo laborat, eodemque supplicante pro facultate celebrandi Missam cum assistentia Sacerdotis, fuerunt, juxta morem, preces remissæ ad eumdem Ordinarium pro informatione, & Voto, & ipse retulit, sibi ex Testimonio plurium Sacerdotum, & Clericorum fide dignorum constare, quod post absolutam a Jacobo paralytico Missam, fuerunt adinventæ in Corporali particulæ Ho-

ſtiæ conſecratæ; & quod aliquæ ex Calice Sanguinis guttæ ceciderunt, dum Miſſa ab eodem celebrabatur, propter manuum tremorem, quo laborat. De hoc poſtremo facto Epiſcopus dicit, ſe eſſe informatum ex Proceſſu a ſe confecto, neque ſe exiſtimare, quod adjutorium alterius Sacerdotis operari valeat, ne in Miſſæ celebratione a Canonico peragenda, ſequi poſſint ea, quæ ſupra fuerunt enarrata.

De juſtitia ſuſpenſionis, nulla videtur eſſe poſſe difficultas: Sacerdos etenim, qui tremulas habet manus, propter periculum ſubverſionis Sanguinis, ſuſpenditur ab Ordinis Sacerdotalis adminiſtratione, juxta Doctrinam *Speculi in Cap. ſi forte num. 5. de elect. in 6.* itaut hic, & nunc tantum quærendum ſit, an Miſſæ celebratio illi permitti valeat cum alterius Sacerdotis aſſiſtentia.

Pro negativa opinione facit *Gloſ. in Can. communiter, in verbo de iis diſt.* 33., quæ alterius Sacerdotis aſſiſtentiam admittit in Sacerdote epileptico, qui raro tamen in terram labatur, nonniſi quia ſi accidat Paroxiſmus, Sacrificium, quod ab eo inceptum eſt, perfici valet ab Aſſiſtente, quæ ratio non videtur applicabilis Caſui Sacerdotis Paralytici.

Pro affirmativa vero opinione facit Textus Concilii Toletani, relatus in *Can. illud 7. quæſt.* 1., qui aſſiſtentiam Sacerdotis generaliter admittit, quando agitur de infirmo Sacerdote celebrante, non attentis poſtremis verbis, in quibus dicitur, non admitti Sacerdotem adjutorem, quando frequens, & continuus eſt morbus celebrantis: hæc etenim poſtrema verba non ſunt verba Concilii, ſed Gratiani, quæque conſequenter vim Textus habere non poſſunt, juxta communem ſenſum Eruditorum etiam in Tribunalibus admiſſum, uti videri poteſt *in deciſ. 377. Peniæ num. 32. & ſequen. Venetæ impreſſionis*.

Additur, quod adhibito Calice majoris ponderis, & firmato Celebrantis brachio per brachium Aſſiſtentis, non videtur amplius adeſſe poſſe periculum effuſionis. Simileque eſt illud, quod habetur in Conceſſione facta Celebrationis Miſſæ anno 1706. in Navibus Hiſpanorum, & in Triremibus Claſſis Pontificiæ pro anno 1716. per litteras Apoſtolicas in forma Brevis; legitur enim in illis hæc Clauſula; *dummodo celebratio Miſſæ eo dumtaxat tempore, quo mare tranquillum, & cœlum ſerenum reperiatur, & cum aſſiſtentia alterius Sacerdotis, ſeu Diaconi fiat, itaut periculum effuſionis Sanguinis, in dicta celebratione minime adſit*.

Quæritur itaque

An Oratoris precibus ſit annuendum in Caſu.

Sacr. Congr. reſpondit,
Negative.

QUÆSTIO XXXIII.

In Cauſa Papienſi, die 21. Maii 1718.

N. N. dum erat conſtitutus in decimo quinto ſuæ ætatis anno, & dum cum alio juvene ludebat, eum parvo cultro percuſſit, & percuſſus, ſeu vulneratus, intra quadraginta dies, & ex cauſa vulneris mortuus eſt. Delictum non fuit notorium, nec unquam deductum fuit ad forum contentioſum, & moraliter eſt impoſſibile, ut modo ad forum contentioſum deducatur, tum quia omnes Propinqui illius, qui occiſus eſt, nunc mortui ſunt, tum quia elapſi jam ſunt anni decem & octo; cumque dictus N. N. velit Sacris Ordinibus initiari, & ad Sacerdotium aſcendere, & habuerit recurſum ad Eminentiſs. Ordinarium pro obtinenda ab illo diſpenſatione ſuper commiſſo homicidio, non intendit Eminentiſs. Ordinarius aliquid agere, niſi audito ſenſu hujus Sacræ Congregationis.

Clara eſt lex Sacri Concilii Tridentini *ſeſſ. 24. de Reformat. cap. 6.* in qua dicitur licere Epiſcopis diſpenſare in omnibus irregularitatibus, & in omnibus ſuſpenſionibus ex delicto occulto provenientibus, excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis aliis deductis ad forum contentioſum; quæ diſpenſatio tamen prodeſt in foro conſcientiæ; quo circa cum verſemur in homicidio, & in facto expoſito ſupponatur, illud fuiſſe, & eſſe occultum, nec unquam deductum fuiſſe ad forum contentioſum, & hic, & nunc moraliter eſſe impoſſibile, ut ad dictum forum deducatur, totus difficultatis punctus erit in hoc conſtituendus, an in caſu & ad effectum de quo agitur, homicidium dici valeat voluntarium.

Adverſus qualitatem homicidii voluntarii facit, quod in pluribus mors non ſequitur ex vulnere, per parvum cultrum illato, juxta Doctrinam *Cajetani in Comment. ad 2. 2. Divi Thomæ quæſt. 64. art. 8. ad tertium*, *Homicidium non inter caſualia, ſed voluntaria computandum videtur, quoniam in promptu ratio eſt, ut actus ipſe occiſio ſit, quoniam talis actus in pluribus natus eſt facere abortum, caſuale autem eſt, ut in paucioribus*.

Pro qualitate vero homicidii voluntarii, & ſignanter ad effectum de quo agitur, facit, quod homicidium voluntarium eſt non ſolum quando occidens explicite vult occidere, ſed etiam quando ejus voluntas tendit in eum actum, ex quo de per ſe, ac immediate mors ſequitur, non per accidens, uti contingit in eo, qui alium percutit, volens ei injuriam irrogare, ſed non occidere, ſi enim ex percuſſione mors ſequatur, dicitur homicida voluntarius, cum voluntas percutientis feratur in percuſſionem, & in omne id, quod immediate, & per ſe, non per accidens ex eo fuerit ſecutum; & ſic in homicidium ex percuſſione per ſe, & immediate ſecutum, uti probat Textus *in cap. ult. de homicidio in 6.* & late exornat *Covar. in comment. ad Clementinam ſi furioſus de homicidio par. 2. ſub num. primo*, ubi etiam §. *primo ſub num.* 2. obſervat, quod habens facultatem diſpenſandi in homicidio caſuali, & non in voluntario, non poteſt in dicto homicidio taliter commiſſo diſpenſare.

His autem ſtantibus, quæritur,

An Ordinarius diſpenſare valeat in irregularitate ex homicidio contracta in caſu, & ad effectum, de quo agitur.

Sacr. Congr. reſpondit
Negative.

QUÆSTIO XXXIV.

In Cauſa Bononienſi, die 21. Maii 1718.

EX teſtamento perituræ numquam memoriæ Cardinalis Ægidii Albornozzi Bononiæ, & totius Italiæ de Latere Legati, inſtitutum fuit in Civitate Bononiæ celeberrimum Sancti Clementis Collegium pro Nobilibus Hiſpanis, quod nomen habet Collegii Majoris, cum fuerit norma aliorum ſubinde Collegiorum, quæ in Hiſpaniis erecta fuerunt, ut pluribus refert *Antonius Maſinius Rerum Bononienſium Scriptor accuratiſſimus pag.* 529.

Ad hoc Hiſpanorum Collegium, cujus fundatio fuit etiam roborata auctoritate Apoſtolica, nonnullæ Hiſpaniarum Eccleſiæ, & illi de Domo Fundatoris jus habent nominandi certum numerum Scholaſticorum, qui Theologiæ, vel Juris Canonici Profeſſores ſaltem Baccalaureatus titulum in una, vel altera facultate obtinuerint, uti legitur *in Statuto Collegii nono, & decimo diſt.* 2. & quilibet nominatus coram Ordinario Loci probare tenetur puritatem ſuæ Originis, abſque ulla macula Maurorum, Judæorum, vel Hæreticorum, & alia quædam requiſita, quæ ſunt deſcripta in fine Statutorum *ſub verſiculo ſequitur forma communis*, & hæc probatio fieri debet per teſtes Catholicos, & omni exceptione majores, qui ſint ad minus quinque, & deinde per alios tres teſtes legalitatem teſtium examinatorum comprobantes.

Primis hiſce probationibus compilatis, eadem in forma authentica, una cum litteris nominationis a nominato exhibentur Rectori, & Collegii Collegialibus, qui ipſum in Collegium admittunt, poſtquam recognoverunt omnia fuiſſe rite, & recte peracta.

Quia vero hæc prima probatio eſſe poteſt errori, & deceptioni obnoxia, hac de cauſa, in Collegii Statutis per Summos Pontifices approbatis, nova & diſtincta præſcribitur forma ad ſecundum examen deveniendi; a toto ſiquidem Collegio per ſecreta ſuffragia, unus ex Collegialibus eligitur, qui jam peractis ſecundis probationibus de aliquo Beneficio proviſus in Hiſpanias redierit, ut de veritate, & ſubſiſtentia primarum probationum per ſe ipſum inquirat, examinando iterum teſtes, qui coram Loci Ordinario depoſuerunt, vel alios, ſi illi mortui ſint, & præter hos, alios tres Teſtes ſuper illorum, & Notarii de prima probatione rogati legalitate, quemadmodum legitur in Statuto 12. *diſt.* 2. *& in fine ſub verſiculo ſequitur forma communis*, & hic Collegialis inquirens propria manu debet teſtium depoſitiones ſcribere, & ad Collegium tranſmittere, & ſi per hanc ſecundam inquiſitionem prima deprehendatur extorta dolo, vel fraude, expellitur ille, qui in Collegium admiſſus eſt, & ad omnes expenſas condemnatur, uti habetur in ſtatutis, & in relatione Eminentiſſimi Bononiæ Archiepiſcopi.

Ut facta tecta, & in ſuo robore permaneat mox relata ſecunda inquiſitio, & ut ea rite, & recte executioni mandari valeat, Rector, & Collegiales SS. D. N. ſupplicarunt, ut Collegiali electo ad eam peragendam in Locis Hiſpaniarum, daretur facultas teſtes renuentes ſe exa-

examini ſubjicere, per cenſuras Eccleſiaſticas cogendi, precibuſque pro informatione, & voto ab hac Sacra Congregatione remiſſis ad Eminentiſſimum Bononiæ Archiepiſcopum, eodemque annuente, propoſita fuit hæc inſtantia inter ſummaria precum *die 5. Junii 1717.* & negative fuit reſponſum, eo præcipue ſub obtentu, quod inconveniens videbatur facultatem ſimplici Collegiali præſtare erigendi Tribunal, & Cenſuras decernendi; præterquam quod per ſpatium trium, & ultra ſæculorum, facta fuerat ſecunda inquiſitio ad tramites ſtatutorum abſque eo quod extraordinarium prædictum remedium Cenſurarum fuerit exiſtimatum neceſſarium.

Adverſus hoc reſcriptum conceſſa fuit Rectori, & Collegialibus nova audientia, & quod eorum inſtantia poneretur in folio, & cum modo de ejus merito agendum ſit, ſequentia ab iiſdem proponuntur fundamenta, quorum ope exiſtimant fieri voti compotes.

Primum eſt, quod officium Teſtes examinandi inutile quodammodo videtur, & fruſtratorium, ſi eo fungens officio facultatem non habet teſtes cogendi, in hypotheſi, in qua recuſent ſe examini ſubjicere; cumque Cenſura ſit ſubſidiarium pro coactione remedium, hinc inferunt, decens eſſe, & maximopere conveniens, quod a Summo Pontifice detur Collegiali facultas teſtes examinandos cogendi per cenſuras in hypotheſi, in qua nolint ſe examini ſubjicere, & in qua aliud aptius non ſuppetat remedium.

Secundum eſt, quod ſæpe ſæpius in praxi occurrit, ut in caſu renitentiæ Teſtium examinandorum, vel non poſſit haberi recurſus ad Ordinarium, vel recurſus ad eumdem ſit inutilis, tum quia Teſtes aliquando degunt in locis ab eo loco admodum remotis, in quo degit Ordinarius, tum quia ſæpius Ordinarii recuſant aſſiſtentiam, & opem præſtare Collegiali examinanti, ut examinare valeat Teſtes, qui ſe nolunt examini ſubjicere, & tandem quia inter hos Teſtes, ſæpe ſæpius aliqui reperiuntur, qui ſunt ab Ordinarii juriſdictione exempti. Ad hæc ergo incommoda avertenda, dicunt expedire, ut Collegiali inquirenti detur modo prædicto facultas Teſtes per Cenſuras cogendi.

Tertium eſt, quod conſimilium conceſſionum non deſunt exempla a Rectore, & Collegialibus propoſita, & juſtificata; Julius etenim Tertius, Paulus Tertius, & Paulus Quartus conceſſerunt, ut ille, qui juxta ſtatuta Toletanæ Eccleſiæ probationes recipere debet pro his, qui ad illam ſunt admittendi, Teſtes cogere poſſit per Cenſuras. Hoc ipſum fuit conceſſum a Clemente Octavo Collegio Majori de Alcala, ut conficiens proceſſum ſuper qualitatibus Collegialium, Teſtes compellere poſſit per cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas. Binæ tandem aliæ reperiuntur Urbani Octavi conceſſiones pro Collegio Vallifoletano S. Crucis, & pro Collegio Salamantino S. Bartholomæi; ita ut ſi urgente probationum explendarum neceſſitate, inferiora Hiſpaniarum Collegia dicto Privilegio fuerunt decorata, juremerito ſperari valeat, eſſe conſimili privilegio decorandum Collegium Hiſpanorum, Bononiæ erectum, quod eſt cæteris aliis antiquius, & Majoris appellatione eſt hac de cauſa decoratum; in nihilum relevante vel inconvenientia, quod Collegialis poſſit erigere Tribunal & procedere ad Cenſuras, vel quod ſpatio tanti temporis non fuerit expetitum hoc remedium, quandoquidem, uti ſubdunt Oratores, quælibet tollitur inconvenientia ab allegatis exemplis, & experientia præterita difficultatum, quæ contigerunt in compilanda ſecunda inquiſitione, occaſionem ſubminiſtravit exorandi Sedem Apoſtolicam pro facultate in ſuperioribus memorata.

Hæc ſunt, quæ ab Oratoribus exponuntur; quæritur itaque,

An Oratorum precibus ſit annuendum, ita ut ſit ſtandum, vel recedendum a Decretis.

Sacr. Congr. reſpondit, ſtandum eſſe, *In Decretis*.

QUÆSTIO XXXV.

In Cauſa Romana, ſeu Pratenſi Indulti, die 21. Maii 1718.

PRÆVIO conſilio hujus Sacræ Congregationis ſan. mem. Innocentius XII. per ſuas literas in forma Brevis indulſit R. P. D. Alexandro de Calvis, tunc Signaturæ Juſtitiæ Votanti, pro ſuæ Dignitatis ſubſtentatione, ut, ſuſpenſo multiplico, quod Laurentius de Calvis ejuſdem Patruus, in ſuo ultimo demandaverat Teſtamento, frui poſſet tum relidualibus fructibus decurſis, & non inveſtitis, tum aliis in poſterum decurrendis, uſquequo filius Joannis Vaji capax evaderet Legati a Teſtatore relicti.

Sciendum eſt etenim, quod memoratus Laurentius de Calvis nonnulla Bona reliquit Capitulo Pratenſi, ut ex illorum fructibus darentur ſcuta 24. quolibet anno Magiſtro Grammaticæ pro puero inſtruendo, & ut alia ſcuta 165. erogarentur pro alimentis alterius juvenis in Seminario Romano, & per ſex annos ſcuta 110. ut ille extra Seminarium Romanum, in Urbe permanere poſſet, Studiis, & Praxi Legali vacando, ea ulterius ſtatuta lege, ut in hypotheſi, in qua prædicta Legata eſſent vacantia, fieret multiplicum pro augendo Legato relicto favore ejus, qui juriſprudentiæ operam in Urbe navaret, necnon pro conſtituenda Dote alterius Legati in ſumma ſcutorum annuorum 40. pro Clerico educando, vel in Seminario Pratenſi, vel in Seminario Florentino.

Apoſtolicum Breve fuit executioni mandatum, & reditus in eodem aſſignati, fuerunt ab R. P. D. Alexandro de Calvis pacifice exacti uſque ad annum 1710. ſolvente Canonico de Bracciolis Camerario hæreditatis Calvæ, & Deputato Seminarii Pratenſis; cum autem anno prædicto ſolutio ceſſaverit, orta eſt inter dictum R. P. D. Alexandrum, & Deputatos Seminarii Pratenſis controverſia, prætendentibus iſtis, quod Breve fuerit per ſubreptionem, & obreptionem obtentum, & quod fructus ejus vigore percepti ſint reſtituendi, & quatenus hæc reſtitutio in omni ſui parte non ſubſiſteret, in aliqua tamen parte ſubſiſtere debeat, & quod tandem fructus in præteritum non exacti, hic & nunc exigi non poſſint.

Adverſus hæc opponit R. P. D. Alexander, non eſſe qualificandum Breve Pontificium, tamquam obreptitium, vel ſubreptitium, ex quo non fuerint expreſſæ familiæ ad Legatum vocatæ poſt familias DD. de Organis, & DD. de Vajis, tum quia Breve emanavit poſt informationem Epiſcopi, & exhibito in manibus tunc temporis Secretarii Teſtamento Laurentii, tum quia ex ipſa Brevis narrativa deſumitur, quod Summo Pontifici innotuit, alias familias fuiſſe ad Legatum vocatas, cum in ea legatur, R. P. D. Alexandrum eſſe *ex familia primo vocata, & cuicumque alteri præelecta*, & tandem quia expreſſio familiarum poſteriori loco vocatarum fieri non debebat pro actus validitate, cum nulli tunc adeſſent ex familia Organi, & ex filiis Joannis Vaji, qui eſſent capaces Legatorum, omneſque alii ſubſequenter vocati, ex littera Teſtamenti eſſent excluſi, quoaduſque aderat ſpes capacitatis a primis vocatis acquirendæ.

Præterea additur ab eodem R. P. D. Alexandro de Calvis, quod licet in Brevi Apoſtolico appoſita fuerit clauſula *Donec filius Joannis Vaji hujuſmodi Legati capax fuerit*, prætendi tamen nequit, quod illa fuerit reſoluta, ſtatim ac Ferrantes Maria Vajus alter ex filiis Joannis Vaji terminavit ætatem annorum quindecim; aut quia Teſtator, præter dictam ætatem, voluit, quod eligendus ad conſecutionem ſui Legati, alias plures haberet qualitates in Teſtamento expreſſas, de quarum concurſu in dicto Ferrante non docetur, aut quia ex eodem Teſtamento colligi videtur, capacitatem eſſe conſtituendam non in anno decimo quinto, ſed in vigeſimo ſexto, in quo rerum themate ſolutio ſibi fieri debuiſſet uſque ad annum 1713. & ſic intermitti non poterat de anno 1710.

Tandem contendit R. P. D. Alexander, non eſſe locum reſtitutioni fructuum exactorum, primo quia fuerunt bona fide conſumpti, ſecundo quia ad effectum evitandæ reſtitutionis ſufficit ſola poſſibilitas, quod iidem exigi potuerint in ſequelam Indulti, & tertio quia agitur de fructibus pro pia cauſa ſolutis, & in terminis ſolutionis factæ pro pia cauſa, condictio indebiti nullum ſibi poteſt locum vindicare.

Ex his ergo, & aliis per Informantes deducendis quæritur,

I. *An Breve de anno 1695. conceſſum R. P. D. de Organis juſtineatur, & fructus ejus vigore percepti ſint omnes reſtituendi in caſu &c. & quatenus juſtineatur.*

II. *An, & a quo tempore dictum Breve, ſeu Indultum expiraverit, ac fructus exacti pro qua rata ſint reſtituendi, vel reſpective non exacti, exigendi, in caſu &c.*

Sacr. Congr. die 11. Jun. 1718. reſpondit,
Ad Primum primi Dubii partem affirmative, & quoad Secundum ejuſdem Dubii partem negative, & amplius. Ad ſecundum, Breve expiraviſſe anno 1710. nec ullos fructus perceptos, uſque ad dictum tempus eſſe reſtituendos.

QUÆ-

QUÆSTIO XXXVI.

In Causa Sedunensi, die 11. Junii 1718.

PAROCHIALIS Ecclesia S. Desiderii existens in Pago Columberii Diœcesis Sedunensis fuit anno 1704. translata ad Oppidum Montheoli, in quo Gubernator, una cum Consiliariis, & aliis Justitiæ Ministris degit. Fuit autem hæc translatio facta, nedum auctoritate Episcopi, sed etiam Apostolici Nuntii, qui eam confirmavit, nec in translatione defuit assensus Abbatis, & Capituli Canonicorum Regularium Sancti Augustini Abbatiæ Sancti Mauritii Agaunen. ad quos pertinere dicitur Juspatronatus dictæ Parochialis. Accessit ulterius assensus Parochianorum Pagi Columberii, pro quorum servitio deputatus fuit Sacerdos, qui nomine Parochi Montheoli eis Sacramenta administraret, & cætera Parochialia munera exerceret.

Post lapsum nonnullorum annorum, Columberienses recursum habuerunt ad hanc Sacram Congregationem, ut eadem committere dignaretur Ordinario Sedunensi, ut Parochiæ translationem revideret, & quatenus opus esset, revocaret; datisque de more litteris ad Ordinarium, habitaque subsequenter illius informatione, demandatum fuit, quod Causa poneretur in folio.

Scribens pro Parocho Ecclesiæ loci Montheoli contendit non esse locum dismembrationi, nec erectioni novæ Parochialis, tum quia servatis servandis, & justissimis concurrentibus causis, majoris videlicet Divini Cultus, & communis Reipublicæ boni, facta fuit, & executioni mandata translatio Parochiæ a Pago Columberii, ad Oppidum Montheoli, tum quia indigentiæ Columberiensium satis consultum est per deputationem Vicarii, qui nomine Parochi eis Sacramenta administrat.

Cumque pro bono pacis Ordinarius in sua informatione proponat, quod Sanctissimus Dominus Noster posset Vicario existenti in Pago Columberii facultatem impertiri administrandi Incolis Sacramenta etiam tempore Paschali, deferendo ad ipsum emolumenta oblationum, primitiarum, & mortuariorum, vel quod Beneficium simplex sub titulo Beatæ Mariæ Virginis de Compassione erectum in Ecclesia loci Columberii erigi posset in Parochiale, facta narratorum emolumentorum assignatione favore novi Parochi, vel tandem, quod idem SS. D. N. posset auctoritate Apostolica dare Columberiensibus licentiam novam fundandi Parochiam propriis sumptibus.

Subdit informans pro Parocho loci Montheoli, non esse hæc temperamenta admittenda, cum de jure non sit permissum, aut dismembrare antiquas Parochias, aut novas erigere, nisi concurrentibus requisitis Textus in *cap. ad Audientiam il 1. de Ecclesiis Ædific.* quem Sacrum Concilium Tridentinum innovavit *Sess. 21. de reformat. cap. 4.* quæ requisita dicit in hypothesi deficere, & eo fortius cum Oppidum Montheoli distet per unum milliare a Pago Columberii, & via inter hos locos intercedens sit plana, nec ullo flumine interfecata.

His stantibus quæritur

An sit locus dismembrationi, & erectioni novæ Parochialis in casu &c.

Sacr. Congr. respondit,
Negative ad utrumque.

QUÆSTIO XXXVII.

In Causa Nullius, seu Farfensi subrogationis Ecclesiæ, die 11. Jun. 1718.

ANTIQUA Parochialis Ecclesia Terræ Podii Mirteti Abbatiæ Farfensis erat, & est adeo angusta, ut Populum satis numerosum capere nec valuerit, nec valeat. Cum itaque operæ pretium existimatum fuerit novam ædificare Ecclesiam amplioris formæ, & elegantioris structuræ, & expensæ fuerint a Communitate subministratæ, prævia licentia Sacræ Congregationis boni Regiminis, ad novæ Ecclesiæ constructionem deventum est, eademque fere ad calcem perducta, cum quædam controversiæ exortæ fuerint, nonnulli habiti sunt Congressus coram Eminentissimo Abbate, nonnullisque ejus auctoritate concordatis Capitulis inter Communitatem ex una, & Sacerdotem Eustachium Spinellum Archipresbyterum, & Parochum ex alia partibus, supplicatum fuit Sacræ Congregationi pro eorum approbatione, datoque consueto rescripto, ut Eminentissimus Abbas dignaretur Sacram Congregationem instructam reddere, & suum Votum aperire, fuit ab eodem exarata informatio, quæ exhibetur in Summario Communitatis.

Omissis autem omnibus illis rebus, in quibus juxta prudentem Eminentissimi Abbatis insinuationem, factæ fuerunt opportunæ correctiones, necnon cæteris aliis omissis, in quibus idem Eminentissimus Abbas nullam videtur habere difficultatem, substantialis punctus reduci videtur ad defectum Domus, & Cubiculorum prope novam Ecclesiam, in quibus Parochus possit inhabitare; dicitur enim id convenire decenti conservationi Sacratissimæ Eucharistiæ, & ut occurratur periculo extinctionis lampadis, nocturno Latronum, & obvio canum, & belluarum ingressui, uti fusius legitur in relatione, in qua etiam binæ ponderantur circumstantiæ, quarum prima est, quod juxta praxim Sacr. Congregationis Sacerdos, qui curam habet Ecclesiæ, in qua Sanctissimum Sacramentum asservatur, habere debet Domum Ecclesiæ contiguam, & secunda in hoc residet, quod Communitas habet contiguam Ecclesiæ quamdam parvam Domum, quæ mira facilitate reduci posset ad usum Parochi.

Adversus hæc opponitur a Communitate, quod Ecclesia noviter constructa subrogari debet in locum veteris Ecclesiæ Parochialis, quod item non adest ulla necessitas ædificationis Domus, seu Cubiculi prope novam Ecclesiam pro Parochi habitatione, & quod tandem, si esset necessaria hujus Domus ædificatio, illa ad Parochum pertinere deberet.

Et in eo quidem, quod attinet ad novam Ecclesiæ subrogationem, prætenditur eidem debere esse locum, tum quia Ecclesia antiqua est nimis angusta, tum quia nova Ecclesia fuit constructa, ut petita subrogatio suum haberet effectum; in eo, quod spectat ad constructionem Domus, sive Cubiculorum prope novam Ecclesiam pro Parochi habitatione, subditur, ei locum esse non posse, tum quia Parochus prope veterem Ecclesiam non habebat Domum, tum quia Parocho a jure imposita dicitur obligatio non habitandi in Domo Ecclesiæ contigua, sed vel in Parochia, vel in Domo Parochiæ vicina, uti præter laudatas a Scribente auctoritates, colligi posse videtur ex actis Ecclesiæ Mediolanensis sub Sancto Carolo Borromæo, qui omnia reformare studuit ad tramites Concilii Tridentini, hæc enim leguntur in citatis actis *tom. 1. pag. 80. Si quis Parochus etiam Urbanus Parochiale Domicilium non habet, ubi habitet, intra illius fines Domum conducat, quam proxime potest Ecclesiæ, cujus curationi præest, si intra fines Domus non est, quam conducere possit, extra, ubi propius Ecclesiæ potest, conducat, idque judicio Episcopi;* & post hæc sermonem transferendo ad onus ædificationis, quatenus ædificatio Domus esset facienda, prætenditur, quod illud spectet ad Parochum, & non ad Communitatem, cum Parochus habeat in reditu scuta 200. & cum obligatio Populi sit subsidiaria, nec ullum sibi vindicet locum, nisi post excussum Parochum, eumque repertum non idoneum propter tenuitatem fructuum Parochiæ.

Absque eo, quod juxta Communitatis sensum officere possit, vel quod Ecclesia sine contigua Parochi habitatione recensitis periculis remaneat exposita, vel quod parva quædam Domus Ecclesiæ contigua ad Communitatem spectet, vel denique, quod Ecclesia fuit expensis Communitatis ædificata, quasi quod ex his inferatur, Domum contiguam pro Parocho esse ædificandam, & quidem Communitatis expensis; ne etenim quid intactum relinquatur, respondetur ab Informante pro Communitate, quod Ecclesia est sita in loco, in quo multi degunt habitatores, & quod officia Divina in ea explebuntur a Parocho, a Canonicis, & ab aliis Presbyteris, itaut allegatum cesset periculum, quod Domus contigua Parochiæ est Domus Prioralis, in qua cogitur Consilium Terræ, in qua habentur Scholæ publicæ, itaut prætendi nequeat, quod illa sit aptanda pro Parochi commoditate, & habitatione. Additur, quod regula juris statuens, ut obligatus ad Ecclesiæ reaptationem, sit etiam obligatus ad reparationem Domus Parochi, non est aptabilis nostris circumstantiis, in quibus Communitas ædificavit ex sua devotione, & liberalitate novam Ecclesiam, & ante ædificationem exhibuit Plantam, carentem Domo pro Parochi habitatione.

Hæc sunt, quæ a Communitate deducuntur. Quæritur itaque

I. An in locum veteris Ecclesiæ Parochialis subroganda sit alia Ecclesia noviter constructa in casu &c. & quatenus affirmative.

II. An sit necessaria ædificatio Domus, seu Cubiculorum prope dictam novam Ecclesiam pro habitatione Parochi in casu &c., & quatenus affirmative.

III. An

III. An onus ædificationis Domus spectet ad Parochum, sive potius ad Communitatem in casu &c.

Nec in hac Congregatione, nec in aliis subsequentibus fuit unquam Causa resoluta. Cumque interea ad nova inter Partes Capitula deventum sit, eademque exhibita una cum approbatione Eminentissimi Abbatis; quæsitum fuit die 21. Jun. 1721.

An sit locus subrogationi Ecclesiæ, de qua agitur, & an Capitula ad ejusmodi effectum concordata sint approbanda pariter in casu &c.

Sacr. Congr. die 12. Julii 1721. respondit,
Pro approbatione, renovato legitimo consensu Communitatis.

QUÆSTIO XXXVIII.

In Causa Senogallien. Censuum, die 2. Julii 1718.

QUÆSTIO est inter Doctores, an in Censu consignativo fieri valeat fructuum reductio absque Apostolico Beneplacito.

Negative respondent *Ricc. Decis. Curiæ Archiep. Neapolitanæ, Decis. 134. parte prima. Idem Resolut. 37. parte prima num. 4. de Marinis Resolut. juris cap. 6. num. 10. & 11. tom. 1. Baruf. in suo Torcular. juris Resolut. 100. per totam. Ventrigl. in praxi parte 1. annot. 1. §. 2. num. 6.*

Affirmative autem respondent *Cardinal. De Luca de Alienat. discur. 6. num. 5. de Censibus discur. 14. num. 4. & 5. & in Conflictu legis observ. 201. Carolus Ant. de Luca ad Ventrigl. in praxi parte prima annot. 11 §. 2. num. 4. Petra ad Constit. Apostolicas tom. 1. fol. 138. num. 88. Monacel. tom. 4. in supplem. ad tom. 2. fol. 151. num. 146. & seqq.*

Fuit hic articulus examini suppositus in hac Sacra Congregatione *die 15. Januarii* 1718. occasione cujusdam reductionis census, factæ ab Officialibus Confraternitatis Sanctissimi Sacramenti Castri Montis Alboddi, nec ulla fuit capta resolutio.

Repropositus fuit in Congregatione subsequenti, habita *die 29. Januarii*, & responsum fuit: *Dilata, & exhibeatur instrumentum reductionis.*

Quæritur itaque nunc

I. An reductio fructuum Census sine beneplacito Apostolico sustineatur in casu &c. & quatenus negative.

II. An sit locus revalidationi, & confirmationi contractus reductionis tam pro præterito, quam pro futuro.

Sacra Congregatio respondit
Ad Primum negative in casu de quo agitur. Ad Secundum negative quoad præteritum, reservato Jure Hippolyto agendi contra Priores, qui reduxerint Censum, & quoad futurum arbitrio Eminentissimi Episcopi.

QUÆSTIO XXXIX.

In Causa Cajetana, die 2. Julii 1718.

GUBERNATORES, & Deputati, qui a Civitate Cajetæ, ad quam pertinet Juspatronatus Cappellæ Sancti Erasmi, eliguntur, ut invigilent tam super fabrica, & ornatu ejusdem, quam super conservatione, & erogatione redituum ad illam pertinentium, huic Sacræ Congregationi supplicarunt pro declaratione, quod duæ Statuæ argenteæ, & quod alia quædam argentea ornamenta essent de libero dominio Civitatis, quæ de illis disponere posset ad proprium usum etiam, & commodum in casu necessitatis, absque eo quod ullum jus unquam Cappellæ acquireretur, etiamsi prædicta argenta eidem commodarentur, requisitoque Episcopo pro informatione, & voto, Sacra Congregatio die 6. Junii 1716. post habitam dictam informationem jussit, quod causa poneretur in folio.

Capitulo comparere recusante, licet Cappella in ejus Ecclesia Cathedrali sita sit, Episcopus existimavit, ad suum pertinere officium prædictæ Cappellæ jura prosequi, & exorare pro causæ resolutione, non obstante quadam protestatione, emissa a Procuratore Deputatorum, se videlicet hoc unum solum intendere, quod ad Deputatos pertineat custodia argentorum, absque eo, quod aliquid deducere velit pro dominio eorumdem argentorum a Civitate prætenso, hoc etenim Episcopus asserit esse adinventum, ne causa resolvatur, semper etenim Civitas, & Deputati usque adhuc unitim processerunt, & semper in præteritis Deputati insteterunt pro declaratione dominii favore Civitatis.

At ad merita causæ deveniendo, contendit Episcopus, quod Candelabra, Crux, & alia argentea ornamenta sint de dominio Cappellæ, tum quia asserit, fuisse conflata ex votis, & lampadibus ejusdem, tum quia eorum residuum fuit solutum ex pecuniis, quas habebant Deputati fabricæ, quæque ad Cappellam pertinebant.

Contendit ulterius, idem dicendum esse de duabus Statuis argenteis jam confectis, non solum quia dicit, fuisse constructas ex pecuniis Cappellæ, a Procuratore Deputatorum persolutis, sed etiam quia calculus ostendit, quod ad manus Deputatorum devenerunt ducati 22704. & quia alias a Deputatis opponebatur, quod major pecuniarum quantitas fuerat habita ex assignatione nonnullarum Gabellarum, quæ a Civitate facta fuerat Cappellæ, quodque vel hæ assignationes non subsistebant ex defectu assensus Regii, vel pecuniæ ab his assignationibus retractæ, fuerant erogatæ in fabricam, & ornatum Cappellæ, hinc inferendo, quod argenta, & Statuæ non potuerunt esse confectæ ex pecuniis ad Cappellam pertinentibus, sed ex aliis pecuniis a Civitate subministratis; respondet Episcopus, quod, juxta Statutum Civitatis Cajetæ, potuerunt fieri dictarum Gabellarum assignationes favore Cappellæ, & quod solutiones factæ a Deputatis absque ulla expressione, quod fierent ex pecuniis a Civitate subministratis, censeri debent factæ ex pecuniis propriis Cappellæ; & multo magis, quia quando solutiones factæ sunt ex pecuniis a Civitate subministratis, id fuit in solutionibus expressum.

Contendit præterea idem Episcopus se cogere posse Deputatos ad redditionem rationis, cum id descendat ex dispositione Sacri Concilii Tridentini, & ulterius se posse deputare Personam idoneam pro exactione Gabellæ Quartutii Piscationis, & exigere ab Exactoribus computa exacti, eo sub fundamento, quod id descendit ex resolutione Sacræ Congregationis Episcoporum, & Regularium, per Summum Pontificem confirmata.

E contra Scribens pro Deputatis inquit: nihil repugnare, quod argenta, & Statuæ fiant a Laicis, quod item commodentur alicui Cappellæ, sive loco sacro, absque eo quod ullum illi jus acquiratur, & cum facultate de dictis argentis, & Statuis disponendi in casu necessitatis.

Post hæc idem Scribens asserit, quod ornamenta, de quibus agitur, fuerunt confecta ex sola pecunia Civitatis, & non ex reditibus Cappellæ, idque confirmat ex variis Consilii resolutionibus, in quibus statutum fuit, quod argenta conservarentur penes certos Depositarios.

His ergo stantibus, quæritur

I. *An, & quale jus competat Civitati, & Deputatis super Candelabris, Cruce, & aliis ornamentis argenteis, quæ a triginta annis citra semper inservierunt pro ornatu Cappellæ S. Erasmi, vel potius illa libere spectent ad dictam Cappellam in casu &c.*

II. *An, & quale jus competat eisdem Civitati, & Deputatis super duabus Statuis argenteis jam factis, & super pecuniis exactis, & exigendis ex Gabellis, & aliis effectibus assignatis dictæ Cappellæ per Consilium Civitatis, vel potius eædem Statuæ libere spectent ad dictam Cappellam in casu &c.*

III. *An, & quo jure Episcopus cogere possit Deputatos, & Gubernatores dictæ Cappellæ ad reddendam rationem pecuniæ, ad eos perventæ ex reditibus, & legatis dictæ Cappellæ, necnon ex Gabellis, & aliis effectibus, assignatis eidem Cappellæ per Consilium Civitatis in casu &c.*

IV. *An Episcopo competat jus deputandi personam idoneam pro exactione Gabellæ Quartutii Piscationis, concessæ dictæ Cappellæ, & exigendi ab Exactoribus computa exacti in casu &c.*

Sacr. Congr. respondit,
Ad Primum, argenta de quibus agitur, libere spectare ad Cappellam, eorum vero tantummodo custodiam ad Deputatos. Ad Secundum, statuas, & pecunias, de quibus agitur, libere spectare ad Cappellam, Custodiam vero statuarum, & administrationem reditum tantummodo spectare ad Deputatos. Ad Tertium affirmative ad formam Concilii Tridentini Sess. 22. Cap. 9. de reformatione. Ad Quartum, committendam esse Deputatis exactionem, & administrationem Gabellæ Quartutii Piscationis cum onere eum erogandi, & reddendi Episcopo rationem ad normam Decreti Sac. Congregationis Episcoporum die 28. Augusti 1643.

QUÆSTIO XL.

In Causa Mediolanen. Oneris Missarum, die 2. Julii 1718.

FRANCISCUS Ripa in ultimo, cum quo decessit, testamento, condito de anno 1610. suos Hæredes gravavit ad solvendum quolibet anno libras 300. Imperiales, hoc est scuta 40. monetæ Romanæ Cappellæ Sancti Antonii, erectæ in Ecclesia Sancti Thomæ, ut in eadem Missa quotidiana celebraretur, iisdemque hæredibus liber-

libertatem dedit se eximendi ab annua præstatione, solvendo unica vice libras 6000. hoc est scuta 800. monetæ Romanæ: *Liceat dictis, & infrascriptis Hæredibus meis se se liberare a dicto legato librarum* 300. *&c. mediante exbursatione librarum* 6000. *vel implicatione earumdem*,

Anno 1654. fuit hoc onus Missarum, prævia auctoritate hujus Sacræ Congregationis, redactum ad Missas festivas tantum de præcepto, & ad quatuor in singulis hebdomadis celebrandas, & anno 1656. accedente auctoritate Ordinaria, fuit hoc Missarum legatum erectum in titulum perpetuæ Ecclesiasticæ Cappellaniæ, & Hæredes Testatoris pro ejus dote tot bona stabilia assignarunt, quæ reddebant annuas libras 300. sibique reservarunt jus prædicta bona redimendi semper, & quandocumque, & etiam post centum annos, media solutione, seu deposito librarum 6000.

Anno 1714. Ludovicus Ripa redemit bona mox recensita, & punctualiter solvit libras 6000. sed cum hæc summa fuerit erogata in emptionem census annui reditus librarum 240. hoc est scutorum monetæ Romanæ 32. quæ non sufficiunt pro adimplemento oneris Missarum, eleemosynam regulando ad tramites Constitutionum Synodalium Mediolanensium, exorta est in Congregatione Legatorum Piorum Mediolani controversia inter memoratum Ludovicum hæredem, & Promotorem Legatorum Piorum, an scilicet onus Missarum esset reducendum, vel potius hæres summam deficientem pro ejus adimplemento supplere teneretur, & unanimi voto dictum fuit, quod huic Sac. Congreg. esset supplicandum pro decisione controversiæ, uti colligitur ex informatione Eminentissimi Archiepiscopi Mediolanensis.

Pro hærede facit, quod Testator ipsum obligavit, vel ad solvendas quolibet anno libras 300., vel ad unica vice exbursandas libras 6000. hinc etenim inferre licet, non posse eumdem cogi ad supplendam summam deficientem, statim ac satisfecit voluntati Testatoris, persolvendo unica vice prædictas libras 6000.

Haud urgente, quod ex hac summa librarum 6000. cum qua emptus fuit Census, non possunt haberi, nisi libræ annuæ 240. tum quia ipse de hac re non debet esse sollicitus, cum ad solam solutionem librarum 6000. fuerit a Testatore adstrictus; tum quia Testator ipsi demandavit, vel quod exbursaret libras 6000. vel quod illas erogaret in emptionem alicujus rei fructiferæ, uti desumitur ex verbis supra relatis. Si ergo Hæres viam elegit solvendi libras 6000. obligari non potest ad supplendum summam deficientem, etiamsi ex libris 6000. hodie non perrahantur libræ 300. sed libræ tantummodo 240.

Facit e contra pro Legatorum Piorum Promotore, quod in tantum Testator permisit, ut Hæredes se liberare possent a præstatione librarum 300. annuarum, solvendo unica vice libras 6000. in quantum supposuit, quod ex investimento librarum 6000. haberi possent quolibet anno libræ 300. Adeoque si hodie ex libris 6000. non percipiuntur, nisi libræ 240. subintrat obligatio Hæredis ad supplendum.

Absque eo quod quidquam referat, quod juxta Testatoris expressam voluntatem, potest Hæres se liberare a solutione librarum 300. solvendo unica solutione libras 6000. hoc siquidem argumentum urgere posset, si vel immediate post tempus conditi Testamenti, vel paulo post Hæres exbursasset libras 6000. secus autem se habet res quoties, prout in casu, Hæres ad solutionem dictæ summæ devenit post lapsum annorum 104. a die conditi Testamenti; in primo etenim casu, ex summa librarum 6000. bene erogata haberi potuissent nedum libræ 300. annuæ, sed aliæ plures, quod in secundo casu evenire non potest propter intermediam redituum diminutionem.

In hoc autem rerum statu quæritur

An Hæres teneatur supplere, vel potius sit locus reductioni oneris Missarum in casu, &c.

Sacr. Congr. respondit,
Exhibeatur Testamentum.

In hujus rescripti executionem, exhibitum fuit Testamentum, ex cujus verbis Ludovicus Ripa, pronepos Francisci Testatoris contendit, sibi competere facultatem se liberandi a Legato annuo librarum 300. solvendo, & implicando, sicuti fecit, libras 6000.

Testator legavit libras 300. & voluit quod in Cappella quotidie celebrari deberet Missa una *usque in perpetuum*. Dedit hæredibus suis, & seniori eorumdem facultatem eligendi Cappellanum, *& lege, quod liceat seniori, & propinquiori ex dictis, & infrascriptis hæredibus meis, & successive seniori, & proximiori descendentium meorum, vel familiæ meæ usque in infinitum eligere Cappellanum idoneum*. Facultatem subinde Testator impertitus est exbursandi unica vice libras 6000. & sic se liberandi ab annua præstatione librarum 300. *liceat etiam dictis, & infrascriptis hæredibus meis se liberare a dicto legato librarum* 300. *imperialium computato, ut supra, mediante exbursatione librarum* 6000. *imperialium, vel implicatione earumdem*.

Post hæc, Testator hæredes sibi scripsit filios legitimos, & naturales, quos habebat, *mihi hæredes universales instituit, & instituo ore meo proprio nominando, nominavi, & nomino Bartholomæum, Benedictum, Ludovicum Presbyterum, Octavium, & Joannem Angelum filios meos legitimos, & naturales æquis portionibus*, & licet in hac vocatione Testator ad ulteriores gradus non videatur fuisse progressus, in parte tamen Fisci exclusiva dici valet habuisse rationem omnium descendentium tam ex masculis, quam ex fœminis, *& ubi omnes hæredes mei, vel ultimus ex meis delinqueret, ut supra, tunc eos, vel eum pariter privavi, & privo præambula hora, ut supradicta hæreditate, & bonis meis, & eis, seu ei substituo filios ipsorum hæredum meorum, vel alicujus eorum, & si non aderint, filias meas, eorum sorores, vel eorum filios*.

Ab his autem verbis infert Ludovicus Ripa, se posse uti facultate data a Testatore suis hæredibus se liberandi ab annua solutione librarum 300. exbursando libras 6000. cum etenim data fuerit hæc facultas *dictis, & infrascriptis hæredibus*, sub nomine *dictorum hæredum* comprehenduntur omnes hæredes in infinitum, ex quo Testator antecedenter locutus fuerat de seniore, & propinquiore ex hæredibus, & descendentibus suis, suæque familiæ, usque in infinitum. Consimile dicit habendum judicium de aliis verbis, *& infrascriptis hæredibus meis*, cum in parte Fisci exclusiva, quæ inservire valet pro declaratione in ordine ad partem dispositivam, habuerit rationem de filiis tam masculorum, quam fœminarum, sub quorum nomine nepotes, aliique descendentes in infinitum comprehenduntur, quoties dignoscitur Testatorem noluisse suam vocationem in primis hæredibus restringere, sed ad ulteriores extendere voluisse.

Hæc sunt in Causa. Quæritur ergo

An hæres teneatur supplere, vel potius sit locus reductioni oneris Missarum in casu.

Sacra Congr. die 1. Aprilis 1719. respondit:
Quoad primam dubii partem negative. Ad secundam affirmative.

QUÆSTIO XLI.

In Causa Lucana, die 2. Julii 1718.

EPiscopus Lucanus, in actu Visitationis Collegiatæ Ecclesiæ Sancti Martini Terræ Petræ Sanctæ, decretum fecit, quod in ea caneretur Evangelium Dominicæ Passionis Dominica Palmarum, aliisque diebus Majoris Hebdomadæ, illis modo, & forma, quibus canitur in Cathedrali Ecclesia, hoc est, quod Dominica Palmarum, & Feria sexta in Parasceve caneretur a Canonicis, & Feria tertia, & Feria quarta caneretur a Cappellanis, ita enim practicari audivi in Cathedrali Ecclesia Lucana, & hoc ipsum observatur etiam in nostra Basilica Vaticana, utque Decretum suam haberet executionem, idem Episcopus ultra mulctam scutorum decem Locis Piis applicandam, in casu contraventionis pœnam apposuit suspensionis a Divinis ipso facto incurrendæ.

Contendunt Canonici, Decreta hæc nallatenus subsistere, tum quia ipsorum Ecclesia fuit erecta in Collegiatam anno 1673. & Testes deponunt Evangelium Dominicæ Passionis fuisse ab eo fere tempore cantatum non a Canonicis, sed a Cappellanis, tum quia cum Canonici sint sex, & in Dominica Passionis Missa cantetur a Præposito, cui duo Canonici Diaconus, & Subdiaconus ministrare tenentur, si tres alii Canonici canere deberent Passionem, unus tantum ex Canonicis in Choro remaneret, quod videtur absurdum.

Additur, quod in Cæremoniali Episcoporum *lib.* 2. *cap.* 25. *pagina mihi* 326. dicitur, quod Episcopo celebrante, illique assistentibus duobus Canonicis, Diacono, & Subdiacono Feria sexta in Parasceve, Passio canatur a tribus Cappellanis, seu Cantoribus, habitu Diaconali indutis, quod ipsum legitur *lib.* 2. *cap.* 26. *pag.* 387. cumque in Sacrorum Rituum Congregatione alias disputatum fuerit, an admittenda esset consuetudo immemorabilis Cathedralis Viterbiensis, in qua, Episcopo, eoque impedito, celebrante Missam Prima Dignitate, Canonici canere consueverant Passionem Dominica Palmarum, & Feria sexta in Parasceve, ex quo Cæremoniale obstabat huic disciplinæ, Sacra Congregatio die 7. Julii

1612. respondit, Cæremoniale non obstare, & servandam esse laudabilem prædictam consuetudinem. *Eadem Sacra Rituum Congregatio respondit, Cæremonialem Librum non obstare, nec tollere immemorabiles, & laudabiles consuetudines Ecclesiarum, & licet in eo dicatur, quod Passio in Dominica Palmarum, & Feria sexta in Parasceve decantetur a Cantoribus, non ex hoc prohibetur, quominus a Canonicis decantari possit, & debeat, maxime ubi viget consuetudo, quod a Canonicis decantetur, prout viget in Civitate Viterbiensi, quam consuetudinem omnino servandam esse censuit, & declaravit.*

Ex his etenim sequi videtur, quod, cessante consuetudine, Passio non sit a Canonicis canenda.

Adversus autem hanc Canonicorum prætensionem pugnat animadversio, quod inferiores Ecclesiæ se uniformare debent in sacris cæremoniis stylo Cathedralis; cumque in Cathedrali Ecclesia Lucana, Evangelium Dominicæ Passionis cantetur a Canonicis Dominica Palmarum, & Feria sexta Majoris Hebdomadæ, idem etiam erit observandum in Collegiata Ecclesia, de qua nunc agitur, cum Canonici Collegiatæ dedignari non debeant facere id, quod fit a Canonicis Ecclesiæ Cathedralis, uti ponderat Episcopus in sua informatione.

Quæritur ergo

An Decreta, de quibus agitur, sint exequenda in casu &c.

Sacr. Congr. respondit
Negative, & amplius.

QUÆSTIO XLII.

In Causa Romana Legati, die 2. Julii 1718.

NOBILIS Matrona Eleonora de Pimentellis reliquit Patribus Prædicatoribus Sanctorum Sixti, & Clementis loca 60. Montis Sermonetæ, his verbis: *Lascio luoghi sessanta del medesimo Monte Sermoneta alli Padri Domenicani de' Santi Sisto vecchio, e Clemente, con obbligo in perpetuo di cantarmi nell' una, e l' altra Chiesa una Messa di Requie la settimana*; cumque exorta fuerit controversia, an Patres unam, vel duas Missas celebrare teneantur in sequelam dictæ testamentariæ dispositionis, controversiæ resolutio fuit ad hanc Sacram Congregationem remissa.

Pro celebratione non unius, sed duarum Missarum, faciunt ea verba: *Con obbligo in perpetuo di cantarmi nell' una, e l' altra Chiesa una Messa di Requie la settimana*; si enim duplex est Ecclesia, videtur, quod duplex etiam debeat esse Missa celebranda, altera videlicet in Ecclesia Sancti Sixti, altera in Ecclesia Sancti Clementis.

Facit e contra pro celebratione unius tantum Missæ, quod pia Testatrix reliquit *una Messa di Requie la settimana*, & quamvis addiderit *nell' una, e l' altra Chiesa*, hæc tamen verba alternativam videntur importare obligationem, Missam videlicet celebrandi aut in una, aut in alia ex dictis Ecclesiis, itaut obligationi satisfactum sit statim ac una Missa in altera ex dictis Ecclesiis fuerit celebrata.

Suadetur hujusmodi intellectus nedum auctoritate recolendæ memoriæ Cardinalis Ferrarii, qui sensit, Patres esse obligatos ad unius tantum Missæ celebrationem qualibet hebdomada, uti medio juramento testatur Dominus Carolus Arnò, qui Auditoris munere apud eum usque ad ipsius obitum functus est, sed ex sequentibus ulterius circumstantiis.

Prima est, quod Eleonora Testatrix optime sciebat, Patres Dominicanos non semper, & per totum annum habitare consuevisse in uno ex dictis Conventibus, sed ob aeris inclementiam consuevisse modo habitare in Conventu Sancti Sixti, modo in Conventu Sancti Clementis. Verisimile ergo est, quod ipsa voluerit Patres obligare ad Missæ celebrationem in sola Ecclesia illius Conventus, in quo ipsi degerent, & sic ad unius tantum Missæ celebrationem qualibet hebdomada.

Secunda est, quod Testatrix Patres obligavit non ad celebrationem Missæ lectæ, sed ad celebrationem Missæ solemnis, seu decantatæ, *con obbligo in perpetuo di cantarmi una Messa di Requie*; cum autem Missa cantata exigat præsentiam non unius simplicis Sacerdotis, sed omnium Patrum, infertur, quod ipsa voluerit unius tantum Missæ celebrationem qualibet hebdomada, alias dicendum esset, quod voluisset, ut qualibet hebdomada Patres, aut a Conventu Sancti Clementis ad Conventum Sancti Sixti, aut a Conventu Sancti Sixti irent ad Conventum Sancti Clementis pro Missa canenda, quod videtur absurdum, & onus intolerabile.

Tertia est, quod Testatrix collective, & per modum unius locuta est de Patribus Sancti Clementis, & Sancti Sixti: *Lascio luoghi sessanta alli Padri Domenicani de' Santi Sisto vecchio, e Clemente*. Idem ergo judicium ferendum est, quoad eam partem Testamenti, in qua demandavit Missæ celebrationem qualibet hebdomada *nell' una, e l' altra Chiesa de' SS. Sisto, e Clemente*; in quo rerum statu non est necesse, quod duplex Missa canatur, sed una sufficit, quæ cantetur qualibet hebdomada in altera ex dictis Ecclesiis.

Quarta tandem est, quod Patres de familia Conventuum S. Clementis, & S. Sixti semper consideratí sunt per modum unius, itaut Sacra Congregatio super disciplina Regularium declaraverit *die* 13. *Augusti* 1700. quod expletus censeatur annus Novitiatus, etiamsi Novitii, qui habitum receperunt in Conventu Sancti Sixti, mensibus æstivis propter aeris inclementiam transeant ad Conventum Sancti Clementis.

His positis quæritur,

An Patres ad unam, vel ad duplicem Missam sint obligati in casu &c.

Sacra Congr. respondit, die 23. Julii 1718.
Patres teneri ad unicam Missam.
Idemque confirmavit, die 3. Sept. 1718.

QUÆSTIO XLIII.

In Causa Spoletana, Quartæ Funeralis, die 23. Julii 1718.

PAROCHI Terræ Nursiæ Spoletanæ Diœcesis prætendunt sibi deberi Quartam Funeralem pro unoquoque suo Parochiano, qui sepeliatur vel in Ecclesia Patrum Minorum Reformatorum Ordinis S. Francisci, vel in Ecclesia Clericorum Regularium Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum, vel in Ecclesia Patrum Congregationis Oratorii Sancti Philippi Nerii dictæ Terræ.

Fundamentum Parochorum consistit in Sacrorum Canonum dispositione, & præcipue *in Clementina dudum de Sepulturis*. Addunt, quod Patres Scholarum Piarum, & quod Patres Oratorii S. Philippi nullo fruuntur exemptivo privilegio a solutione Quartæ Funeralis, & quamvis fuerit alias resolutum, quod Minores Reformati Ordinis S. Francisci sint exempti a solutione Quartæ in sequelam potissimum Brevis Julii Secundi, in quo adest clausula derogativa *Clementinæ dudum de Sepulturis*, uti habetur in *decis.* 179. *coram Rojas*, *& in decis.* 263. *par.* 15. *recent.* & uti etiam fuit ab hac S. Congregatione admissum anno 1573. in quadam Causa *Tricaricen. Positionum lib.* 1. *pag.* 24. *a tergo*, contendunt nihilominus hæc Patribus Reformatis suffragari non posse ex his quæ habentur apud *Cardinalem de Luca de Parochis discurs.* 25.

Quæritur itaque

An debeatur Parochis Quarta Funeralis de candelis, intortitiis, ac de omnibus aliis, quæ offeruntur in die humationis Cadaverum in casu, & ad effectum &c.

Proposita fuit hæc Causa, & non resoluta in hac Congregatione; die vero 30. Sept. 1719. repropositа Causa præter dubium nunc disputatum, & respiciens solutionem Quartæ funeralis, aliud fuit superadditum pertinens ad electionem Sepulturæ, quæ fit ab Hominibus Terræ Nursiæ in die solemnis admissionis, & professionis ad Ordinem Tertiariorum contra Textum *in cap. Animarum de sepulturis in 6. & in Clementina Cupientes*, §. *sane temerarios de pœnis*.

His stantibus, quæsitum fuit,

I. An debeatur Parochis Quarta funeralis de candelis, intortitiis, ac de omnibus aliis, quæ offeruntur in die humationis cadaverum, in casu, & ad effectum &c.

II. An liceat hominibus Terræ Nursiæ sepulturam eligere in Ecclesia Patrum Reformatorum S. Francisci die solemnis admissionis, & professionis ad Ordinem Tertiariorum, in casu &c.

Sacra Congr. respondit,
Ad Primum negative, sed servetur solitum. Ad Secundum Dilata; & audiatur Procurator Generalis Ordinis.

QUÆSTIO XLIV.

In Causa Isclana Parochialis, die 23. Julii 1718.

SACERDOS Thomas Morgioni rejectus fuit in concursu habito occasione collationis Parochialis Ecclesiæ S. Spiritus Suburbii Celsæ in Civitate Isclana, & appellatione interpolita, causaque devoluta ad hanc Sacram Congregationem, prætendit, concursum non fuisse validum, & quatenus validus fuisset, prætendit esse locum provocationi ad novum examen in Curia faciendum.

Prætendit autem concursum non fuisse validum, quia examen factum fuit a solo Vicario, Episcopus enim erat absens, & non ab Examinatoribus Synodalibus, & quia concursui interfuerunt tres Sacerdotes, qui non erant Examinatores Synodales.

Prætendit deinde locum esse provocationi ad novum examen in Curia faciendum, quidquid enim sit, an ad tramites Concilii Tridentini *cap. 18. vers. Nec prædictorum Sess. 24. de Reform.* locus sit appellationi in devolutivo a judicio Examinatorum tantum, vel etiam ab Episcopi collatione juxta ea, quæ habentur apud *Fagnan. in cap. Cum sit ars, num. 50. & seqq. de ætate, & qualit.*

Hoc unum certum est, quod juxta posteriorem Constitutionem 33. *Sancti Pii Quinti Bull. tom. 2.* admittitur appellatio in devolutivo tam a relatione Examinatorum, quam ab irrationabili judicio Episcopi.

Absque eo quod de gravamine per Episcopum illato docendum sit ante novum examen coram Judice Appellationis faciendum, juxta *resolutionem hujus Sac. Congregationis in Causa Pistorien. 12. Junii 1603. impressam apud Fagnan. in cap. Eam te, num. 31. de ætate, & qualit.* & absque eo, quod in novo examine instituenda sit quæstio de majori probitate, & experientia, de quibus, ultra doctrinam, habenda est ratio in collatione Parochialium; hæc etenim omnia sunt discutienda post novum examen completum, & quando, completo novo examine, assumitur principalis quæstio, an sit facienda nova collatio ob præelectionis irrationabilitatem, tunc quippe clare docendum est de gravamine, & tunc indago instituenda est de moribus, experientia, & similibus, quæ, præter doctrinam, in Beneficiis curatis requiruntur, uti hujus Sacræ Congregationis resolutiones referendo, & amplectendo, respondit *Rota decis. 4. & decis. 24. coram Card. Celso, & decis. 9. & 10. post Monacell. in Formul. tom. 4.*

Adversus hæc, Sacerdos Cajetanus Boncore, qui fuit præelectus, & qui Litteras Apostolicas super provisione Parochialis, uti vacatæ in mense reservato reportavit, nullam afferit esse difficultatem quoad validitatem concursus, tum quia in eo Vicarius quæsita proposuit, & Examinatores suum officium expleverunt in interrogationibus, & in scrutinio responsionum, juxta antiquam praxim Diœcesis Isclanæ, tum quia impugnari non potest qualitas Examinatorum Synodalium, cum Sacerdos Morgionus illorum examini se subjecerit, & cum fuerint electi in Synodo Diœcesana, quæ licet suspensa fuerit, & suam executionem usque adhuc non habuerit, id tamen processit ex difficultatibus, quæ fuerunt excitatæ adversus Constitutiones in hac Synodo editas, quod nihil habet commune cum electione Examinatorum Synodalium.

Additur, quod Morgionus appellationem non interposuit intra decendium, in quo rerum statu contenditur, non esse locum ordinario remedio appellationis, sed extraordinario restitutionis in integrum, quod non datur sine læsione, & consequenter sine probatione gravaminis, ut innuit *Card. de Luca discurs. 7. num. 8. de Parochis.*

His stantibus, quæritur,

I. *An constet de validitate concursus, & quatenus affirmative.*

II. *An sit locus provocationi ad novum examen faciendum in Curia in casu &c.*

Sacra Congr. respondit,

Ad primum affirmative. Ad Secundum affirmative, & ad Mentem.

QUÆSTIO XLV.

In Causa Ugentina, seu Hydruntina Ordinationis, die 23. Julii 1718.

ANNO 1682. Clericus Franciscus Grassi natus est in Oppido Turris Padulum Diœcesis Ugentinæ ex Patre ejusdem loci, & Matre Hydruntina; cumque in infantili ætate constitutus, ad Civitatem Hydruntinam una cum Matre, & tota familia translatus fuisset, post plurium annorum laptum ad Urbem venit, studiorum gratia, ad hanc Sacram Congregationem recursum habuit, supplicando, ut Archiepiscopo Hydruntino demandaretur expeditio Litterarum Dimissorialium, ad effectum, ut in Urbe ordines recipere posset; Capitulum etenim Hydruntinum se huic opposuerat, & opponit prætensioni, sub obtentu, quod dictarum litterarum expeditio non pertineat ad memoratum Archiepiscopum, sed ad Episcopum Ugentinum.

Afferit Franciscus litterarum expeditionem spectare ad Archiepiscopum Hydruntinum, quia licet ipse sit subditus originarius Episcopi Ugentini; in Civitate nihilominus Hydruntina domicilium acquisivit, in quo rerum statu debet ad Ordines promoveri cum Litteris Dimissorialibus Archiepiscopi, & non Episcopi Ugentini, ad tramites famigeratæ Bullæ *Speculatores.*

Absque eo quod de acquisitione domicilii dubitari posse videatur, prætermisso etenim antiquo Regis Ferdinandi Privilegio, confirmato ab Imperatore Carolo V. juxta quod omnes Regnicolæ, qui habitaverint in Civitate Hydruntina, admittuntur ad omnia privilegia, quibus veri Cives Hydruntini fruuntur.

Franciscus fuit Civitate largitus a Decurionibus, & Decurionum judicium fuit a Regio Consilio Neapolitano, prævio nonnullorum Testium examine, qui de necessariis requisiti deposuerunt, approbatum. Similia contigerunt erga illius fratrem, cum quo ipse in communi vivit, itaut, si cum his, quæ hucusque deducta sunt, conjungantur ea, quæ sequuntur, quod scilicet per decennium in Civitate Hydruntina habitavit, quod bona stabilia in Territorio acquisivit, quod Joannes Petrus frater uxorem duxit in Civitate Hydruntina, in qua habitat, & in qua honores, & onera suffert, quod bona stabilia, quæ a sua familia possidebantur in Terra, sive Oppido Turris Padulum, fuerunt distracta, nil ultra videatur requiri posse ad effectum demonstrandi, quod ille ad tramites juris domicilium acquisivit in Civitate Hydruntina.

Parum quoque refragante, quod soli Cives Hydruntini ex Summi Pontificis Privilegio sunt admittendi ad gremium Cathedralis illius Civitatis, tum quia id nihil videtur habere commune cum ordinatione, tum quia statim ac Franciscus Civilitatem obtinuit Hydruntinam, dici etiam valet effectus capax Beneficiorum, quæ Summi Pontificis Privilegio Civibus Hydruntinis conferri debent juxta *decis. 73. n. 9. coram Card. Cerro*, in qua aliæ concordantes allegantur.

Adversus hæc, Capitulum Hydruntinum excipit primo, quod Franciscus natus est in Terra Turris Padulum Ugentinæ Diœcesis. Secundo, quod non videtur perfecte acquisivisse domicilium in Civitate Hydruntina. Tertio, quod ipse adscribi nequit servitio Ecclesiæ Hydruntinæ, resistente Bulla Clementis Septimi, in qua statui prætendit, quod omnia Beneficia Diœcesis, etiam Sedi Apostolicæ reservata, solis Civibus originariis conferantur, & resistente dispositione Concilii Tridentini *Sess. 23. cap. 16. de Reformat.* ubi dicitur nullum in posterum ordinandum esse, qui illi Ecclesiæ, aut pio Loco, pro cujus necessitate, aut utilitate assumitur, non adscribatur. Quarto tandem, & ultimo, quia idem Franciscus tempore, quo Hydrunti permanebat, initiatus fuit prima Clericali Tonsura ab Ordinario Ugentino, nullis obtentis Litteris Dimissorialibus ab Archiepiscopo Hydruntino, in quo rerum statu contenditur, quod sicuti ipse in recipienda prima Tonsura fuit adscriptus servitio Parochialis Ecclesiæ Oppidi Terræ Padulum, ita ei permissum esse non valeat locum, cui adscriptus est, deserere, & Ordines ab alio recipere, quam ab Episcopo Ugentino, juxta Statuta in allegato loco Concilii: Ad partes posita Bulla Innocentiana, quia hæc non loquitur in casu, in quo aliquis fuerit adscriptus servitio Ecclesiæ suæ originis.

Quæritur ergo,

An Clericus Francisco Grassi sit promovendus ad Ordines cum Litteris Dimissorialibus Archiepiscopi Hydruntini, vel Episcopi Ugentini in casu &c.

Sacr. Congr. die 1. Aprilis 1719. respondit,

Affirmative quoad primam dubii partem, præstito juramento ad tramites Bullæ, & ad secundam negative.

QUÆSTIO XLVI.

In Causa Romana, seu Sipontina, die 23. Julii 1718.

POST collatam ab Archiepiscopo Sipontino Joanni Pace Clerico Romano suo familiari Mansionariam residentialem, una cum simplici Beneficio, quorum fructus congruam Patrimonii sacri a Synodo Sipontina præscriptam excedebant, exorta fuit controversia, an onera Missarum essent deducenda, ad effectum statuendi, quod ipse haberet sufficiens sacrum Patrimonium pro sacris Ordinibus suscipiendis; cumque *die 27. Novembris 1717.* Sacra hæc Congregatio demandaverit, ut super hoc articulo scriberetur pro veritate, & hoc interim prædictus Clericus, ad evitandam quamcumque controversiam, supplementum obtinuerit ex bonis Patrimonialibus Archiepiscopi Sipontini, itaut, deductis etiam oneribus Missarum, nulla sit amplius controversia, quin ipse habeat sufficiens Patrimonium constitutum partim in Beneficiis, partim in bonis propriis Archiepiscopi, loquendo tamen de sufficientia Patrimonii, non ad tramites Taxæ Urbis, sed ad tramites Taxæ Sipontinæ, fuerunt in proxima præterita Congregatione, a memorato Clerico Joanne Pace preces renovatæ pro facultate ascendendi ad Sacros Ordines, una cum instantia, ut Tribunali Eminentissimi Vicarii Urbis demandetur, quod sibi Litteræ Testimoniales concedantur, cumque Eminentissimo Domino Cardinali Pro-Præfecto meum restrictum de more Eminentiæ Suæ exhibitum perlegenti, articulus visus fuerit exemplaris, mihique demandaverit, ut eum in folio describerem, mandatis ea, qua decet, reverentia, morem gero, & cohærenter ad hæc, disputanda proponuntur dubia ad calcem referenda.

Pro instantia Oratoris facit, nullam videri excitari posse difficultatem in ordine ad supplementum ex bonis Patrimonialibus ad effectum constituendi sufficiens Patrimonium, partim ex dictis bonis, partim ex Beneficiis, id enim nuper fuit admissum ab hac Sacra Congregatione in *Tudertina Cappellaniæ 12. Martii 1718.* Item facit pro eadem instantia, non esse hic, & nunc attendendam Taxam Urbis, sed Taxam Sipontinam; Mansionaria etenim, ad cujus titulum Joannes petit ordinari, non est Beneficium simplex, sed Beneficium residentiale, & quando versamur in Beneficio residentiali, non attenditur Taxa loci originis, sed loci Beneficii, uti resolvit hæc Sacra Congregatio *in Romana, seu Sanctæ Agathæ Gothorum 27. Maii 1713.* Denique in eo, quod attinet ad litteras Testimoniales Oratori concedendas a Tribunali Eminentissimi Vicarii, facit Bulla *Speculatores*, quæ non Dimissoriales, sed Testimoniales Litteras exposcit, quoad Ordinarium originis, quando agitur de ordinando in alio loco, ad quem ipse transtulit domicilium, uti contigisse prætenditur in hypothesi præsenti, in qua Clericus intendit Ordines suscipere ad titulum Mansionariæ residentialis in Diœcesi Sipontina existentis.

Facit e contra adversus instantiam Oratoris, quod ipse ratione originis est subditus Cardinalis Vicarii Urbis, & ad evitandas fraudes, non admittitur supplementum ex bonis Patrimonialibus, nisi in Episcopo originis, itaut, concurrente utilitate, & necessitate Ecclesiæ, ipse solus admittere valeat, ut pro adæquatione Patrimonii sacri fiat unio bonorum Patrimonialium cum Beneficio, juxta late deducta per *Monacell. in Formul. Leg. tom. 3. pag. 227. a num. 20. usque ad 26.* Item facit contra instantiam Oratoris, quod attenditur Taxa non loci originis, sed loci Beneficii, quando Beneficium non solum est residentiale, sed etiam satis est pro congrua Ordinandi subsistentatione; quod in casu nostro non verificatur. Facit demum quod Orator non recepit ab Archiepiscopo Sipontino Beneficium sufficiens ad congruam subsistentationem, uti dictum est, & quod majorem bonorum suorum partem cum instructis ædibus non transtulit ad Diœcesim Sipontinam, nec animum patefacit ibidem perpetuo permanendi, in quibus circumstantiis non Testimoniales, sed Dimissoriales Vicarii Urbis videntur requiri ad tramites Bullæ *Speculatores.*

His stantibus quæritur,

I. *An Oratori indulgenda sit facultas ascendendi ad Ordines sacros ad titulum Mansionariæ una cum supplemento ex bonis Patrimonialibus in casu &c. & quatenus affirmative.*

II. *An eidem dandæ sint a Tribunali Eminentissimi Vicarii Urbis Litteræ Testimoniales, vel Dimissoriales in casu &c.*

Sacr. Congr. respondit,

Ad Primum affirmative. Ad Secundum dandas esse ab Eminentissimo Urbis Vicario Litteras Testimoniales, & Dimissoriales ad normam Taxæ Urbis.

QUÆSTIO XLVII.

In Causa Romana Legatorum, die 23. Julii 1718.

SACERDOS Sebastianus Guidus anno 1640. suam ultimam exaravit dispositionem, in qua hæredem reliquit universalem Hospitale Sancti Joannis Nationis Florentinorum Urbis, ita tamen, ut pro unica vice consequi tantummodo deberet a sua hæreditate summa scutorum quinquaginta monetæ, & in reliquis satisfacere teneretur Legatis, quæ tam in Testamento, quam in Codicillis enumerantur.

Quia vero post demandatum nonnullorum Legatorum adimplementum, idem pius Testator jussit, ut quolibet anno pauperibus Puellis quatuor dotes distribuerentur, & quod nulla dos esse posset major scutis 35. nec minor scutis 30. ea superaddita conditione, ut si unaquæque dos ad scuta 30. ascendere non posset, dotium distributio suspenderetur: *Si sospenda di darle, ancorchè convenisse di star più anni fin a tanto si faccia il moltiplico di poter arrivare almeno a scudi trenta*: & paulo post: *E se non basterà, s'aspetti il tempo che possa bastare, ancorchè si dovesse aspettare molti anni.*

Atque post enarratum Dotium Legatum, idem Testator processit ad relictum plurium aliorum Legatorum, & signanter trium, quæ sequuntur; primi scilicet annuorum scutorum 20. pro lineamentis necessariis pro Ecclesia Sancti Joannis Nationis Florentinorum Urbis; secundi consistentis in solutione unius scuti quolibet mense pro Musica in dicta Ecclesia facienda: & tertii demum scutorum quinque quolibet anno erogandorum in emptionem earum rerum, quæ Pueris accedentibus ad eandem Ecclesiam, ut Christiana Doctrina imbuantur, de more distribuuntur.

Controversia exorta est, an pendente multiplico conficiendo pro dotibus distribuendis, suspendi debeat solutio trium Legatorum, de quibus modo sermo habitus est: cum enim contigerit diminutio redituum hæreditatis, & annuo dotium Legato satisfieri non valeat, nedum juxta Litteram Testamenti, sed etiam ad tramites Sententiæ Reverendæ Fabricæ Sancti Petri, fieri debet fructuum multiplicum, usquequo fructus perveniant ad summam requisitam pro adimplenda dotium distributione.

Exquisitum fuit Votum Eminentissimi Protectoris, qui, auditis Officialibus, & Deputatis Hospitalis, ad quos, juxta legem a Testatore præscriptam, pertinet declaratio, mutatio, & suppletio, quæ pro interpretatione Testamenti necessaria videri posset, sensit, quod, pendente multiplico conficiendo pro dotibus distribuendis, nullatenus sit suspendenda solutio trium Legatorum in Testamento ordinatorum favore Ecclesiæ Sancti Joannis, sed quod illa, etiam pendente dotium multiplico, sint persolvenda, uti desumitur ex docto, & luculento prædicti Eminentissimi suffragio, quod exhibetur una cum Testamento, & Codicillis.

Fundamenta autem hujus assertionis consistunt potissimum in his, quæ sequuntur; ponderatur enim primo, quod Testator in Testamento suspendit dotium distributionem in casu deficientiæ redituum, & quod nullam trium controversorum Legatorum suspensionem demandavit, hinc inferendo, quod tria hæc legata fuerunt a Testatore prædilecta, & quod per consequens ea non sunt suspendenda, sed persolvenda, licet pendeat multiplicum pro dotibus.

Ponderatur secundo, quod Testator in Codicillis, post ordinata alia Legata pro unica vice solvenda, inquit, *che tutto quello che ho detto, e disposto nel presente Codicillo, e sono anche per dire, abbia luogo, ed esecuzione immediatamente dopo i Legati fatti nel Testamento, intendendo avanti le doti, le quali voglio, che siano l'ultime, e prima siano soddisfatti i Legati tutti*; - posito siquidem, quod Legata Testamentaria solvenda sint ante Legata in Codicillis contenta, & quod Legata in Codicillis relicta sint ad tramites voluntatis Testatoris exequenda ante Legatum dotium, sequitur, quod Legata, de quibus agitur, utpote in Testamento relicta, sint solvenda ante

dotium Legatum, & sic, quod pendente pro dotibus multiplico, non sit eorum solutio suspendenda.

Denique ponderatur, quod Testator fuit Officialis, & Administrator Ecclesiæ Sancti Joannis spatio annorum 40. quod in ea sepulturam elegit, quod duo prima Legata respiciunt majorem cultum Divinum, & quod tandem summæ utilitatis est Legatum relictum pro Pueris instruendis in Christiana Doctrina, quasi quod ex his, & similibus præsumi valeat Testatorem nunquam voluisse, quod Legata hæc non solverentur, pendente licet super dotibus multiplico.

Hæc sunt, quæ in voto Eminentissimi Protectoris continentur; quia autem Testator post Legata in Testamento relicta, & illud signanter dotium, transitum fecit ad alia tria Legata, de quibus agitur, adhibitis sequentibus verbis: *Item vuole, che soddisfatti tutti i sopradetti Legati, e quello che lascia all' Erede, se avanzerà qualche cosa di più, il tutto si metta insieme, e se ne paghi scudi venti alla Sagrestia &c. Item di detto avanzo si paghi ancora in caso vi sia, scudo uno il mese alla Musica &c. e scudi cinque l' anno alla Dottrina Cristiana di nostra Chiesa.*

Dubitari idcirco ex alia parte rationabiliter potest, an pendente multiplico super Dotibus, locus esse valeat solutioni trium prædictorum Legatorum; si enim id fieret, non videretur verificatum, quod hæc tria Legata solverentur post satisfactionem aliorum Legatorum, & signanter Legati dotium, & quod ulterius dicta tria Legata solverentur ex eo, quod superest, cæteris aliis Legatis adimpletis.

Adeoque nunc quæritur.

An pendente multiplico super dotibus, suspendenda sit solutio trium Legatorum, de quibus agitur, vel ea potius sint persolvenda pendente, & adhuc non completo pro dotibus multiplico in casu &c.

Sacr. Congr. die 13. Augusti 1718. respondit,
Ad primam partem negative. Ad secundam affirmative.

QUÆSTIO XLVIII.

In Causa Romana, seu Januen. applicationis Legatorum, die 13. Augusti 1718.

JOANNES Baptista Donghius, & Maria Æmilia Teresia ejusdem filia, supplicem libellum Sanctissimo Domino Nostro exhibuerunt, humillime expostulantes, ut fructus Locorum 72. Montis Novennalis a Joanne Augustino Cappello relictorum, ut distribuerentur Pauperibus familiis loci Vultri dominii Reipublicæ Januensis, necnon fructus 80. Locorum ejusdem Montis relictorum, ut dotes distribuerentur decem, & octo Puellis ejusdem loci, ad effectum nubendi, sibi ad tempus determinatum respective consignarentur, primi videlicet Joanni Baptistæ pro alendo semetipso, una cum sua familia, & secundi Mariæ Æmiliæ Teresiæ, ut cum dote condecenti Virum invenire posset, & a Sanctitate Sua fuerunt de more remissæ preces ad hanc Sacram Congregationem.

Petitionis fundamenta consistunt in his, quæ sequuntur; primo in ætate Joannis Baptistæ, qui est constitutus in anno 55. & in ætate Mariæ Æmiliæ, quæ dicitur constituta in anno 26.

Secundo in paupertate, & nobilitate Familiæ, ex eadem etenim ferunt, ortum habuisse Joannem Stephanum Donghium, qui post plura publica munera laudabiliter exercita, Cardinalitiam obtinuit Dignitatem a Summo Pontifice Urbano Octavo, uti pluribus legitur apud *Ciaconium lib. 4. pag.* 631.

Tertio in qualitate petitionis, cum ea non tendat ad destructionem voluntatis pii Fundatoris, sed ad temporaneam suspensionem executionis: petit enim Joannes Baptista pro se, & sua Familia scuta quindecim quolibet mense, & Maria Æmilia instat pro suspensione distributionis Dotium quoad usque constetur summa scutorum quatuor, vel quinque millium, in qua putat consistere Dotem suo statui proportionatam.

Quarto in sanguinis vinculo inter Testatorem, & Oratores intercedente; Joannes quippe Baptista descendit a Benedicta sorore Testatoris, & licet non sit agnatus, est tamen Cognatus, & est cum eo conjunctus in tertio gradu, & Maria Æmilia per consequens est in quarto gradu conjuncta, quasi quod inferri valeat, quod si Testator utrumque videret paupertate laborantem, probabiliter dici valeat, quod facturus esset id, quod nunc fieri postulatur hujus Sacræ Congregationis auctoritate, & multo magis, cum in tantum supponatur, eum non habuisse rationem de hisce sibi conjunctis ex latere Benedictæ fororis, in Legatis mox recensitis, in quantum tunc temporis Familia Donghia divitiis affluebat.

Ultimo, in prædilectione Testatoris erga hos eosdem descendentes ex Benedicta sorore, tum quia ad juspatronatus honorificum Ecclesiæ, & cujusdam Conventus erigendi, extincta linea illorum de Cappellis, vocavit majorem natu ex linea, & descendentia Benedictæ fororis; tum quia in casu pariter deficientiæ lineæ masculinæ illorum de Cappellis, vocavit ad quasdam Cappellanias erigendas, descendentes ex Benedicta sorore; & tandem quia, in quadam Sepultura extruenda facultatem dedit, ut sepeliri possent Cadavera eorum, ad quos juspatronatus Ecclesiæ erat devolvendum, & sic Cadavera eorum, qui a Benedicta sorore descendebant.

Accedunt consimilium gratiarum exempla, nec non favorabilis informatio Eminentissimi Archiepiscopi Januensis, prædicta omnia confirmantis.

Nulla fuit in hac Congregatione capta resolutio, repropositaque Causa in Congregatione habita *die 19. Novembris ejusdem anni*, responsum fuit *Dilata, & ad mentem*, & mens fuit, *quod Eminentissimus Archiepiscopus Januensis informaret super existentia, & paupertate Fratrum Joannis Baptistæ, audita Communitate, & quod extrahi curaret ab æstimo partitam stabilium possessorum a prædicto Joanne Baptista, & quod exhiberetur assignatio locorum Montium facta ab eodem favore Creditorum.* Pro tertia itaque vice reproponitur Causa, quocirca iterum propositum fuit dubium,

An, & pro qua summa sit locus applicationi legatorum in casu.

Sacra Congr. die 27. Aprilis 1720. respondit:

Affirmative, & Emanueli assignentur Scuta tria quolibet mense ex fructibus 12. locorum Montium, & Æmiliæ assignetur ex fructibus 80. locorum Montium dos in Scut. 300. Ita tamen ut uno anno recipiat Scut. 150. & alia Scut. 150. duobus annis sequentibus.

QUÆSTIO XLIX.

In Causa Milevitana, die 13. Augusti 1718.

JOANNES Baptista Simon Vivier natus a Patre & Matre Turcis Sacramentum Baptismi recepit in infantili ætate, & omnibus Sacris Ordinibus, non excluso Presbyteratu, fuit initiatus ab Episcopo Milevitano, qui suæ originis perfectam notitiam dicitur habuisse. Assumptus etiam fuit ad Officium Substituti Cancellariæ Curiæ Episcopalis, & ab Ordinario fuit provisus de Beneficio Ecclesiastico juripatronatus Laicorum; cumque Sedes Apostolica alterum eidem Beneficium contulerit, & ejus nomine quæsitum fuerit ab hac Sacra Congregatione, an indigeret absolutione cum rehabilitatione ad Ordines, necnon nova provisione Beneficiorum, relata fuit ejus instantia inter summaria precum, & Eminentissimus D. Cardinalis Pro-Præfectus jussit, ut in folio describeretur.

Quoad absolutionem cum rehabilitatione ad Ordines, inventa fuit in archivio Sancti Officii epistola scripta Episcopo Milevitano de anno *1696.* in qua fuit eidem data facultas conferendi Joanni Baptistæ Simoni Vivier Ordines Sacros, non excluso presbyteratu.

Præter quam quod irregularitas descendens a Neophytatu, juxta Canones *a Gratiano relatos dist.* 48. sibi vindicat locum in eo, qui fuit baptizatus in adulta ætate, & qui novus est in Baptismate, uti ponderat *Suarez de Censuris disput.* 43. *sect.* 3. *conclus.* 2. *num.* 5. & non applicatur illis, qui in infantili ætate constituti Baptismum receperunt, quemadmodum nec procedit quoad eos, qui licet Baptismum in adulta ætate receperint, post aliquod nihilominus temporis intervallum, & experimentum, idonei ab Ordinario reputantur pro Sacrorum Ordinum receptione, uti ponderat *Gibalin de Irregul. c.* 3. *proposit.* 3. *Diana in editione coordinata tom.* 5. *tract.* 5. *resolut.* 47. *Suarez loco cit. num.* 6. *&* 7. *Sanchez in præcept. Decal. lib.* 2. *cap.* 28. *num.* 11. *Bonacina operum Moral. tom.* 1. *de Irregul. quæst.* 2. *puncto* 1. *proposit.* 3. *num.* 5. *Corrad. in praxi dispensat. lib.* 3. *cap.* 7. *num.* 2. *&* 3. *Ricciul. in tract. de Neophyt. cap.* 3. *sub num.* 4. §. *Pugnantes.*

Quoad novam vero Beneficiorum provisionem in jure statutum est, quod filii Hæreticorum sint incapaces Beneficiorum Ecclesiasticorum, *Textus in cap. Quicumque*, §. *Hæretici de hæret. in* 6. & in jure pariter statutum est, ut promovendi ad Episcopatum debeant esse nati a Parentibus Catholicis, uti habetur *in Constit.* 6. *Gregorii XIV.* §. 9. *Bull. tom.* 2. Formula dispensationis quoad

quoad Beneficia, loquendo de illis, qui a parentibus Mahometanis ortum habuerunt, impressa est *apud Corrad. in praxi dispensat. lib.* 3. *cap.* 7. *num.* 5. Econtra vero cum hic, & nunc non agatur de nato a parentibus Hæreticis, nec quæstio sit de promovendo ad Episcopatum, sed versemur in terminis ejus, qui natus a parentibus Turcis Sacerdotio jam est initiatus, nulla videtur esse necessaria dispensatio quoad consequenda Beneficia, *Ricciul. de Neophyt. cap.* 4.

Adeoque nunc quæritur,

I. *An Orator indigeat absolutione cum rehabilitatione ad Ordines.*

II. *An indigeat nova provisione Beneficiorum, & quatenus affirmative.*

III. *An eidem indulgenda sit absolutio cum rehabilitatione ad Ordines, & cum nova Beneficiorum provisione.*

Sacra Congr. respondit
Ad Primum negative. Ad Secundum negative. Ad Tertium satis provisum in duobus præcedentibus Dubiis.

QUÆSTIO L.

In Causa Tudertina Funerum, die 13. Augusti 1718.

IN Congregatione habita *die 4. Julii 1716.* proposita fuit hæc Causa super puncto Quartæ Funeralis, an ea videlicet esset persolvenda a Conventu, & Patribus Tertii Ordinis Sancti Francisci, Terræ Massæ Tudertinæ Diœcesis, Archipresbytero ejusdem Terræ, & in Congregatione habita *die 8. Augusti ejusdem anni*, negative responsum fuit, Patres videlicet non teneri ad dictam solutionem; quia vero tunc nonnulla indecisa remanserunt, non quoad solutionem Quartæ, sed quoad ejusdem quotam, de his consequenter agitur in præsenti Congregatione.

Primum ergo, de quo nunc agitur, est Frumentum, quod in certa quantitate persolvitur, cum quis moritur.

De hoc Frumento loquendo, contendunt Patres illud venire, & comprehendi sub Quarta Funerali, quia nomine Funeralium comprehenduntur ea, quæ obveniunt occasione funeris, sive ante Corpus reconditum terræ, sive post, & ex his canonica portio debetur juxta originalem theoricam *Zabarel. in Clementina dudum*, §. *Verum num.* 4. *&* 5. *de sepult.*

Absque eo quod prætendi valeat Frumentum hoc solvi titulo Decimæ Sacramentalis, vel illud non fuisse semper a Patribus exactum, non obstante, quod Cadavera in eorum Ecclesiis fuerint tumulata, tum quia in Terra Massæ, Decimæ exiguntur in pecunia, tum quia in re, de qua nunc agitur, antecessorum negligentia nequit successoribus præjudicare, etiamsi negligentia illa esset in facto verificata.

Adversus hæc excipit Parochus, se esse in antiquissima possessione Frumentum exigendi, nec illud venire sub nomine Funeralium, sed esse potius Decimam personalem, vel Sacramentalem; Primo quia ad effectum, de quo agitur, comprehensionis videlicet sub nomine funeralium, non attenditur tempus, sed causa oblationis. Secundo quia Frumentum non ingreditur Ecclesiam cum Cadavere, sed vel immediate transmittitur ad domum Parochi, vel, adveniente tempore recollectæ, consignatur, itaut potius habendum sit pro Decima personali, vel Sacramentali, quæ nihil habet commune cum Decima prædiali.

Frumento succedit pannum, seu linteum telæ albæ, quod appenditur ad Crucem Parochi, cum qua Cadavera associantur, sed in hujus quæstionis examine non est immorandum, cum Patres quoad illam dent manus victas.

Post pannum fermo habendus est de Sudariolo; sciendum est etenim, quod supra pectus Defunctorum collocatur quædam parva Crux, quæ a Parocho datur, & quod Defunctorum manus teguntur Sudariolo, cum quo Cadavera ad Ecclesiam deferuntur.

Asserunt Patres Sudariolum ad se pertinere, & venire sub appellatione Quartæ Funeralis, cum detur occasione funeris, & pro funere, nec illud unquam spectare posse ad Parochum, cum Parochi fundamentum in ea constituatur circumstantia, quod Sudariolum datur in administratione Extremæ Unctionis, quæ res est prohibita in *Taxa san. mem. Innocentii XI. edita anno 1678. prævio consilio hujus Sacræ Congregationis, uti legitur in* §. *Ravimente.*

A Parocho non admittitur, quod Sudariolum comprehendatur sub Quarta Funerali, nec quod detur ex causa administrationis Extremæ Unctionis, tum quia recurrit ratio in superioribus insinuata, quod funeralia non mensurantur ex tempore, sed ex causa, itaut ea sola spectare dicenda sint ad Funeralia, quæ obveniunt causa Sepulturæ, tum quia Sudariolum potius dici valet oblatio facta Cruci, cum Sudariolum non solum detur pro iis, qui moriuntur, recepto Sacramento Extremæ Unctionis, sed etiam pro Infantibus, & pro aliis, qui ex improviso decedunt.

Post hæc nihil aliud superest, quam loqui de Cera, quæ per viam accenditur, & Ecclesiam Patrum non ingreditur.

Propter rationem sæpe insinuatam, quod nomine Quartæ Funeralis veniant emolumenta earum rerum, quæ occasione funeris præstantur, & quæ cum funere deportantur, Patres asserunt, Ceram, de qua nunc agitur, esse comprehensam sub Quarta Funerali, absque eo quod vis ulla fieri possit in assumpto, quod Cera debeatur loco funeris, quod in Parochia antiquitus peragebatur, licet Cadavera tumularentur in Ecclesiis Regularium, cum a Constitutionibus Apostolicis, Decreto irritante vallatis, jam prohibitum fuerit obligare hæredes eorum, quorum Cadavera sepeliebantur in Ecclesiis Regularium ad celebrandas præventive Exequias in Parochiis, uti habetur *in Constit.* 6. §. 6. *Sixti Quarti Bull. tom.* 1. & respondit Sac. Rituum Congregatio in *Senogallien.* 22. *Junii* 1675. cum aliis concordantibus.

Parochus respondet, non agi de Ceris, quæ domi Defuncti accenduntur, & Ecclesiam cum Cadavere ingrediuntur, & cum quibus Cadaver associatur, sed de Ceris, quæ accenduntur per viam, & Ecclesiam non ingrediuntur; in ordine ad quas pro se militare contendit antiquissimam consuetudinem, quam dicit attendendam, non obstante privilegio exemptivo Regularium a solutione Quartæ, cum consuetudo non sit derogativa, sed declarativa privilegiorum.

His stantibus quæritur,

An sub Quarta Funerali comprehendantur Frumentum, Pannum, Sudariolum, & Cera, quæ accenditur, & extinguitur extra Ecclesiam Fratrum in casu.

Sacr. Congr. respondit,
Comprehendi sub quarta funerali frumentum, & ceram, non autem pannum, & sudariolum, & quoad sudariolum S. Congregatio mandavit illud amplius non asseri cum Cadavere, nec ab hæredibus Parocho consignari.

QUÆSTIO LI.

In Causa Fanensi sepulturæ, & Quartæ Funeralium, die 13. Augusti 1718.

ANNO 1715. Pius Georgius, post constructum in Ecclesia Patrum Cappuccinorum Sacellum, Sepulchrum excavare fecit, in quo deinde sepeliri curavit Cadaver Joannis Baptistæ filii in pupillari ætate defuncti, & ab hoc facto ortum habuit controversia inter dictos Patres Cappuccinos, & Parochum Mondavii, intra cujus Parochiæ fines Conventus Cappuccinorum situs est, tum quoad Sepulturam, tum quoad Quartam Funeralem.

Loquendo de Sepultura, Patres Cappuccini asserunt, eam fuisse factam a Pio Georgio pro se, & sua familia, nedum ipsorum accedente consensu, sed etiam prævia licentia Sacr. Congregationis Episcoporum, & Regularium.

Sermonem faciendo de Quarta Funerali, sustinent iidem, se esse exemptos ab ejus solutione, primo in sequelam Privilegiorum, quæ a Summis Pontificibus concessa sunt Religioni Sancti Francisci, cujus ipsi sunt filii juxta Bullam 54. *Summi Pontificis Pauli V. Bullar. tom.* 3. in qua, prævio hujus Sacræ Congregationis consilio, decrevit eosdem esse vere Fratres Minores Sancti Francisci, ejusque filios, & eorum Constitutiones esse Regulæ Sancti Francisci consentaneas, & secundo in sequelam nonnullarum resolutionum hujus ejusdem Sacræ Congregationis, & signanter *die* 21. *Maii* 1678. *uti habetur lib.* 30. *Decretorum pag.* 76. *& pag.* 82.

Adversus hæc, Parochus excipit, obstare Constitutiones Religionis humationi Cadaverum in eorum Ecclesiis, & quod Sacræ Congregationis Episcoporum, & Regularium licentia, in hypothesi præsenti, Patribus suffragari non potest; petente etenim Pio Georgio facultatem faciendi Sepulchrum in eorum Ecclesia pro se, suaque familia, & insinuante Procuratore Generali, quod id tantummodo concedi poterat ipsi, sed non ejus familiæ, Sacra Congregatio die 19. Julii 1715. respondit *Arbitrio Provincialis, & Definitorii*, quod Parochus prætendit impor-

importare tantummodo facultatem Sepulchri pro Georgio, sed non pro ejus familia, ne dicatur arbitrium Provinciali, & Definitorio fuisse concessum derogandi Constitutionibus Religionis.

Addit, in eo quod attinet ad Quartam, non posse PP. Cappuccinos sustinere, se esse ab eadem exemptos, cum proprium exemptionis Privilegium non afferant munitum expressa derogatione *Clementinæ dudum de Sepulturis*, quando in materia de qua nunc agitur, communicatio Privilegiorum non suffragatur: nec pariter suffragatur proprium Privilegium destitutum prædicta derogatione, uti resolutum fuit ab hac Sacra Congregatione *in Astien. Jurium Parochialium* 27. *Novembris* 1717., & 12. *Februarii* 1718., quodque notabilius est, cum idem Parochus asserat, se esse in centenaria, & immemorabili observantia exigendi Quartam Funeralem a Patribus Minoribus Conventualibus S. Francisci, observantia hæc a fortiori dicenda erit militare adversus PP. Cappuccinos.

Tandem Parochus distinguit inter Quartam Funeralem, & Quartam Sepulturæ, & contendit, quod etiamsi Patres Cappuccini dici possent exempti a Quarta Funeralium, nunquam tamen inducta dici posset exemptio a Quarta Sepulturæ, cum Quarta Sepulturæ sit illa portio pecuniæ, quæ solvitur ab hæredibus Defuncti proprio ejusdem Parocho, cujusque exemptio non tendit in Beneficium Ecclesiarum tumulantium, sed in commodum prædictorum Defuncti hæredum.

His stantibus quæritur

I. An erectio Sepulturæ sustineatur pro persona tantum Pii Georgii, vel potius pro tota ejus familia in casu &c. & quatenus affirmative.

II. An debeatur Quarta Funeralis in casu.

Sacr. Congr. die 6. Maii 1719. respondit,

Ad Primum, negative quoad primam partem, affirmative quoad secundam. Ad secundum negative & amplius.

QUÆSTIO LII.

In Causa Neapolitana, Prætensæ Simoniæ, die 13. Augusti 1718.

INSTRUMENTUM stipulatum inter Damianum Mastrotam Sacerdotem, & Michaelem Serranum, & Lucretiam ejus Uxorem, subsellia Judicum Romanæ Curiæ defatigavit; R. P. siquidem Balestra Judex Confidentiarum censuit in dicto Instrumento veram adfuisse simoniam. Fuit hoc ipsum confirmatum in Congregatione Criminali Eminentissimi Urbis Vicarii. Fuit autem hoc retractatum in Congregatione Criminali A. C. sed Congregatio Criminalis Gubernii postremam A. C. Sententiam infirmavit, & postremo hujus ejusdem Causæ examen ad hanc Sacram Congregationem in quinta instantia remissum fuit ab Auditore Sanctissimi.

Ut autem, si non omnia, saltem principaliora, quæ a scribentibus hinc inde deducuntur, oculis FF. VV. in hoc folio exhibeantur, operæ pretium est referre.

Primo, quod in Instrumento stipulato die 18. Novembris 1707. Damianus Mastrota Sacerdos donavit donatione irrevocabili inter vivos Lucretiæ Appartamentum Domus pertinens ad Beneficium, seu Cappellaniam sub titulo Annuntiationis, eaque moriente, ad donationem vocavit Michaelem ejusdem Virum, quod idem Damianus donavit prædicto Michaeli totum id, quod ab ipso tamquam a Patrono dicti Beneficii quolibet anno prætendere poterat pro juribus Sacristiæ, Missarum cantatarum, & aliarum similium rerum, se obligando ad subeundum de proprio onera mox memorata, quod tandem duæ superadditæ fuerunt conditiones, quarum altera fuit, quod hæ donationes durare deberent quoad usque Damianus persisteret in possessione Beneficii, & altera fuit, quod in casu inobservantiæ exbursare teneretur scuta 50.

Secundo, quod Sacerdos Joachinus Villa, qui fuerat deputatus ad complenda onera Missarum annexa Cappellaniæ, sive Beneficio, quoad usque durasset absentia Joannis Pasquedæ, qui dictum Beneficium, sive Cappellaniam obtinebat, fecit prædicti Beneficii, sive Cappellaniæ resignationem die 22. Novembris 1707.

Tertio, quod Michael Serranus, & Antonia de Losa, ad quos jus nominandi ad Cappellaniam, sive Beneficium pertinebat die 24. Novembris ejusdem anni 1707. deputarunt, & nominarunt Sacerdotem Damianum Mastrotam, ut ipse adimpleret onera Missarum, sub obtentu discessus Joachini Villæ a Civitate Neapolis, & quod ea ipsa die fuit admissa nominatio, & intra terminum trium dierum fuit a nominato capta possessio.

Ab hac facti serie, ex publicis actis desumpta, quæque etiam coadjuvatur a depositionibus nonnullorum Testium Examinatorum in Tribunali Nuntiaturæ Neapolis, Andreas Assantes, qui, prævia Patronorum nominatione, fuit ab Ordinario institutus, & Cappellaniam, sive Beneficium obtinuit tamquam vacans propter simoniam a Damiano commissam, contendit de labe simoniaca non esse dubitandum, tum quia faciendo donationem Appartamenti, quod erat de juribus Beneficii, sive Cappellaniæ, & obtinendo subinde nominationem ad Beneficium, sive Cappellaniam, simoniæ confidentialis reus esse dignoscitur ad tramites *Bullæ* 85. *Sancti Pii V.* §. 2. *Bul. tom.* 2. ibi: *ad hæc, plerique Ordinarii, & Collatores, ac etiam Patroni Laici curant deponendi Beneficia, ut fructus, seu pensiones capiant eorumdem, aliisque faciant ministrari*, tum quia hoc idem crimen convincitur ex dimissione ejus, quod erat solvendum per Michaelem Patronum quolibet anno, pro jure Sacristiæ, Missarum cantatarum, & consimilium rerum, uti probat *Textus Alexandri Tertii in cap. Veniens* 10. *de test. & attest.* ibi, *quod prius promisisset, quod unicuique Parochianorum Baviles Vini remitteret, qui Sacerdoti ejusdem Ecclesiæ, qui pro tempore ibi serviret, consueverant pro Beneficio dari.*

Absque eo quod quidquam referat, quod non versamur in Beneficio Ecclesiastico, sed in Cappellania manuali, sive legato pio, & quod Sacerdos Damianus fuit nominatus, & deputatus per modum Provisionis, ut suppleret vices Villæ absentis, quasi quod ex his inferatur, nullum sibi posse simoniam locum vindicare ex defectu subjecti; in eo enim quod attinet ad punctum Cappellaniæ, sive Legati Pii, respondet Assantes hic, & nunc agi de vero Beneficio, tum quia in Litteris Apostolicis Innocentii XI. illud fuit appellatum simplex Beneficium Ecclesiasticum de Jurepatronatus Laicorum, & in aliis Litteris Apostolicis Innocentii XI. concessa fuit dispensatio super ætate ad Beneficia Ecclesiastica requisita, tum quia nominati fuerunt ad ejus titulum ordinati, quod non contigisset in Cappellania pure Laicali, & amovibili ad nutum, & tandem, quia nominationes a Patronis fuerunt expletæ coram Ordinario, fuit ab Ordinario concessa institutio, & coram Ordinario facta fuit dimissio, quæ omnia arguere dicenda sunt veram Beneficii qualitatem, in eoque quod spectat ad deputationem Damiani, non in perpetuum, sed ad tempus, subdit Assantes id non excludere simoniam, cum unice ad effectum simoniæ videndum sit, an res, quæ fuit in contractu deducta, sit nec ne spiritualis, sive Ecclesiastica, non autem an ingressus fuerit titulo institutionis, vel titulo administrationis, uti probat *Textus in cap. consulere de simonia*.

Adversus hæc, excipit Damianus Mastrota nonnulla, quæ ad factum, & nonnulla, quæ ad jus referuntur.

Ad factum refertur, quod alterata prætenditur data Instrumenti donationis, indicat etenim data, illud fuisse stipulatum *die* 18. *Novembris* 1707. & sic ante nominationem expletam *die* 24. *ejusdem mensis*, quando ex eodem Instrumento desumitur, quod processum fuit per viam cessionis, & donationis jurium, & rerum penes Mastrotam jam existentium, in quo rerum statu argui posse videtur, quod Instrumentum fuit stipulatum non ante, sed post nominationem; multoque magis quia Michael Serranus hujusce criminis delator, in libello transmisso fatetur, Instrumentum fuisse confectum *die* 7. *Januarii anno* 1708.

Ad partes positis dictis Testium in Tribunali Nuntiaturæ Neapolis examinatorum; cum etenim ipsi ad summum deponant de confessione extrajudiciali Mastrotæ, atque Serrani, nullum constituere valent probationis gradum, tum quia loquendo de confessione Mastrotæ, non sunt Contestes de loco, tempore, & verbis, tum quia sermonem habendo de alia Serrani, urget animadversio, quod si infectus crimine simoniæ adversus Correum testificari nequit, uti probat *Textus in cap. Veniens*, 10. *de test. & attest.* admitti per consequens nec poterit ejus confessio extrajudicialis, etiamsi esset in facto plene justificata.

Ad jus deinde refertur, quod versamur in Cappellania fundata absque Ordinarii auctoritate, in Cappellania amovibili, & ad quam per modum provisionis, & ad supplendam absentiam Joachini Villæ, Mastrota nominatus est, in qua facti specie conventiones esse possunt illicitæ, sed non simoniacæ, nec obnoxiæ pœnis a jure statutis adversus simoniacos, quemadmodum decisum, & resolutum dicitur in quadam Congregatione particulari habita *die* 8. *Maii* 1704. uti legitur apud *R. P. Petram ad Constitut. Apostolicas tom.* 4. *pag.* 503. *num.* 21. *& seqq.*

Haud

Haud urgentibus Apostolicis dispensationibus, & cæteris aliis supra relatis, pro inducenda qualitate veri Beneficii Ecclesiastici, quia admissa qualitate Cappellaniæ Laicalis, & amovibilis, quæ ex fundatione colligitur, subsequentes actus, utpote ab erroneo supposito derivantes, non sunt habendi in consideratione.

Proposita fuit hæc Causa in Congregat. nec ulla fuit capta resolutio, sed rescriptum fuit: *Dilata, & ad mentem*, & mens fuit, ut ipse exquirerem ab R. P. D. Auditore Sanctissimi de remissione hujus Causæ ad hanc Sacram Congregationem. Cum autem mandatis paruerim, & a dicto R. P. D. Auditore exquisiverim, an resoluta Causa in hac Sacra Congregatione, deberet illa iterum revideri in alio Tribunali, sive in alia Congregatione, qua in re consistebat substantia interrogationis mihi commissæ, & R. P. D. Auditor responderit, se Causam remisisse ad hanc Sacram Congregationem, ut ejus oraculum haberetur in negotio Ecclesiastico, quod varie in variis Tribunalibus definitum fuit, expresse asserendo, quod post hujus Sacræ Congregationis resolutionem, Causa in nullo alio Tribunali, seu Congregatione examinabitur; itaut hujus Sacræ Congregationis oraculum sit futurum ultimum, & decisivum hujus Causæ, in tot aliis Tribunalibus examinatæ. His stantibus, reassumpta Causa die 26. Augusti 1719. quæsitum fuit

I. An constet de simonia in casu, & quatenus affirmative.

II. An, & in quas pœnas incurrerit Mastrota, in casu &c.

Sacra Congr. respondit

Ad Primum, non constare de Simonia, sed donationem fuisse illicitam. Ad Secundum, non incurrisse, & ad mentem, nempe ut Eminentissimus Archiepiscopus mandet, Mastrotam removeri.

QUÆSTIO LIII.

In Causa Feretrana Reductionis Onerum, die 3. Septembris 1718.

LICET a Congregatione super statu Regularium, occasione suppressionis cujusdam parvi Conventus Sancti Augustini de Plano Mileti Feretranæ Diœcesis, fuerit demandatum, quod erigeretur Cappellania perpetua, quod Cappellanus in Conventu resideret, per se ipsum quotidie celebraret, in schola doceret, Parocho auxiliaretur in cura Animarum, & quolibet anno solveret Seminario scuta 20. comperto nihilominus, quod reditus Conventus erant admodum tenues, eadem Sacra Congregatio absolvit Cappellanum a retentione scholæ, & solutionem Seminario faciendam quolibet anno reduxit ad scuta decem.

Prædicta Cappellania de præsenti obtinetur a Sacerdote Paulo Antonio Barnabeo, qui contendit se non esse obligatum ad solvenda prædicta scuta decem Seminario, non quia hæc lex non fuerit imposita a Sacra Congregatione super statu Regularium, sed quia reditus Cappellaniæ nunc non excedunt scuta 20. & obulos 50. ex quibus si detrahantur scuta 8. circiter pro annuis oneribus, non superfunt nisi scuta 12. circiter, ex quibus si essent detrahenda scuta 10. quolibet anno pro Seminario, ipse pro scutis duobus teneretur residere in ædibus Conventus, Missam quotidianam celebrare, & Parochum coadjuvare in exercitio curæ Animarum, ad quæ evitanda absurda, concludit, vel se non teneri ad annuam solutionem scutorum 10. vel esse locum reductioni aliorum onerum Cappellaniæ.

Adversus hæc excipit Seminarium, non esse locum absolutioni ab onere scutorum 10. annuorum, tum quia Testes a Cappellano adducti patiuntur exceptiones in Persona, & in dictis, tum quia eadem bona, quæ aderant tempore suppressionis Conventus, adsunt etiam de præsenti, itaut redituum deterioratio, quatenus esset in facto verificata, in jure non relevaret, utpote procedens ab omissione debitæ culturæ. Similia sunt ea, quæ habentur in relatione Ordinarii. Quocirca, ex juribus ab utraque parte circumferendis, quæritur

I. *An Cappellanus Conventus suppressi Sancti Augustini Plani Mileti teneatur ad annuam præstationem scutorum* 10. *favore Seminarii Montis Feretrani, & quatenus affirmative.*

II. *An, & quomodo sit locus reductioni aliorum onerum dictæ Cappellaniæ in casu.*

Nulla nunc fuit capta resolutio, sed dictum fuit, quod firmaretur status, & examinarentur Testes formiter, auditis interesse habentibus. Factum fuit formale Testium examen, unde iterum proposita Causa die 7. Septembris 1720.

Sacr. Congr. respondit,

Ad Primum affirmative. Ad Secundum dilata, & melius firmetur status, & scribatur Episcopo pro Informatione super necessitate coadjuvandi Parochum.

QUÆSTIO LIV.

In Causa Leodiensi Dispensationis, die 3. Septembris 1718.

PROPOSITA fuit instantia Bartholomæi Beveaux in proxime præterita Congregatione inter summaria precum, & responsum fuit, *quod proponeretur in folio, citata Parte.*

Factum autem ita se habet. Bartholomæus mox memoratus Rector Parochialis Ecclesiæ loci de Bure, Diœcesis Leodien. fuit inhibitus ab Ordinario, ne conversaret cum quadam muliere sub pœna suspensionis a Divinis ipso facto incurrendæ. Non obstante prohibitione, Bartholomæus cum muliere conversavit, & nulla obtenta absolutione, seu dispensatione a Sede Apostolica, Missas celebravit, itaut irregularis factus sit ad terminos *Textus in cap.* 1. *de sententia, & re judicata in sexto, & in cap.* 1. *de sententia excom. in 6.*

Pro obtinenda dispensatione ab irregularitate, dictus Parochus supplices preces Sedi Apostolicæ exhibuit, & audita de more relatione Ordinarii, constat ab eo fuisse adimpletam pœnitentiam impositam, tum vacando exercitiis spiritualibus per duos menses in Conventu Leodiensi Ordinis Eremitarum Sancti Augustini, tum solvendo mulctam pecuniariam scutorum 40.; sed cum ante supplicationem Oratoris, Joannes Philippus Wespin porrexerit in Dataria Apostolica aliam supplicationem; quæ tamen non data supponitur, ad effectum impetrandi Parochialem, hinc est, quod in præsenti sequens proponitur dubium

An sit locus dispensationi ab irregularitate in casu.

Sacr. Congr. respondit.

Pro dispensatione impositis præceptis, nec non Pœnitentiis salutaribus arbitrio Episcopi.

QUÆSTIO LV.

In Causa Bracharensi Reductionis Missarum, die 3. Septembris 1718.

CONFRATERNITAS Misericordiæ Oppidi de Guimaraens Bracharen. Diœcesis huic Sac. Congregationi exposuit, se esse gravatam sequentibus oneribus in propria Ecclesia adimplendis, Missarum videlicet quolibet anno celebrandarum 10365. inter quas 366. debent esse cantatæ, nec non septem Officiorum pro Defunctis, & tandem retinendi quindecim Cappellanos pro servitio Chori. Exposuit ulterius ab Administratoribus, variis temporibus receptam fuisse pro dictorum onerum adimplemento, summam scutorum 33446. Monetæ Romanæ, & in omnibus dispositionibus Piorum Benefactorum, atque contractibus superadditam fuisse obligationem distribuendi in alias diversas eleemosynas id, quod ex reditu superesset, satisfactis oneribus. Exposuit tandem dicti capitalis reditum non excedere hisce temporibus summam annuam scutorum 1705. hisce quoque temporibus auctum nedum esse salarium Cappellanorum, sed etiam eleemosynam Missæ non exiguum habuisse incrementum, tempore etenim, quo Legata fuerunt relicta, & initi fuerunt contractus, eleemosyna Missæ non excedebat valorem medietatis julii, quando hodie est adaucta ad obulos decem, aut duodecim, & in ultima parte supplicis libelli Confraternitas exoravit, ut Ordinario daretur facultas statuendi, quod medietas redituum implicaretur pro celebratione Missarum ad rationem eleemosynæ manualis, & quod alia medietas implicaretur pro salario Cappellanorum, distributione eleemosynarum, expensis Sacristiæ, & reaptatione Ecclesiæ.

Scriptum fuit pro informatione, & Voto Archiepiscopo Bracharensi, qui exposita in facto a Confraternitate confirmavit, ut ex ejus relatione, quæ exhibetur, colligi potest. Addit quod in majori parte piarum dispositionum a se visarum cautum reperitur, ut superextantes reditus, solutis stipendiis applicentur pro alimonia, & cura Pauperum, atque Infirmorum, & quod præstando eleemosynam ad rationem hodiernam pro omnibus Missis acceptatis, nihil superest pro salariis, aut aliis piis operibus explendis, juxta voluntatem Testatorum, itaut opportunum esse videatur, quod medietas redituum implicetur

pro

pro celebratione Missarum, ad rationem eleemosynæ manualis, & quod alia medietas implicetur ad usos pios, curandi videlicet Infirmos, recipiendi Pauperes in Hospitali, alendi Carceratos, & reliqua faciendi pro necessaria domus conservatione.

Habita Archiepiscopi relatione demandatum fuit, quod Causa poneretur in folio, uti habetur ex rescripto edito *die 5. Septembris 1716.* & cohærenter ad hæc renovantur instantiæ a Confraternitate pro onerum reductione ad tramites informationis Ordinarii.

Potissimum petitionis fundamentum constituitur in hoc, quod, stante augmento eleemosynæ Missarum in summa adeo considerabili, locus est earum reductioni, etiamsi loquamur de Missis per contractum acceptatis. Additur, quod licet vera sit regula, quod inter pia opera diversi generis, Missæ postremum sibi vindicent locum, quando agitur de onerum reductione, uti advertit *Bordon. de Legatis cap. 15. n. 35. & 42.* & testando de praxi hujus Sacræ Congregationis prosequitur *Fagnan. in cap. ex parte num. 34. de Constitut.* æque tamen est vera limitatio, quod constito, prout hic constare supponitur, de mente Testatorum, & contrahentium, quod ipsi eodem voluntatis fervore, tam suffragia Missarum, quam alia opera pia demandaverint, & exoptaverint, non est absolute, & simpliciter facienda reductio aliorum onerum piorum, præservatis in totum suffragiis Missarum, sed reductio est proportionabiliter explenda quoad Missas, & quoad alia opera pia, juxta doctrinam *Passerin. de statu Hominum quæst. 187. art. 4. num. 1101.* quam in facti contingentia Sacra hæc Congregatio sequuta est in alia *Bracharen. reductionis onerum die 11. Septembris 1717.* cui adjungi potest alia resolutio in *Causa Narnien. 15. Maii ejusdem anni*, non omissa dispositione *Concilii Tridentini sess. 25. cap. 4. de Reformat.* ubi de hujusmodi reductione agens non proposuit Episcopis unicam tantum animarum purgantium utilitatem ex majori Missarum suffragio provenientem, sed eis concessit statuere circa hæc quidquid magis ad Dei honorem, & cultum, & Ecclesiarum utilitatem expedire vidissent.

Quæritur ergo

An, & quomodo sit locus reductioni Missarum in casu.

Sacra Congr. die 24. Sept. 1718. respondit

Pro transmissione consuetæ Instructionis, & Ordinarius ad tramites ejusdem conficiat Reductionem, quam ad S. Congr. pro approbatione transmittere teneatur, una cum informatione, & ad mentem.

QUÆSTIO LVI.

In Causa Novariensi Aggregationis, die 3. Septembris 1718.

OCCASIONE qua Confratres Societatis Orationis, & Mortis loci Prædarii, juxta ipsorum laudabile Institutum, propriis humeris deferendi, exemplo Tobiæ, corpora pauperum, & miserabilium Personarum decedentium, eaque sepulturæ mandandi, Cadaver cujusdam Viatoris occisi in loco *detto la Cremosina* sepelire volebant in Ecclesia Parochiali S. Petri loci Pogni per unum milliare distantis a Terra Prædarii, inter ipsos ex una, & Gasparem Franciscum Tarlottum dictæ Ecclesiæ Parochum ex altera partibus exorta est controversia, contendentibus Confratribus, quod ille teneretur ad aperitionem januæ Ecclesiæ, & Parocho excipiente se ad id non teneri.

Aperta, his minime obstantibus, fuit Ecclesiæ janua, sed porrecta a Parocho querela adversus Confratres coram Episcopo Novariensi super violentia sibi, ut asserebat, illata pro obtinenda januæ aperitione, expeditum fuit a Confraternitate Monitorium in Tribunali A. C. super observantia, & executione Privilegiorum sibi a Summis Pontificibus concessorum. Post hæc remissa fuit Causæ cognitio ad hanc Sacram Congregationem, & a meo Prædecessore fuerunt subscripta dubia mox referenda.

Adnotasse interea fas sit, quod Privilegia Archiconfraternitatis Orationis, & Mortis in Urbe institutæ, quæ Confraternitatem Terræ Prædarii aggregavit, enarrantur *in Constitut. 22. Pii IV. Bullar. tom. 2.* & in litteris in forma Brevis Urbani VIII. relatis in *Summario Confraternitatis num. 1.* Rursus, quod famigerata Decreta Urbis, & Orbis Congregationis Sacrorum Rituum circa jura Parochialia, & functiones, & præeminentias inter Parochos, & Confraternitates laicorum, eorumque Officiales sunt impressa *in fine libri 12. decis. Rotæ Romanæ in Mantissa post Card. de Luca.*

His positis quæritur

I. *An Confraternitas aggregata gaudeat solum Indulgentiis, vel potius etiam Privilegiis Archiconfraternitatis Aggregantis in casu &c.*

II. *An SS. Eucharistiæ Sacramentum retineri possit in Oratorio Confraternitatis in casu &c.*

III. *An cum licentia Episcopi, & sine consensu Parochi fieri possit in Oratorio Confratrum Expositio infra annum, & præcipue Quadraginta horarum in Octava Defunctorum in casu &c.*

IV. *An Parochus possit impedire celebrationem Missarum solemnium in dicto Oratorio per annum sive pro vivis, sive pro Defunctis, etiam post Missam Parochialem in casu &c.*

V. *An liceat dictæ Confraternitati facere Processiones tam intra ambitum dicti Oratorii, quam extra illum absque licentia Parochi, per cujus Parochiam transeundum est in casu &c.*

VI. *An Cappellanus dictæ Confraternitati possit deferre Stolam in dictis Processionibus in Oratorio tantum, seu etiam extra Oratorium in casu &c.*

VII. *An, & quomodo possit Parochus se ingerere in administratione oblationum, vel eleemosynarum in dicto Oratorio recollectarum, vel capsulæ pro illis recipiendis expositæ clavem retinere in casu &c.*

VIII. *An dictus Parochus possit se ingerere in distributione subsidii dotalis dari soliti quolibet anno a dicta Confraternitate in casu &c.*

IX. *An Confraternitas possit facere suas Congregationes absque licentia, & intercessentia Parochi in casu &c.*

X. *An, & quando Parochus est paratus ad sepelienda Cadavera Pauperum Defunctorum, seu occisorum possit ea sepelire Confraternitas mortis in casu &c.*

XI. *An Parocho dicta Cadavera sepelire, & januas Ecclesiæ aperire recusante, possit eadem Confraternitas ea sepelire in Ecclesia Parochiali, eamque aperire per vim in casu &c.*

XII. *An liceat Cappellano dictæ Societatis facere benedictionem, & distributionem candelarum in dicto Oratorio pro Confratribus, & Sororibus in Festo Sanctissimæ Purificationis in casu &c.*

XIII. *An Processus, & comminatio censurarum contra dictos Confratres sustineatur in casu &c.*

Sacra Congr. die 24. Septembris 1718. respondit.

Ad I. gaudere Indulgentiis, & Privilegiis Archiconfraternitatis Aggregantis. Ad II. affirmative. Ad III. affirmative. Ad IV. affirmative nisi accedat licentia Episcopi. Ad V. ad primam partem affirmative: ad secundam negative nisi accedat licentia Episcopi. Ad VI. affirmative ad primam partem, negative ad secundam. Ad VII. negative. Ad VIII. negative. Ad IX. affirmative. Ad X. negative. Ad XI. affirmative ad formam Bullæ, & ad Mentem. Ad XII. affirmative. Ad XIII. negative.

QUÆSTIO LVII.

Dubia Jubilationum proposita die 24. Septembris 1718.

LICET in jure Canonico cautum non reperiatur, quod Canonicus, sive Beneficiatus, qui Ecclesiæ inservivit spatio 40. annorum, frui debeat exemptione a servitio, &, hoc minime obstante, sit admittendus ad participationem fructuum, & distributionum, uti bene ponderat *Navar. cons. 12. lib. 3. de Clericis non residentibus*, ex quo fortasse infirmitas Canonicorum, & Beneficiatorum, aut gravis eorundem ætas remedium habent Coadjutoriæ, aut indulti vacandi a Choro, durante infirmitate, quemadmodum prosequitur *Card. de Luca de Can. discurs. 15. num. 6. & seqq.*

In Cathedralibus nihilominus, & Collegiatis Ecclesiis, in quibus adsunt statuta, vacationem a Choro, quæ jubilatio dicitur, concedentia Canonicis, & Beneficiatis post servitium annorum 40. jam resolutum est, eadem non esse improbanda, sed toleranda, & Sacræ Congregationis resolutio a Summo Pontifice Gregorio XIII. confirmationem obtinuit, juxta plene relata apud *Garziam de Beneficiis par. 3. cap. 2. §. 1. num. 344.*

Et quod notabilius est, etiamsi non adsint Statuta, praxis inolevit, ut ab hac Sacra Congregatione indulta jubilationis concedantur Canonicis, & Beneficiatis, qui spatio 40. annorum suis Ecclesiis inservierunt, ne Cælestis Militiæ Milites deterioris sint conditionis, quam Milites militiæ secularis, quibus a jure civili vacatio a muneribus, dummodo Veterani essent, liberaliter concessa est, juxta *Textum in leg. a muneribus 6. ff. de vacat. & excusat. munerum, & in leg. 1. Cod. de Veteranis lib. 12.* & praxis memorata non absolute, & simpliciter sibi vindicat locum, sed in hypothesi, in qua plene doceatur de servitio præstito spatio annorum 40. & quidem cum qua-

qualitate *continui & laudabilis*, uti non solum colligitur ex formula indulti, sed etiam desumitur ex rescriptis hujus Sacræ Congregationis, in quibus vel denegata fuit jubilatio, non obstante servitio annorum 40. ex quo ipsum non fuerat continuum, & laudabile, quemadmodum contigit *in Romana Jubilationis 6. Augusti 1712. lib. 62. Decret.* vel jubilatio, quamvis concessa, fuit revocata, quia ostensum fuit servitium annorum 40. non fuisse continuum, & laudabile, uti pariter contigit *in Maceraten. Jubilationis proposita die 22. Februarii 1698. & resoluta die 8. Martii ejusdem anni lib. 42. Decretorum.*

Ea, quæ hucusque deducta sunt, nullam admittere posse videntur controversiam. Ad alia ergo capita difficultas reducitur, pro qua dissolvenda Sacræ Congregationis exposcitur Oraculum, ut tuta videlicet sit via, per quam incedendum est in concessione Jubilationum; primumque difficultatis caput respicit tempus pro jubilatione necessarium, secundum pertinet ad qualitatem servitii, ad eundem effectum requisiti, tertium spectat ad Ecclesiæ qualitatem, in qua Canonicus, vel Beneficiatus inservivit, & quartum tandem refertur ad exemptionem competentem Jubilato post jubilationem indultam.

A primo capite initium desumendo, instant nonnulli pro jubilatione, & de quadragenario docent servitio, sed, in computatione temporis quadragenarii, contendunt habendam esse rationem temporis, quo abfuerunt a servitio Ecclesiæ, obtentis absentiæ indultis, vel ex causa infirmitatis, vel ex causa studiorum, vel ut Ecclesiæ suæ negotiis vacarent, vel ratione munerum, uti sæpe accidit in Basilicis Urbis, in quibus nonnulli Canonici, & Beneficiati, propter munera ipsis a Summo Pontifice collata, aut indultum habent vacandi a servitio Chori *pro diebus, & horis, pro quibus fuerint in aliis commissis muneribus occupati*, vel indultum habent absolute, & simpliciter vacandi a Choro, quoad usque munus duraverit, quod potissimum accidit in his, qui Præfecturas, & officia obtinent extra Urbem.

In terminis absentiæ ex causa infirmitatis, hæc Sacra Congregatio alias censuit, absentiam prædictam non præjudicare jubilationi, dummodo infirmitas fuisset ab Ordinario approbata, & ejusdem Sacræ Congregationis accessisset indultum, uti videri potest *in Bergomen. Jubilationis proposita 4. Julii, & resoluta die 8. Augusti 1716.* in qua agebatur de absentia a servitio Chori pro horis Matutini, & Primæ continuata spatio decem annorum, & habitis a Sacra Congregatione necessariis indultis. In terminis absentiæ causa studii, & quidem prævia licentia Sacræ Congregationis, disputatum fuit, & resolutum, non esse dicti temporis habendam rationem in computo jubilationis, uti videri potest *in Nepesina Jubilationis 28. Novembris 1711. lib. 61. Decretorum*, & in terminis demum indultarii, qui propter Officium Scripturatus Bibliothecæ Vaticanæ indultum habuerat vacandi a servitio Chori *pro diebus, & horis*; articulo examinato, dictum fuit, non esse a jubilatione excludendum propter absentiam, quæ horis, & diebus prædictis contigisse dicebatur, uti videri potest *in Romana Jubilationis proposita 28. Novembris, & resoluta die 12. Decembris 1699. lib. 49. Decretorum*; Absens etenim causa infirmitatis habetur pro præsente, & interessente, etiam ad effectum consequendi distributiones, quod ipsum verificatur in indultario pro diebus, & horis; at secus se habet res in absente causa studii, cui de jure distributiones non competunt, & si fructus in distributionibus consistant, non aliter concedi consuevit indultum, quam dimissa tertia parte.

Transeundo ad qualitatem servitii pro jubilatione necessarii, nonnulli instant pro jubilatione, & pariter docent de quadragenario servitio, sed illud non est uniforme, sed difforme, vel quia in una Ecclesia tamquam Canonici spatio 20. annorum, & in alia per alios 20. annos tanquam pariter Canonici Choro interfuerunt, aut in una tamquam Beneficiati, in alia tanquam Canonici inservierunt, vel quia in una, & eadem Ecclesia inservierunt per totum temporis spatium, sed partim tanquam Beneficiati, partim tanquam Canonici, vel tandem, quia per decem, aut duodecim annos inservierunt tanquam Coadjutores, & per reliquum tempus tanquam Titulares.

In terminis ejus, qui inservierat, partim tanquam Clericus Beneficiatus, partim tanquam Beneficiatus Ecclesiæ Lateranensis, resolutum fuit id non obstare jubilationi, & tempora prædicta esse conjungenda, uti colligitur *ex allegata Romana Jubilationis 12. Decembris 1699.* Fuit e contra denegata jubilatio cuidam, qui in Ecclesia Sanctæ Mariæ Majoris Civitatis Baruli prius inservierat in qualitate Clerici, deinde Subdiaconi, & postremo Presbyteri, uti habetur *in Tranen. Jubilationis proposita 16. Decembris 1710. & resoluta die 1. Januarii 1713. lib. 53. Decretorum.* In terminis autem ejus, qui inservierat partim tanquam Coadjutor, partim tanquam Principalis, constans videtur fuisse opinio Sacræ Congregationis, faciendam esse temporum conjunctionem, cum agitur de jubilatione, uti videre est *in Brixien. 27. Martii 1683. in Novarien. 4. Augusti 1691. in Bergomen. 11. Februarii 1696. & in alia Bergomen. Jubilationis, proposita 4. Julii, & resoluta 8. Augusti 1716. lib. 66. Decretorum.*

Succedit Ecclesiæ qualitas, cui Canonicus, vel Beneficiatus inservivit, & de hac loquendo, aliquando disputari contingit, an parvus Canonicorum, vel Beneficiatorum numerus, qui remanet pro servitio Ecclesiæ, impedire valeat indultum jubilationis Canonico, vel Beneficiato, qui laudabiliter inservivit spatio annorum 40. In antepenultima Congregatione concessa fuit jubilatio Præposito Cathedralis Ecclesiæ Brictinorien. non attenta oppositione Capituli reclamantis, quod tresdecim erant Canonici, & quatuor Mansionarii addicti servitio Ecclesiæ, & quod tres ex Canonicis erant cura Animarum præoccupati, duo mala valetudine præpediti, & alter jubilationis jam fruens indulto; Et quod fortius est, licet novem essent Canonici, comprehenso Præposito, & dempto uno, qui ad Organum, altero, qui ad Confessionarium adstare debebat, demptisque aliis tribus, qui Altari celebrando affistere tenebantur, & sic diceretur tres tantummodo in Choro esse mansuros, Sacra Congregatio censuit esse Præposito concedendum jubilationis indultum, uti videre est *in Ripana Jubilationis 29. Novembris 1710. lib. 60. Decretorum.*

Superest, ut firmo fiat de exemptione, quæ competit Jubilato post concessam jubilationem. In formula jubilationis indulgetur, ut Jubilatus abesse possit a servitio Chori, & interim frui fructibus, & distributionibus. Si Ecclesiæ servitium, & cultus Divinus detrimentum patiantur, disputatum fuit, & resolutum in hac Sacra Congregatione *die 27. Septembris 1659.* quod Episcopus cogere poterat Jubilatos ad inserviendum, uti videri potest *in Aquilana 27. Septembris 1659. ad tertium dubium lib. 21. Decretorum, & in Sabinen. 2. Octobris 1717. lib. 67. Decretorum*, & facit *Textus in cap. cum ad hoc de Clericis non residentibus*, in quo Gregorius Nonus statuit, quod Privilegiati super absentia redire cogantur, si Ecclesia patitur Ministrorum defectum. Quoad residentiam Jubilatorum non video, quod unquam de ea fuerit actum in Congregatione, licet ab eadem resolutum fuerit, quod Parochus, non obstante Coadjutore sibi dato ab Episcopo, ad terminos *cap. 16. sess. 21. de Reform.* residere teneatur, alioquin Parochus litteratus esset deterioris conditionis illiterato, cui datus est Coadjutor, uti, referendo resolutiones Sacræ Congregationis, docent *Garzias de Benef. par. 4. cap. 5. nu. 8. Gallemart. ad cap. 6. sess. 21. Gonzal. super regulam 8. Cancellariæ Glos. 5. §. 9. num. 30.* & non obstante, quod juxta praxim Canonici Coadjuti residere nolentes ex aliqua justa causa, indultum quærant, & obtineant a Sacra Congregatione.

His stantibus, quæritur

I. An indulgenda sit jubilatio Canonicis, & Beneficiatis, qui spatio annorum 40. Ecclesiis inservierunt, licet dicto temporis spatio cum debitis licentiis, & indultis abfuerint ab Ecclesiis, vel ex causa infirmitatis, vel ex causa studiorum, vel pro suæ Ecclesiæ servitio, vel ratione munerum, pro quibus obtinuerunt indulta absendi pro diebus, & horis, vel indulta simpliciter, & absolute absendi ab Ecclesia durante Officio ipsis commisso.

II. An indulgenda sit jubilatio illis, qui inservierunt spatio annorum 40. sed partim in una Ecclesia, partim in alia, aut tanquam Canonici in ambabus, aut tanquam Beneficiati in una, & Canonici in alia, nec non illis, qui in una, & eadem Ecclesia per totum tempus inservierunt, sed partim tanquam Clerici Beneficiati, partim tanquam Beneficiati, & aliquando partim tanquam Beneficiati, partim tanquam Canonici, vel partim tanquam Coadjutores, & partim tanquam Principales, & Titulares.

III. An indulgenda sit jubilatio illis, qui inservierunt spatio annorum 40. non obstante parvo numero aliorum, qui remanent addicti Ecclesiæ servitio, & quis sit parvus numerus inservientium in casu, & ad effectum de quo agitur.

IV. An, non obstante jubilationis indulto, Jubilatus cogi possit ad inserviendum, si Divinus Cultus detrimentum patiatur.

V. An obstante jubilationis indulto, Jubilatus teneatur ad residendum, licet non teneatur ad interessendum.

Fuerunt hæc dubia proposita in hac Congregatione, & fuit dictum, quod iterum proponerentur. Supra expositis ratio-

rationibus operæ pretium visum est sequentia superaddere.

Quoad eos, qui servitium quadragenarium expleverunt, sed partim in una Ecclesia, partim in alia, urgere videtur difficultas, quod monstrosum videretur, quod aliquis exempli gratia jubilationem obtineret, & eximeretur a servitio Ecclesiæ, cui vel per modicum tempus, vel per tempus non quadragenarium inservivit, licet alteri Ecclesiæ inserviverit, & uniendo tempora utriusque servitii, spatium compleverit quadragenarium.

Quoad eos, qui uni, eidemque Ecclesiæ inservierunt spatio quadraginta annorum, sed cum indulto absolute, & simpliciter vacandi a Choro, quoad usque munus duraverit, quod potissimum accidit in his, qui præfecturas, & Officia obtinent extra Urbem, vel cum indulto vacandi a servitio Chori pro diebus, & horis, pro quibus fuerint in commissis muneribus occupati, quod ut plurimum contingit in his, qui ministeria a Summo Pontifice in Urbe obtinent, aliqua videtur adesse inter unum, & alterum casum differentia, in primo etenim, Canonici nullo modo inserviunt Ecclesiæ, loquendo de tempore, quo absunt, quod non contingit in secundo, in quo Canonici inserviunt eo modo, quo possunt, & diebus, & horis, quibus non sunt in aliis exercendis ministeriis occupati. Additur quod Bulla 90. s. m. Innocentii XII. revocavit indulta prioris generis, & dixit expedire, quod in posterum non concederentur, & indulta secundi generis præservavit; & si quid obest Indultariis secundi generis est, quod licet ipsi fruantur omnibus fructibus, distributionibus, anniversariis, & omnibus emolumentis, quibus fruuntur illi, qui intersunt horis Canonicis, non admittuntur tamen ex consuetudine ad participationem ejus portionis, quæ interessentibus accrescit ex aliorum absentia, nisi & ipsi Indultarii sint presentes.

Demum, quoad punctum, an Jubilati teneantur ad residendum, licet non teneantur ad interessendum, adinventæ fuerunt binæ resolutiones hujus Sacræ Congregationis, altera in *Causa Sancti Angeli in Vado* 15. *Aprilis* 1690. *fol.* 256. *lib.* 4. *Decretorum*, in qua dictum fuit, Canonico Jubilato deberi distributiones, nec ad residentiam localem teneri: altera *in Causa Patavina Jubilationis* 9. *Junii* 1714. *lib.* 64. *Decretorum fol.* 217. in qua similiter dictum fuit deberi Canonico Jubilato distributiones, & eum non esse obligatum ad residendum.

His stantibus,

Sacr. Congr. die 17. Septembris respondit

Ad Primum affirmative, quoad absentes ex causa infirmitatis cum debitis licentiis, & indultis, vel pro suæ Ecclesiæ servitio, vel cum Indultis absendi pro diebus, & horis, negative autem quoad absentes ex causis studiorum, & quoad habentes indulta absendi absolute, durante officio. Ad Secundum negative ad primam partem, affirmative ad secundam. Ad Tertium dabitur resolutio in casibus particularibus. Ad Quartum affirmative. Ad Quintum negative juxta Decreta.

QUÆSTIO LVIII.

In Causa Romana dotium, die 24. *Septembris* 1718.

ARCHICONFRATERNITAS Sancti Joannis Decollati, obsequendo voluntati nonnullorum piorum Testatorum singulis annis, nonnullis Puellis Nationis Florentinæ dotes distribuit; cumque aliquando contingat, ut dotes ad Archiconfraternitatem revertantur, vel quia dotata matrimonium contrahit, sed moritur absque liberis, vel quia Puellæ dotatæ nolunt, aut non possunt nuptias contrahere, aut in sæculo, aut in Domino, & ad sublevandam inopiam Ecclesiæ Sancti Joannis Nationis Florentinorum, nulla alia ope saltem pro nunc reparabilem, Archiconfraternitas suum præstiterit assensum, ut dotes, dicto modo ad Dotantem reversæ, vulgo *Doti ricadute*, Ecclesiæ prædictæ commodo applicentur, nec iterum distribuantur per spatium annorum quindecim, exceptis tamen illis dotibus, in quibus filiæ Confratrum prælationem debent obtinere, supplices preces a Deputatis Ecclesiæ Sancti Joannis exhibitæ fuerunt Sanctissimo Domino Nostro pro memoratarum dotium applicatione per spatium annorum quindecim, exceptis illis, in quibus, uti dictum fuit, Confratrum filiæ, & consanguineæ sunt præferendæ, sed inclusis aliis, quæ distribuuntur ex relicto cujusdam Valerii Bonafede.

Fuit a Sanctitate Sua supplex libellus ad hanc Sacram Congregationem remissus, quæ audire voluit Eminentissimum Protectorem, qui sensit, uti mox exponetur.

Censuit itaque Eminentissimus Protector hic & nunc non agi de commutatione voluntatis, sed de benigna interpretatione, & sic esse posse locum gratiæ, tum quia Testatores, excepto Valerio Bonafede, de quo infra agetur, disposuerunt quidem, quod singulis annis dotes tot Puellis distribuantur, sed nihil disposuerunt de dotibus semel distributis, quæque ad Archiconfraternitatem revertuntur; tum quia Doctores de materia scribentes, in ea sunt opinione, quod dotes reversæ non possunt in usus profanos applicari, sed nullus esse videtur, qui, discusso formiter articulo, doceat, quod eædem de necessitate sunt iterum distribuendæ Puellis in sæculo, vel in Domino nupturis, & tandem, quia licet nonnulla loca Pia Urbis hunc usum elegerint, ut has pecunias in iteratas dotes erogent, alia tamen loca Pia non desunt, quæ pecuniæ erogationem in alios usus pios, & non in dotes fecerunt, & eorum factum fuit a Superioribus approbatum, uti specialiter contigit in Archiconfraternitate Charitatis in Ecclesia S. Hieronymi; & quod fortius est, etiamsi versaremur non in voluntatis interpretatione, sed in commutatione, subdit Eminentissimus Protector, esse posse locum commutationi, cum adsit justa causa, cum non deficiat hæredis, hoc est Archiconfraternitatis Sancti Joannis Decollati consensus, & ad Summum Pontificem pro gratia recurratur.

Post hæc, transit Eminentissimus Protector ad dotes, quæ distribuuntur ex relicto Valerii Bonafede, & de his specialiter loquendo asserit, non obstare gratiæ, quod ille expresse disposuerit, dotes reversas esse iterum distribuendas, neque pariter obstare, quod in his dotibus præferantur filiæ Confratrum.

Quod autem non obstet gratiæ, pro qua supplicatur, quod Valerius disposuerit, ut dotes reversæ iterum distribuantur, probat idem Eminentissimus Protector; Primo quia non agitur de totali commutatione, sed de aliquali alteratione, & suspensione piæ dispositionis. Secundo quia applicando Ecclesiæ dotes reversas, pinguius adimpletur Testatoris voluntas, ex iisdem etenim pecuniis satisfit charitati erga proximum, mediante dotis distributione, & Divino Cultui, qui est actus Religionis, & Charitatis immediate erga Deum, assignando usui, & commoditati Ecclesiæ dotem ad Dotantem reversam. Tertio quia, etiamsi ageretur de positiva commutatione voluntatis, semper recurrit argumentum, quod adest assensus hæredis, & quod non deficit justa causa, itaut sit locus interpositioni auctoritatis Summi Pontificis pro gratiæ concessione.

Quod vero non obstet prælatio filiarum Confratrum in dotibus, de quibus nunc agitur, probat Eminentissimus Protector, ex quo ex hæreditate Valerii tot dotes annuatim distribuuntur, ut non solum sufficiant pro dotandis omnibus filiabus Confratrum concurrentibus, sed ulterius nonnullæ remaneant extranei distribuendæ, concludendo, quod dotes istæ relictæ a Valerio sub gratia comprehendi possunt, quoties ab Ecclesia Sancti Joannis emittatur obligatio de illis restituendis in casu, quo dotes solitæ, quæ singulis annis distribuuntur ex fructibus dictæ hæreditatis, non sufficerent pro dotandis omnibus filiabus Confratrum in illo anno concurrentibus.

His positis, quæritur

An, & quomodo sit locus concessioni gratiæ in casu &c.

Sacr. Congr. respondit,
Negative.

QUÆSTIO LIX.

In Causa Romana Dotium, die 24. *Septembris* 1718.

MARIA Boncompagna anno 1679. suum condidit Testamentum, in quo æquis portionibus hæredes sibi scripsit Thomam, & Ursulam, ex Philippo fratre nepotes, & in hoc eodem Testamento nonnullas dotes reliquit distribuendas ab Archiconfraternitate Sanctissimæ Annunciationis, quolibet anno, quatuor Pauperibus Virginibus Monasticam vitam electuris, ad rationem scutorum 50. pro qualibet.

Angela Thomæ filia, quæ degit tanquam educanda in Monasterio Sancti Silvestri, Sanctissimo Domino Nostro supplicavit pro applicatione scutorum 400. ex dictis subsidiis dotalibus a Maria Testatrice relictis, uti mox fuit expositum, ad effectum, ut in dicto Monasterio, Monasticam Professionem emittere valeat.

Supplicationis fundamentum constituitur in laudabili stylo Tribunalium, & præsertim hujus Sacræ Congregationis; novum etenim non est, ut ex subsidiis, quæ relinquuntur Puellis incertis, nonnulla desumantur pro commoditate Puellæ, quæ sit sanguine conjuncta cum Testatore, ut ipsa Monialis effici possit, uti cæteris prætermissis exemplis, in una ex anteactis Congregationibus factum fuit favore Apolloniæ, & Palmæ de Justinianis, quibus assignata fuerunt octo subsidia dotalia, quatuor videlicet pro qualibet, ex his, quæ fuerunt relicta a Cardinali Benedicto Justiniano, ut pauperibus Puellis distribuantur ab Archiconfraternitate Sanctissimæ Annunciationis, idque, si concessum fuit Apolloniæ, & Palmæ, quæ præter agnationem, & cognomen nihil aliud habebant commune cum Cardinali Benedicto, a fortiori Oratrix sperat hoc esse faciendum favore sui, cum ipsa sit proneptis Testatricis.

Accedit, quod Testatrix voluit, quod Puellæ, quibus dos esset assignanda, forte extraherentur, & a lege sortis excepit pauperes Puellas, si nobiles essent. Cum ergo paupertas Oratricis sit notoria, ut ipse testari possum, utpote a Sanctissimo Domino Nostro deputatus, una cum nonnullis aliis Prælatis, ut particulari interfim Congregationi super negotiis Domus Boncompagnæ, & de nobilitate disputatis non videatur excitanda, uti colligitur ex *decis.* 381. *sub num.* 2. *par.* 1. *recent.* quæ edita fuit usque de anno 1519. utriusque qualitatis concursus faciliorem reddere videtur gratiam, pro qua supplicatur.

Instantia Oratricis fuit a Sanctitate Sua ad hanc S. Congregationem remissa, quæ juxta morem, Eminentissimum Archiconfraternitatis Sanctissimæ Annunciationis Protectorem audire voluit.

Sensit autem Eminentissimus Protector, non esse locum gratiæ; primo quia Testatrix disposuit, quod unicuique ex filiabus Ursulæ neptis, quæ matrimonio juncta erat cum Comite Orsino, assignari possent scuta 400. quasi quod, si ita disposuit favore filiarum Ursulæ, & non favore filiarum Thomæ, memoratæ Testatricis voluntas adversari censenda sit assignationi favore Angelæ, quæ est filia Thomæ.

Secundo, quia Maria Testatrix prohibuit derogationem suæ voluntatis, *sotto qualsivoglia pretesto, o causa, benchè necessaria, o necessariissima, etiam di congiunzione di sangue*, hinc inferendo, quod nequit esse locus commutationi voluntatis, in casu de quo nunc agitur, cum eadem sanguinis conjunctioni innixa sit.

Tertio, quia pro distributione quatuor subsidiorum dotalium requiruntur scuta 200. quolibet anno, & juxta statum præsentem dicta scuta 200. non habentur, cum deficiant scuta 38. & ob. 17. Cumque Testatrix in hac hypothesi demandaverit, quod subsidia dotalia non distribuerentur, sed quod fieret multiplicum, usquequo summa necessaria completa sit, *in tal caso ordino, che si debba soprasedere in dare detti sussidj*, tantum abest, ut inquit Eminentissimus Protector, quod fieri valeat horum subsidiorum assignatio favore Oratricis, quod ab omni eorum distributione est supersedendum.

Hæc sunt fundamenta deducta in relatione Eminentissimi Protectoris, quorum unicuique respondere satagit Oratricis Procurator in supplici libello per manus circumferendo.

Dicit autem non obstare primum fundamentum deductum ex permissione Testatricis assignandi scuta 400. pro unaquaque ex filiabus Ursulæ, quod non fuit dispositum favore filiarum Thomæ, quia Maria Testatrix æquali amore est prosecuta Thomam, & Ursulam suos ex fratre nepotes, cum utrosque æqualiter hæredes instituerit; cumque in tantum disposuerit favore filiarum Ursulæ, & non favore filiarum Thomæ, in quantum filiæ Ursulæ erant natæ tempore conditi Testamenti, & familia Ursina, in qua Ursula nupta erat, paupertate laborabat, quando e contra tunc temporis Thomas uxorem non duxerat, & Domus Boncompagna tunc commoditatibus abundabat, hinc est, nullum ex omissione filiarum Thomæ deduci posse argumentum ad rem, de qua agitur, sed præsumptæ potius, & conjecturatæ mentis Testatricis esse posse locum, asserendo, quod si ratione paupertatis sic disposuit favore filiarum Ursulæ, esset hoc etiam factura, si filiam Thomæ videret paupertate laborantem, & subsidio indigentem pro emittenda Professione Regulari.

Dicit ulterius Defensor, non obstare secundum fundamentum desumptum ex prohibitione commutationis etiam sub obtentu urgentissimæ causæ, & conjunctionis sanguinis; quandoquidem assignatio, pro qua supplicatur, non videtur importare commutationem voluntatis, sed interpretationem, & quidem non divinatoriam, sed innixam conjecturis, & argumentis supra relatis, & a Testamento desumptis.

Dicit denique, non esse faciendam vim in suspensione distributionum, quia suspensio suum initium habere poterit post assignationem, de qua nunc agitur, & multo magis, quia de hac suspensione non fuit habita ratio, quando Puellis fuerunt assignata subsidia in totum constantia summam scutorum 2450., & quando quinque filiabus Ursulæ fuerunt data scuta 400. pro qualibet, & sic in totum scuta 2000.

His stantibus quæritur,

An sit locus assignationi scutorum 400. in casu &c.

Sacr. Congr. respondit,
Pro Gratia.

QUÆSTIO LX.

In Causa Casalensi Irregularitatis, die 24. *Septembris* 1718.

SACERDOS Petrus Jacobus Rampini contendit, se non incurrisse irregularitatem, non obstante occisione Angeli Mariæ Colletti, & quatenus irregularis ex dicto Homicidio evasisset, supplicat pro dispensatione.

Contendit autem, se non incurrisse irregularitatem, non obstante occisione Angeli Mariæ Colletti, tum quia hic erat Fur nocturnus, qui se abdiderat in horreo Advocati Vasini, in cujus Domo Sacerdos habitabat, in quo rerum themate urget illud Exodi cap. 22. *si effringens Fur domum, sive suffodiens fuerit inventus, & accepto vulnere mortuus fuerit, Percussor non erit reus sanguinis, quod si, orto sole, hoc fecerit, homicidium perpetraverit, & ipse morietur*; urget, & illud duodecim Tabularum, uti habetur *in l.* 4. §. 1. *ad l. Aquil.* ibi, *Lex duodecim Tabularum Furem noctu deprehensum occidere permittit, ut tamen id ipsum cum clamore testificetur. Interdiu autem deprehensum ita permittit occidere, si is se telo defendat*; urget denique concordans auctoritas Sancti Augustini relata *in cap. si perfodiens* 3. *tit. de homicidio*.

Tum quia non ante Sacerdos sclopum explosit, ex cujus explosione Angelus remansit fauciatus, & mortuus, quam hic Fur infelix lumen extinxisset, quod deferebatur a Catharina Ancilla Vasini Domini Domus, quæ etiam exclamaverat *è qui il ladro*: in his quippe circumstantiis, aut Angeli homicidium secutum dici debet, & factum ad propriam defensionem, itaut exclusa censenda sit quæcumque irregularitas, *juxta Textum in Clementina unica de homicidio*, vel ad minus erit admittendum, quod ignorabatur, an Occisus accessisset, ut alios occideret, vel tantum ut furaretur, quod facit, ut aptabilis sit doctrina allegata Sancti Augustini quæst. 84. in Exodum, ibi, *Intelligitur ergo tunc non pertinere ad homicidium, si Fur nocturnus occiditur. Si autem diurnus, pertineret. Hoc est enim, quod ait, si orietur sol super eum, poterat quippe discernere, quod ad furandum, non ad occidendum venisset, & ideo non haberet occidi.*

Supplicat deinde Petrus Jacobus Sacerdos, in hypothesi, in qua fuisset effectus irregularis, pro benigna dispensatione; primo, quia non versamur in promovendo, sed in promoto; secundo, quia res est de homicidio secuto per accidens, & præter intentionem, in quo post peractam pœnitentiam Homicida non impeditur, quominus in susceptis ministret ordinibus, & ad majores valeat promoveri, juxta textum *in cap. significasti* 15. *de homicidio*.

Hæc, & alia consimilia referuntur in ejusdem supplici libello per manus circumferendo; quia vero illius instantia, relata inter summaria precum, non fuit ab hac Sacra Congregatione admissa, licet pluries fuerit proposita, operæ pretium esse existimavi fundamenta exponere, propter quæ Sacra Congregatio non annuit petitis, ut tutum efformari valeat judicium, & statui, an hic & nunc sit admittendum, quod alias non fuit admissum.

Et in eo quidem, quod attinet ad punctum dispensationis, homicidium secutum fuit mense Maii anno 1716. adeoque juxta praxim, & disciplinam Sacræ Congregationis existimatum est, quod modicum tempus esset elapsum ad effectum dispensandi, licet non agatur de promovendo, sed de promoto.

In eoque, quod spectat ad irregularitatem, si Angelus repertus est in horreo, si extincto lumine, quod a Catharina deferebatur, Sacerdos sibi, vitæque suæ cavere potuisset absque sclopi explosione, aut tacendo, aut se non movendo, & forte sensim fugiendo, homicidium licet Furis nocturni evadit culpabile, juxta Textum *in l. Furem ad l. Cornel. de Sicariis*, ibi, *Furem nocturnum si quis occiderit, ita demum impune feret, si parcere ei sine periculo suo non potuit*, & occidens excusari nequit ab irregularitate, ut in terminis Presbyteri occidentis Furem, qui comprehendi poterat absque occisione, probat Textus *in c. interfecisti de homicidio*, & in terminis occiden-

tis Furem nocturnum, quem videbat se accingentem ad solvenda vincula, quibus tenebatur, itaut de propria occisione timeret, probat Textus *in cap. suscepimus* 10. *tit. de homicidio*, ubi Glossa observat homicidium fuisse culpabile, quia occidens aliter evadere poterat.

His stantibus, quæritur,

An constet de irregularitate, & quatenus affirmative, an sit locus dispensationi in casu.

Sacr. Congr. respondit,

Affirmative quoad primam partem, & negative quoad secundam.

QUÆSTIO LXI.

In Causa Casalensi Commutationis voluntatis, die 24. Septembris 1718.

CAPITANEUS Carolus Trussia in suo Testamento condito anno 1641. suos hæredes gravavit onere faciendi celebrare unam Missam qualibet hebdomada in parva Ecclesia Sancti Valerii loci de Lu Diœcesis Casalensis; cumque Petrus, & alii Fratres de Paravanza, ad quos hæreditas Capitanei devenit, Sanctissimo Domino Nostro supplicaverint pro facultate faciendi dictam Missam celebrare in Collegiata Ecclesia prædicti loci de Lu, & a Sanctitate Sua fuerint preces remissæ ad hanc sacram Congregationem, hæc, audito Episcopo, qui consuluit pro facultate, saltem pro tempore hyberno, propositæ instantiæ inter summaria precum die 21. Maii 1718. rescripsit *Lectum*.

Impetrata autem a Fratribus de Pavaranza nova audientia, instantia in folio reproponitur, & Oratores sperant fieri voti compotes, primo, quia si non impossibilis, saltem difficilis est accessus tempore potissimum hyberno ad Ecclesiam, sive Cappellam Sancti Valerii, utpote sitam in alto, & præcipiti Colle, nivibus, & gelu obsito. Secundo, quia Sacerdotes accedentes ad celebrandum in dicta Cappella ultra incommodum itineris, aliud non leve subeunt incommodum, perquirendi videlicet ejus clavem, quæ modo est apud unum, modo apud alium, & inveniendi ab Ecclesiis distantibus lumen, vinum, aquam, & cætera necessaria pro celebratione Missarum. Tertio, quia Ecclesia Sancti Valerii est adeo angusta, ut Sancti Titularis festum celebretur in Ecclesia Collegiata; Quarto, quia septuaginta septem anni a die conditi Testamenti elapsi sunt, itaut probabiliter credi possit Montem tempore intermedio inaccessibilem evasisse; Quinto, quia ex verbis Testamenti desumi posse videtur, Testatorem non habuisse specialem devotionem erga Ecclesiam, sed ad suffragium Animarum principaliter respexisse. In quo rerum statu quæritur,

An sit locus commutationi voluntatis in casu &c.

Sacr. Congr. respondit,

Negative.

QUÆSTIO LXII.

In Causa Hortana Punctaturarum, die 24. Septembris 1718.

ANNO 1648. Angelus Archiepiscopus Gozzadinus Hortæ, & Civitatis Castellanæ Episcopus, in executionem decreti editi ab hac Sacra Congregatione, concessit Canonicis Hortanis, ut alternatim Choro inservirent, itaut in una hebdomada septem Canonici, in alia sex Choro interessent, exceptis diebus Dominicis, & Festivis totius anni, quibus omnes Officiis Divinis assistere tenerentur, & ulterius idem decrevit, quod pro qualibet die pœna non inservientium constitueretur in Bononenis duobus cum dimidio; & quod punctationes liquidarentur quolibet Trimestri, & solverentur suis loco, & tempore in receptione fructus cujusdam Tenutæ.

Anno 1702. Simon Paulus Aleottus Hortæ, & Civitatis Castellanæ Episcopus, ad tollendas discordias, quæ fuerant exortæ occasione dividendi punctaturas decrevit, quod Canonici in posterum non admitterentur ad participationem harum punctaturarum, quando deficientia cujuslibet ipsorum, sive continuatis, sive interpolatis diebus, ascenderet, quolibet anno, non comprehensis punctaturis Concionum, ad summam scutorum 2. cum dimidio.

Tandem in Synodo celebrata a bonæ memoriæ Episcopo Blasio anno 1715., demandatum fuit, quod in posterum distributiones punctaturarum fierent quolibet Trimestri.

Electo Canonico Virgilio Squarta ad Officium Syndici, eodemque, ratione Muneris, prætendente, quod divisio punctaturarum, quibus plectuntur Canonici, Choro non interessentes, fieri deberet ad tramites Decreti Episcopi Aleotti, & e contra, Capitulo, aliisque Canonicis asserentibus divisionem fieri debere ad tramites decreti bonæ memoriæ Episcopi Gozzadini, & Episcopi Blasii, causaque ad hanc Sacram Congregationem delata, proponitur dubium infra referendum.

Fundamentum Canonici Squartæ reponitur in decreto Episcopi Aleotti, quod, utpote editum in Sacra Visitatione, & tendens ad morum correctionem, videtur observandum, & multo magis cum alias fuerit executioni mandatum.

Absque eo quod quidquam faciant, vel præcedens Decretum Episcopi Gozzadini, vel subsequens Episcopi Blasii; quia Episcopus Aleottus nihil aliud egit, quam aliquid addere Decreto Episcopi Gozzadini, ut eo fortius castigarentur negligentiæ Canonicorum absentium, & Decretum Episcopi Blasii de divisione punctaturarum quolibet Trimestri est compatibile cum Decreto Episcopi Aleotti, cum possint distribui punctaturæ de Trimestri in Trimestre, & ab illarum participatione excludi optime valeant Canonici qui in illo Trimestri punctaturas habuerunt excedentes obulos 62. cum dimidio; Trimestre quippe est quarta pars anni, & obuli 62. cum dimidio, sunt quarta pars scutorum duorum, & obulorum quinquaginta, de quibus in Decreto Episcopi Aleotti.

Adversus hæc Capitulum, & Canonici sustinent, repartitiones punctaturarum esse faciendas ad formam Decreti Episcopi Gozzadini, & Constitutionum Synodalium Episcopi Blasii; tum quia, aut Episcopus Aleottus non potuit derogare Decreto edito ab Episcopo Gozzadino, qui erat Delegatus hujus Sacræ Congregationis, vel quatenus id fieri potuisset ab Episcopo Aleotto, potuit etiam Episcopus Blasius derogare Decreto Episcopi Aleotti; tum quia hoc Aleotti decretum non fuit observantia munitum.

Ulterius Capitulum, & Canonici contendunt, non esse compatibile Decretum Episcopi Aleotti cum Decretis Gozzadini, & Blasii, qui voluerunt punctaturas esse dividendas quolibet Trimestri; potest enim dari casus, quod Canonicus in primo Trimestri, punctaturas habeat ascendentes ad obulos 70. & quod in reliquis anni temporibus idem Canonicus nullas habeat punctaturas. Si divisio punctaturarum fit quolibet Trimestri, Canonicus non participabit in primo Timestri de punctaturis, contra mentem Episcopi Aleotti, qui solummodo privavit participatione punctaturarum Canonicum habentem in toto anno punctaturas in summa juliorum 25.

Ex his, Capitulum contendit, Decretum Episcopi Aleotti non esse compatibile cum Decretis antecedenti, & subsequenti aliorum duorum Episcoporum de punctaturarum divisione quolibet Trimestri.

Quæritur ergo

An, & quomodo facienda sit repartitio punctaturarum in casu.

Sacr. Congr. respondit,

Faciendam esse repartitionem ad tramites Decreti R. P. D. Blasii.

QUÆSTIO LXIII.

In Causa Ferentina Distributionum, die 24. Septembris 1718.

ARMIDORUS Sangiulianus, Rector Seminarii Setiæ, & Custos Ecclesiæ S. Annæ dictæ Civitatis, Canonicatum obtinuit in Ecclesia Sanctæ Agathæ Terræ Proxeudi, & a munere Rectoris, & Custodis remotus fuit auctoritate Episcopi Terracinensis, propter incompatibilitatem cum Canonicatu; cumque Armidorus falsificasse diceretur nonnullas litteras Sacræ Congregationis Episcoporum, & Regularium, necnon Communitatis Civitatis Setinæ, ut iterum Rectoria, & Custodia frui posset, damnatus fuit in contumacia ad Triremes Pontificias per decennium.

Post lapsum nonnullorum annorum, pro gratia supplicavit, & licet instantia fuerit pluries rejecta, Sacra tandem Congregatio Episcoporum, & Regularium pro gratia rescripsit *die* 20. *Martii* 1716. obtentaque gratia, judicium instituit in hac Sacra Congregatione adversus Capitulum Ecclesiæ Sanctæ Agathæ pro restitutione pecuniarum inter Canonicos distributarum tempore suæ absentiæ, & contumaciæ.

Id gra-

Id grave videtur Capitulo, & Canonicis; primo, quia asserunt Canonicatus non habere præbendas distinctas, sed omnes reditus consistere in distributionibus; secundo, quia in Constitutionibus Synodalibus cautum est, quod nullus absens haberi possit pro præsenti in Choro, nisi absit ex licentia Episcopi; tertio, quia juxta praxim, & consuetudinem, si quis sine dicta licentia a Residentia discedat, punctaturis mulctatur usque ad 29. diem suæ absentiæ, & mense elapso, privatur duodecima parte annui reditus, & hæc eadem regula observatur si absentia continuaverit tempore diuturnori; quarto, quia Armidorus absuit ex culpa propria, ratione videlicet gravissimi delicti in sententia contumaciali canonizati; quinto, quia idem ante causam mox memoratam non erat solitus residere, & Choro interesse, in quo rerum themate nunquam ad participationem admitti potest pro tempore absentiæ.

Absque eo quod quidquam faciat, quod fructus Canonicatuum Ecclesiæ Sanctæ Agathæ ad massam grossam rediguntur, & certis anni temporibus distribuuntur, & quod ejus Canonici non habent onus residendi, & eo fortius, cum Ecclesia fuerit erecta in Collegiatam sola Episcopi auctoritate intercedente; tum quia cum fructus dentur ratione laboris, & interessentiæ anniversariis, naturam potius sapiunt distributionum, quam fructuum, licet certis anni temporibus dividantur; tum quia de Collegialitate Ecclesiæ non est dubitandum, licet anno 1564. erecta fuisset, sola Episcopali interveniente auctoritate; cum tunc temporis vigeret opinio inter Doctores, & in Tribunalibus recepta, quod Episcopus, justa intervenientе causa, erigere posset, & instituere Collegiatam, uti plene habetur *in decis.* 1084. *coram Emerix. jun.*

Adversus hæc excipit Armidorus, quod Canonicus abesse potest tribus mensibus quolibet anno absque licentia Episcopi, & quod tempore hujus absentiæ excludi nequit a fructibus, licet excludatur a distributionibus. Præterea contendit, quod reditus Canonicatuum hujus Ecclesiæ, utpote qui non distribuuntur pro singulis horis, sed in fine cujuslibet anni, dicendi sint fructus præbendales, & massæ grossæ, itaut semper revivisçat assumptum, ut ipse pro tempore memoratæ absentiæ ad eorum participationem sit admittendus. Addit, quod in fundatione Collegiatæ non fuit appositum onus residentiæ, seu servitii in Choro, sed tantum celebrationis unius Missæ qualibet hebdomada.

His positis, quæritur

An Canonico Armidoro Sangiuliani debeantur fructus, & distributiones pro tempore, vel temporibus suæ absentiæ in casu &c.

Sacr. Congr. die 19. Novembris 1718. respondit

Negative, & amplius.

QUÆSTIO LXIV.

In Causa Narniensi, Jurispatronatus, die 19. Novembris 1718.

PETRUS de Rapaciolis donavit Patribus Augustinianis Excalceatis juspatronatus sibi competens in Ecclesia Sanctæ Mariæ *del Colle*, una cum ipsa Ecclesia, & situ eidem contiguo, necnon juspatronatus duorum aliorum Beneficiorum erectorum in Cappella Sanctissimi Crucifixi Ecclesiæ Collegiatæ Sancti Nicolai, & intuitu hujus donationis, Patres promiserunt fundare Conventum, seu Hospitium suæ Religionis; cumque ante Conventus, seu Hospitii erectionem Beneficia prædicta vacaverint per obitum Joannis Pauli Factoris, Dominicus de Scipiis præsentationem obtinuit a Patribus Augustinianis, & Nicolaus Leander Paternus fuit præsentatus a Petro Rapaciolo, & inter præsentatos exorta est controversia, quis ex ipsis sit ab Ordinario instituendus in dictis Beneficiis.

Pro Dominico facit, quod ipse est præsentatus a Patribus donatariis, quorum jus salvum esse videtur, cum Donator post donationem nequeat amplius præsentare.

Pro Nicolao vero Leandro facit, quod donatio videtur nullitatis vitio laborare, & quatenus esset valida, contenditur, eam Patribus suffragari non posse in casu, & ad effectum de quo agitur.

Dicitur autem donationem nullitatis vitio laborare, quia quidquid sit, utrum Laici valeant donare Loco Pio sine consensu Episcopi jus præsentandi ad Beneficia Ecclesiastica, existimant nihilominus Doctores, quod illi donare nequeant Ecclesiam, & ejus fabricam, sive titulum, aut proprietatem sine dicto consensu: *Barbos. in cap. cum & plantare num.* 12. *de privilegiis*, *Tamburin. de jure Abbatum tom.* 1. *disput.* 9. *quæstio* 2. *num.* 2. *Monacell. tom.* 4. *pag.* 10. *num.* 118.

Dicitur quoque donationem, quatenus esset valida, Patribus suffragari non posse in casu, & ad effectum de quo agitur, quia quidquid sit, an, corruente modo, corruat donatio, vel potius agendum sit ad oneris implementum; cum tamen tum ex defectu redituum, tum ex dissensu Canonicorum, Parochorum, & aliorum Religiosorum, necnon communitatis, & ab experientia desumatur, impossibilem esse Conventus, sive Hospitii publici fundationem, impossibilitas hæc operari videtur, quod Patres uti nequeant jure præsentandi ipsis cesso sub intuitu, & contemplatione fundationis Conventus, seu Hospitii.

Monitis itaque Patribus ad sua jura deducenda, aliisque informantibus, fuit proposita hæc Causa in hac Congregatione, & responsum fuit: *Præfigatur terminus unius mensis Religioni ad faciendam legitimam renunciationem, eoque elapso, Leander instet.*

Præfixus fuit terminus Religioni Patrum Augustinianorum, quæ solemniter protestata est, se nolle Donationi renunciare, sed tantummodo suum assensum præbere, quod nominatio Beneficiatorum spectet, & pertineat ad Petrum Rapaciolum, quoadusque vivet, & quod pro nulla habenda sit nominatio facta in Persona Dominici Scipii a quodam Patre Felice a S. Agatha suo Religioso Ordinis Augustiniani.

Fuit Causa repropposita in Congregatione habita *die prima Aprilis* 1719. & responsum fuit: *Dilata, & exhibeatur actus Definitorii, in quo dedit facultatem Provinciali ad nominandum.* De hac eadem Causa actum fuit in Congregatione habita *die* 22. *Aprilis* 1719. nec ulla fuit capta resolutio, & tandem in Congregatione habita *die* 6. *Maii* 1719. resolutum fuit: *Sustineri nominationem factam favore Nicolai Leandri Paterni*, impetrataque a succumbentibus nova audientia,

Quæritur

An sit standum, vel recedendum a decisis, in casu &c.

Sacra Congr. respondit

In decisis, & amplius.

QUÆSTIO LXV.

In Causa Messanensi Subsidiorum dotalium, die 19. Novembris 1718.

PAULUS Agliata de Terra Petragliæ inferioris, in ultimo, cum quo decessit, Testamento, inter cætera disposuit, quod quolibet anno occasione solemnitatis Corporis Christi a suis hæredibus consignarentur unciæ 100. ut cum illis nubere possent quinque Puellæ *Orfane di Padri, povere, necessitose, d'età d'anni quindici per infino all'età d'anni venticinque, quali Orfane abbiano da essere figlie di Donne onorate, necessitose, e pericolose, e che non siano difettuose, nè zoppe*, injuncta Deputatis cujusdam Hospitalis lege, easdem antecedenter visitandi, & nomina dotandarum forte extrahendi, & quinque forte extractis assignandi uncias 20. pro qualibet, ut eædem deinde persolverentur futuris earumdem maritis statim post habitam Ecclesiæ benedictionem, uti legitur in particula Testamenti, quæ exhibetur in *Summ. Informanzis*.

Nonnullæ Testatoris Proneptes in maxima egestate constitutæ, Sanctissimo Domino Nostro supplicarunt pro benigna assignatione duplicis annualitatis pro qualibet, ex unciis, quæ Orphanis Puellis a Testatore, uti dictum fuit, relictæ sunt, precibusque ad hanc Sacram Congregationem remissis, scriptum fuit pro informatione, & voto Archiepiscopo Messanensi, qui de paupertate, de conjunctione sanguinis cum Testatore, & tandem de gratiæ congruitate amplissimum dedit testimonium.

Addit informans, quod licet Oratrices non sint orphanæ, sunt tamen consanguineæ Testatoris, quod agitur de præjudicio Puellarum incertarum, quod contemni consuevit, quando agitur de subveniendo his, quæ sanguine conjunctæ sunt Testatori, quod tandem Deputati Hospitalis non habent de quo conquerantur, cum ipsi sint tantum nudi Ministri, & Executores ultimæ voluntatis Pauli Agliatæ.

His stantibus quæritur

An, & quomodo Oratricum precibus annuendum sit in casu.

Sacr. Congr. respondit,

Negative.

QUÆ-

QUÆSTIO LXVI.

In Causa Romana die 19. Novembris 1718.

ANNO 1661. Alexander Papa Septimus indulsit Abbati Generali Congregationis Vallis Umbrosæ, ut ipse, una cum duobus Visitatoribus, aliisque duobus Religiosis, zelo, & doctrina probatis, moderari posset, & reducere onera Missarum suæ Congregationis eo usque suscepta, ad rationem annuæ eleemosynæ scutorum 40. pro qualibet Missa quotidiana perpetua, & Abbas Generalis in executionem hujus Indulti fecit reductionem nonnullorum onerum Monasterii S. Praxedis de Urbe, quæ reditus habebant, sed valde imminutos, observando ad unguem formam sibi præscriptam; & quia nonnulla aderant onera, quæ reditus non habebant, ex quo dos a piis Fidelibus relicta deperierat, vel ob temporum injuriam, vel propter anteriores Creditorum hypothecas, memoratus Abbas Generalis, adhibito consilio quatuor Religiosorum, inter quos adfuit etiam Abbas Ascanius Tamburinus vir pietate, & doctrina probatissimus, novam quamdam excogitavit reductionem, seu moderationem, demandando, ut communia quotidiana suffragia pro dictis Benefactoribus applicarentur, & quod Missa quolibet mense cantaretur, deletis à Tabella oneribus, & eorum loco suffecto in eadem Tabella onere Missæ mensualis, & ita spatio quinquaginta, & amplius annorum fuit pacifice observatum, licet plures Visitationes Apostolicæ fuerint hoc tempore factæ in eadem Ecclesia.

Anno 1710. facta fuit ultima Ecclesiæ S. Praxedis Visitatio, & Prælatus tunc temporis Sacræ Congregationis Visitationis a Secretis, sub obtentu, quod Abbas Generalis non potuisset onera cassare, & recensitam methodum reductionis demandare, jussit, quod respectu oneris relicti anno 1286. a Cardinali Anchero Titulari Ecclesiæ S. Praxedis, & ad participationem Missæ cantatæ, aliorumque communium suffragiorum anno 1661. ut supra, admissi, servaretur in posterum dispositio Testatoris, quæ exsculpta antiquo Lapide in Claustro Monasterii posito legitur his verbis.

In Dei Nomine Amen. Anno Incarnationis Domini 1286. *in die omnium Sanctorum obiit piæ memoriæ Dominus Ancherus Presbyter Cardinalis istius Ecclesiæ Sanctæ Praxedis, pro cujus Animæ remedio dati sunt eidem Ecclesiæ in possessionibus* 51. *floreni aurei; Crux, & Candelabra argentea, & constructa in ea Cappella cum Altari, ob reverentiam omnium Sanctorum, & debet in Cappella ipsa lampas ardere semper, & ter in qualibet septimana Missa, & in sequenti die post diem Animarum quolibet anno per Monachos ipsius Ecclesiæ celebrari Anniversarium solemne pro ejusdem Cardinalis anima, quæ requiescat in pace. Amen.*

Adversus hoc Prælati Sacræ Congregationis Visitationis a Secretis Decretum, Abbas, & Monachi S. Praxedis recursum habuerunt ad hanc Sacram Congregationem, quæ juxta morem audire voluit informationem, & Votum Eminentissimi Cardinalis Protectoris, cumque ipse asseruerit, sibi fuisse plene demonstratum ex perantiquis libris Monasterii, omnia, & singula, quæ ab ipso nunc possidentur, stabilia habere origines omnino diversas, & Monasterium nihil possidere, quod proveniat a Cardinali Anchero, & sic concluserit potuisse Abbatem Generalem, vigore facultatis Apostolicæ sibi indultæ, hoc onus cassare, vel potius reducere modo in superioribus exposito; & multo magis, cum verisimile admodum sit, quod floreni 51. auri a Cardinali relicti non fuerint annus fructus, sed potius integer valor possessionis legatæ, quæ in tot Urbis vicissitudinibus, & ob tantum temporis lapsum deperdita sit, quæritur

An in futurum servanda sit dispositio Cardinalis Ancheri, vel potius locus esse debeat ejusdem oneris reductioni, seu moderationi factæ ab Abbate Generali Congregationis Vallis Umbrosæ anno 1661.

Sacra Congr. respondit
Ad primam partem affirmative, ad secundam negative.

QUÆSTIO LXVII.

In Causa Spoletana Quartæ funeralis, die 19. Novembris 1718.

LICET juxta Apostolica Privilegia, Religio Franciscana sit exempta a solutione Quartæ, uti habetur *in decis.* 179. *coram Rojas, & in decis.* 263. *par.* 15. *recent.* Patres Minores Conventuales S. Francisci Terræ Montis Leonis Diœcesis Spoletanæ nihilominus non detrectant solvere Parocho Ecclesiæ Parochialis S. Nicolai ejusdem Terræ tertiam partem cerarum, quæ ad ipsos deveniunt, occasione funerum illarum personarum, quæ in ipsorum Ecclesia eligunt sepulturam; sed eodem contextu prætendunt sibi a dicto Parocho consignari tertiam partem cerarum, quæ ad ipsum deveniunt occasione funerum, seu Cadaverum, quæ in ipsius Ecclesia Parochiali tumulantur, & hujus reciprocæ solutionis fundamentum reponunt in antiqua consuetudine, quam nonnulli Testes dicunt antiquam, & notoriam, nonnulli asserunt esse immemorabilem, uti signanter colligi potest ex primo, & tertio Teste. Ex partitis quoque a libro Conventus extractis inferri existimant, quod consuetudo vigeret usque ab anno 1616. & sic concludunt, se bonum jus fovere, vel in sequelam immemorabilis, vel in sequelam ad minus centenariæ, quæ immemorabili æquipollet.

Addunt non deesse rationem, cui hæc innititur consuetudo, cum ipsi strenue se gesserint, & gerant in his, quæ pertinent ad Cultum Divinum, & ad Sacramentorum administrationem. Nullatenus attenta exaggerata Parochi paupertate, vel quia proprio juri cedere non tenentur, ut alienæ succurrant inopiæ, vel quia Ecclesia Parochialis in præsenti ea omnia possidet stabilia, quæ antiquitus possidebat, in quo rerum themate non est habenda in consideratione paupertas, utpote a mala bonorum cultura descendens.

Adversus hæc Parochus Ecclesiæ S. Nicolai excipit, & asserit sibi a Patribus deberi tertiam partem, quoad emolumenta, quæ in die humationis Cadaverum in eorum Ecclesia offeruntur, & in medietate quoad ea, cum quibus ad dictam deferuntur Ecclesiam, & ulterius, se non teneri ad ullam Quartæ Funeralis præstationem pro Cadaveribus, quæ in sua tumulantur Ecclesia.

Asserit autem, sibi deberi a Patribus tertiam partem, & respective medietatem emolumentorum, cum hæc quantitas sit præscripta in Constitutionibus Synodalibus, absque eo quod quidquam referant afferta Apostolica Privilegia, vel quia non ita pacificum est, quod hi Religiosi sint exempti a solutione Quartæ, cum allegatæ Decisiones prodierint, aut Patribus tantum informantibus, aut non examinata funditus materia, vel quia propter applicatas Parochiæ decimas favore Beneficiati Ecclesiæ Sanctæ Mariæ *del Piano*, Ecclesia Parochialis redacta est ad statum adeo miserabilem, ut Subcollector spoliorum non potuerit tempore vacationis exigere nisi scuta 30. subdendo quod in casu, de quo nunc agitur, Apostolica Privilegia Patribus suffragari non valeant propter maximum Ecclesiæ Parochialis præjudicium, ad terminos *Textus in cap. suggestum de decimis.*

Asserit deinde Parochus, se non teneri ullo modo ad solutionem Quartæ pro Cadaveribus, quæ in sua sepeliuntur Ecclesia; primo, quia hoc est contrarium dispositioni juris. Secundo, quia consuetudo a Patribus allegata non est attendenda, cum non sit uniformis, prætendit enim non semper ab illis fuisse exactam Quartam Funeralem pro Cadaveribus in Ecclesia Parochiali tumulatis, & cum eadem coalescat ex actibus facultativis, & metam ad summum centum annorum non excedat, quando in re, de qua nunc agitur, utpote habente contra se juris dispositionem, aut immemorabilis, aut quadragenaria cum titulo esset necessaria. Nonnulli præterea Testes referunt, Patres se laudabiliter non gerere in Sacramentorum administratione, & sic cessare titulum exactionis controversæ Quartæ.

Jura a partibus hinc inde deducuntur, adeoque nunc quæritur

I. *An Parocho Ecclesiæ Parochialis Sancti Nicolai Terræ Montis Leonis debeatur a PP. Minoribus Conventualibus Sancti Francisci dicti loci Quarta Funeralis pro Cadaveribus, quæ tumulantur in eorum Ecclesia in casu &c.*

II. *An eadem Quarta Funeralis debeatur a Parocho dictis Patribus pro Cadaveribus, quæ tumulantur in Ecclesia Parochiali in casu &c.*

Sacra Congr. respondit,
Dilata, & examinentur Testes formiter, & recognoscantur Libri tam Parochi, quam Fratrum.

Repropositа Causa, die 13. Januarii 1720. responsum fuit, *Dilata, & proponatur exhibitis libris.* Tandem, die 13. Aprilis 1720. iterum repropositа responsum fuit: *Ad utrumque affirmative & amplius.*

QUÆ-

QUÆSTIO LXVIII.

In Causa Mantuana Applicationis Sacrificii, die 19. Novembris 1718.

IN fundatione cujusdam Cappellaniæ facta a Joanne Francisco de Gonzaga Mantuæ Domino in Altari Majori Ecclesiæ Monasterii Monialium Corporis Christi ejusdem Civitatis habentur hæc verba: *Magnificus, & Potens D. D. Joannes Franciscus de Gonzaga Mantuæ Dominus, attendens quod in vanum extruuntur Ecclesiæ, nisi in eis divina dicantur Officia, celebrentur & Missæ, cognito quod Ecclesia dedicata sub titulo Corporis Christi dote caret, sitque opus Cappellano, qui ibidem, ut requiritur, celebret Missam pro satisfactione, & Voto Venerabilium Monialium degentium ibidem, pro se, & socio, sive Clerico necessariis, quoad victum, vestitum, & tectum ad sufficientiam provideri, ne de cætero in ipsa Ecclesia Cappellani carentia continua Missarum desinat celebratio, quam ad majus meritum, & satisfactionem ipsarum Dominarum quotidianam esse desiderat, sponte donavit &c.* & ab horum tenore verborum oritur dubitatio, an Cappellanus teneatur Missam applicare pro Anima pii Fundatoris.

Facit pro applicatione, quod Missa est applicanda pro Fundatore, licet ipse applicationem non expresserit, juxta resolutionem hujus Sacræ Congregationis *in Tinen. applicationis Sacrificii die* 18. *Augusti* 1668. *lib.* 26. *Decretorum fol.* 61. cui hæc Sacra Congregatio temporibus subsequentibus passim adhæsit.

Facit e contra, quod ex verbis Fundatoris colligi videtur, ipsum demandasse Missæ celebrationem pro commodo Monialium, in quo rerum statu celebratio videtur præscripta, sed non applicatio, ut in terminis fundationis Cappellaniæ cum onere quotidianæ celebrationis quadam hora determinata, *acciò molti occupati da' negozj possino andare a sentirla, & in ispecie gli Scolari quando escono dalla Scuola*, respondit hæc Sacra Congregatio *in Collen. applicationis Sacrificii* 17. *Decembris* 1679. *lib.* 40. *Decretorum fol.* 4. & in terminis Cappellaniæ erectæ cum onere perpetuæ celebrationis Missæ *all' ora che dalla Dama Superiora del Monistero di S. Orsola gli sarà prescritta, e disegnata per il comodo delle sue Monache*, respondit hæc eadem Sacra Congregatio *in Tricastinen. applicationis Sacrificii, quæ fuit proposita die* 18. *Julii, & resoluta die* 8. *Augusti* 1711. *uti habetur lib.* 61. *Decretorum fol.* 332. *& fol.* 358.

His stantibus quæritur

An Cappellanus teneatur Missam applicare pro suffragio Animæ Fundatoris, vel potius teneatur ad solam Missæ celebrationem in casu &c.

Sacr. Congr. respondit,
Negative quoad primam partem; affirmative quoad secundam.

QUÆSTIO LXIX.

In Causa Astensi Beneplaciti, die 19. Novembris 1718.

AUDINUS Cagna in suo ultimo, cum quo decessit Testamento, condito die 18. Aprilis 1692. inter cætera disposuit, quod singulis annis distribueretur Pauperibus Oppidi Sanctæ Victoriæ eleemosyna librarum 50. quod solverentur libræ 100. pro eleemosyna Concionatoris Quadragesimalis dicti Oppidi, & quod solverentur quinque dotes librarum 100. pro qualibet quinque Puellis ejusdem Oppidi cum prælatione tamen favore suarum Consanguinearum: Scriptisque subsequenter hæredibus universalibus Patribus Sancti Philippi Civitatis Taurini, alia adjecit onera, celebrationis videlicet perpetuæ duarum Missarum quotidianarum, & quod superextantes reditus suæ hæreditatis in alia opera pia impenderentur, reservata tertia parte summæ superextantis pro eleemosyna Patrum Cappuccinorum loci de Brà, & non adimplentibus Patribus S. Philippi onera imposita, substituit cum iisdem gravaminibus Patres Prædicatores Conventus S. Vincentii ejusdem loci de Brà.

Sequuto Testatoris obitu, Patres S. Philippi renuntiarunt hæreditati, eademque delata fuit ad Patres Prædicatores, qui eam adiverunt cum beneficio legis, & Inventarii, habitoque recursu ad Vicarium Generalem Astensem, ab eodem obtinuerunt *die* 2. *Aprilis* 1696. sententiam, in qua declaratum fuit, quod, stante redituum insufficientia pro oneribus adimplendis, tenerentur ipsi quidem ad integram celebrationem duarum Missarum, sed in eo, quod attinet ad dotes relictas in summa librarum 100. pro qualibet, tenerentur ad solas libras 50. & in eo, quod spectat ad eleemosynam librarum 50. tenerentur tantummodo ad eleemosynam 30. cumque non obstante hujusmodi reductione, iidem Patres Prædicatores pro nova reductione institerint coram eodem Vicario, & Communitas Oppidi S. Victoriæ, de cujus interesse agebatur, se huic novæ opposuerit reductioni, deventum fuit *die* 23. *Aprilis* 1715. ad transactionem.

Pro hujus autem intellectu transactionis, operæ pretium est adnotare, quod Paulus Franciscus, & Catharina Conjuges de Riva, & Incolæ Oppidi Sanctæ Victoriæ favore Conventus, & Patrum donationem fecerunt *die* 9. *Maii* 1705. universalem omnium bonorum suorum, locum tamen habituram post obitum utriusque, impositо Donatariis onere perpetuo duodecim Missarum quolibet anno.

Tota igitur transactio consistit in cessione, quam Patres faciunt Communitati Sanctæ Victoriæ nonnullorum Censuum, & omnium, & singulorum bonorum existentium in eo loco, & pertinentium tam ad hæreditatem Audini, quam ad donationem Conjugum de Riva, quæ omnia juxta relationem Vicarii Capitularis Astensis ascendunt ad capitale scutorum 1200. monetæ Romanæ, & ad annuos fructus in scutis 50. Cedunt præterea iidem Patres Communitati nonnulla nomina debitorum parvi momenti, & fere inexigibilia absque ulla obligatione evictionis, & e contra iidem Patres retinent possessionem aliorum bonorum, & Censuum conflantium in totum capitale scutorum 3800. & annuum reditum scutorum 167. 40. & bona, quæ dimittuntur favore Communitatis, spectant ad hæreditatem Audini, demptis scutis 160. quæ pertinent ad donationem illorum de Riva, & bona, quæ ab iisdem Patribus detinentur, sunt pariter hæreditaria Audini Cagnæ, dempto Censu in forte scutorum 40. & in reditu scutorum 2. & 40. qui est suppositus donationi dictorum de Riva.

A bonis ad onera transeundo, & tenorem transactionis quoad hanc partem exponendo, in eadem habetur, quod Patres debeant imposterum adimplere integram celebrationem tam duarum Missarum perpetuarum ab Audino relictarum, quam aliarum duodecim quolibet anno celebrandarum, juxta legem appositam in donatione illorum de Riva, & quod Communitas alia onera subire teneatur, solutionis scilicet dotium, & eleemosynæ persolvendæ Concionatori, & Pauperibus, superadditis tamen sequentibus conditionibus, primo videlicet quod Communitas ad dicta onera teneatur *per quanto si estenderanno le rendite de' beni, ed effetti, come sopra da detto Convento ceduti*; exponitur enim in relatione Ordinarii, quod onera annua, quæ Communitas assumit in sequelam transactionis ascendunt ad scuta 76. secundo, quod ab Ordinario persona eligatur, quæ bona cessa administret, & tertio, quod in casu insufficientiæ redituum pro integro onerum implemento præferenda sit semper eleemosyna Concionatoris.

Factis hisce inter Partes conventionibus in publicum Instrumentum redigendis post obtentum Apostolicum Beneplacitum, supplicatum fuit huic Sacræ Congregationi pro ejus concessione, & negotii cognitio fuit remissa ad Eminentissimum Alterium, qui *die* 16. *Martii* 1716. fuit in Voto, quod Beneplacitum denegaretur, & quod Patribus potius suaderetur, quod deficientibus reditibus instarent pro onerum reductione, & Sacra Congregatio *die* 2. *Maii ejusdem anni* respondit *transactionem non esse confirmandam, nec esse locum Apostolico Beneplacito*; cumque adversus hanc resolutionem supplicantes novam obtinuerint Audientiam, novæque subsequenter datæ fuerint litteræ Ordinario pro Informatione & Voto, tandem *die* 15. *Januarii hujus anni* 1718. demandatum fuit, quod Causa poneretur in folio.

Causa in folio descripta ad tramites mandati Sacræ Congregationis, iterum instant Patres pro confirmatione concordiæ, & pro concessione Beneplaciti Apostolici, & putant non obesse primam difficultatem alias excitatam, quod non potuerit Ordinarius onera reducere, quandoquidem asserunt, nullam factam fuisse onerum reductionem, sed Ordinarium tantummodo calculatis fructibus hæreditatis declarasse dotes, & eleemosynam esse in tali quantitate persolvendas; putant ulterius non obstare, quod in obligatione Communitatis non fuerint servatæ debitæ solemnitates, dicunt quippe, se non esse deventuros ad stipulationem Instrumenti, nisi præmissis præmittendis; putant denique divisionem bonorum in transactione conventam non importare derogationem voluntatis Testatoris, inquiunt siquidem, quod cessio facta Communitati, sicuti videtur expediens pro conservatione bonorum, ita dici nequit contraria voluntati Testatoris; cum etenim Patres habeant Conventum in loco de Brà, & locus hic distet

distet ab Oppido S. Victoriæ, ubi reperiuntur bona cessa, poterit Communitas per personam ab Episcopo eligendam, rite, & recte bona administrare, quod non erit, nec est Patribus facile, utpote ab Oppido distantibus, & multo magis, cum hac de causa ædificia sint ruinosa, & campestria tendant ad sterilitatem.

Hæc sunt in Causa; quocirca quæritur

An transactio sit confirmanda, & locus sit interpositioni Beneplaciti Apostolici in casu &c.

Sacr. Congr. respondit,

Negative, & cassata reductione facta per Curiam Episcopalem, Patres instent in Sacra Congr. pro reductione,

QUÆSTIO LXX.

In Causa Romana Canonicatus, die 3. Decembris 1718.

HIERONYMUS de Pace Canonicus Collegiatæ Ecclesiæ Sancti Hieronymi Illyricorum de Urbe obtinuit die 7. Julii 1714. licentiam absendi a Residentia sui Canonicatus per sex menses, ut se transferre posset ad Civitatem Curzulen. suam Patriam, in qua litem habebat super quadam Cappellania Laicali, a se possessa, & nullam residentiam requirente: cumque die 9. Julii ejusdem anni R. P. D. Vicesgerens, cujus arbitrio, & conscientiæ fuerat a Sacra Congregatione remissa licentia, eam per sex prædictos menses concessisset, idem discessit ab urbe die 10. Julii.

Instante Promotore Fiscali Curiæ Eminentissimi Pro-Vicarii, relaxatæ fuerunt die 21. Januarii 1717. litteræ citatoriales per edictum adversus eumdem, ut ad suam residentiam rediret, quæ die 9. Februarii ejusdem anni fuerunt affixæ ad Januas Cancellariæ Episcopalis Civitatis Anconæ; cumque similis earumdem litterarum executio facta fuerit die 5. Aprilis, & die 6. Maji 1717. in Urbe, deventum fuit ad sententiam privationis Canonicatus die 17. Decembris ejusdem anni.

Advenit Urbem Hieronymus Pace die 31. Decembris ejusdem anni 1717. & die sequenti, quæ fuit prima anni 1718. se transtulit ad Ecclesiam, & Officiis Divinis interfuit, & usque ad præsentem diem interesse non destitit, & interposita appellatione a sententia privatoria Canonicatus, fuit ab Auditore Sanctissimi Causa remissa ad hanc Sacram Congregationem.

Pro parte Fiscalis Curiæ Vicarii, dicitur rite, & recto deventum fuisse ad sententiam privatoriam Canonicatus, fuit enim ter citatus, & licet fuerit citatus per edictum, hæc tamen forma erat servanda, ex quo ipse degebat apud Illyricos, itaut vel tutus non esset accessus, vel magna saltem distantia denegari non posset, juxta tradita *per Ventrigl. in praxi Eccles. parte 1. annot. 19. §. 3. num. 7.* Fuit præterea Canonicus expectatus per triennium a Concilio Tridentino *sess. 24. cap. 12. de Reformatione* præscriptum; cumque a die ultimæ citationis usque ad diem prolationis sententiæ elapsi fuerint sex menses, & ultra, contendit Fiscalis nihil aliud requiri pro validitate, & justitia sententiæ, juxta Textum *in cap. Ex tuæ de Clericis non resident.* cujus dispositio fuit a Concilio Tridentino præservata, uti ponderat *Fagnan. in allegato capit. num. 35.* cumque *die 29. Maii currentis anni* 1718. Camerarius electus fuerit in Capitulo, cui Canonicus Pace interfuit, subdit Fiscalis non esse de hac electione habendam rationem, cum, pendente appellatione, non esset eidem premissum se in actibus Capitularibus ingerere citra vitium attentatorum.

Adversus hæc Hieronymus Pace excipit, asserendo sententiam privationis nullitate, & injustitia laborare; nullitate quidem, tum quia unusquisque sciebat locum, in quo ipse degebat, in quo rerum statu citatio debebat esse personalis; non attenta responsione, quod tutus non aderat accessus, quia in actis non fuerunt exhibitæ probationes de non tuto accessu; tum quia, quatenus procedi potuisset per edictum, illud erat affigendum non in Civitate Anconæ, nec in aliis locis Urbis, sed in Ecclesia Beneficii, seu Canonicatus juxta *textum in cap. ex tuæ de Cler. non Resident.*

A nullitate transeundo ad injustitiam, inquit Hieronymus de ea constare, non solum quia ipse aberat ex justa causa videlicet litis super sua Cappellania, sed etiam quia, attento jure Concilii Tridentini, antequam quis privari possit Canonicatu, expectandus est lapsus trium annorum, & transacto tertio anno, trina citatio per edictum est adversus absentem expedienda, & deinde expectari debet per alios sex menses, antequam deveniri valeat ad privationem, juxta firmata per *Fagnan. in citat. cap. Ex tuæ num. 14. & num. 35. de Cleric. non Resident.* quod non fuisse observatum in hypothesi contendit, cum a calculo potissimum Triennii, & aliorum sex mensium a Concilio requisitorum demendum sit semestre, quo abfuit ex licentia Sacræ Congregationis, quo currente, haberi debet ac si fuisset præsens; & in eo, quod spectat ad electionem Camerarii, ait, eam fuisse legitimam, cum Capitulo interfuerit ex licentia R. P. D. Vicesgerentis.

His stantibus, quæritur

I. An Sententia privationis Canonicatus, de quo agitur, sustineatur in casu &c.

II. An electio Camerarii facta in Capitulo habito sub die 29. Maii proxime elapsi propter interventum Canonici de Pace sustineatur in casu &c.

Sacra Congr. respondit

Ad Primum negative, & amplius. Ad Secundum affirmative, & amplius.

QUÆSTIO LXXI.

In Causa Cassanensi, Die 3. decembris 1718.

SUB obtentu antiquæ, & immemorabilis consuetudinis vigentis in receptitia Ecclesia Sanctæ Mariæ Majoris Civitatis Marathea, Diœcesis Cassanensis, de qua plerique Testes deponunt, licet ad perpetuam examinati, quicumque Sacerdos antequam admittatur ad numerum Sacerdotum participantium, solvit unicuique ex illis decem Carolenos, ex quo prædicti Sacerdotes participantes tulerunt, & actu ferunt onus emendi paramenta, Vasa Sacra, & alia necessaria pro Sacristia; cum autem occasione admissionis Sacerdotis Salvatoris Mariæ Ursumandi ad numerum Sacerdotum participantium, exorta fuerit controversia de validitate dictæ consuetudinis, eademque fuerit ad hanc Sacram Congregationem delata, de ejus propterea viribus, & substantia in præsenti est inquirendum.

Porro regula juris est, quod hæ, similesque consuetudines, licet immemorabiles, juxta quas aliquid persolvitur occasione possessionis Canonicatus, & Præbendæ, non sunt attendendæ tanquam irrationabiles, si id quod exigitur, seu persolvitur, cedit in utilitatem, & privatum commodum aliorum Canonicorum, sive Sacerdotum, aliorumve Ecclesiæ Ministrorum; secus autem, si id, quod exigitur, seu persolvitur, erogatur in usus pios, uti probat Textus *in cap. Jacobus de simonia*, & habetur *in cap. 14. sess. 24. de Reform. & in Bulla 104. Sancti Pii Quinti Bull. tom. 2.* & fuit resolutum ab hac Sacra Congregatione *in Polignanen. anno 1584. & in Avenionen. anno 1586. lib. 4. Decret. pag. 9. & pag. 189. & in Segobien. 11. Julii 1590. apud Garz. de Benef. 3. parte cap. 2. num. 198. & in Tudertina 19. Februarii 1633. lib. 14. Decret. fol. 709.*

His stantibus, quæritur.

An consuetudo vigens in Ecclesia Matrici Sanctæ Mariæ Majoris Civitatis Marathea exigendi a quolibet Presbytero admittendo ad participationem massæ communis ejusdem Ecclesiæ Carolenos decem, sit servanda in casu.

Sacra Congr. respondit

Affirmative, dummodo fiat depositum in capsa Sacristiæ, & quoad depositum erogetur in usum ejusdem Sacristiæ tantum, & amplius.

QUÆSTIO LXXII.

In Causa Civitatis Castellanæ Irregularitatis, die 3. Decembris 1718.

SACERDOS Joannes Baptista Rosinus percussionibus fuit provocatus a Josepho Sancio Clerico Conjugato suo Nepote, qui eum in Platea loci Julianelli apprehensum capillis, humi stravit, & pugnis affecit. Secuta postmodum reconciliatione, Sacerdos spatio decem dierum abstinuit a Missæ celebratione, quam tamen deinde reassumpsit, sub obtentu, quod Joseph Sancius non incederet in habitu, & tonsura, & quod a duobus Theologis Societatis Jesu audivit, quod percutiens Clericum Conjugatum non incedentem in habitu, & tonsura non incurrit excommunicationem. Quia vero post nonnullas Missas celebratas dubitari intellexit, an ex recensita percussione censuram incurrisset, denuo abstinuit a celebrando, uti non solum desumitur ex ejus supplici libello, sed etiam ex informatione Vicarii Capitularis. In hoc rerum statu Sacerdos Rosinus exorat pro declaratione, an incurrerit, nec ne irregularitatem, & quatenus affirmative supplices exhibet preces pro dispensatione.

Cle-

Clericus cælebs non incedens in habitu, & tonsura, & non servans requisita Concilii Tridentini *sess. 23. cap. 6. de Reform.* amittit ipso jure privilegium fori, sed non privilegium Canonis, uti fuit resolutum ab hac Sacra Congregatione *die 16. Octobris* 1582. & late prosequitur *Fagnan. in capit. Si quis num. 72. & seqq. de Foro competenti.* Secus autem videtur, quod se habeat res, loquendo de Clerico conjugato, hic quippe si non deferat habitum, & tonsuram, excluditur a Canonis privilegio, juxta *Textum in cap. Unico de Cleric. Conjug. in 6.* & distinguendo firmat *Diana Oper. Moral. tom. 5. in edit. coord. tract. 2. resolut. 43. num. 1. 2.*

Adeoque potior difficultas in facto consistit, an scilicet Joseph Sancius incederet absque habitu, & tonsura, incedebat enim, uti habetur in supplici libello *colla veste negra, con crovatta, e non col collarino*, & vestes Clericales in casu, & ad effectum de quo agitur, illæ sunt, quæ cum eis incedentem prima facie indigitant esse Clericum, & non Laicum, juxta late deducta *per Passer. in cit. capitulo unico num. 26. de Cler. Conjug. in 6.*

His stantibus, quæritur

I. An Sacerdos Joannes Baptista Rosinus irregularitatem incurrerit in casu, & quatenus affirmative.

II. An eidem sit indulgenda dispensatio.

Sacra Congr. respondit,

Esse concedendam dispensationem ad Cautelam.

QUÆSTIO LXXIII.

In Causa Bergomensi, die 3. Decembris 1718.

ANNO 1628. Confraternitas Sanctissimi Crucifixi erecta in Ecclesia Sancti Joseph intra limites Parochiæ Gandini, Diœcesis Bergomen. accepit a Josepho quondam Antonii de Nigris Capitale librarum 1600. monetæ Bergomen. & se obligavit ad perpetuam celebrationem Missarum 60. annualium, & contractus fuit ab Ordinario approbatus; de ejus etenim utilitate dubitari non poterat cum eleemosyna Missarum ferialium tunc esset in solidis 20. & libræ 1600. traditæ a Josepho essent investitæ, & redderent sex pro Centenario quolibet anno, ita ut singulis annis libræ 42. remanerent liberæ pro Confraternitate.

Capitale, quod olim reddebat, uti diximus, sex, hodie reddit tria pro centenario, & anno, & ulterius aucta est manualis eleemosyna Missarum ad solidos 32. pro qualibet Missa; cumque Confraternitas exoraverit pro reductione, & Eminentissimus Ordinarius requisitus pro informatione, & voto, eam juri consentaneam existimaverit, quæritur, an sit annuendum petitis.

Pro reductione facit, quod onus Missarum hodie adimpletur erogando reditus aliorum legatorum, aut eleemosynas, quas Confraternitas recipit a piis Fidelibus, ad quod absurdum evitandum, videtur, quod debeat esse locus reductioni; & multo magis, cum libræ 42 quæ olim liberæ remanebant pro Confraternitate, fuerint expensæ pro manutentione Confraternitatis, & Ecclesiæ, ita ut nec antiquiores, nec præsentes Confratres ullum ab eis commodum, seu privatam utilitatem receperint.

Facit e contra adversus reductionem, quod licet ea sibi vindicet locum etiam in Missis per contractum acceptatis, quando tractu temporis contractus reducitur ad iniquitatem, & ad læsionem, ad terminos Textus *in L. cum quidam ff. de Usuris*, non videtur tamen, quod reductio sit in Hypothesi statim indulgenda, sed quod prius haberi debeat ratio earum librarum 42. quæ per aliquod temporis intervallum liberæ remanserunt pro Confraternitate, compensando videlicet sterilitatem annorum subsequentium cum fertilitate præcedentium juxta Textum in *cap. propter sterilitatem de locat. & conduct.*

His stantibus, quæritur

An sit locus reductioni in casu.

Sacr. Congr. respondit,

Dilata, & scribatur Eminentissimo Episcopo, ut exprimat tempus, quo reditus Investimenti decrescere cœperunt, & quo eleemosyna Missæ fuit aucta, & an Confraternitas habeat bona legatis, aut oneribus obligata, & non habeat argenta.

QUÆSTIO LXXIV.

In Causa Aliphana Redditionis rationis, die 3. Decembris 1718.

CONTENDIT Curia Episcopalis Aliphana, quod Presbyteri Ecclesiæ S. Antonii extra Partem nuncupati Terræ Pedemontis tenea tur ad redditionem rationis Bonorum, & redituum ad eamdem Ecclesiam pertinentium, & quod ulterius non sit valida electio Procuratoris, seu Administratoris ab ipsis facta, bonorum, & redituum spectantium ad Cappellam Beatæ Mariæ de Monte Carmelo erectam in memorata Ecclesia Sancti Antonii, sed quod valida sit, & sustineatur deputatio Procuratoris, seu Administratoris bonorum, & redituum dictæ Cappellæ a se facta in persona Sacerdotis Francisci Bojani.

Fundamentum prætensionis redditionis rationis bonorum, & redituum ad Ecclesiam Sancti Antonii spectantium potissimum constituitur *in cap 9. sess. 22. de Reform.* in qua derogatur consuetudinibus, & privilegiis, quæ in contrarium allegari possent.

Fundamentum prætensionis, quod non sustineatur electio Procuratoris, seu Administratoris bonorum, & redituum Cappellæ Beatæ Mariæ de Monte Carmelo a dictis Presbyteris facta, sed quod potius sit valida illa, quam idem Episcopus fecit in persona Sacerdotis Bojani, reponitur in hoc, quod in electione a Presbyteris facta, non fuit servata forma Decreti editi a Curia Episcopali, quod Administrator videlicet, seu Procurator hujus Cappellæ non eligeretur, nisi ille, qui esset facultatibus idoneus, vel qui sufficientem præstaret cautionem, quod item electio fieret per secreta suffragia, quod pariter ab Administratore præstaretur juramentum de fideliter administrando, & quod non eligeretur, qui debitor remaneret in præcedenti administratione.

Absque eo quod quidquam faciat prætensum a Sacerdotibus Juspatronatus in Ecclesia Sancti Antonii, primo, quia non solum ex eorum bonis, sed etiam ex eleemosynis Fidelium fundata fuit Ecclesia prædicta, itaut de subsistentia jurispatronatus, etsi a prædecessoribus approbari, dubitandum sit; Secundo quia non est de jure permissum Patronis se ingerere in administratione bonorum Ecclesiæ juxta Textum *in cap. Præterea 4. de Jurepatronatus;* Tertio quia Ecclesiæ Sancti Antonii fuerunt relicta plura legata pia, de quorum adimplemento Sacerdotes tenentur reddere Episcopo rationem.

Multoque minus refragantibus cæteris, quæ opponi possent adversus electionem Sacerdotis Bojani in Administratorem, seu Procuratorem Cappellæ, quia eadem fuit confirmata, & ab iisdem Sacerdotibus Ecclesiæ S. Antonii ratificata.

Adversus hæc Sacerdotes excipiunt, quod Ecclesia Sancti Antonii fuit a suis Prædecessoribus fundata cum reservatione Jurispatronatus, ab Episcopo tunc temporis approbata, & quod semper a se, & a suis Prædecessoribus fuit electus Administrator, seu Procurator, qui rationem reddidit in manibus Sacerdotum eligentium, facta ab anno 1653. usque in præsens divisione fructuum, & redituum inter ipsos; Et electo semper, juxta concessionem Episcopi factam de anno 1653. Rectore, cui sola concessa fuit quoad honores præeminentia, & non quoad emolumenta, in quo rerum themate dicitur non habere locum allegatam Concilii Tridentini dispositionem, quæ non procedit in ordine ad fructus, & emolumenta, quæ inter ipsos Sacerdotes, seu Cappellanos sunt dividenda. Quo stante, Sacra Episcoporum Congregatio die 16. Julii 1717. Sacerdotes Ecclesiæ Sancti Angeli hujus ejusdem Diœcesis absolvit a prærensa redditione rationis, quæ resolutio dicitur firmare statum, etiam in casu præsenti.

Et in eo quod attinet ad electionem Procuratoris, seu Administratoris Bonorum Cappellæ Sanctæ Mariæ de Carmelo, Sacerdotes asserunt Electionem a se factam in personis Jacobi Natalitii, & Joannis Baptistæ de Roma esse validam, & sustineri, non obstante decreto Episcopi, tum quia facultas eligendi unum, vel plures Procuratores a Julio Antonio Ciccarello, qui bona Cappellæ reliquit, delata fuit ad ipsos, tum quia ipsi se agnoscunt obligatos ad redditionem rationis, itaut superfluæ remaneant quæcumque cautiones, & cautelæ ab Episcopo in suo decreto quoad Administratorem præscriptæ. Nullatenus urgente approbatione facta a nonnullis Sacerdotibus de persona Bojani ab Episcopo electa, quia horum Sacerdotum consensus non fuit datus capitulariter, seu Collegialiter, uti præscribitur in Constitutionibus.

Nulla nunc fuit capta resolutio, sed repropositа causa in Congregatione habita die 17. Decembris 1718. cum sequentibus dubiis.

I. An Decretum Episcopi, seu illius Vicarii Generalis super redditione rationis fructuum, & redituum Ecclesiæ S. Antonii Castri Pedemontis sustineatur, in casu &c.

II. An Decretum super electione Procuratoris, seu Administratoris Bonorum Cappellæ Sanctæ Mariæ de Carmelo

factum ab Episcopo sustineatur, seu potius sustineatur electio facta a Sacerdotibus dictæ Ecclesiæ, in casu &c.

Fuit responsum modo qui sequitur: *Ad primum affirmative quoad reditus, quibus est aliquod onus annexum, negative quoad reditus, qui libere dividi debent inter Presbyteros. Ad secundum deveniendum esse a Presbyteris ad novam electionem Administratoris juxta Decretum Episcopi, quoad qualitatem eligendorum, juxta modum,* & modus fuit, *ut aboleretur pœna suspensionis, una cum necessitate approbationis fidejussionis, & confirmationis ab Episcopo faciendæ.*

Die 4. *Martii* 1719. iterum repropositа fuit hæc Causa, & quæsitum fuit

An, & quomodo sit standum, vel recedendum a decisis, in casu &c.

Sacr. Congr. die 18. Martii 1719. respondit,

In decisis, & amplius, & Fidejussio approbetur ab eisdem Presbyteris eligentibus eorum risico, & periculo.

QUÆSTIO LXXV.

In Causa Bononiensi die 3. Decembris 1718.

ANTONIUS Boaterius, in suo Testamento condito anno 1542., legavit Patribus Sanctæ Mariæ Servorum, libras 400. cum onere sequentibus verbis expresso, *dicendi, & celebrandi in dicta Ecclesia ad Altare Annunciationis, cui prope fuit, & est sepulcrum subterraneum ipsius Domini Testatoris, & suorum Antecessorum pro animabus sua, suæque Conjugis, ac suorum Prædecessorum singulis diebus in perpetuum, durante sæculo, unam Missam planam, & semel in anno in die obitus ipsius Domini Testatoris, seu alia immediate sequenti, si causa intervenerit legitima, propter quam differri debeat, unam Missam solemnem Mortuorum in cantu cum suis responsoriis, & Officium Mortuorum, quam Missam in cantu, & Officium Mortuorum dictus Dominus Testator voluit, & mandavit debere dici, & celebrari, ac fieri singulis annis in perpetuum, donec Cælum, & Terra durabunt.*

Quoad perpetuam celebrationem Missæ solemnis, & Anniversarii nulla fuit excitata difficultas, solaque disputatio redacta est ad Missam planam singulis diebus recitandam, de hac etenim quæsitum est, an ejus onus durare deberet ultra sæculum, hoc est ultra metam centum annorum, vel potius, elapsis centum annis, cessare debuerit.

Exquisita fuit juxta morem informatio Eminentissimi Archiepiscopi, qui fuit in sensu, quod post centum annos non adesset amplius obligatio celebrandi Missam planam, sed proposita instantia inter Summaria precum, eadem fuit rejecta in Congregatione habita die 25. Januarii 1716. Obtenta vero nova audientia, una cum descriptione in folio, de viribus resolutionis modo est agendum.

Pro oneris perpetuitate ultra centum annos, facit primo, quod quando versamur in legato pio, & signanter in Legato Missarum, verba *in perpetuum* non restringuntur ad centum annos, sed ad quodcumque tempus extenduntur, uti late probant *Pancirol. consil.* 175. *per totum*, *Gratian. decis.* 22. *per totam*, *Ciarlin. Controvers. lib.* 2. *cap.* 143. *per totum*, cum improbabilis sit, & sensui Ecclesiæ ripugnans nonnullorum Theologorum assertio, quod animæ non detineantur in Purgatorio ultra decem annos, vel ut alii dicunt, ultra metam centum annorum, *Bellarmin. controv. tom.* 2. *lib.* 2. *de Purgatorio cap.* 9.

Facit secundo, quod vox *Sæculum* non solum est apta nata ad exprimendum spatium centum annorum, sed etiam ad denotandum Mundum, juxta illud *venturus est judicare sæculum per ignem*, quo stante, idem erit dicere durante sæculo, ac durante Mundo.

Plura econtra sunt, quæ suadent, onus Missæ planæ non se extendere ultra metam centum annorum, tum quia quando vox *sæculum* usurpatur ad denotandum tempus, & mensuram temporis, spatium significat tantummodo centum annorum, tum quia non desunt magni nominis Auctores, qui censent legatum pium relictum cum verbis perpetuitatem denotantibus, ad centum annos restringi, uti late videri potest *apud Vivium decis. lib.* 3. *decis.* 406. *num.* 18. *&* 19. & tandem quia quando Testator voluit perpetuitatem absolutam, & indefinitam, eam expressit verbis clarissimis, uti colligitur ex legato Missæ solemnis, & anniversarii *singulis annis in perpetuum donec Cælum, & Terra durabunt*. Hinc etenim inferre licet, quod quando in Legato Missæ planæ, singulis diebus celebrandæ, usus est illis verbis *in perpetuum durante sæculo*, intellexit de perpetuitate limitata ad tempus centum annorum, multoque magis cum verba illa *durante sæculo* non præcedant, sed subsequantur hæc alia *in perpetuum*, in hoc quippe rerum statu, verba priora *in perpetuum* restringuntur in sequentibus *durante sæculo*.

Accedit, quod agitur de tenui legato librarum 400. quod si insufficiens est pro adimplemento oneris, limitati ad centum annos, a fortiori damnosum Patribus evaderet, si onus ultra centum annos extenderetur. Ad hoc ergo absurdum evitandum, concludendum esse videtur, quod onus Missæ planæ non excedat tempus centum annorum, cum Legatum de sui natura debeat esse lucrosum.

His stantibus, quæritur.

An onus Missæ planæ duret ultra spatium centum annorum, vel potius, transacto dicto termino, remanserit extinctum.

Sacra Congr. die 17. Decembris 1718. respondit

Ad primam dubii partem affirmative. Ad secundam negative.

QUÆSTIO LXXVI.

In Causa Nullius, seu Brictinoriensi, & Policastrensi, die 3. Decembris 1718.

PENDET in Tribunali Rotæ controversia inter Episcopum Brictinorien. ex una, & Capitulum Basilicæ Sancti Petri ex altera partibus, super puncto, an Abbatia Sancti Ruffilli, quæ est in Castro Foripompilii, & quæ fuit dicto Capitulo unita, Territorium habeat separatum, & an hoc Territorium comprehendat Castrum prædictum, necnon alterum Meldulæ. Non fuit usque adhuc hæc controversia decisa, sed etiam admisso, quod constaret de Territorio separato, contendit Episcopus Brictinorien. quod Capitulum Sancti Petri concedere non possit dimissorias Clericis Castrorum prædictorum; quidquid enim esset de jure antiquiori Decretalium, Concilium Tridentinum *sess.* 23. *cap.* 10. *de Reformat.* concessionem Dimissoriarum reservavit Episcopis, intra quorum Diœcesum fines Abbatiæ sitæ sunt, non obstante, quod eædem fruantur Territorio separato, uti præter antiquiores hujus Sacræ Congregationis Resolutiones a Scribentibus allegatas, respondit hæc Sacra Congregatio *in Nullius, seu Vesprimien. Jurisdictionis, quæ fuit proposita die* 12. *& resoluta die* 26. *Martii hujus anni* 1718.

Additur ab Episcopo Brictinorien., quod Capitulum Sancti Petri usque adhuc non exhibuit Privilegium, quod esset necessarium ad effectum de quo agitur, facultatis videlicet concedendi litteras dimissorias, & quod Privilegium præsumptum consistens in immemorabili non est probatum, & quatenus esset probatum, non relevaret, utpote a Tridentino sublatum.

Se quoque ad Causam admisit Episcopus Policastren. in cujus, uti prætenditur, Diœcesi existit alia Abbatia eidem Capitulo Sancti Petri unita, & ex iisdem juribus supra recensitis sustinet, non posse prædictum Capitulum litteras concedere dimissorias.

His stantibus, quæritur

An, etiamsi constaret de Territorio separato, possit Capitulum Sancti Petri concedere dimissorias in casu.

Sacra Congr. die 21. Januarii 1719. respondit:

Negative, & amplius

QUÆSTIO LXXVII.

In Causa Strigoniensi, die 17. Decembris 1718.

EMINENTISSIMUS, & Reverendissimus Dominus Cardinalis Archiepiscopus Strigoniensis Sacræ Cæsareæ Majestati supplicavit pro obtinendo Diplomate, quo perpetuis futuris temporibus Archiepiscopi Strigonienses titulo, & dignitate Principum Sacri Romani Imperii potirentur, eodemque obtento, erogata summa viginti millium florenorum, aliquid peragere statuit, nedum in tanti beneficii memoriam, sed in suffragium animæ suæ, & pro incolumitate Augustissimæ Domus Austriacæ.

Ex reditibus itaque Mensæ Archiepiscopalis ascendentibus ad annuos sexaginta mille circiter florenos rhenenses decrevit, ut perpetuis futuris temporibus mille floreni quotannis solverentur ab Archiepiscopis Strigoniensibus Capitulo Ecclesiæ Metropolitanæ, ea imposita lege, ut Canonici celebrare deberent singulis mensibus duas Missas solemnes, alteram nempe pro incolumitate Domus Austriacæ, alteram pro refrigerio, & suffragio animæ suæ, ita tamen, ut ex Missis pro incolumitate Domus Austriacæ celebrandis, duæ essent votivæ de Venerabili Eucharistiæ Sacramento, cum ejusdem expositione; & ut eo tutius hæc pia voluntas executioni mandaretur, addidit, quod in hypothesi, in qua fui in Archiepiscopatu successores prædictos mille florenos solvere recusarent, liberum esset Capitulo sine juris strepitu eorum satisfactionem consequi ex nonnullis decimis ad mensam Archiepiscopalem spectantibus, nullo alio adhibito judicio, quam duorum Nobilium Comitatus Nitriensis, uti latius ex instrumento desumitur.

Fuit hæc pia voluntas notificata Sacræ Cæsareæ Majestati, quæ eam libentissime acceptavit. Fuit eadem notificata Capitulo, qui pariter libentissime acceptavit; cumque Eminentissimus, & Reverendissimus Dominus Cardinalis Archiepiscopus Strigoniensis Sanctissimo Domino Nostro supplicaverit pro Apostolica confirmatione a se in fundatione expresse reservata, fuerunt a Sanctitate Sua preces remissæ ad hanc Sacram Congregationem, quæ rescripsit *Eminentissimo, & Reverendissimo Domino Cardinali Tanario, qui dignetur rem perpendere & votum suum Sacræ Congregationi Concilii aperire.*

Eminentissimus, & Reverendissimus Dominus Cardinalis Tanarius munus sibi commissum strenue de more adimplevit, & fuit in sensu pro confirmatione Fundationis, licet enim agatur de alienatione, agitur nihilominus de Episcopi alienatione, seu donatione ex bonis suæ mensæ Episcopalis, favore sui Capituli, in quo rerum statu, vel solemnitas non est necessaria, uti probat *Textus in cap. Ut super de rebus Ecclesiæ non alien.* & late prosequuntur *Oldrad. Consil.* 182. *vers. & sicut*, *Turricell. de Rebus Ecclesiæ non alien. cap.* 15. *num.* 77. *& seqq. Buscul. in controvers. Feudal. cap.* 4. *num.* 49. *post Cardinal. de Luca de Feudis*, *Rota decis.* 756. *num.* 3. *&* 4. *parte prima divers.* vel alienatio, seu donatio talis naturæ, & indolis reputantur, ut confirmationem Apostolicam mereantur, quemadmodum in terminis perpetuæ applicationis annuorum scutorum 876. ab Episcopo Liparitano subtractorum ex reditibus suæ mensæ Episcopalis pro constituendis quotidianis distributionibus dividendis inter Canonicos, & Dignitates suæ Ecclesiæ, respondit hæc Sacra Congregatio *die* 18. *Septembris* 1683. non obstante, quod ad effectum prædictum constituendarum distributionum alius modus fuerit a Sacro Concilio Tridentino insinuatus *sess.* 21. *cap.* 3. *& sess.* 22. *cap. pariter* 3. *de reform.*

Additur, non deesse sufficientem pro dicta alienatione causam; cum etenim notorium sit magnam dignitatis accessionem in Archiepiscopos Strigonienses derivare a titulo Principis Sacri Romani Imperii, quo decorantur, & hanc eandem novam dignitatem non parum prodesse, ut ipsius Ecclesiæ Strigoniensis negotia in Aula Cæsarea felicius expediantur, hinc est, satis constare de merito Augustissimi Imperatoris, qui Archiepiscopos dicto insigni decoravit honore, nec non de merito Eminentissimi, & Reverendissimi Archiepiscopi, qui gratiam prædictam a Cæsarea Majestate impetravit, non ut sibi consuleret, cum Principis Sacri Romani Imperii Titulum a suo sanguine obtinuerit, sed ut Ecclesiam suam, suosque in Archiepiscopatu successores novis cumularet honoribus, ita ut de causa in re, & ad effectum de quo agitur, sufficienti non videatur a primo ad ultimum esse dubitandum, cum utilis ex causa censeatur ea alienatio, quæ fit ab Ecclesia ob justam gratitudinem, & meriti remunerationem erga ipsam præstiti, uti probat *Textus in cap. consensus de Rebus Ecclesiæ non alien. & in Authen. licentiam C. de Episcopis & Clericis.*

Alia plura afferuntur ab Informante in suo supplici libello: adeoque nunc quæritur

An sit locus confirmationi Apostolicæ in casu &c.

Sacra Congr. respondit

Affirmative juxta modum.

QUÆSTIO LXXVIII.

In Causa Verulana Visitationis Sacrorum Liminum, die 17. Decembris 1718.

PERACTA ab Episcopo Verulano Visitatione Civitatis, & Diœcesis, & transmissa prima relatione suæ Ecclesiæ pro quadragesimo quarto triennio, nonnulla in eadem exponuntur, pro quorum resolutione idem Episcopus enixe rogat, ut sine strepitu litium removeantur abusus, & cultus Divinus nullum patiatur detrimentum.

Refert itaque memoratus Episcopus, Capitulum Ecclesiæ Cathedralis componi ex duodecim Canonicis, & in Cathedrali Ecclesia, in multis anni Dominicis, & aliis Festivitatibus de præcepto Missam cantari sine Diacono, & Subdiacono. Item refert adesse in Civitate Verulana insignem Collegiatam Sancti Erasmi, cui inserviunt decem Canonici, & cui præest Abbas, qui est prima dignitas, & in dicta Collegiata Ecclesia non cantari Missam Conventualem, nisi bis in hebdomada, & diebus festivis sine Diacono, & Subdiacono, quamvis hi Collegiatæ Canonici reditus habeant æquales Canonicis Ecclesiæ Cathedralis, scuta videlicet centum pro unoquoque. Prosequitur idem Episcopus enarrando, quod Canonici Cathedralis Ecclesiæ, decantato Vespere de mane tempore Quadragesimæ, ab eadem recedunt, nec assistunt Concioni, & tandem, quod in feria quinta majoris hebdomadæ in eadem Cathedrali fit expositio Sanctissimi Sacramenti in forma quadraginta horarum, & datur benedictio solemnis Populo feria sexta sequenti post Missam.

Quoad Missam Conventualem certum est, adesse obligationem eamdem quotidie celebrandi, non solum loquendo de Ecclesia Cathedrali, uti resolvit hæc Sacra Congregatio *die* 16. *Novembris* 1652. *lib.* 19. *Decretorum fol.* 210. ubi inquit, nullam suffragari posse consuetudinem contrariam, sed etiam in Ecclesiis Collegiatis; si enim tam in Cathedralibus, quam in Collegiatis Ecclesiis adest obligatio recitandi quotidie officia divina publice, & in Choro, ad quem finem instituti sunt Canonicatus, & præbendæ, sub nomine divinorum officiorum comprehenditur Missa Conventualis, juxta *Textum in cap. Dolentes, & in cap. Cum creatura de celebratione Missarum*, quinimmo Missa solemnis, & Conventualis est primo intenta, & horæ Canonicæ tamquam dispositiones ad eam ordinantur, juxta late deducta per *Quartum ad Rubr. Missalis par. prima tit.* 3. *sect. prima*, & Missa Conventualis exposcit Diaconum, & Subdiaconum, itaut in casu solum deficientiæ Ministrorum necessariorum, cani valeat cum uno Ministro, qui, præter solitas functiones, cantat Epistolam, cantante Sacerdote celebrante Evangelium, ut docent *Suarez tom.* 3. *in tertiam partem disput.* 87. *sect. prima*, *Castald. in praxi lib.* 2. *sect.* 5. *cap* 3. *Quart. loco citato* §. *dubitari potest.*

Quoad assistentiam Concioni tempore Quadragesimæ, Sacra hæc Congregatio anno 1628. consimili interrogationi Episcopi Nicien. sic respondit, uti habetur *lib.* 13. *Decret. fol.* 563. *Canonicos legitime non impeditos tempore Quadragesimæ quotidianis concionibus interesse debere, & ideo Episcopum Decretum edere posse, ut Canonicis nunquam liceat prædicto tempore ab Ecclesia abesse, nisi de ipsius, vel ejus Vicarii licentia, & die* 10. *Martii* 1663. Archiepiscopo Urbinaten. interroganti, *an stante consuetudine, quod Canonici punctentur, nisi assistant concionibus tempore Quadragesimali, expediat eosdem punctare, si non assistant concionibus tempore Adventus, & infra annum*, eadem Sacra Congregatio respondit, *esse hortandos, non cogendos*, uti habetur *lib.* 23. *Decret. fol.* 458.

Quoad expositionem denique Sanctissimi Sacramenti in forma quadraginta horarum, videtur id adversari tum Rubricis Missalis Romani, tum Cæremoniali Episcoporum; in Rubrica siquidem Missæ propriæ feriæ quintæ in Cœna Domini dicitur, quod ea die parari debet locus aptus, ornandus cum velis, & luminibus, ubi Calix cum Hostia reponatur, *& lib.* 2. *Cæremon. cap.* 23. legitur præparandum esse sacellum intra Ecclesiam, in quo post Missam recondendum sit Sacramentum, quæ adversari videntur Expositioni Sanctissimi Sacramenti dicta feria quinta in forma quadraginta horarum; adeoque *Gavantus par.* 4. *tit.* 8. *suorum Commentar. in Rubr. Miss.* ad ea verba Rubricæ *reponit in capsula* ait, *non videndus est Calix a populo, & multo minus Hostia patere populo debet*; & magis ad rem subdit *Bauldri in Manual. Sacrarum Cæremon. cap.* 9. *de feria quinta in Cœna Domini art.* 1. *num.* 3. *Nullo modo debet hac die poni Tabernaculum ostensorium, sicut solet fieri in Festo Corporis Christi, in quo appareat Sacramentum hac die, & sequenti, neque etiam debet exponi, ut in oratione quadraginta horarum, contra quosdam, qui in hoc manifeste agunt contra intentionem Ecclesiæ, & contra Rubricas Missalis, & contraria consuetudo videtur abusus.*

His stantibus, quæritur

I. *An Missa Conventualis in Cathedrali Ecclesia cantanda sit omnibus diebus Dominicis, & aliis Festivis de Præcepto cum Diacono, & Subdiacono, vel potius permitti possit, ut in aliquibus diebus Dominicis, & aliis Festivis de Præcepto Missa Conventualis cantetur sine Diacono, & Subdiacono in casu &c.*

II. *An in Collegiata Ecclesia cantanda sit quolibet die*

Missa Conventualis, & diebus Festivis cum Diacono, & Subdiacono, vel potius liceat Missam Conventualem bis in hebdomada decantare, & in diebus Festivis sine Diacono, & Subdiacono in casu &c.

III. *An tempore Quadragesimæ Canonici Cathedralis Ecclesiæ teneantur assistere concioni, itaut permissum esse ipsis non debeat, decantato Vespere, ab Ecclesia discedere, & concioni non assistere in casu &c.*

IV. *An in posterum tolerandum sit, quod in Cathedrali Ecclesia feria quinta Majoris hebdomadæ fiat expositio Sanctissimi Sacramenti in forma quadraginta horarum, & detur benedictio solemnis Populo feria sequenti sexta post Missam in casu &c.*

Sacr. Congr. die 21. Jan. 1719. respondit
Ad Primum affirmative ad primam partem. Ad Secundam negative. Ad Secundum ad primam partem affirmative. Ad Secundam partem affirmative in solemnioribus ab Episcopo designandis, & in reliquis satis provisum in præcedentibus. Ad Tertium detur decretum in Nicien. anni 1628. Ad Quartum negative.

QUÆSTIO LXXIX.

In Causa Fesulana Restitutionis in integrum, die 17. Decembris 1718.

FUIT proposita hæc Causa in Congregatione habita die 22. Septembris 1708. & nulla fuit capta resolutio. Fuit eadem reproposita in Congregatione habita *die 17. Novembris ejusdem anni*, & cum fuisset examinatum consuetum dubium, *an sit locus restitutioni in integrum &c.* responsum fuit *negative*. Quia vero multi ex EE. Patribus, qui modo Congregationi interfunt, non intererant prædicto anno 1708. itaut folium nequeant reassumere pro dicta Congregatione distributum, nedum opportunum, sed necessarium existimatum fuit illud per extensum referre.

Pater Mathias de Bonvicinis, Franciscus in sæculo nuncupatus, de Civitate Pisciæ, humiliter conquerens apud Sanctissimum Dominum Nostrum de Professione emissa in Abbatia Sanctæ Mariæ Vallis Umbrosæ, Fesulanæ Diœcesis sub die 25. Julii 1680. per ass. vim, & metum sibi a Genitore incussum, supplicavit anno 1701. in integrum restitui adversus lapsum quinquennii, ad effectum redarguendi de invaliditate dictam Professionem. Ejus tamen precibus ad hanc Sac. Congregationem remissis, injunctum fuit Episcopo Fesulano, ut audito Superiore locali, receptisque formiter probationibus eandem Sacram Congregationem instructam redderet. Idem autem Episcopus injuncto muneri obsequens, litteras remissoriales extradidit ad tres Judices subdelegatos, pro examine Testium degentium in variis respective locis, eoque per illorum singulos completo, fuit exinde constructus Processus, cujus exemplar ad Sacram Congregationem extat transmissum. Porro quinque Testes inducti per dictum Patrem Mathiam fuerunt coram supradictis Judicibus subdelegatis cum juramento examinati de mense Maii anni 1705. etiam præviis interrogatoriis exhibitis pro parte Procuratoris Generalis ad hunc effectum deputati a Patre Generali præcedenter citato.

Ex eorum sane dictis, constant sævitiæ actus, quos in Patrem Mathiam Oratorem, ante Professionem Genitor exercuit, quippe qui nedum mortis minis, verum etiam percussionibus, strictis armis illatis, cibariorum, & vestium detractione, privata custodia, atque ejectione e domo, cæterisque impulsibus, Filium compulit Religiosum habitum suscipere, subindeque profiteri. Verum duo ex illis hæc scire fatentur, ob consuetum accessum habitum ad domum Oratoris, reliqui vero de auditu, & publica fama eadem prosequuntur.

Ad hæc binæ attestationes cum juramento recognitæ, & in Summario exhibitæ, altera Joannis Bonvicini Germani Oratoris, altera vero Francisci Fabretti, qui supra enunciatis actibus præsentes sese extitisse fatentur. Quin & renuentem filium renunciationem facere ante Professionem in Cancellaria Episcopali, quod Genitor ipse ira fremens, minis adegerit illam perficere, Pater de Poggiis tunc Procurator Generalis testatur, quod pariter de auditu tamen, tres alii Testes comprobant.

Aliquales præterea Oratoris conquestiones post Professionem super recensitis coactionibus, duo Correligiosi referunt, quibus quoque accinit Abbas Superior Localis per Epistolam directam præfato Episcopo Fesulano, superaddens ulterius eundem Oratorem recusasse munus scribæ ad effugiendam Professionis ratificationem, propterea que Superior ipse citatus, non alias, quam post Testium examen, sub die nempe 28. Aprilis 1706. nihil se habere, quod opponeret, in eadem Epistola fuit protestatus.

Vicarius Generalis Fesulanus, absente Episcopo, in Epistola, quam ad Sacram Congregationem transmisit, transcribens pleraque Testium dicta, putat Oratoris preces esse exaudiendas, non obstante ejus diuturna acquiescentia, quam provenisse, inquit, ex eo, quod Genitor vixerit usque ad annum 1705. in quo sub die 28. Maii diem clausit extremum.

Vice versa, jussu hujus Sacræ Congregationis citatis Fratribus laicis Oratoris ad eorum jura deducenda, ex eis Bartholomæus ejusdem Oratoris renunciatarius comparuit, quasdam exhibendo attestationes, vel eorundem Testium, ut supra examinatorum contraria testificantium, vel aliorum prætensum metum excludere conantium. Ex quibus, & aliis in Summario utrinque deducendis EE. VV. declarare non graventur, an sit locus restitutioni in integrum.

Hæc sunt, quæ continebantur in folio distributo pro Congregatione diei 21. Septembris 1708.

Quæritur itaque

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu.

Sacra Congr. die 21. Januarii 1719. respondit
In decisis, & amplius.

QUÆSTIO LXXX.

In Causa Nullius, seu Sancti Severini Jurisdictionis, die 21. Januarii 1719.

INTER Episcopos Sancti Severini, & Abbates Commendatarios Abbatiæ Sancti Laurentii in Dogliolo frequentes excitatæ sunt controversiæ: Claræ etenim mem. Cardinalis Antonius Barberinus Abbas Commendatarius nominavit Antonium Fabarium ad Parochialem Ecclesiam S. Mariæ Castri Petini, & Episcopus S. Severini tanquam Ordinarius, prævio concursu, pro dicta Parochiali approbavit Nicolaum Boantium, ex quo orta est lis, quæ fuit in Tribunali Rotæ discussa anno 1660. uti habetur ex *decis.* 148. *p.* 13. *recentior.*

Post lapsum decem annorum, anno videlicet 1670. Episcopus S. Severini, occasione Visitationis Sacrorum Liminum, exposuit nonnulla prætensa præjudicia suæ jurisdictioni illata a Ministris Abbatiæ, propositisque in hac Sacra Congregatione decem Dubiis, fuit unicuique data congrua responsio, uti habetur *lib.* 26. *Decretorum fol.* 397. *a tergo*, & aliis quinque propositis dubiis in Congregatione habita *die* 14. *Martii* 1682. ex quibus quartum conceptum erat sequentibus verbis: *An, & quando in collatione Ecclesiarum Parochialium Abbatiæ servanda sit forma tradita a Sacro Concilio cap.* 18. *sess.* 24. *de Reform.* fuit eidem responsum in Congregatione habita *die* 11. *Aprilis ejusdem anni* 1682. modo qui sequitur: *Ad quartum, servandam esse Constitutionem Pianam la* 47. uti habetur *lib.* 32. *Decret. fol.* 172. *& fol.* 216. *a tergo*; cumque in relatione status suæ Ecclesiæ ab Episcopo anno *1699.* ad hanc Sacram Congregationem transmissa, alia dubia fuissent excitata, fuit eidem, non audito Promotore Fiscalis Abbatiæ sic rescriptum *die* 30. *Maii* 1699. *Quoad Presbyteros, & Clericos Abbatiales exemptos a jurisdictione Episcopi, & Synodalia decreta eludentes, procedi posse contra inobservantes ad pœnas contentas in Synodalibus Constitutionibus. Quoad Parochos, & Vicarios Abbatiales publicæ venerationi exponentes Sanctissimæ Eucharistiæ Sacramentum, ac Indulgentias, & Jubilæa publicantes, Episcopo irrequisito, id eisdem Parochis minime licere absque ipsius licentia*, quemadmodum legitur *lib.* 19. *Litterarum Visitat. Sacrorum Liminum fol.* 250. sed prætendente postmodum Promotore Fiscali prædictos Presbyteros, & Vicarios non subjacere Decretis, & pœnis Synodalibus, nisi quoad concernentia curam animarum tantum, nec non eisdem licere, irrequisito Episcopo, SS. Eucharistiæ Sacramentum exponere, ac Indulgentias, & Jubilæa publicare, utpote ab Ordinarii jurisdictione omnino exemptis, in sequelam Brevis sanctæ memoriæ Urbani Octavi, fuit in Congregatione habita *die* 24. *Januarii* 1702. propositum dubium: *An esset standum, vel recedendum a decisis sub die* 30. *Maii* 1699. *in casu*, nullaque tunc capta resolutione, fuit idem dubium repropositum in Congregatione habita *die* 4. *Februarii* 1702. & responsum fuit *recedendum esse a decisis præter quam quoad concernentia curam animarum, expositionem Sanctissimi, & publicationem Indulgentiarum*, sicuti legitur *lib.* 52. *Decret. fol.* 1. *& fol.* 39.

Hæc sunt, quæ operæ pretium existimatum est referre, ut novis dubiis ab Episcopo S. Severini propositis con-

congruum dari valeat responsum. Nulla in hac Congregatione fuit capta resolutio, sed repropositа Causa in sequenti Congregatione habita die 4. Februarii ejusdem anni, & disputatis dubiis sequentibus:

I. An in collationibus Ecclesiarum Parochialium Abbatiæ S. Laurentii in Dogliolo sit standum, vel recedendum a decisis sub die 11. *Aprilis* 1682. *in casu &c.*

II. An electio Œconomorum, tam in casu vacationis Ecclesiarum Parochialium dictæ Abbatiæ, quam inhabilitationis eorum Parochorum ad exercitium Curæ, spectet privative ad Episcopum, & in casu &c.

III. An Confraternitates Laicales erectæ in Altaribus Ecclesiarum Parochialium dictæ Abbatiæ subjaceant visitationi, directioni, & jurisdictioni Episcopi, in casu &c.

IV. An Beneficia erecta in Altaribus dd. Parochialium subjaceant directioni, & jurisdictioni Episcopi, in casu &c.

V. An Decretum Sacræ Congregationis emanatum die 30. *Maii* 1639. *& confirmatum die* 4. *Februarii* 1702. *sit etiam servandum singulis tertiis Dominicis cujuslibet mensis, & per totam Octavam Festivitatis Sanctissimi Corporis Christi in Ecclesia Abbatiali S. Laurentii, in casu &c.*

Ad primum responsum fuit *dilata, & videatur particulariter de unaquaque Ecclesia*, ad secundum *affirmative*, ad tertium *negative*, ad quartum *negative*, ad quintum *affirmative*.

Cum autem hac die 20. Maii 1719. reponatur, tam super non resolutis, quam super persistentia, seu recessu a decisis, quæritur

I. An in collationibus Ecclesiarum Parochialium Abbatiæ Sancti Laurentii in Dogliolo sit standum, vel recedendum a decisis sub die 11. *Aprilis* 1682. *in casu.*

II. An sit standum, vel recedendum a decisis quoad secundum, tertium, quartum, & quintum.

Sacra Congr. die 17. Junii 1719. respondit
Ad Primum, recedendum a Decisis. Ad Secundum, standum in Decisis quoad Secundum, Tertium, Quartum, & quoad primam partem quinti, & esse recedendum quoad Secundam partem quinti, & amplius.

QUÆSTIO LXXXI.

In Causa Nepesina Canonicatus, die 21. Januarii 1719.

FLAMINIA Fantibassa in suo ultimo Testamento, condito de anno 1629. hæredem sibi scripsit Franciscum Galeottum suum virum, cui onus imposuit erigendi unum Canonicatum, sive Cappellaniam in Ecclesia Cathedrali Nepesina; *post mortem autem dicti Francisci mandavit de ejus hæreditate fieri, erigi, & dotari in Ecclesia Cathedrali Beatæ Mariæ Civitatis Nepesinæ unum Canonicatum, sive Cappellaniam cum dote scutorum* 1000. & quia dari poterat casus, quod Antonius Testatricis frater supervixisset Francisco viro, in hac facti specie, Flaminia demandavit, quod ususfructus scutorum 1000. pertinere deberet ad Antonium, & quod, eodem defuncto, Canonicatus, seu Cappellania erigeretur arbitrio memorati Francisci viri, *& post ipsius mortem*, scilicet Antonii, *fiat Canonicatus, seu Cappellania prædicta arbitrio dicti Francisci.*

Sequuto Testatricis obitu, Franciscus anno 1643. in suo, quod condidit, Testamento, utens facultate sibi a Flaminia uxore attributa, mandavit, ut deveniretur ad erectionem Canonicatus, cum onere octo Missarum singulis mensibus celebrandarum pro anima memoratæ suæ uxoris, & suorum, & anno sequenti 1644. Carolus Floridus, alter ex Testamentariis Executoribus Francisci, ad erectionem Canonicatus devenit cum onere prædicto, uti desumitur ex documentis ab Episcopo Nepesino transmissis.

Omissis intermediis præsentationibus ad Canonicatum, modo prædicto erectum, utpote ad decisionem Causæ parum, aut nihil conducentibus, Petrus, & fratres de Ximenis, Cæsar Monaldus, & Persius Pisanus anno 1714. ad eum præsentarunt Sacerdotem Antonium Petruccium, qui pro institutione, & immissione in possessionem Canonicatus instetit; cumque in hujus instantiæ executionem, Curia Episcopalis eum instituisset, cum omnibus oneribus, & honoribus, fuit ab eodem subinde excitata prætensio absolutionis ab onere octo Missarum mensualium, de quibus supra habitus est sermo, factaque hujusce prætensionis relatione audito Episcopo Nepesino, qui Oratoris instantiam censuit esse rejiciendam, inter summaria precum in Congregatione habita die 10. Aprilis 1717. responsum fuit *Lectum*, obtentaque subinde nova audientia, una cum descriptione in folio, proponitur in præsenti dubium circa onera, ad quæ tenetur, vel non tenetur Canonicus Petruccius.

Putat autem idem Canonicus, se non teneri ad onus octo Missarum mensualium, tum quia illud non legitur impositum in Testamento Flaminiæ, ex cujus bonis Canonicatus fuit erectus, tum quia hæc pia Testatrix voluit, quod erigeretur Canonicatus, seu Cappellania, hinc inferendo, quod Franciscus ejusdem vir non poterat devenire ad erectionem Canonicatus insimul, & Cappellaniæ, injungendo etenim Canonico onus Missarum, unionem fecisse videtur Canonicatus, & Cappellaniæ contra voluntatem Fundatricis.

Accedit redituum tenuitas, ex calculo siquidem per Canonicum Petruccium exhibito desumitur nihil aliud remanere pro quotidiano servitio Chori, quam modicam summam scutorum 10. annuorum, & obulorum 15. statim ac admittitur onus controversum celebrationis, ad quod absurdum de medio tollendum infert, se non posse astringi ad celebrationem octo Missarum mensualium, quæ important quolibet anno scuta 19. & obulos 60. calculando unamquamque Missam ad rationem juliorum duorum, ex quo agitur de onere perpetuo.

Contendunt e contra Patroni, Canonicum esse obligatum ad celebrationem Missarum; Primo quia Flaminia voluit, quod Canonicatus erigeretur *arbitrio Francisci viri*, & Franciscus vir illum, accedente auctoritate Ordinaria, erigere curavit, cum expressione oneris supradicti; Secundo quia onus celebrationis octo Missarum quolibet mense non est incompatibile cum Canonicatu; Tertio quia Missæ fuerunt celebratæ spatio septuaginta circiter annorum, itaut de observantia non sit dubitandum; Quarto, quia non videtur subsistere tenuitas redituum, cum Canonicus, præter scuta octo, quæ cuilibet ex Canonicis distribuuntur, habeat quolibet anno scuta 40. cum dimidio, & onus impositum Missarum, illud calculando ad rationem manualis, non excedat summam scutorum 9. & obulorum 60.

His stantibus, quæritur

An, & ad quæ onera teneatur Canonicus, in casu &c.

Sacr. Congr. die 8. Februarii 1719. respondit,
Teneri ad onera expressa in Testamento Francisci, & ad onera, ad quæ tenentur alii Canonici.

QUÆSTIO LXXXII.

In Causa Romana Cappellaniæ, die 4. Februarii 1719.

AD Cappellaniam vacantem per obitum Sacerdotis Angeli Pini fuit a Principe Gaspare de Alteriis, ad quem pertinet jus præsentandi, præsentatus Balthassar Ricci in Acolythatus Ordine, & in ætate annorum 23. & sex mensium constitutus; cumque exorta fuerit controversia, an in Cappellania, ad quam Balthassar præsentari obtinuit, requiratur Sacerdotium actu, & quatenus requireretur, idem exoraverit pro dispensatione, Eminentissimus Cardinalis Urbis Vicarius, requisitus pro Informatione, & Voto, censuit Oratorem esse Cappellaniæ capacem, nec ulla indigere dispensatione, quia non solum infra annum, sed etiam infra sex menses promoveri potest ad Sacros Ordines, & ad Presbyteratum, concludendo eundem institui posse ad laudatam Cappellaniam, conditione adjecta, ut infra annum se ad omnes Sacros Ordines promoveri curet.

Verba fundationis Cappellaniæ, de qua nunc agitur, sunt ea, quæ sequuntur, *duas perpetuas*, (verba sunt sanctæ mem. Clementis X. qui duas perpetuas Cappellanias in sua Cappella gentilitia existente in Ecclesia S. Mariæ supra Minervam, instituit, & fundavit) *duas perpetuas sine cura Cappellanias in prædicta Cappella nostra gentilitia pro duobus Presbyteris futuris Cappellæ gentilitiæ hujusmodi Cappellanis, quarum unam, & alteram in singulis vero Dominicis, & aliis de præcepto Ecclesiæ festivis diebus, quilibet illorum unam Missam, ita tamen, ut Missarum celebrandarum Sacrificium, juxta mentem nostram, per Cappellanos ipsos applicetur, celebrare debeant, & teneantur, Apostolica auctoritate perpetuo erigimus, & instituimus.*

Suppofito hoc verborum tenore, pro Balthassaris capacitate, & sic pro exclusione cujuscumque dispensationis, facit, quod in terminis Sacerdotii, nedum a jure, sed ab homine requisiti in Beneficio, sive in Cappellania, recepta videtur esse propositio, quod illud non sit necessarium de tempore collationis, sive præsentationis, sed

sed sufficere, quod intra unius anni spatium valeat obtineri, *Gonzal. de Regal.* 8. *Cancell. glos.* 5. *num.* 104. *&* 105. fuse *Clericat. disc.* 72. *tit. de Benefic. a num.* 1. *usque ad* 11. qui loquitur in terminis Cappellaniæ, ad quam vocatus est Sacerdos cum onere celebrandi Missas, & alii Auctores, qui qualitatem Sacerdotalem exposcunt de tempore Collationis, seu Præsentationis, nihilominus admittunt contrariam opinionem esse in praxi receptam, *Amostaz. de causis piis lib.* 3. *cap.* 5. *num.* 34., *Castill. controv. juris tom.* 5. *cap.* 91. *a num.* 38. *usque ad num.* 51.

E contra pro incapacitate Balthassaris, & sic pro necessitate dispensationis, facit, quod quando annexio Sacerdotii est facta respectu actus, Sacerdotium requiritur tempore collationis, sive præsentationis, ad differentiam casus, in quo annexio Sacerdotii facta sit respectu aptitudinis, in hac quippe facti specie satis est quod Sacerdotium intra annum acquiri valeat.

Absque eo quod de annexione Sacerdotii respectu actus in hypothesi dubitari posse videatur; ea etenim semper adesse dicitur, quando Fundator voluit, quod nominetur Sacerdos, vel quod Beneficium, seu Cappellania conferatur Sacerdoti, uti late probat *Fagnan. in cap. ut Abbates a num.* 37. *usque ad* 60. *de ætat. & qualitat.* & in terminis Beneficii, ad quod eligendus erat Presbyter, qui celebrare debebat Missas omni hebdomada, quod qualitas Sacerdotalis fuerit necessaria de tempore Præsentationis, firmavit *Rota decis.* 248. *decis.* 263. *decis.* 278. *decis.* 312. *decis.* 353. *& decis.* 364. *coram Emerix juniore*.

His stantibus, quæritur

I. *An Balthassar institui valeat ad Cappellaniam, ad quam fuit præsentatus, non obstante, quod tempore præsentationis non esset Sacerdos, & quatenus negative.*

II. *An eidem sit indulgenda dispensatio in casu &c.*

Sacr. Congr. respondit,
Ad Primum affirmative. Ad Secundum provisum in primo.

QUÆSTIO LXXXIII.

In Causa Sagonensi Nullitatis Professionis, die 4. *Februarii* 1719.

FRATER Dominicus Franciscus de Lama natus est *die* 8. *Julii anno* 1691. & Professionem Regularem emisit in Religione Minorum Reformatorum Sancti Francisci 10. *Decembris* 1706. & licet intra quinquennium voluerit reclamare apud Ordinis Provincialem, Professionem nihilominus ratificavit expresse *die* 8. *Decembris* 1711. Cumque in præsenti instet pro concessione restitutionis in integrum, de duobus præcipue videtur esse inquirendum, hoc est de Professione, & de Professionis ratificatione. Quoad Professionem, nulla esset, de nullitate loquendo, difficultas, cum emissa fuerit ante decimum sextum annum expletum contra litteram Sacri Concilii Tridentini *sess.* 25. *cap.* 15. *de Regul.* ubi Professio taliter emissa declaratur nulla, nec ullam dicitur inducere obligationem; sed quia expressa supervenit ratificatio cum positiva scientia in Ratificante, quod Professio erat nulla ratione ætatis, in quo rerum statu, data validitate ratificationis, non posset Professio ullo modo impugnari, juxta *Textum in cap. Significatum de Regul.* ibi, *seu post decimum quartum annum Professionem a se prius factam, ratam habuerit*, & in *cap. is qui de Regul. in* 6. ibi, *seu Professionem a se prius factam ratam expresse habeat*, hinc est, quod totum instantiæ pondus ad ratificationem reducitur.

Contendit itaque Frater Dominicus, ratificationem fuisse nullam, utpote emissam propter vim, & metum cadentem in constantem virum, sibique incussum a Laurentio fratre, qui, pugione ad pectus admoto, eum ad ratificandum induxit, uti desumitur ex ejusdem Laurentii testimonio, qui stimulis conscientiæ, & exhortationibus Missionariorum permotus rem totam aperuit, non obstante, quod fateatur egressum Fratris Dominici a Religione sibi futurum esse præjudicialem, propter divisionem bonorum paternorum, quam ille post egressum prætendere posset. Concordant cum Laurentio alii testes deponentes de auditu. Quocirca propositum fuit in Congregatione habita *die* 4. *Februarii* 1719. consuetum dubium, *an sit concedenda restitutio in integrum in casu*, & responsum fuit *Dilata, & coadjuventur probationes, & Episcopus procedat prout de Jure contra Laurentium Fratrem Oratoris*.

In hujus rescripti executionem, datæ fuerunt literæ ad Episcopum, & cum in Urbe adessent nonnulli Religiosi, qui juxta ordinem Sacræ Congregationis poterant coadjuvare probationes, *die* 4. *Martii* 1719. responsum fuit, *Eminentissimo Urbis Vicario, qui dignetur nomine Sac. Congregationis recipere examen formale Testium*, examinatisque binis Religiosis, tunc commorantibus in Conventu S. Francisci ad Ripam, ex quorum dictis resultavit Fratrem Dominicum fuisse adactum per vim, & metum sibi, ut supra, a Fratre illatum, ut ipse Frater Dominicus Franciscus factum exponendo sæpius cum ipsis fuerat conquestus, proposita iterum fuit ejus instantia super restitutione in integrum in Congregatione habita *die* 5. *Augusti* 1719. sed cum literæ Episcopi Sagonensis adhuc non superveniissent, responsum fuit, *Dilata, & dentur literæ urgentiores*.

Supervenerunt interea litteræ prædicti Episcopi, una cum serie actorum ab eodem gestorum. Porro ex illis habetur, primo, quod citatus fuit Laurentius, illique fuit assignatus terminus dierum novem, trium pro prima, trium pro secunda, & trium pro tertia canonica monitione, ad comparendum, & ad deducendam causam quare non deberet declarari excommunicatus ob violentiam exercitam adversus Fratrem Dominicum ad effectum extorquendi ab eodem ratificationem Religiosæ professionis.

Secundo, quod Laurentius intra terminum sibi assignatum comparuit, suumque peccatum sequentibus verbis exposuit, *esso supplicante genuflesso a' suoi piedi confessa il fallo da lui commesso nella sua deposizione d' aver esso costituito forzatamente, anche con mano armata violentato in compagnia di Fra Valentino Laico Riformato suo Cugino carnale*, qui jam defunctus est, *il Sacerdote Fra Domenico Francesco suo fratello sino dall' anno* 1711. *del mese di Decembre, nel tempo che detto Fra Domenico Francesco suo fratello era Chierico Minorista di detta Religione de' Riformati, a dover esso ratificare nel termine delli cinque anni la Professione del suo Noviziato, ma questo esso povero Oratore fece solo, perchè il Laico Fra Valentino suo Cugino carnale l' indusse a fare questa risoluzione, acciò detto Fra Domenico Francesco suo Fratello non si spogliasse dell' Abito di S. Francesco, quale aveva vestito gli anni avanti, e ne sarebbe restato diffamato non solo detto Fra Domenico Francesco, ma anche la Famiglia d' esso Oratore, come altresì, perchè di quella poca zenda, ch' esso supplicante aveva di quel tempo, se si svestiva di detto Abito suo Fratello, ne restava povero colla sua Famiglia esso supplicante*, & post deductam, & allegatam ignorantiam, quod imposita esset excommunicationis pœna adversus eos, qui cogunt aliquem ad emittendam professionem regularem, sic conciudit, *pertanto prostrato a' suoi piedi, o alla Santa Sede Appostolica, alli quali ne domanda il perdono, e gli supplica perdonarli il suo fallo, e quando fosse caduto in alcuna censura, lo supplica dell' assoluzione di essa, con aver commiserazione di non esser caduto volontariamente in alcuna offesa contro la sua anima*.

Adduntur depositiones ad perpetuam trium aliorum Religiosorum, qui *die* 31. *Octobris* 1719. retulerunt se pluries audivisse Fratrem Dominicum conquerentem tam de nullitate Professionis, quam Ratificationis, quinimmo alter ex iisdem subdit, se violentiæ lamentationes intellexisse ab ore Fratris Dominici die immediate sequenti, seque tunc obviam habuisse Laurentium Fratrem, *e ripreso lo della forza, che aveva fatto al detto Fra Domenico Francesco, esso rispose primieramente, che non sapeva quello che dicevamo, e poi ci confessò il tutto, scusandosi però, che ne fu causa il detto Fra Valentino*, de quo supra habitus est sermo, *mentre lo mandò a chiamare per uomo apposta, e lo stimolò a ciò fare*.

Hæc sunt in Causa, adeoque iterum quæritur

An sit concedenda restitutio in integrum in casu.

Sacr. Congr. die 13. Aprilis 1720. respondit,
Affirmative.

QUÆSTIO LXXXIV.

In Causa Cremensi Reductionis Missarum, die 4. *Februarii* 1719.

SUPPLICARUNT Canonici Regulares Monasterii S. Benedicti Civitatis Cremen. huic Sacræ Congregationi pro reductione nonnullorum onerum Missarum, & proposita eorum instantia inter summaria precum, responsum fuit *die* 24. *Septembris anni præteriti* 1718. modo, qui sequitur *ad primum*, hoc est quoad legatum factum anno 1632. *ad Manualem*, agebatur enim de legato librarum undecim mille, relicto Canonicis cum onere Missæ quotidianæ, item agebatur de legato incipiente a quantitate, non ab onere, necnon de legato dictarum librarum,

brarum, quæ erant investitæ in quodam censu, cujus hodierni reditus summam non excedunt scutorum 45. monetæ Romanæ omnino imparem pro adimplemento Missæ quotidianæ, habita ratione eleemosynæ, quæ dari consuevit in Civitate Crem. pro Missæ celebratione, ita ut de reductione ad manualem existimatum fuerit dubitari non posse. *Quoad secundum onus*, hoc est quoad contractum initum anno 1628. responsum fuit *Lectum, & utantur jure suo coram Judice competente*, & loquendo de aliis oneribus responsum fuit *Lectum*; impetrataque subinde a Canonicis nova audientia una cum descriptione in folio, agitur in præsenti de viribus præteritæ resolutionis.

Loquendo autem de contractu inito anno 1628. in ordine ad quem responsum fuit *Lectum, & utantur jure suo coram Judice competente*, sciendum est, quod Marcus Antonius Bondentes assignavit dicto anno 1628. Abbati Monasterii libras 5400. pro celebratione Missæ quotidianæ, quod dictæ libræ erant in censibus investitæ, & quod hodierni dictorum censuum reditus non excedunt annua scuta 23. monetæ Romanæ.

Cumque, teste Episcopo in sua informatione, hodierna eleemosyna manualis sit unius Julii cum dimidio pro una Missa feriali, & duorum Juliorum pro festiva, hinc inferunt Canonici, constare de læsione, & sic esse locum reductioni, non obstante, quod onus fuerit acceptatum in contractu; & multo magis, cum acceptatio secuta fuerit post editam Bullam Urbanam, & contra formam in eadem præscriptam; tum quia in acceptatione non adfuit licentia in scriptis Superioris Generalis, tum quia pecuniæ erant in censibus investitæ, quando ad tramites Bullæ investimentum fieri debebat in bonis immobilibus.

Quoad alia vero onera, in quibus rescriptum fuit *Lectum*, sciendum est primo, quod in antiqua tabella appensa in Sacrario descriptum est onus quinque Missarum quolibet mense celebrandarum ad Altare S. Sebastiani pro anima Antonii Taffini, pro libris imperialibus 400. quæ sunt in censu investitæ, & hodie reddunt *scuta tria* circiter monetæ Romanæ. Sciendum est secundo, quod in eadem tabella adnotatum est onus Missarum 84. annuarum ad Altare S. Mariæ Lauretanæ pro anima Philippi Fontanæ, qui dedit Monasterio libras 670. Imperiales, & quod hæ in censu investitæ hodie reddunt scuta octo circiter. Sciendum est tertio, quod in eadem tabella adnotatum est onus Missarum 30. pro anima Camilli Cribelli quolibet anno, qui reliquit libras 400. quæ in censu investitæ hodie reddunt scuta *tria* circiter monetæ Romanæ. Sciendum est denique, quod in eadem tabella descriptum est onus unius Missæ qualibet hebdomada pro anima Elisabeth de Faconis pro libris Imperialibus 700. ex quibus in censibus investitis, hodie habentur scuta 5. quolibet anno monetæ Romanæ; cumque nec onerum, nec eorum, quæ relicta fuerunt pro ipsorum adimplemento, alia habeatur notitia, quam ea, quæ deducitur ex discriptione in tabella, & præsumptio sit, quod libræ fuerint relictæ in censibus investitæ, ex quo hodie hæc capitalia sunt pariter in censibus investita, nec eorum reditus sufficiant pro Missarum celebratione, & illorum decrementum non ex culpa Canonicorum, sed ex censuum diminutione processerit, hisce de causis iidem Canonici existimant sibi esse debitam reductionem horum etiam onerum, quæ sunt descripta in tabella.

Adeoque nunc quæritur

An & quomodo sit standum, vel recedendum a decisis in casu.

Sacr. Congr. respondit,
Standum in Decisis quoad Legatum factum anno 1632. *quoad contractum vero anni* 1628. *pro nova informatione juxta Instructionem, & quoad reliqua in Decisis.*

QUÆSTIO LXXXV.

In Causa Veneta Reductionis Missarum, die 4. *Februarii* 1719.

JOANNES Delphinus, in ultimo, cum quo decessit, Testamento, condito de anno 1539. inter cætera, duas voluit Missas quotidianas celebrari in Ecclesia S. Cantiani, alteram pro anima Florisdelisæ fororis, jubendo, ut Sacerdoti celebranti solverentur ducati 16. aliam pro anima propria, jubendo, ut Sacerdoti solverentur ducati 20. In eodem Testamento idem Testator prælegavit Elenæ suæ Consobrinæ Campos 55. *Item lascio a Madonna Elena figlia del quondam Messer Cristofaro Soranzo mia cugina, alla quale ho molte obbligazioni, e massime per avermi sempre governato, campi* 55. *delle mie possessioni &c.* Hanc eandem Elenam Joannes subinde scripsit hæredem, imposito onere satisfaciendi legatis a se relictis, *il resto veramente di tutti i miei beni d' ogni sorte lascio, e voglio che sia della detta Elena Soranzo per li benefizj, che ho avuto da lei, con questo che la facci tutti i miei Legati*, & in Codicillis post Testamentum exaratis iterum voluntatem expressit, quod ad Elenam Campi 55. devenirent: *Item voglio, che del tutto Madonna Elena Soranzo mia cugina, figlia di Cristofaro sia commissaria per la maggior parte, e che abbia il tutto, e sopra tutto li miei campi* 55. *&c.*

Bona Elenæ ad duas devenerunt familias, ad familiam videlicet Mori, cui in divisione bonorum contigit onus celebrationis Missæ pro anima Testatoris, & ad familiam Delphinam, quæ in se suscepit onus adimplendi celebrationem Missæ quotidianæ, de qua tantummodo nunc agitur pro anima Florisdelisæ; cumque Aloysius Barbadigus causam habens a Delphinis, huic Sacr. Congregationi supplicaverit pro reductione oneris Missæ quotidianæ, ex quo sexdecim ducati a Testatore relicti, hodie non sunt sufficientes, scriptum fuit pro informatione, & voto Patriarchæ Venetiarum, qui sensit, esse locum reductioni.

Si de reductione agendum est ad tramites ordinariæ praxis hujus Sacræ Congregationis, non videtur, quod eidem esse valeat locus, sed quod ab hæredibus supplendum sit id, quod requiritur pro celebranda Missa quotidiana; Testator enim incœpit ab onere, & deinde meminit eleemosynæ: *Item voglio sia celebrato ogni anno una Messa nella detta Chiesa di San Canziano per l' anima della detta Fiordelise per un Sacerdote da esser eletto per li miei Commissarj, quale abbi ogn' anno ducati* 16. & in hac Sacra Congregatione, reprobata sententia Boerii *in cap. super litteris de rescriptis*, negantis hæredem posse cogi ad supplendum, quando Testator expressit quantitatem eleemosynæ pro Missis celebrandis, invaluit opinio Felini *in eodem cap. super litteris de rescriptis*, qui dicit, esse locum supplemento, quando quantitas fuit relicta demonstrative, secus autem si taxative fuerit relicta, & semper censendum esse, quod quantitas fuerit demonstrative relicta, quando Testator incœpit ab onere, uti testatur bon. mem. Carolus de Vechiis meritissimus olim hujus Sacræ Congregationis Secretarius in suo suffragio impresso apud Crispin. *de visit. pastoral. par.* 2. §. 18. *num.* 6.

At punctus est, quod Felini doctrina in Sacra Congregatione recepta non applicatur, quando ex Testamento desumitur, & ex circumstantiis supplementum sibi locum vindicare non posse, juxta tradita per *Monacel. in formul. par.* 1. *tit.* 10. *formul.* 19. *num.* 23. *in fine*, cumque admisso in præsenti rerum statu supplemento, remanere non possint, teste Patriarcha in sua informatione, in hæreditate Elenæ illi Campi 55. quos Testator eidem prælegavit, & in Codicillis expressit enixis verbis: *e sopra tutto*; quod ad eam devenire deberent, id operari potissimum videtur, ut, non obstante regula in contrarium, esse valeat locus limitationi.

His stantibus, quæritur

An sit locus reductioni in casu &c.

Sacr. Congr. respondit,
Negative.

QUÆSTIO LXXXVI.

In Causa Milevitana Expositionis SS. Sacramenti, die 4. *Februarii* 1719.

EPISCOPUS Milevitanus in actu visitationis decrevit, quod in Parochiali Ecclesia S. Pauli Apostoli Civitatis Vallettæ fieri deberet expositio Sanctissimi Sacramenti in Altari Majori, & non in alio Altari pertinente ad Confraternitatem S. Michaelis Archangeli in eadem Ecclesia erectam; cumque reclamantibus Confratribus adversus hoc decretum, scriptum de more fuisset Episcopo pro informatione, retulit ipse se fecisse decretum supra memoratum, ex quo altare Confraternitatis positum est in vestibulo, & primo ingressu Ecclesiæ, itaut de irreverentia ingredientium, & egredientium ab Ecclesia maximopere timeri potuerit, de quo periculo nulla rationabilis suspicio adesse potest, si Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum exponatur in Altari Majori.

Adversus hæc excipiunt Confratres, primo hic, & nunc agi de expositione SS. Sacramenti, quæ fit qualibet prima Dominica Mensis, & quæ post Missam cantatam terminatur; cum in fine Missæ Sacramentum reponatur:

tue: secundo, in pluribus Urbis Ecclesiis adesse consuetudinem Eucharistiam publicæ venerationi exponendi in Altaribus minoribus, quando, prout hic, non agitur de solemniori, & per non modicum tempus duratura expositione; tertio, non suffragari rationem deductam a periculo irreverentiæ, tum quia novum non est, nec in Urbe, nec in Diœcesi Milevitana, quod fiat expositio in Altaribus sitis prope januam Ecclesiarum, tum quia in latere dextero Ecclesiæ Sancti Pauli, in qua est Altare Confraternitatis nulla janua reperitur, cum pateat aditus a duabus aliis januis, altera in medio, altera a latere sinistro; quarto tandem, & ultimo fuisse a Vincentio Hagius dono data Altari Confraternitatis nonnulla bona cum obligatione expositionis Sanctissimi Sacramenti qualibet prima Dominica mensis in eodem, & cum pacto resolutivo, in casu, quo conditio non adimpleretur, quasi quod subsistente Episcopi decreto, certa sit bonorum relictorum jactura.

His stantibus, quæritur

An expositio Sanctissimi Sacramenti fieri debeat qualibet prima Dominica mensis in Altari Confraternitatis, vel potius in Altari majori Ecclesiæ Sancti Pauli, in casu &c.

Sacr. Congr. respondit,
Affirmative ad primam dubii partem, negative ad secundam, & Episcopus provideat, ne sequantur incommodentia.

QUÆSTIO LXXXVII.

In Causa Asculana Visitationis, die 4. Februarii 1719.

CONTENDIT Reverendissimus Episcopus Asculanus, se visitare posse Ecclesiam Sancti Joannis ad Templum, quæ est Commenda Sacræ Religionis Hierosolymitanæ, non solum quia sui in Episcopatu Prædecessores eam visitarunt, sed etiam quia Concilium Tridentinum *sess. 7. de Reform. cap.* 8. decernit, quod Locorum Ordinarii Ecclesias quascumque quomodolibet exemptas, auctoritate Ordinaria singulis annis visitare teneantur, & *sess.* 21. *cap.* 8. *de Reform.* statuit, quod Commendata Monasteria, Abbatiæ, Prioratus, & Præposituræ nuncupatæ, in quibus non viget Regularis observantia, necnon Beneficia tam Curata, quam non Curata, Sæcularia, & Regularia qualitercumque commendata, etiam exempta, ab Episcopis, tamquam Apostolicæ Sedis delegatis annis singulis visitentur.

Absque eo quod suffragari valeant Equiti Commendatario Privilegia Religionis exemptiva a jurisdictione Ordinariorum innovata post Concilium Tridentinum a S. Pio V. *Constit.* 67. *& Constit.* 136. *Bull. tom.* 2. quandoquidem litteræ hæ Apostolicæ S. Pii V. redactæ dicuntur ad terminos S. Concilii Tridentini a Summo Pontifice Gregorio XIII. in sua *Const.* 67. *citato tom.* 2. *Bullarii*.

Adversus autem fundamenta hucusque deducta facere posse videtur resolutio hujus Sacræ Congregationis *in Mantuana juris visitandi* 17. *Junii* 1690. *lib.* 40. *Decret.* in qua dictum fuit, Episcopum non posse visitare Ecclesiam non Parochialem spectantem ad Commendam S. Joannis Hierosolymitani, etiamsi pluries fuisset a prædecessoribus Episcopis visitata.

His stantibus, quæritur,

An, & quo jure liceat Episcopo Asculano visitare Ecclesiam S. Joannis ad Templum, in casu &c.

Sacra Congr. die 4. Martii 1719. respondit
Negative; & amplius.

QUÆSTIO LXXXVIII.

In Causa Calaguritana Beneficiorum, die 4. Februarii 1719.

PROPOSITA fuit hæc causa in Congregatione habita *die* 8. *Julii*, & fuit repropositа in Congregatione habita *die* 9. *Septembris* 1702. nec ulla fuit capta resolutio. Pro tertia vice fuit proposita in Congregatione habita *die* 30. *Septembris ejusdem anni*, prodiitque responsum, quod infra exponetur. Cum autem Capitulum, & Beneficiati Ecclesiarum SS. Andreæ, & Jacobi novam audientiam postulaverint, & obtinuerint, & sic de viribus præteritæ resolutionis hodie sit agendum, & nonnulli sint ex Eminentissimis Patribus, qui tempore causæ propositæ, & resolutæ, huic non intererant Congregationi, operæ pretium esse existimatum est, antiquioris solii substantiam hic inferere, una cum rescripto Sacræ Congregationis, ut tuto responderi valeat, an sit standum, vel recedendum a decisis. Folium autem præteritæ propositionis, in substantialibus ita se habet.

Beneficia Ecclesiarum Calaguritanæ, & Calciaten. Diœcesis, ubilibet vacantia, utpote constituta ex decimis, & fructibus solvi solitis a Populo ipsorum locorum, sanctæ mem. Clemens VIII. de anno 1596. de voto hujus Sac. Congregationis, conferri mandavit solis filiis patrimonialibus, & originariis eorumdem locorum, ea tamen lege, quod major pars Beneficiatorum Ecclesiæ præsentare debeat Episcopo, quem maluerit ex illis, qui, prævio examine, idonei fuerint renunciati.

In Ecclesiis Parochialibus SS. Jacobi, & Andreæ Civitatis Calaguritanæ, quibus annexa est altera Parochialis S. Bartholomæi Villæ de Aldeanova, Beneficia hujusmodi triginta numerantur, ad quæ tamen, ut asseritur, pluribus ab hinc annis, semper filii Patrimoniales dictæ Civitatis præsentati fuere, eo quod major pars Capituli constituta fuerat a Beneficiatis naturalibus illius, exclusis penitus originariis dictæ Villæ de Aldeanova, non sine maximo ipsius detrimento, & curæ animarum, pro qua exercenda, unicus tantum Beneficiatus existit.

Quamobrem Universitas dictæ Villæ, preces porrexit sanctæ mem. Innocentio XII. ut per suas litteras Apostolicas demandare dignaretur separationem tot Beneficiorum ex præfato Capitulo, quot ad portionem annuarum decimarum, quas eidem persolvit, constitui possent, itaut ad ea Beneficia soli naturales illius Villæ præferri deberent, quatenus idonei reperti fuerint, ad formam Constitutionis san. mem. Clementis VIII. precibusque per specialem commissionem prædicti Summi Pontificis usque de anno 1697. ad hanc Sac. Congregationem pro voto remissis &c. resolvendum proponitur dubium, *An sit locus distinctioni Beneficiorum pro rata decimarum, & fructuum, qui solvuntur Capitulo a populo Villæ de Aldeanova, itaut ad eadem Beneficia in concursu sint præferendi filii patrimoniales ejusdem Villæ in casu &c.*

Hactenus præteritum folium. Responsum autem a Sac. Congregatione editum *die* 30. *Septembris* 1702. conceptum est sequentibus verbis: *Sac. Congregatio respondit affirmative, censuitque, si SS. Domino Nostro placuerit, per suas litteras Apostolicas in forma Brevis Episcopo Calaguritano committi posse, ut ad mensuram decimarum, quæ a Populo Villæ de Aldeanova Capitulo solvuntur, numerum portionum Beneficialium populo prædicto assignet, ac patrimoniales natos ejusdem Villæ, dummodo alias approbati sint, ad proprias portiones præferri mandet, servata in reliquis forma motus proprii sanctæ mem. Clementis VIII.*

Cohærenter ad hanc resolutionem, expeditæ fuerunt litteræ Apostolicæ in forma Brevis, cum solita clausula *salva auctoritate Sac. Congregationis*. Quocirca hodie disputari contingit

An sit standum, vel recedendum a decisis sub die 30. *Septembris* 1702.

Sacr. Congr. die 8. Februarii 1721. respondit,
Recedendum a decisis.

QUÆSTIO LXXXIX.

In Causa Alexandrina, die 4. Martii 1719.

ANNO 1628. Joannes Zucca rogavit Patrem Præpositum, & reliquos Patres Somaschæ Ecclesiæ Parochialis Sancti Sirii Civitatis Alexandrinæ, ut vellent, assignata iisdem eleemosyna, *celebrare seu celebrari facere Missam unam quotidianam in perpetuum in Aurora ad Altare ipsius Joannis erectum in dicta Ecclesia sub titulo Sancti Caroli, ad effectum, ut omnes Viatores, Laboratores, & Peregrinantes possint illam commode audire, & in apertura januarum hujus Civitatis Alexandriæ recedere, & ad viaticum, & laborerium accedere, & pergere;* & prævia licentia Patris Generalis, necnon prævia assignatione ducat. 800. Patres promiserunt *Missam quotidie, & singulo die, etsi festivo in honorem Beatæ Mariæ Virginis, & Sanctorum dicere, & celebrare, seu dici, & celebrari facere in Aurora, & tempore congruo, quo valeant Laboratores, Coltivatores, & quivis Operarii, & Viatores, & Peregrinantes dictam Missam audire, & ab hac Civitate recedere, & exire in aperitione januarum hujus civitatis*, & in hypothesi, in qua Patres deficerent in celebratione, etiam pro unica vice, conventum fuit, ut caderent ab assignatione dictorum ducatorum, uti latius desumitur ex instrumento.

In executionem hujus instrumenti Missa fuit punctualiter celebrata, & ulterius Patres eam applicarunt pro anima pii Testatoris, cumque subinde prætensionem excitaverint, quod ad dictam applicationem minime tenerentur, & huic prætensioni se opposuerint Dominicus Ruphinus, & alii de Zucca, causam habentes a Joanne, de hoc onere applicationis in præsenti disputari contingit.

Pro applicatione facit, quod Missa est pro Fundatore applicanda, licet ipse applicationem non expresserit, juxta resolutionem hujus Sacræ Congregationis in *Tinen. applicationis Sacrificii die* 18. *Augusti* 1668. *lib.* 26. *Decretorum fol.* 61. cui hæc Sacra Congregatio temporibus subsequentibus passim adhæsit. Facit ulterius, quod Joannes devenit ad hujus Cappellaniæ fundationem volens in aliqua parte *gratias reddere, ac etiam ad implorandam divinam misericordiam*, uti legitur in instrumento, hæc etenim verba præseferre videntur obligationem applicandi. Facit denique ipsorum Patrum observantia, qui in præteritum Missas celebrarunt, & applicarunt; non omisso, quod assignamentum factum a Joanne congruum, & proportionatum dici debet, quæ res favet oneri applicationis.

Putant e contra Patres, se ad applicationem non teneri, quia quando Testator de applicatione locutus non est, &, prout hic, aliam expressit causam celebrationis, pro commoditate videlicet Viatorum, atque Peregrinantium, tunc onus celebrationis sibi vindicat locum, sed non illud applicationis, ut in terminis Cappellaniæ fundatæ cum onere quotidianæ celebrationis quadam hora determinata, *acciò molti occupati da' negozj possino andare a sentirla, ed in specie li scolari quando escono dalla scuola*: respondit hæc Sacra Congregatio *in Collen. applicationis Sacrificii* 17. *Decembris* 1689. *lib.* 4. *Decret. fol.* 4. & in terminis Cappellaniæ fundatæ cum onere celebrationis Missæ quotidianæ *pro satisfactione, & Voto Monialium degentium in Monasterio Corporis Christi Civitatis Mantuanæ*, respondit hæc Sacra Congregatio *in Mantuana applicationis Sacrificii* 19. *Novembris* 1718. in cujus folio aliæ allegantur consimiles resolutiones. Addunt Patres, præteritam observantiam sibi non obesse, cum observantia sibi vindicet locum in re dubia, non in re clara, & in hujus sui assumpti comprobationem asserunt, quod assignamentum factum a Joanne non est congruum, habita ratione celebrationis in Aurora, si ultra celebrationem, diceretur onus adesse applicationis.

His stantibus, quæritur

An Patres Congregationis Somaschæ teneantur ad applicationem Missæ celebrandæ in Aurora, in casu &c.

Sacra Congr. die 18. Martii 1719. respondit
Affirmative.

QUÆSTIO XC.

In Causa Fanensi, die 4. Martii 1719.

LAURENTIUS Danielius in ultimo, sub quo decessit, Testamento, demandavit Papirio suo filio, & hæredi, ut infra sex menses emeret Cappellam Sancti Joannis Baptistæ, sitam in Ecclesia Sancti Petri Patrum Congregationis S. Philippi Nerii Civitatis Fanen. & ut ulterius eam congrue dotaret, ut Missa quotidiana in eadem celebrari posset pro suffragio Animæ suæ, & Papirius Cappellam emit pretio scutorum 550. & insuper adimplevit celebrationem Missæ quotidianæ, & nedum ipse, sed etiam Alavolinus successor Cappellanos elegit, qui Missas celebrarunt, exortaque deinde controversia inter memoratum Alavolinum, & Patres super jure deputandi Cappellanum, post obtentas a Patribus binas super hoc puncto sententias favorabiles, alteram a Curia Episcopali Fanensi, alteram ab A. C. deventum subinde fuit ad transactionem anno 1687. in qua Alavolinus nominavit in perpetuum Cappellanum, cum obligatione nunquam variandi, nec revocandi, Patrem Præfectum Sacristiæ pro tempore Ecclesiæ Sancti Petri, excepto solo casu, in quo inter suos filios, nepotes, & pronepotes aliquis reperiretur Sacerdos idoneus, qui dictam Cappellam vellet obtinere. In eadem quoque transactione conventum fuit, ut pro dotatione Cappellaniæ, seu pro eleemosyna Sacerdotis celebrare debentis, solverentur scuta 40. monetæ Urbini, & alia scuta 2. ejusdem monetæ pro solitis utensiliis Sacristiæ, sed cum anno 1715. Episcopus Fanensis eleemosynas Missarum auxerit a Julio uno monetæ Urbini, ad Julium unum monetæ Romanæ, nova exorta est controversia inter Alavolinos, & Patres, tam super validitate transactionis, quam super augmento dotis, seu reductione Missarum.

Contendunt autem Patres transactionem non sustineri; Primo, quia defuit beneplacitum Apostolicum, tam de jure, quam ex voluntate contrahentium requisitum. Secundo, quia non obstantibus sententiis favorabilibus obtentis, uti diximus, & prolatis favore Patrum, fuit concessum Alavolino jus passivum pro suis filiis, nepotibus, & descendentibus, quatenus inter eos aliquis idoneus Sacerdos reperiretur. Tertio, quia ad tramites Testamenti, dotanda erat Cappellania in censibus, aut in rebus consimilibus, quo stante, non erat permissum Alavolino suscipere in se onus solvendi scuta 40. monetæ Urbini. Quarto tandem, quia cum ageretur de Cappellania perpetua, stipendium non poterat taxari ad rationem eleemosynæ manualis, & in eo quod attinet ad supplementum dotationis, contendunt iidem Patres, debere esse locum supplemento, & non reductioni Missarum. Si etenim Testator voluit, quod Cappellania congruenter dotaretur, statim ac congrua dotatio facta non fuit, non potest esse locus reductioni Missarum, sed supplemento dotis.

Contendunt e contra Alavolini, quod transactio sustineatur; de existentia siquidem litis non videtur dubitari posse, sicuti nec de spe probabili obtinendi revocationem præcedentium sententiarum, cum quæstio esset super possessorio, & ipsi præcedenter devenissent ad nominationem Cappellanorum; cumque utilitas Patrum ex transactione proveniens consistat in jure per eosdem acquisito, circa perpetuam deputationem Præfecti Sacristiæ in Cappellanum, inferunt nihil aliud requiri pro validitate transactionis, etiamsi defuerit beneplacitum Apostolicum, tum quia fuit reservatum in casu, in quo esset necessarium, tum quia beneplacitum requiritur in transactione, in qua fit alienatio stabilium, & non in transactione, in qua Patres acquisiverunt jus passivum perpetuæ Cappellaniæ. Addunt Alavolini, non esse locum reductioni Missarum, nec augmento dotis, tum quia in Civitate Fani adsunt aliæ Cappellaniæ perpetuæ cum simplici eleemosyna scutorum 36. monetæ Urbini, itaut per consequens justa, & proportionata a fortiori reputanda sit dos, de qua nunc agitur, utpote constituta in scutis 42. ejusdem monetæ: tum quia punctus reductionis Missarum, vel augmenti dotis discuti posse videtur, cum contingit deterioratio fundorum assignatorum, secus autem, quoties, prout in casu, nulla accidit deterioratio, cum eadem semper vigeat obligatio persolvendi annua scuta 42. Absque eo quod quidquam referat edictum Episcopi augens eleemosynam Missæ a Julio uno monetæ Urbini ad Julium unum monetæ Romanæ, quandoquidem edictum loquitur de Missis manualibus, & non de Missis perpetuis.

His stantibus, quæritur

I. An transactio sustineatur, & quatenus affirmative, seu negative.

II. An sit locus augmento dotis, vel reductioni Missarum, in casu, &c.

Sacra Congr. die 18. Martii 1719. respondit:
Ad primum negative, & Partes utantur jure suo quoad litem. Ad secundum teneri ad dotationem prout de jure.

QUÆSTIO XCI.

In Causa Casalensi Residentiæ, die 4. Martii 1719.

OCCASIONE qua per obitum Canonici Theodori Belliardi vacavit alter ex Canonicatibus Ecclesiæ Parochialis S. Mariæ Novæ Oppidi Lù Casalen. Diœcesis, ad quem sic vacantem Alphonsus Cajetanus Belliardus præsentavit Joannem Franciscum fratrem suum, qui institutionem ab Episcopo reportavit, & possessionem cepit, exorta est controversia inter Agentes Communitatis Oppidi de Lù, ad quos per turnum pertinet præsentatio ad Canonicatus, & eos de Belliardis, qui pariter per turnum habent jus nominandi, seu præsentandi, an Canonici nominati, & nominandi ab hac eadem familia onus habeant formalis, & præcisæ residentiæ personalis, eademque ad hanc Sacram Congregationem delata, disputandum in præsenti proponitur dubium infra exponendum.

Contendit Communitas Oppidi de Lù, quod dicti Canonici ad formalem præcisam residentiam personalem teneantur non solum ex dispositione Sacri Concilii Tridentini, *sess.* 24. *cap.* 12. *de Reform.* sed etiam quia Præpositus Ecclesiæ anno 1699. cessit favore Mensæ Capitularis ducatos decem auri de Camera, & Sacra Congregatio accedente assensu eorum de Belliardis tanquam Patronorum, approbavit cessionem, injuncta Canonicis obligatione residendi, & Ecclesiæ inserviendi per seipsos.

Addit Communitas, quod relicta fuerunt Ecclesiæ Legata pia, intuitu residentiæ, & ad finem eamdem promovendi, & quod residentibus aliis Canonicis tam antiquis, quam recenter a moderno Episcopo institutis, monstruosum esset, quod nominati a familia de Belliardis non essent oneri residentiæ subjecti; & multo magis, quia Præpositus Placentinus præsentatus a Belliardis anno 1700. & sic post relatam Sacræ Congregationis resolutionem, punctualiter per decem & octo annos, quibus vixit, personaliter resedit, quæ Præpositi residentia referri nequit ad curam animarum, quam idem exercebat, cum Choro interesset indutus Superpelliceo, Birreto, & Almuria, & subjaceret punctaturis, sicut alii subjacebant Canonici.

Contendunt e contra illi de Belliardis, quod Canonici a se nominati, & nominandi non habeant onus formalis, & præcisæ residentiæ personalis; Sixtus etenim Quartus in sua Bulla expresse permisit Canonicis, ut inservire possent per substitutos, & quamvis univerit Ecclesiæ S. Mariæ Novæ quædam Beneficia, quorum fructus essent dividendi inter interessentes Divinis Officiis, hæc tamen residentia non est præcisa, sed causativa, & in eo quod attinet, vel ad dispositionem S. Concilii Tridentini, vel ad resolutionem hujus Sacræ Congregationis, dicunt nullam ex iisdem applicari casui præsenti, non primam, quia Concilium Tridentinum non imponit onus residendi illis Canonicis, qui illud non habent in sequelam Bullæ Pontificiæ; non secundam, quia præmisso in facto, quod Præpositus sibi in præteritum applicaverat reditus Beneficiorum a Sixto Quarto unitorum, & quod loco Redituum prædictorum Beneficiorum cessit anno 1699. mensæ Capitulari ducatos decem auri de Camera, supplicando Sacræ Congregationi pro confirmatione, ne cessio a se facta impugnaretur a subsequentibus in Præpositura successoribus, infertur, quod responsum Sacræ Congregationis, in quo cessio fuit confirmata, & in quo injuncta fuit Canonicis obligatio residendi, & Ecclesiæ inserviendi per se ipsos, referri nequit ad residentiam præcisam, sed ad residentiam causativam: & specialius, quia assensus tunc præstitus a Belliardis tanquam Patronis, in ventre expressam habuit præservativam, quod ex eo non intelligeretur impositum ullum onus residentiæ personalis. Pro assumpti etiam corroboratione affertur observantia, quia post Decretum Sacræ Congregationis anni 1699. Canonici, qui noluerunt inservire per se ipsos, continuarunt ut in præteritum, inserviendo per alios, & quod notabilius est, Canonicus ipse Jacobus Franciscus Belliardus, ex cujus præsentatione orta est lis, de qua nunc agitur, institutionem reportavit ab Episcopo cum verbis exclusivis obligationis Residentiæ personalis, absque eo quod quidquam referant, vel Legata relicta ad finem promovendi residentiam, vel exempla aliorum Canonicorum, qui personalem residentiam adimplerunt, & adimplent. Primo quia Residentia a legantibus promota non potest esse præcisa, sed causativa. Secundo quia exempla aliorum Canonicorum residentium, aut referri possunt ad residentiam causativam, aut ut plurimum militant in Canonicis nominatis ab aliis Compatronis, & non in illis nominatis a Belliardis.

His stantibus, quæritur

An Canonici Ecclesiæ Collegiatæ Oppidi Lù nominati per Familiam de Belliardis post Decretum Sacræ Congregationis Concilii emanatum de anno 1699. & per eandem Familiam in posterum nominandi, habeant onus formalis residentiæ personalis præcisæ in casu &c.

Sacra Congr. die 18. Martii 1719. respondit
Negative, & amplius.

QUÆSTIO XCII.

In Causa Ferrariensi, die 4. Martii 1719.

IN Pastorali Visitatione expleta ab Eminentissimo Domino Cardinali Ruffo Episcopo Ferrarien. fuerunt ab Eminentia sua edita nonnulla Decreta, & signanter, quod in Cathedrali Ecclesia Missa Conventualis pro Benefactoribus applicetur, & quod Capitulum teneatur eleemosynam elargiri Cappellanis illis, qui juxta consuetudinem Missas celebrant Conventuales. Fuit ulterius ab eodem Eminentissimo Episcopo editum Decretum, quod Cappellani Curati, qui a Capitulo Cathedralis Ecclesiæ amovibiliter deputantur pro exercitio curæ Animarum, quarum habitualis cura residet aut penes Archipresbyterum, uti habetur in Bullis provisionis ejusdem, aut penes Archipresbyterum, & Capitulum, uti legitur in Statuto Capituli *cap.* 23. teneantur diebus Dominicis, & festis pro Populo Sacrificium offerre, & quod Capitulum debeat hisce Cappellanis Curatis pro dictis Missis eleemosynam dare; cumque adversus hæc Decreta habitus fuerit a Capitulo recursus ad hanc Sacram Congregationem, examinanda idcirco proponuntur dubia infra exponenda.

Putat autem Capitulum, nullam sibi impositam esse obligationem applicandi Missam Conventualem pro Benefactoribus, tum quia ab immemorabili nunquam facta fuit dicta applicatio, tum quia quolibet mense, a Capitulo, prima die non impedita, recitatur nocturnum a Mortuis cum laudibus, & Missa de requiem pro Benefactoribus decantatur, ultra Missam a rubricis præscriptam, uti legitur in *cap.* 27. Statuti Apostolica Auctoritate roborati a Summo Pontifice Clemente Septimo, & in eo quod attinet ad applicationem faciendam pro Populo diebus Dominicis, & festis, a Cappellanis, qui exercent curam animarum, Capitulum subdit, Parochialitatem fuisse Cathedrali annexam absque ulla congruæ assignatione, cum fuerit Cathedrali assignata sexta pars Parochiæ S. Romani, quæ continet animas 300. & ex qua tenuissimi fructus incerti percipiuntur, qui pro majori parte Sacristiæ Ecclesiæ applicantur, inferendo ex his, quæ huc usque deducta sunt, non adesse, in casu de quo agitur, obligationem applicandi Missam Conventualem, & Parochialem.

Adversus hæc autem excipit Eminentissimus Episcopus in sua informatione; & loquendo de Missa Conventuali, ait, certum esse, quod eadem est applicanda pro Benefactoribus, juxta resoluta ab hac Sacra Congregatione *in Cesenaten. Missæ Conventualis* 24. *Martii* 1661. *impressa apud Crispin. in sua Visit. Pastor. par.* 2. §. 20. *numer.* 37. non obstante quacumque consuetudine contraria, ut in specie resolutum fuit ab hac Sacra Congregatione *in Tusculana* 16. *Novembris* 1652. *lib.* 19. *Decret. fol.* 210. Consimile, inquit, ferendum esse judicium de applicatione Missæ Parochialis diebus saltem Dominicis atque festis; textus etenim Concilii Tridentini *cap.* 1. *sess.* 23. *de Reform.* ubi legitur, præcepto divino mandatum esse omnibus, quibus animarum cura commissa est, pro his Sacrificium offerre, intelligitur de speciali ipsius Sacrificii, & fructus medii applicatione, juxta late deducta *per Fagnan. in cap. Fraternitatem num.* 93. *&* 94. *de sepulturis*, & juxta mentem hujus Sac. Congregationis expressam in resolutionibus fuse cumulatis *per Monacell. in formul. legal. par.* 1. *tit.* 2. *num.* 4. *&* 5. *& tom.* 2. *tit.* 16. *formula* 2. *num.* 18. *&* 19. absque eo quod quidquam referat, quod Decretum editum in Sacra Visitatione loquitur de Cappellanis Curatis amovibilibus, & quod nulli sunt reditus, vel saltem pauci, qui ratione Parochialitatis a Cathedrali percipiuntur, quandoquidem obligatio applicandi pro Populo extenditur etiam ad Curatos amovibiles, cum amovibilitas non tollat, quin habeant curam animarum, uti raciocinatur *Monacel. loco allegato num.* 20. & paupertas non excusat ab applicatione pro Populo, ut in terminis Parochorum non habentium congruam resolvit hæc Sacra Congregatio *in Forosempronien. Missæ Parochialis* 8. *Februarii* 1716. *lib.* 66. *Decret. fol.* 55. *a tergo*, quæ etiam Sac. Congregatio resolvit celebrantibus Missam Conventualem esse debitam eleemosynam per modum distributionis, & eandem esse persolvendam ex reditibus Capituli, uti videre est *in Burgi S. Domnini Missæ Conventualis* 16. *Maii* 1716. *lib.* 66. *Decret. fol.* 223. *a tergo.*

His stantibus, quæritur

I. An Dignitates, Canonici, Mansionarii, & Cappellani Capituli, qui omnes ex usu, & consuetudine tenentur celebrare in Cathedrali Ecclesia Missas Conventuales, teneantur ad easdem applicandas pro Benefactoribus, & quatenus affirmative.

II. An celebrantibus, & applicantibus Missas Conventuales solvenda sit eleemosyna a Capitulo, & quatenus affirmative.

III. An pro eleemosyna dictarum Missarum Conventualium teneantur contribuere omnes constituentes corpus Capituli, sive sint Sacerdotes, sive Diaconi, sive Subdiaconi, & sive participent, sive non participent de massa distributionum.

IV. An supposita obligatione applicationis Missæ Conventualis, teneatur Capitulum in posterum continuare in recitatione Nocturni a mortuis, & in celebratione Missæ cantatæ cum applicatione prima die cujuslibet mensis non impedita pro Benefactoribus.

V. An Cappellani Curati amovibiliter a Capitulo deputati pro exercitio curæ animarum teneantur diebus Dominicis, & Festis Missam applicare pro Populo, & quatenus affirmative.

VI. An eleemosyna sit iisdem persolvenda ab Archipresbytero, vel a Capitulo & quatenus solvenda sit a Capitulo.

VII. An eleemosyna desumenda sit ex massa distributionum, vel ex fructibus præbendæ singulorum Canonicorum.

Sacra Congr. die 18. Martii 1719. respondit
Ad Primum affirmative. Ad Secundum affirmative. Ad Tertium affirmative, sed ex massa distributionum. Ad Quartum & Quintum affirmative. Ad Sextum, Eleemosynam esse persolvendam a Capitulo in casu. Ad Septimum, esse desumendam ex massa distributionum.

QUÆSTIO XCIII.

In Causa Aquipendensi Indulti, die 18. Martii 1719.

PROPTER continuum, & laudabile quadraginta annorum servitium, concessum fuit Canonico Seraphino Indultum jubilationis, sub consueta clausula, *ut quamvis in posterum non inserviat, nihilominus fructus omnes, & distributiones quotidianas sui Canonicatus percipere valeat, perinde ac si Choro, & Officiis Divinis personaliter interesset*; exortaque subinde controversia inter ipsum, & cæteros Canonicos Collegiatæ Ecclesiæ Terræ Canini super participatione punctaturarum, quæ *fallentiæ* dicuntur, necnon emolumentorum, quæ adventitia dici valent, cum desumantur ex anniversariis, & associationibus Cadaverum, in hypothesi, in qua Canonicus Seraphinus nec Choro, nec Anniversariis, nec prædictis associationibus Cadaverum interfit, resolvenda idcirco proponuntur dubia infra exponenda.

Quoad punctaturas, seu fallentias, Sacra hæc Congregatio alias resolvit, eas non deberi Canonico jubilato, si Choro non interfit, uti habetur *in Romana distributionum lib.* 30. *Decretor. fol.* 16. *&* 36. *a tergo.*

Quoad Anniversaria, Sacra hæc eadem Congregatio censuit, eorum emolumenta deberi Canonico jubilato, in hypothesi, in qua non fuerat a Testatoribus apposita conditio, quod inter præsentes dividerentur, & in hypothesi, in qua immemorabilis fuerat introducta consuetudo, ut Participantes de distributionibus, participarent etiam de anniversariis, & in his terminis procedit resolutio *in Causa Patavina* 9. *Julii* 1714. *lib.* 64. *Decret.*

E contra in casu, in quo prædictæ deficiebant circumstantiæ, & in quo concessum fuerat consuetum jubilationis indultum, cum facultate percipiendi omnes fructus, una cum distributionibus quotidianis, perinde ac si jubilatus Choro interesset, Sacra Congregatio censuit, non esse jubilatum admittendum ad participandum de emolumentis Anniversariorum, non obstante quod Anniversaria videantur æquiparari distributionibus, juxta Textum *in cap. unico de Cler. non resid. in* 6. & in his terminis procedit resolutio *in Bituntina Anniversariorum* 1. *Julii* 1679. *lib.* 30. *Decretor.*

Pro adæquata hujus Causæ resolutione mihi fuit in Congregatione demandatum, quod præter Decreta, in folio dictæ Congregationis allegata, perquirerem, an alia in Regestis hujus Sacræ Congregationis reperirentur, quæ ad rem facere possent. Quoad punctum itaque Canonici, qui obtinuit Indultum Jubilationis, an, si Choro non interfit, participare debeat de punctaturis, seu fallentiis, invenio, quod in quadam Causa *Reatina distributionum* injunctum quoque fuit tunc temporis Secretario, ut præcedentia Decreta uniret, factaque Decretorum unione, & proposito dubio: *An Canonico jubilato debeantur fallentiæ Canonicorum absentium, si Choro non interfit*, responsum fuit *affirmative, dummodo non obstent Constitutiones particulares, & consuetudo Ecclesiæ*, uti videri potest *in cit. Reatina distributionum* 19. *Aprilis* 1692. *fol.* 241. *a tergo lib.* 42. *Decretorum.*

Invenio quoque, quod in alia Causa *Aquipendii Jubilationis*, quæ proposita fuit in Congregatione habita *die* 2. *Martii* 1697. & resoluta in subsequenti Congregatione habita *die* 23. *ejusdem mensis, & eodem anno*, tria fuerunt dubia disputata, primum, *an Canonicus jubilatus teneretur vel per se, vel per alium ad celebrationem Missæ Conventualis per turnum*, & huic dubio responsum fuit *negative*. Fuit ulterius propositum secundum dubium, *an idem Canonicus teneretur facere depositum tertiæ partis fructuum Præbendæ pro distributionibus quotidianis, sicuti faciunt alii Canonici*, & huic dubio responsum fuit *affirmative*; tertium denique dubium propositum fuit, *an idem Canonicus participare posset de distributionibus, quas ponunt in massa cæteri Canonici, sive ipse sit præsens, sive absens a Choro*, & huic dubio responsum fuit *affirmative, etiam quoad fallentias, nisi obstet statutum, seu consuetudo*; uti videre est *pag.* 85. *pag.* 111. *lib.* 47. *Decretor.*

Quoad alium vero punctum, an Canonicus jubilatus participare debeat de emolumentis adventitiis anniversariorum, & associationum Cadaverum, si functionibus non interfit, invenio, quod in quadam Causa *Novarien. jubilationis*, quæ fuit proposita *die* 2. *Octobris* 1677. disputatum fuit, *an duo Canonici jubilati Collegiatæ S. Gaudentii Civitatis Novariæ frui deberent emolumentis anniversariorum, quæ fiunt intra annum, licet non assisterent*; & dubio responsum fuit *affirmative*; cumque in quadam causa *Bituntina Anniversariorum* 1. *Julii* 1679. Sacra hæc Congregatio respondisset, Jubilatum non esse admittendum ad participandum de emolumentis anniversariorum, uti relatum fuit in alio præcedenti folio, novus a Capitulo Collegiatæ S. Gaudentii Civitatis Novariæ habitus est ad hanc Sacram Congregationem recursus, allegatoque Causæ Bituntinæ exemplo, iterum propositum fuit dubium, an Canonici jubilati frui deberent emolumentis anniversariorum, quæ fiunt intra annum, quamvis non assistant, itaut standum esset, vel recedendum a decisis, & Sac. Congregatio *die* 29. *Novembris* 1681. stetit in decisis *quoad anniversaria fixa, & in quibus non est cautum a Testatoribus, ut interessentes tantum participare deberent*, quemadmodum habetur *lib.* 22. *Decret. fol.* 44.

His stantibus, quæritur

I. *An Canonicus Seraphinus vigore Indulti jubilationis, si Choro non interfit, participare debeat de punctaturis, seu fallentiis, in casu.*

II. *An idem participare debeat de emolumentis adventitiis Anniversariorum, & associationum Cadaverum, si functionibus non interfit, in casu &c.*

Sacr. Congr. die 1. Aprilis 1719. respondit,
Ad primum affirmative, & amplius. Ad secundum affirmative ad primum partem, dummodo non obstet voluntas Testatoris vel dantis. Ad secundam partem negative.

QUÆSTIO XCIV.

In Causa Leodiensi Ejectionis Novitiæ, die 18. Martii 1718.

MARIA Renson die 5. Julii 1715. admissa fuit ad Novitiatum in Monasterio Monialium Veteris Vineti, vulgo nuncupati *de Vivegnis*, Ordinis Cistercienfis, & pendente Novitiatus anno, mandatum obtinuit ab Electore Colonienfi tanquam Episcopo, & Principe Leodiensi directum Abbatissæ, & Monialibus, ut ipsa sine dote reciperetur, sub obtentu antiqui juris, seu immemorabilis consuetudinis, juxta quam Episcopi, & Principes Leodienses occasione sui primi adventus ad Gubernium Diœcesis, & Principatus nominant in quocumque Monasterio Monialium unam Puellam, quæ sine dote recipitur; sed cum die 20. Junii anni sequentis 1716. & sic deficientibus decem diebus pro complemento integri probationis anni, Maria Renson fuerit a Monasterio ejecta, nec consequenter fuerit ad Professionem admissa, & ipsa ad Monasterium Monialium nuncupatum *Robertimontis* ejusdem Ordinis Cistercienfis sese receperit, in quo induta eodem Religionis habitu, permansit spatio sex mensium, & deinde eodem habitu nunquam dimisso, ad domum paternam redierit, ubi etiam nunc dicitur habitare, exorta est controversia tam circa ejusdem ejectionem, quam circa ejus admissionem absque renovatione anni probationis, & absque solutione dotis ad professionem in Monasterio Monialium de Vivegnis.

Putat autem Maria, suam ejectionem nullatenus sustineri, cum facta fuerit absque ulla causa, & cum liberum quidem sit Superioribus Religionum aliquem admittere, vel non admittere ad Novitiatum, sed liberum æquali modo ipsis non sit sine justa, & legitima causa rejicere a professione eum, qui fuit admissus ad Novitiatum.

Putat etiam eadem Maria se esse admittendam ad professionem in relato Monasterio absque renovatione anni probationis, & sine solutione dotis, licet enim ipsa non compleverit integrum annum Novitiatus in Monasterio de Vivegnis, ex quo quindecim dies deficiebant tempore, quo fuit ejecta, cum tamen ad aliud Monasterium ejusdem Ordinis, retento eodem habitu, iverit, & in eodem spatio plurium mensium permanserit, quodque notabilius est, cum expulsio a primo Monasterio non fuerit innixa legitimæ causæ, ex his infert se esse ad professionem admitten-

mittendam absque renovatione anni Novitiatus, & in eo quod attinet ad solutionem dotis, subdit Maria se non posse adstringi ad ejus solutionem, cum nominationem supra expositam reportaverit ab Episcopo, & Principe Leodiensi, & quatenus difficultas in hoc puncto consisteret, se obtulerit, & offerat promptam, & paratam ad persolvendam dotem.

Excipiunt e contra Abbatissa, & Moniales Monasterii de Vivegnis, quod professio Religiosa est species contractus, quodque consensus per secretum scrutinium præstandus pendet a voluntate, & arbitrio suffragantium, qui soli Deo tenentur reddere rationem, absque eo quod adstringi valeant ad ailegandam causam sui dissensus, & sic concludunt, quod ejectio Mariæ debet in hypothesi sustineri, & loquendo de ejusdem admissione ad professionem sine dote, dicunt nullum jus competere Episcopo, & Principi Leodiensi, cogendi Monasterium ad Puellam admittendam, cum nominationes consimiles, utpote habentes naturam, & essentiam gratiarum expectativarum, fuerint a Concilio Tridentino sublatæ *sess.* 24. *c.* 19. *de Reform.* ut in terminis Archiepiscopi Coloniensis, & Episcopi Trevirensis consimile jus sibi vindicantium firmavit *Rota in Colonien. Canonicatus* 21. *Junii* 1704. *coram bonæ memoriæ Molines, & in Treviren. Canonicatus* 6. *Martii* 1716. *coram R. P. D. Crispo.*

His stantibus, quæritur

I. An ejectio Puellæ sustineatur, in casu &c.

II. An prædicta Puella admittenda sit ad professionem in eodem Monasterio absque renovatione anni probationis, & sine dote, in casu &c.

Sacr. Congr. respondit,

Dilata, & exquirantur ab Ordinario ea facta fuerit Scrutinium, & ad mentem.

Nec amplius invenitur resoluta.

QUÆSTIO XCV.

In Causa Ordinis S. Francisci, die 18. *Martii* 1718.

PROVINCIÆ Reformatæ S. Francisci Familiæ Cismontanæ exponunt, quod a suis Syndicis Apostolicis res ipsis relictæ vilissimo pretio venduntur, vel quia Syndici eas vendunt favore Propinquorum, vel quia contractus faciunt cum Personis potentibus, quibus resistere non possunt; auditoque Procuratore Generali, prædicta omnia confirmante, quæritur in præsenti quodnam remedium parandum sit adversus hoc malum, quod non est habendum tanquam malum parvi momenti.

Proponi posset, quod Syndici in posterum non procederent ad bonorum alienationem, nisi petito, & obtento Apostolico beneplacito, ut fit in alienatione cæterarum rerum ad alias Ecclesias, & loca pia pertinentium.

At loquendo de hoc temperamento, non levis urget difficultas, & præscindendo a necessitate vendendi, & alienandi, ut Fratrum indigentiis succurratur, cum quia necessitate non videtur compatibilis obligatio recurrendi ad Sedem Apostolicam pro obtinendo beneplacito, Syndici hujus Ordinis habent a Summo Pontifice facultatem alienandi mobilia, & immobilia Fratribus sub modo licito relicta, uti habetur *in Constitut.* 1. *Pauli Quarti* §. 11. *Bullar. tom.* 1. *& in Constit. cap.* 4. *Si dichiara, che noi possiamo servirci del Sindico in due soli atti, il primo de' quali è, che possa ricevere in nome della Sede Appostolica tutte le cose mobili, ed immobili, offerte, donate, o lasciate a' Frati in testamento. Il secondo è, che possa a nome di detta Sede Appostolica vendere, alienare, o commutare le cose, delle quali non possono i Frati lecitamente servirsi, e convertire il prezzo per li bisogni de' detti Frati.*

Absque eo quod in his alienationibus Apostolicum requiratur beneplacitum, quia alienatio fit ex necessitate juris, ut in puncto firmat *Fagnan. in cap. Nulli num.* 27. *&* 28. *de reb. Eccles. non alien.* vel quia bona dici nequeunt Monasteriis incorporata propter incapacitatem eorumdem, quemadmodum relata hujus Sacræ Congregationis resolutione ponderant *Lantusc. in Theatr. Regul. in verbo bona temporalia n.* 7. *Corrad. in praxi dispens. lib.* 9. *cap.* 1. *num.* 13. *Donat. in praxi Regul. tom.* 1. *tract.* 14. *quæst.* 67.

Exclusо hoc temperamento, reliquum est, ut videatur, an præcipiendum sit, ut Syndici ad alienationes non procedant, nisi prævia Edictorum affixione; quidquid enim sit, an hæc solemnitas ab aula recesserit, quando agitur de alienatione rerum ad Pupillos, & Minores pertinentium: hoc unum certum est, quod cautela prædicta demandatur ab hac Sacra Congregatione, quando conceditur licentia locandi, vel concedendi in emphiteusim bona Ecclesiastica.

His stantibus, quæritur

An, & quale temperamentum sit capiendum, in casu &c.

Sacra Congr. respondit

Quoad Mobilia pretiosa Ecclesiæ incorporata, esse necessarium Beneplacitum Apostolicum: quo vero ad omnes alias res in posterum non posse Syndicos procedere ad venditionem, nisi prævia Edictorum affixione, & Venditio fiat majori oblatori.

QUÆSTIO XCVI.

In Causa Romana Præposituræ, die 1. *Aprilis* 1719.

SANCTÆ memoriæ Sixtus Papa V. Præpositurам ad Scalas Sanctas, unum Sacristiæ officium, necnon quatuor Cappellanias, & quatuor Beneficia Ecclesiastica Clericatus uncupata, & unum Ostiariatum instituit, reservato jurepatronatus, & præsentandi Michaeli Peretto, ejusque filiis, cæterisque recensitis in Bulla Institutionis, quæ est in ordine *la* 105. *inter eas hujus Pontificis Bull. Rom. tom.* 2.

Præpositura prædicta, pluribus ab hinc annis, possidetur a R. P. D. Joanne Francisco Tenderino nuper assumpto ad Episcopatum Civitatis Castellanæ, & Hortanæ; cumque ipse, sub obtentu Decreti Consistorialis, quo Sanctissimus Dominus Noster eidem indulsit retentionem Beneficiorum compatibilium, putet, se retinere posse Præpositurам, de qua nunc agitur; & e contra Marcus Abbas Giglius, qui præsentationem ad eandem Præpositurам obtinuit a Duce Cajetano Sfortia, Cæsarino, Peretto, Præposituræ, aliorumque Beneficiorum Patrono, contendat eam ad se pertinere, & se in illa esse instituendum, post requisitam informationem, una cum voto ab Eminentissimo Domino Cardinali Vicario, qui rem totam remisit judicio hujus Sacræ Congregationis, proponitur dubium infra exponendum.

Putat autem R. P. D. Tenderinus, se una cum Episcopatu retinere posse Præpositurам in sequelam Decreti Consistorialis sibi indulgentis retentionem compatibilium, quia licet in Bulla erectionis impositum sit Præposito, Sacristæ, & reliquis Cappellanis onus celebrandi per seipsos, observantia nihilominus inolevit, quod ipsi ut plurimum celebraverint per alios, cumque hæc observantia sit antiquissima, & pene immemorabilis, uti desumitur ex libris Missarum, qui inventi fuerunt, & qui incipiunt ab an. 1649. infertur, nihil aliud esse quærendum, cum nemo non sciat, quod residentia, sive servitium personale tolli potest per consuetudinem, quamvis illud in fundatione sit præscriptum, juxta *Glossa in cap. cum omnes in verbo consuetudinem tit. de Constit.* quam laudat, & sequitur *Gonzal. ad Regul.* 8. *Cancell. Glos.* 5. *n.* 107.

Accedit, quod hæc observantia dici nequit suo legitimo fundamento destituta; cum etenim Sixtus Papa V. pro congrua dote tum Præpositi, tum aliorum, assignaverit annuam perpetuam pensionem scutorum quadringentorum super fructibus Prioratus Ecclesiæ Æsinæ, necnon centum, & quinquaginta loca Montium, itaut Præpositus singulis annis habere deberet scuta bis centum, Sacrista scuta centum & quadraginta, Cappellani singuli scuta centum & decem, & Clerici scuta quinquaginta, uti legitur *in* §. 3. *citatæ Bullæ*, propter obitum Pontificis immediate secutum, assignatio pensionis super Prioratu non habuit effectum; redactoque toto fundo ad loca 150. Montium non vacabilium, Præposito nihil aliud remanet, quam scuta 80. annua, & Cappellanis sola scuta 40. quo stante, potuit, scientibus potissimum, & non reclamantibus Patronis, qui ut plurimum fuerunt S. R. E. Cardinales, introduci consuetudo eximens Præpositum, & Cappellanos ab onere celebrandi per se ipsos; & multo magis cum Pontifex ipse, qui dictum onus imposuit, in Bulla Institutionis Præposito dederit facultatem concedendi Cappellanis licentiam celebrandi per alium Sacerdotem ab ipso approbandum, in hypothesi, in qua ipsi essent legitime impediti, sicuti legitur in Bulla §. 7. hæc siquidem circumstantia patefacit, præcipuam ejus intentionem fuisse, ut Missæ celebrarentur, nec consequenter ab eodem fuisse volitam in Præpositura, & Cappellaniis residentiam illam veram, & præcisam, ex qua oritur incompatibilitas cum cæteris Beneficiis residentiam requirentibus.

Absque eo quod hæc impugnari valeant a Domino Duce moderno Patrono, ipse siquidem nominavit R. P. Joannem de Matthæis Sanctissimi Domini Nostri Cubicularium Honoris, & modo Prælatum, & Gubernatorem Civitatis Montis Alti, nominavit, inquam, ad alteram ex Cappellaniis vacantem; cumque hic in Urbe residere non possit, ex facto ipso Ducis Patroni, desumitur, non adesse in Cappellaniis strictum onus celebrandi per se ipsum, & sic cessare quoad ipsas quamcumque incompatibilitatem cum aliis Beneficiis licet Residentialibus.

Contendit e contra Marcus Abbas Giglius, strictissimum esse Præpositi onus residendi, & sic Præpositurам esse cum Episcopatu Civitatis Castellanæ, & Hortanæ incompatibilem. Contendit ulterius nullam adesse contrariam observantiam, & quatenus eadem in facto esset verificata, quod illa nunquam in jure posset suffragari.

Et in eo quidem, quod attinet ad assumptum veræ, & præcisæ Residentiæ, in ordine ad Præpositurам, & sic ad ejus incompatibilitatem cum Episcopatu, probatio ex allegata Bulla Institutionis desumitur; primo, quia *in* §. 6. Præpositus constituitur Caput Cappellanorum, & Clericorum, quibus dicitur præesse debere; secundo, quia *in* §. 7. imponitur Præposito, Sacristæ, & Cappellanis onus celebrandi Missas per seipsos, & Præposito datur facultas concedendi licentiam Cappellanis celebrandi per alios, si legitime fuerint impediti, subdendo, quod debeant illi Præposito obedire, tanquam membra Capiti; tertio, quia *in* §. 11. institutio Præpositi reservatur Cardinali Urbis Vicario, & institutio Sacristæ, & Cappellanorum ipsi Præposito pro tempore confertur; & ex his omnibus simul junctis deducitur, Præpositum debere residere, & sic Præpositurам esse cum Episcopatu incompatibilem.

In eoque, quod spectat ad observantiam, dicitur eam nec esse verificatam in facto, nec in jure revelare. Dicitur autem eam non esse in facto verificatam, tum quia ex Regestis hujus Sacræ Congregationis habetur, quod Joannes Puccius, Secretarius Cardinalis Montis Alti, & Præpositus hujus ejusdem Præposituræ, Sacræ Congregationi supplicavit pro licentia celebrandi per alium, quæ, attenta ejus infirmitate, concessa fuit *die* 3. *Martii* 1657. tum quia in Regesto Autographo Tabellarum onerum Missarum Ecclesiarum Urbis, quod existit in Computistaria Sacræ Congregationis Visitationis, legitur, quod Præpositus, & cæteri Cappellani habent onus celebrandi per seipsos; itaut observantia faveat celebrationi per se ipsos, & sic incompatibilitati cum aliis Beneficiis residentiam requirentibus; absque eo quod vis ulla fieri valeat in celebrationibus Missarum per alios, quæ factæ asseruntur a Cappellanis, cum id potuerit procedere a licentia Præpositi, qui facultatem habet eam elargiendi.

Dicitur præterea, observantiam in jure non relevare, quia quando aliquod onus in fundatione imponitur, illud est executioni mandandum, & illi derogari non potest, & quæcumque in contrarium admittuntur, aut fiunt, rejici debent tanquam abusus, & corruptelæ, juxta *caput* 5. *sess.* 25. *de Reform.*

In nihilum urgente redituum diminutione, necnon facto Domini Ducis, qui R. P. D. Matthæjum præsentavit, cum diminutio redituum, de qua nunc agitur, non sufficiat pro eximendo onere imposito in fundatione, eoque fortius, quia subsecuta dici nequit statim post obitum Sixti V. pro majori etenim parte contigit, occasione diminutionis redituum locorum Montium, quæ accidit longe post obitum dicti Pontificis. Cumque Dominus Dux præsentaverit R. P. D. De Matthæis, sed cum omnibus honoribus, & oneribus & tempore, quo de ipso nunquam cogitabatur, quod a SS. D. N. præfici posset Gubernio Montis Alti.

His stantibus, quæritur

An Præpositura ad Scalas Sanctas sit incompatibilis cum Episcopatu Civitatis Castellanæ, & Hortanæ, in casu &c.

Sacr. Congr. respondit,

Affirmative, & amplius.

QUÆSTIO XCVII.

In Causa Iselana Parochialis, die 1. *Aprilis* 1719.

THOMAS Morgionus rejectus in Concursu, habito occasione Collationis Parochialis Ecclesiæ Spiritus Sancti, Suburbii Celsæ in Civitate Iselana, appellationem interposuit, & annuente hac Sacra Congregatione, uti colligitur ex responso edito *die* 23. *Julii anni præteriti* 1718., ad novum examen provocavit Cajetanum Boncore in memorato Concursu prælectum; exortaque subinde controversia, an novum examen esset in Civitate Iselana, vel in Urbe explendum, Sacra Congregatio nedum *die* 24. *Septembris ejusdem anni* censuit, quod examen esset explendum in Urbe, sed intimato, frustraque expectato Boncore rescriptis *die* 21. *Januarii hujus anni* 1719., quod examinaretur hic in Urbe Thomas Morgionus, & quod reportata approbatione supplicaret pro facultate expediendi Bullas in Dataria.

Morgionus fuit examinatus, & approbatus ab Examinatoribus Synodalibus Urbis, eodemque deinde supplicante pro dicta facultate recurrendi ad Datariam Apostolicam, ad effectum Bullas expediendi, Sacra hæc eadem Congregatio *die* 4. *Februarii hujus anni* demandavit, quod producerentur requisita utriusque Collitigantis, hoc est Cajetani Boncore, & Thomæ Morgioni, & reclamante Morgiono adversus hoc Rescriptum, in proxime præterita Congregatione dictum fuit, quod Causa poneretur in folio.

Cajetanus Boncore dicit, se fuisse approbatum, & prælectum in Concursu habito occasione vacationis Ecclesiæ Parochialis, de qua nunc agitur, & Thomam Morgionum per approbationem subinde reportatam ab Examinatoribus Urbis, nihil aliud obtinuisse, quam absterſionem maculæ rejectionis passæ in eodem Concursu, hinc inferendo, præsentem quæstionem esse inter duos Approbatos tanquam idoneos quoad scientiam pro exercenda cura animarum; in quo rerum statu, cætera requisita sunt examinanda, cum nemo non sciat solius scientiæ non esse habendam rationem in collatione Parochialium, nec Doctiorem esse Docto magis idoneum, ut Ecclesiam curatam obtineat; puncloque redacto ad alia requisita, Cajetanus, qui sua enumerat in scriptura per manus circumferenda, putat causam esse ad sui favorem resolvendam.

E contra Thomas Morgionus dicit, causam præsentem non versari inter duos Approbatos; approbatio siquidem, & prælectio reportata in Civitate Iselana a Cajetano Boncore non est habenda in ulla consideratione, cum ejus effectus fuerit suspensus per remedium appellationis a se interpositæ, & cum idcirco perinde habenda sit, ac si non emanasset.

Absque eo quod quidquam referat, quod approbatio, quam ipse obtinuit ab Examinatoribus Urbis, eundem constituat, & qualificet tanquam idoneum, vel ad summum tanquam magis idoneum, quoad scientiam, sed nullo modo impediat, quod Cajetanus non sit absolute, & simpliciter dicendus approbatus tanquam aptus in his, quæ pertinent ad litteraturam, itaut semper quæstio sit inter duos Approbatos; tum quia si id admitteretur, frustratoria remaneret dispositio *Bullæ* 33. *S. Pii V.* indulgens Rejecto in Concursu appellationem, & concedens provocationem ad novum examen coram Judice appellationis, cum approbatus in primo examine semper recusare posset accessum ad Judicem appellationis, & semper se a novo examine subtrahere posset, dicendo, se esse jam approbatum, & quæstionem unice reduci posse ad alia requisita, tum quia si Cajetanus ad Urbem venisset, & se Examinatoribus Synodalibus præsentasset, dari potuisset casus, quod rejectus fuisset, & quod ipse Thomas fuisset prælectus, quæ possibilitas operatur, ut dictus Cajetanus non sit absolute, & simpliciter qualificandus tanquam approbatus.

Addit denique Margionus, se cæteris non carere requisitis, eademque longe præponderare requisitis Cajetani, uti latius probare intendit in sua scriptura per manus circumferenda.

Quocirca, quæritur

I. An sit locus exhibitioni requisitorum utriusque Collitigantis in casu, & quatenus affirmative.

II. An Parochialis Ecclesia sit attribuenda Cajetano, vel potius Thomæ in casu &c.

Sacr. Congr. respondit,

Ad Primum negative, ex quo Cajetanus noluit se examini subjicere in Urbe. Ad Secundum, instituendum esse novum Concursum coram Eminentissimo Archiepiscopo Capuano, & ad Mentem.

QUÆSTIO XCVIII.

In Causa Pistoriensi Matrimonii, die 1. *Aprilis* 1719.

VITUS Romigiallus Matrimonium per verba de præsenti contraxit cum Vidua Maria Elisabetha Donati coram Testibus, & coram Thoma Valluchio Curato Ecclesiæ Vicariæ S. Augustini extra Portam S. Marci, qui, licet non esset Parochus Contrahentium, dixit ta-

xit tamen, se habuisse licentiam a Vicario Generali Civitatis Pistoriensis, prædictos Matrimonio jungendi, omissis etiam denunciationibus, uti legitur adnotatum in Libris Matrimoniorum dictæ Ecclesiæ.

Putant Vitus, & Elisabetha, Matrimonium esse validum, quia Concilium Tridentinum *sess.* 24. *de Reform. Matrimonii cap. primo*, præscribit Matrimonium esse contrahendum, præsente Parocho, vel alio Sacerdote de ipsius Parochi, seu Ordinarii licentia, & duobus, vel tribus Testibus, & nomine Ordinarii venit Vicarius Generalis in re, & ad effectum de quo agitur, juxta late deducta *per Sanchez de Matrim. lib.* 3. *disput.* 29. *quæst.* 3. *n.* 18., *&* 19. Quia vero ex adverso opponitur, quod Vicarius Generalis dictam licentiam concedere non poterat, ex quo Episcopus vero, & proprio Contrahentium Parocho inhibuerat, ne eos Matrimonio conjungeret, & quod Vicarius Generalis non concessit absolutam licentiam, sed conditionatam, quatenus videlicet adfuisset consensus Proximorum dicti Viti Romigialli; ex juribus ab utraque parte circumferendis, quæritur

I. An constet de validitate Matrimonii, in casu &c. & quatenus negative.

II. An sit locus illius revalidationi, & casu &c.

Sacra Congr. die 22. Aprilis 1719. respondit

Ad Primum affirmative. Ad secundum satis provisum in prima.

QUÆSTIO XCIX.

In Causa Tudertina, die 22. Aprilis 1719.

ROSA Bufalini sponsalia contraxit cum Dominico Adriani *die* 6. *Octobris* 1717. quæ fuerunt ab ipsa subinde ratificata coram Notario, & Testibus; cumque ad avertenda scandala, & inimicitias, quæ oriri poterant inter Cesarem Rosæ Patrem, & prædictum Dominicum, fuerit Rosa collocata in Monasterio Montis Christi, & deinde translata ad aliud Monasterium Sanctissimæ Trinitatis, in quo præviis necessariis voluntatis explorationibus, intendit professionem emittere regularem, in præsenti occurrit agere de validitate sponsalium, & de eorum observantia.

Quoad validitatem sponsalium, contendunt Cæsar Pater, & Rosa filia de eadem nullatenus constare, cum inita fuerint, malis accedentibus artibus, & importunis precibus, machinationibus Sacerdotis Petri Adriani sui Confessarii, & germani fratris Dominici ex adverso comparentis pro substinentia sponsalium.

Quoad observantiam vero dictorum sponsalium, prætendunt supradicti Cæsar, & Rosa, quod quatenus ea essent valida, non essent tamen ullo modo servanda, vel quia parentum indignatio reputatur causa sufficiens pro dissolutione sponsalium, & multo magis cum Cæsar Pater obstinatam litem prosequatur in judicio Civili contra Dominicum super invaliditate sponsalium, & in judicio Criminali contra Petrum Sacerdotem ejus fratrem, & totius hujus negotii auctorem, vel quia si Rosa meliorem partem eligendo vult ingredi Religionem, non videtur dubitari posse de sponsalium dissolutione, cum matrimonium ratum, & non consummatum per ingressum in Religionem, secuta Professione, dissolvatur, juxta *Textum in cap. ex publico de converf. conjug.*

Absque eo quod quidquam referat, quod sponsalia sunt jurata, itaut Sponsa teneatur prius contrahere matrimonium antequam Religionem ingrediatur, juxta *Textum in cap. commissum de Sponsal.* vel quia Textus loquitur de consilio, non de præcepto, uti docet *Sanchez de Matrimonio lib.* 1. *disput.* 43. *n.* 4. vel quia procedit in eo, qui tantum propofuit ingredi in Religionem, & adhuc ingressus non est, inter moras etenim deliberationis præcipitur, ut contrahat matrimonium, & deinde Religionem ingrediatur, uti explicat *Gonzalez in d. cap. commissum*, & late prosequitur *Pirhing. ad tit. Decret. de spons. & matrim. sect.* 4. §. 2. *num.* 52. *&* 53.

His positis quæritur

An constet de validitate sponsalium, & quatenus affirmative, an illa sint servanda, in casu &c.

Sacra Congr. die 6. Maii 1719. respondit,

Ad primam dubii partem affirmative: Ad secundam negative, quatenus emittat Professionem, & amplius, & ad mentem

QUÆSTIO C.

In Causa Bisuntina, die 22. Aprilis 1719.

CLEMENS Joseph Pollet de Chintre Bisuntinæ Diœcesis, cupiens adscribi militiæ Clericali, petiit, & obtinuit a Sede Apostolica dispensationem ab irregularitate, quam incurrerat ex eo quod militiæ sæculari nomen dederat, & arma pro sui Principis servitio gesserat, nemine tamen interfecto, aut mutilato. Quia vero occasione, qua ipse erat Dux, seu Officialis subalternus cohortis militum Præsidiariorum in quadam Arce, habuit in mandatis a suo Superiore, ut quosdam insequeretur, qui ad furandum illuc advenerant, alteri mandavit Officiali, ut hæc adimpleret, & hic eos insecutus apprehendit, & ad carceres publicos duxit, & capti subinde per Judices Regios damnati fuerunt, & ultima supplicii pœna affecti; stimulis conscientiæ agitatus, dubitat, an dispensatio obtenta sub ea expressione, quod neminem occiderat, aut mutilaverat sibi prodesse possit.

Pro affirmativa facit, quod non obstantibus his, quæ supra fuerunt insinuata, nunquam dici potest, quod aliquem occiderit, seu mutilaverit, quo admisso, sequi videtur, dispensationem obtentam eidem debere esse proficuam; & multo magis cum Orator nullum dederit suffragium super occisione eorum, qui capti fuerunt, in quibus terminis videtur cessare irregularitas, qua cessante, non alia remanere potest irregularitas, quam illa contracta occasione militiæ assumptæ, quæ per dispensationem Apostolicam fuit jam de medio sublata; & in terminis ejus, qui clamorem extulit adversus fures, prævidendo, quod si caperentur, ultimo poterant supplicio mulctari, quod ab illo non contrahatur irregularitas, licet deinde fures a Judice, vel a circumstantibus occidantur, docet *Del Bene inter tract. moral. tract.* 6. *de comit. seu parlam. dubit.* 8. *num.* 21. *& seq.*

Pro negativa vero opinione facit, quod irragularitas ex homicidio contrahitur, aut facto, aut præcepto, aut consilio, juxta *Textum in cap. sicut*, §. *Clericos*, ibi: *& illos, qui consilium dederunt, & in cap. significasti il secondo*, ibi: *neque ipsius studio, consilio, vel mandato*; *titulo de homicidio voluntario, vel casuali*, & notabilis est glossa *in citat. cap. sicut*, §. *consilium*, ibi: *& sic distingue circa hanc materiam, aut committitur homicidium voluntate, aut casu, aut necessitate. Si voluntate, quod fit tribus modis, facto, præcepto, & consilio. In quocumque istorum casuum, qui committit homicidium, non solum non debet promoveri, sed in perpetuum debet deponi.* Si autem irregularitas ex homicidio contrahitur, non solum facto, sed etiam præcepto, atque consilio, videtur, quod Orator eam incurrerit statim ac alteri Officiali demandavit, ut hostes furantes insequeretur, qui deinde ad mortem damnati sunt, cum ad incurrendam in his terminis irregularitatem sufficiens reputetur quodcumque dictum, vel factum, quod dirigatur, sive ordinetur ad homicidium inde secutum, quemadmodum post Navarrum, & Avilam docet *Pirhing. ad tit. Decret. de homicidio voluntario sect.* 4. §. 1. *sub num.* 94. in quo rerum themate dispensatio obtenta Oratori suffragari non posset.

Additur, quod si Orator ipse insecutus fuisset furantes, eosque apprehendisset, iidemque subinde morte mulctati fuissent, irregularis evasisse dici posset ex homicidio sequuto. Idem ergo judicium ferendum esse videtur, etiam in hypothesi, in qua Orator non est insecutus, sed alteri mandavit, ut fures insequeretur, qui postmodum a Judicibus ultimo fuerunt affecti supplicio, uti probat *Textus in cap. is, qui de homicidio in* 6.

His positis, quæritur

An Oratori suffragetur obtenta dispensatio, in casu &c.

Sacr. Congr. respondit,

Negative.

QUÆSTIO CI.

In Causa Antequexensi in Indiis Occidentalibus, die 22. Aprilis 1719.

EPISCOPUS Antequexen. in Indiis Occidentalibus litteras dedit Sanctissimo Domino Nostro in quibus expofuit, quod in sua Civitate plurimæ fiebant processiones tempore Quadragesimæ, & signanter in hebdomada majori, & quod præsertim tempore noctis, cum functiones illæ ad multam noctem producerentur, scandala sequebantur, & mala, quæ non licet homini loqui, nedum in vicis, & plateis, sed etiam in ipsis Ecclesiis, & quod idcirco ipse prohibuit processiones tempore Quadragesimæ, exceptis duabus in feria sexta majoris hebdomadæ, lata lege, quod feria quinta in Cœna Domini omnes Ecclesiæ clauderentur hora nona post meridiem, & quod demum spatio quindecim annorum, hæc omnia feliciter, & cum plausu executioni mandata sunt, cum Populus non sit duræ cervicis, nec domus sit exasperans.

In iisdem quoque litteris exponitur, quod ad majorem Dei gloriam, adhibito consilio, & consensu Capituli Cathedralis Ecclesiæ, & Magistratuum, præcepit, ut dies Expectationis Beatissimæ Virginis Mariæ, qui magna cum celebritate recolitur, habeatur, & sit festivus de præcepto; cumque Episcopus Summum Pontificem exoraverit pro horum omnium confirmatione, & a Sanctitate Sua fuerint preces remissæ ad hanc Sacram Congregationem, in præsenti agendum est, an gesta ab Episcopo sint auctoritate Apostolica confirmanda.

Quoad diem itaque festum de præcepto Expectationis Beatæ Mariæ Virginis, pro quo a Sacrorum Rituum Cogregatione concessum fuit nonnullis Diœcesibus Officium particulare, de jure communi, sicuti potest Summus Pontifex festum indicere de præcepto in universa Ecclesia, ita potest Episcopus hoc ipsum facere in sua Diœcesi, accedente consensu Cleri, & Populi, ut probat *Textus in can. pronunciandum de consecrat. dist.* 3. *& in cap. conquestus de feriis*, & licet nonnulli Doctores dicant, consensum populi de consuetudine amplius non requiri, omnes tamen agnoscunt necessitatem consensus Capituli, *Azor. instit. moral. tract.* 27. *lib.* 1. *cap.* 26. *quæst.* 1. *&* 2. *Diana in edit. coordinat. tom.* 3. *tract.* 3. *resolut.* 89. *num.* 2. & quoad Bullam 291. Urbani Octavi, in qua dies festi statuuntur, non prohibetur Ordinariis aliorum festorum indictio, sed tantummodo iidem admonentur, ut a dicta indictione novorum festorum de præcepto studeant, quantum fieri potest, abstinere.

His propositis, quæritur

An, & quomodo precibus sit annuendum.

Sacra Congr. respondit

Affirmative.

QUÆSTIO CII.

In Causa Magdalunensi, die 22. Aprilis 1719.

FUNDATUM fuit in Oppido Magdaluni Hospitale pro curandis, & alendis Oppidi, aliorumque locorum Duci Magdaluni subjectorum infirmis, & fundatio initium habuit a Legato Diomedis Ducis Caraffæ, qui ann. 1560. in suo ultimo Testamento erectionem demandavit, relictis ducatis 1000. in fabricam impendendis, & aliis bis mille pro dote, eaque adjecta conditione, ut si aliquid superesset, demptis Hospitalis expensis, erogaretur singulis annis in dotationem Pauperum Puellarum, suumque habuit fundatio complementum opera Ducissæ Robertæ, quæ post obitum Ducis Diomedis Viri nedum suas circa annum 1566. contulit opes, sed impetratis a Summo Pontifice S. Pio V. literis in forma Brevis pro unione cujusdam antiquæ Ecclesiæ B. Mariæ Virginis *de Raccomandatis*, certas pro regimine Hospitalis approbari Apostolica auctoritate obtinuit leges, & potissimum, ut a se, suisque successoribus, duo aut tres nominari possent Œconomi, ab Ordinario tamen approbandi, qui singulis annis, tam Ducissæ, quam ejus successoribus, tenerentur rationem administrationis reddere coram Ordinario, & quod exuberantes reditus Hospitalis converterentur in dotes Puellarum nuptui tradendarum, aut in Captivorum redemptionem, aut demum in Carceratorum subsidium.

Fundatio hæc Hospitalis propitium, utilemque, prout sperari poterat, non habuit effectum; Cives etenim Magdalunenses, aliique ad ejus beneficium invitati probro habuerunt, se curandos ad dictum Hospitale conferre, & neglecta fere dotium distributione, non solum Administratores omnem operam navarunt in emendo nova pro Hospitali stabilia, itaut in unum collectis, tam bonis primæ fundationis, quam aliis subinde comparatis, annuus reditus, teste Episcopo, sit in ducatis 1070. circiter, sed quod gravius est, cum circa annum 1638. irrepsisset opinio, quod Ducibus Fundatoris hæredibus, pro suo arbitrio, & conscientia in alios usus pios vertere liceret reditus, substentationi infirmorum exuberantes, nulla requisita licentia Ordinarii, aut alterius Ecclesiastici Superioris, permiserunt, ut ad eorum manus devenirent ducati 11000.

Res hoc modo se habuit usque ad annum 1660. quo decurrente, Antonia Caraccioli ex Principibus Abellinatensium, tunc temporis Magdaluni Ducissa, ignara, uti credere fas est, fundationis Hospitalis, & eorum, quæ in fundatione continebantur, curavit ex superfluis ejus reditibus construi Monasterium pro Virginibus Deo dicandis; cumque ejus obitu subsecuto, non amplius fuerit cogitatum de Monialibus introducendis, non obstante, quod fabrica ad finem fuerit ab ipsa perducta, adeo ut de anno 1688. Moniales Terræ Cereti Thelesinæ Diœcesis, tunc impellente terræmotus flagello, facile, & commode intra septa novi Monasterii se recipere, & ad septennium usque in eo commorari valuerint, delata modernis hisce temporibus rei familiaris administratione ad Ducissam Carlottam Columnam matrem, tutricem, & bajulam hodierni Ducis Magdaluni, adinventisque in domestico Archivio tabulis Testamentariis Diomedis Caraffæ Fundatoris, nec non litteris Apostolicis S. Pii V. agi cœptum est de rebus componendis ad limites æquitatis, atque justitiæ.

In hujus itaque intentionis executionem tam prædicta Ducissa, quam moderni Œconomi Hospitalis recursum habuerunt ad Tribunal R. Fabricæ, factaque fideli expositione eorum omnium, quæ in præteritum evenerant circa malam redituum Hospitalis administrationem, & minus congruam eorum applicationem, quodque suæ intentionis erat de fructibus supra investitis fundare, atque dotare Monasterium pro recipiendis Virginibus Deo dicandis, honesta de more compositio facta est, cessis a Fabrica juribus quomodocumque sibi competentibus, sub obtentu perficiendi cœptum opus Monasterii; cumque pro omnium rerum complemento, Ducissa Carlotta, prædictique hodierni Œconomi Hospitalis Sanctissimo Domino Nostro supplicaverint pro applicatione capitalium, & fundorum, qui fuerunt quidem comparati ex fructibus Hospitalis, sed ex iis fructibus, qui alias in dotes Puellarum converti debuissent, ut horum capitalium ope fundari valeat, & stabiliri Monasterium Monialium, nec non pro approbatione nonnullarum aliarum conditionum, quæ in minuta exarata sub reservatione assensus Apostolici habentur, preces de more fuerunt ad hanc Sacram Congregationem remissæ.

Scriptum fuit Episcopo pro informatione, & voto; cumque ipse censuerit, petitioni esse annuendum, & esse novo Monasterio faciendam assignationem bonorum, atque redituum, imposita eidem obligatione expendendi pro manutentione Hospitalis, quatenus necessitas exigat, quolibet anno, ducatos 300. uti fusius legi potest in ejus relatione, operæ pretium existimatum fuit pro ulteriori diligenti negotii examine illud committere Eminentissimo Domino meo Cardinali Ptolomæo, ut dignaretur rem perpendere, & votum suum S. Congregationi aperire.

Assumpto ab Eminentia Sua examine, eodemque ad calcem docte, & solide de more perducto, ut ex ejus voto per manus circumferendo dignosci valet, tria sunt, in quibus Eminentissimus Dominus adhibendam censet aliquam moderationem.

Cum itaque Episcopus in sua informatione senserit, faciendam esse Monasterio bonorum applicationem, imposito eidem onere subministrandi pro manutentione Hospitalis ducatos 300. quatenus necessitas exigat, uti supra dictum est, præstitaque eidem Monasterio facultate convertendi in proprium usum reditus, qui Infirmis deficientibus superesse possent, Eminentiss. Ptolomæus censet, in hac hypothesi reditus esse erogandos in dotalia subsidia Puellarum, ut quantum fieri potest, executioni mandetur voluntas Fundatoris, & Apostolicis obtemperetur litteris Sancti Pii Quinti.

Item cum inter alias res, quæ a Ducissa Carlotta petuntur occasione hujus fundationis, ea sit, quod sibi, & Ducissis in futurum, semel obtenta licentia Sedis Apostolicæ, liceat ingredi clausuram Monialium duodecies per annum, & cum competenti aliarum nobilium, vel honestarum fœminarum numero, quæ tamen excedere non valeant numerum duodecim personarum, Eminentissimus Ptolomæus est in sensu, quod aliqua adhibeatur moderatio, ita nimirum, ut nonnisi cum parvo numero personarum arbitrio Episcopi, & nonnisi ter, aut quater in anno, Ducissæ hujusmodi indulto frui valeant.

Denique, cum inter alias res proponatur, quod admittatur unus Civis Magdalunensis toties quoties Episcopus est ingressurus septa Monasterii, Eminentissimus Ptolomæus censet, id esse remittendum arbitrio, & prudentiæ ejusdem Episcopi.

Postremo, cum petatur, quod Puellæ Magdalunenses, quæ supra numerum ab Episcopo taxandum, erunt in Mona-

Monasterium aliquando recipiendæ, non teneantur eleemosynam, quam supradotem appellant, persolvere nisi in ducatis 30. Eminentissimus Ptolomæus censet tutius esse, quod supplicent in casibus particularibus pro moderatione dotis, quæ alias deberet esse duplicata, juxta notum Decretum Clementis Octavi.

His stantibus, quæritur

An, & quomodo petitioni Ducissæ Carlottæ, & Œconomorum Hospitalis sit annuendum, in casu &c.

Sacr. Congr. respondit,

Affirmative juxta Votum Eminentissimi Ptolomæi, & quoad ingressum in Monasterium pro facultate ingrediendi per sex vices quolibet anno, & cum comitatu sex Matronarum quoad Ducissam Carlottam, & quoad alias in Ducatu succedentes pro facultate ingrediendi per tres vices quolibet anno, & cum tribus tantum Matronis, servata in reliquis forma aliarum Clausularum, quæ in consimilibus Brevibus pro ingressu in Monasterium apponi solent.

QUÆSTIO CIII.

In Causa Æsina Cappellaniæ, die 22. Aprilis 1719.

ANNO 1672. Joannes Jacobus de Ambrosiis a fundamentis extruxit in Castro Rosorii Ecclesiam in honorem S. Ambrosii, emissa jurata promissione de eadem dotanda, in cujus obligationis executionem *die 8. Octobris 1695.* pro dote assignavit Prædium in vocabulo *li Pratelli*, cujus annui reditus scutorum circiter 50. percipi deberent a Cappellano, cui fuit impositum onus celebrandi per se, vel per alium quatuor Missas qualibet hebdomada. Et in eo quod attinet ad Juspatronatus activum, illud reservavit pro sua, & descendentium masculorum a Sindulpho Germano fratre familia in infinitum; in eoque quod spectat ad juspatronatus passivum, ad illud vocavit Sacerdotes, & Clericos ex prædictis Familiis, quatenus adessent, in qua hypothesi statuit, quod nominatus amoveri non posset, & quatenus ex dictis Familiis Clerici, aut Sacerdotes non adessent, itaut exteri essent præsentandi, tunc voluit, quod Præsentatus esset amovibilis ad beneplacitum Patronorum; cumque noluerit se subjicere prædictis legibus, & sibi per consequens plenam asseruerit libertatem in præsentando, nominavit, & præsentavit ad Cappellaniam, quemdam suum consanguineum Vincentium Durellum Monachum Ordinis Cistercensis Romæ commorantem, quatenus a Sede Apostolica dispensationem obtinuisset, & facultatem transeundi ad Ordinem Cluniacensium, hicque a se nominatus voluit, quod Rector esset, & perpetuus Cappellanus.

Paulo post assignationem dotis, Joannes Jacobus e vita decessit; cumque nominatus, seu præsentatus ab ipso propter incapacitatem a statu Monachali derivantem, Cappellaniam obtinere non potuerit, non fuit ab hæredibus facta instantia pro erectione Beneficii; quocirca accedente Episcopo Æsino ad visitationem Castri Rosorii anno 1697. post facta nonnulla Decreta, tam quoad quamdam januam, per quam habebatur ingressus in Ecclesiam a Joanne Jacobo extructam, quam quoad supellectilia Altaris, fuit ab eodem præfixus terminus duorum mensium hæredi ad petendam erectionem Beneficii, & provisionem Rectoris, ipsoque negligente adimplere mandata intra tempus præfixum, instante Promotore Fiscali, Episcopus declaravit, Beneficium esse ad se devolutum, illudque auctoritate Ordinaria erexit, & instituit in Beneficium perpetuum, imposita Cappellano obligatione celebrandi quatuor Missas qualibet hebdomada, juxta ea, quæ fuerunt a Fundatore præscripta, & Cappellaniam contulit Sinibaldo Durello Germano fratri Patris Vincentii Durelli, qui præsentationem, uti diximus, a Fundatore reportaverat.

Sinibaldus immissus fuit in possessionem Cappellaniæ *die 19. Septembris 1699.* sed mortuo Patre Vincentio Durello *anno 1713.* delataque hujus mortis notitia ad Philippum de Ambrosiis, fuit ab hoc tanquam Patrono nominatus ad Cappellaniam Nicolaus Bartolinus, exortaque inter hunc, & Sinibaldum controversia, post prolatam a Vicario Æsino sententiam favore Sinibaldi, bina proponuntur in hac Sacra Congregatione dubia, quorum alterum respicit qualitatem Cappellaniæ, alterum nominationem utriusque Collitigantis, Sinibaldi scilicet Durelli, & Nicolai Bartolini.

Putat autem Sinibaldus, Cappellaniam S. Ambrosii, erectam in titulum perpetui Beneficii, non esse reformandam in Cappellaniam amovibilem quoad Cappellanos extra familiam Fundatoris, non obstante ejusdem voluntate, cum prævalere debeat erectio facta servatis servandis ab Episcopo, qui concurrente Hæredum negligentia, potuit devenire, sicuti devenit ad erectionem Cappellaniæ, & eam efficere perpetuam, & quatenus voluntas Testatoris prævalere deberet Episcopali Ordinationi, itaut Cappellania censenda esset amovibilis, quando ipsa obtinetur a Cappellanis extra familiam, contendit idem Sinibaldus se esse manutenendum in possessione Cappellaniæ quoadusque vivet, potissimum quia pro remotione Cappellaniæ, quamvis amovibilis, necessaria est causa, quæ in hypothesi non adest.

Excipit e contra Nicolaus de Bartolinis, primo, quod clara sunt verba Fundatoris, in quibus disponit, Cappellaniam debere esse amovibilem in hypothesi, in qua ad eam præsententur Cappellani extra familiam Fundatoris. Secundo, quod Episcopus non poterat legem Fundationis alterare. Tertio, quod decreta edita in visitatione, de qua supra actum est, necnon erectio Beneficii secuta sunt absque necessariis citationibus interesse habentium, & signanter illorum de Ambrosiis, qui nunc sunt in Causa, & qui tunc erant minores. Quarto denique nullam posse Sinibaldo suffragari manutentionem, cum fuerit immissus in possessionem Cappellaniæ ex titulo nullo, & injusto, multoque magis, quia subinde verus Patronus agnovit jus suum, & ad aliam Præsentationem devenit.

His positis, quæritur

I. *An erectio Cappellaniæ S. Ambrosii Castri Rosorii ad titulum perpetui Beneficii sit reformanda in Cappellaniam amovibilem quoad Cappellanos extra familiam Fundatoris ad formam dispositionis ejusdem, & quatenus affirmative.*

II. *An sit exequenda nominatio in personam R. D. Nicolai Bartolini, vel potius sit manutenendus Durellus in possessione ejusdem Cappellaniæ donec vixerit, in casu &c.*

Sacr. Congr. respondit,

Ad Primum affirmative. Ad Secundum dilata, & coadjuventur probationes.

Deinde repropositа Causa die 26. Augusti 1719. Sacra Congr. respondit:

Ad primum in decisis. Ad secundum negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

QUÆSTIO CIV.

In Causa Comensi Distributionum, die 22. Aprilis 1719.

ANNO 1618. fuit erectum, & fundatum in Cathedrali Ecclesia Comensi ab Abbate Marco Gallio insigne Collegium octo Mansionariorum, qui inservire deberent eidem Cathedrali diebus festis, & adjectis nonnullis aliis Legibus, & Constitutionibus, facultate sibi reservata, eas pro suo arbitrio mutandi, & moderandi, & inter alias hæc aderat, quod videlicet ipse Abbas, & ejus successores retinere possent penes se unum ex dictis Mansionariis, qui, Patrono commorante in Civitate Comi, vel in ejus districtu, non teneretur Ecclesiæ inservire, nisi in diebus festis de præcepto, & processionibus interesse, & Patrono absente a Civitate, aut districtu, deberet ille esse liber, & immunis a servitio, ita tamen, ut tempore permanentiæ apud Patronum absentem haberi deberet, ac si præsens esset in Choro.

Anno 1625. Pius Fundator auxit dotem favore Collegii Mansionariorum, & utendo memorata facultate sibimet reservata, eosdem obligavit ad residentiam, & interessentiam quotidianam servitio Ecclesiæ Cathedralis, & abrogavit jus, quod sibi, & successoribus asseruerat, retinendi penes se Mansionarium, qui, hoc minime obstante, haberi deberet ac si præsens esset in Choro, juxta ea, quæ supra dicta sunt.

Anno 1632. Marcus Abbas Gallius, constituto novo dotis augmento, binos alios addidit Mansionarios, imposita iterum tam his, quam aliis obligatione perpetuæ residentiæ, & interessentiæ Divinis Officiis, & in eo, quod attinet ad facultatem retinendi penes se Mansionarium, sic disposuit: *Che sia lecito al suddetto Illustrissimo Fondatore tenere appresso di se, ed in suo servizio uno di detti Mansionarj, qual mentre starà al detto servizio, sia esente, e libero dalla residenza, e da qualsivoglia altro carico imposto a detti Mansionarj, eccetto che dall' obbligo della sua contingente parte delle Messe. Ordina tuttavia, che detto Mansionario, benchè assente dal Coro, ed esente, come sopra, debba essere riputato presente, e debba godere il corpo del Benefizio, e delle distribuzioni quotidiane, frutti, redditi, ed emolumenti, che godono quelli, che attualmente risiedono, come se ancor esso attualmente, e quotidianamente risedesse.*

Anno 1683. Marchio Jacobus Gallius hæredem instituit fabricam Ecclesiæ Cathedralis Comi, & inter cætera demandavit, quod ex suis bonis erigerentur bini alii Mansionariatus uniendi, & aggregandi aliis decem Mansionariis ab Abbate Marco Gallio erectis, & fundatis: *volendo, che detti due Mansionarj sieno tenuti osservare, e fare tuttociò, che fanno, ed osservano i suddetti dieci, come se anch' essi fossero stati fondati dal detto quondam Sig. Abbate Marco nella di lui fondazione, fuori che circa l' applicazione del Santissimo Sacrifizio della Messa;* & sub hac lege fuerunt anno 1689. nova hæc Beneficia ab Ordinario erecta.

Ad alterum ex his Mansionariatibus fundatum a Marchione Jacobo Gallio, nuper assumptus fuit Sacerdos Ptolomæus Pila, negotiorum gestor, sive agens Ducis Francisci Gallii Patroni, exortisque inter ipsum, & alios Mansionarios nonnullis controversiis, iisdemque ad Sacram Congregationem delatis, quæritur

I. *An duo Mansionarii fundati per Marchionem Jacobum Gallium teneantur residere, ac interesse Choro, cæterisque Ecclesiasticis functionibus, sicuti tenentur alii Mansionarii prius erecti per Abbatem Marcum Gallium, in casu &c.*

II. *An reditus annuus per D. Marchionem Jacobum relictus pro unoquoque ex dictis duobus Mansionariis sit in fundatione partim destinatus pro Præbenda, & partim pro distributionibus quotidianis ad formam aliorum Mansionariatuum erectorum per Abbatem Marcum, in casu &c.*

III. *An Sacerdos Ptolomæus Pila unus ex dictis duobus Mansionariis fundatis per Marchionem Jacobum pro eo tempore, quo est addictus servitio, seu gerit negotia D. Ducis Albeti teneatur ad residentiam, ac interessentiam, sicuti cæteri Mansionarii, in casu &c. & quatenus negative.*

IV. *An participare debeat de distributionibus, necnon fallentiis, seu punctaturis omnium aliorum Mansionariorum, in casu &c.*

V. *An etiam de omnibus, & quibuscunque emolumentis tam non fixis, vel extraordinariis, quam fixis, & ordinariis, quæ percipiuntur a Collegio Mansionariorum in exequiis mortuorum, ac aliis similibus functionibus, in casu &c.*

VI. *An pro eo quoque tempore, quo dictus Sacerdos Pila in præteritum non interfuit Choro, aliisque Ecclesiasticis functionibus, sit admittendus ad participationem distributionum, & fallentiarum aliorum Mansionariorum, in casu &c.*

VII. *Quatenus vero affirmative ad tertium dubium. An pro eo tempore, quo non interest Choro, cæterisque Ecclesiasticis functionibus, amittat distributiones quotidianas, & ad cujus favorem istæ cedere debeant, in casu &c.*

VIII. *An pro eo tempore, quo dictus Sacerdos Pila in præteritum defecit in supradicta interessentia a Choro, aliisque Ecclesiasticis functionibus teneatur restituere pecuniam exactam respectu portionis destinatæ pro distributionibus quotidianis.*

IX. *Quo vero ad alteram portionem destinatam pro Præbenda, an intret dispositio Sac. Conc. Trid. cap. 12. sess. 24. de Reform. seu potius sit locus pœnæ injunctæ per Abbatem Marcum Gallium in cap. 5. instrumenti fundationis anni 1632. & quomodo sit providendum, in casu &c.*

X. *An dicti duo Mansionarii erecti per Marchionem Jacobum debeant in posterum gaudere de utilibus librarum trium millium relictarum in Testamento dicti Marchionis Collegio Mansionariorum, necnon debuerint illis gaudere etiam pro tempore præterito, in casu &c.*

XI. *An reditus relicti per Marchionem Jacobum pro dictis duobus Mansionariatibus debeant in posterum poni in communi massa cum reditibus Collegii Mansionariorum fundati per Abbatem Marcum, in casu &c.*

XII. *An iidem reditus sint exigendi a dictis duobus Mansionariis, seu potius a Canepario Collegii ad hoc, ut quoad ratam destinatam pro distributionibus quotidianis distribuantur juxta præstitum Ecclesiæ servitium, in casu &c.*

Sacra Congr. die 6. Maii 1719. respondit,

Ad Primum, Secundum, & Tertium affirmative, & amplius. Ad Quartum, Quintum, & Sextum satis provisum in tertio. Ad Septimum, & primam Dubii partem affirmative, & ad secundam servetur dispositio Abbatis Marci Gallii de anno 1632. & amplius. Ad Octavum negative, & amplius. Ad Nonum negative quoad primam partem, & affirmative quoad secundam, sed in futurum, & amplius. Ad Decimum affirmative quoad primam partem, & quoad secundam partem affirmative, excepto Pila, & amplius. Ad Undecimum affirmative, & amplius. Ad Duodecimum ad primam Dubii partem negative, & ad secundam affirmative, & amplius, & summa a Canepario deponenda pro distributionibus non excedat summam, quam contribuunt cæteri Mansionarii.

QUÆSTIO CV.

In Causa Vercellensi, die 6. Maii 1719.

JOANNES Petrus Ferrarius ex Oppido S. Agathæ Diœcesis Vercellen. matrimonium contraxit in facie Ecclesiæ per verba de præsenti cum Anna Maria Pramajori e loco Dorzani ejusdem Diœcesis, præmissis denunciationibus in Ecclesia Parochiali memorati Oppidi S. Agathæ, iisdemque omissis in Parochiali Dorzani de consilio Parochi, qui refutavit, eas non esse necessarias in loco originis, ex quo Anna Maria moram in memorato Oppido traxerat per decennium, durante vita primi sui mariti; cum autem post contractum matrimonium, compertum fuerit, quod inter Conjuges aderat impedimentum affinitatis in tertio gradu, iidemque fuerint subinde separati, recursus habitus est ad Datariam pro obtinenda dispensatione, sed excitata ab Officiali Matrimonialium difficultate, quod admitti non poterat supplicatio cum expressione matrimonii ignoranter contracti, servata forma Concilii Tridentini, tum quia faciendæ erant publicationes in loco etiam originis Mulieris, tum quia ex omissione denunciationum Matrimonium dicendum est clandestinum, fuit a SS. D. N. commissum harum difficultatum examen huic Sacræ Congregationi, quæ juxta morem audire voluit Vicarium Capitularem Vercellensem, qui factum supra recensitum in omnibus, & per omnia dicit habere subsistentiam.

Quoad necessitatem denunciationum etiam in loco originis, facit resolutio hujus Sacræ Congregationis *in Senogallien. 29. Januarii 1684. lib. 34. Decr. fol. 28. a tergo, Bartholomæus Joannis Titta origine Senogalliensis matrimonium contrahere desiderans extra locum originis supplicat declarari, an ultra fides status liberi, necessario faciendæ sint denunciationes matrimoniales, etiam in loco originis, prout prætendit Parochus, coram quo matrimonium contrahi debet. Die &c. Sacra &c. respondit denunciationes etiam in loco originis esse necessarias.*

Quoad casum vero, in quo aliquis per longum tempus habitaverit in loco, in quo matrimonium contrahit, an necessariæ sint denunciationes in loco originis, facit antiqua resolutio hujus Sacræ Congregationis *lib. 2. Decret. pag. 184.* in qua, cum quædam mulier nomine Meridiana ex familia Paganella, & origine Romana matrimonium contrahere vellet in terra Guastaldi, in qua habitaverat spatio septem, aut octo annorum, & Vicesgerens Archipresbyteri dicti loci contenderet, denunciationes esse etiam faciendas in loco originis, memorata mulier huic Sac. Congregationi supplicationem exhibuit sequentibus verbis conceptam: *cum agatur de interpretatione Concilii Tridentini, & revera non sit vagans illa mulier, quæ per octo annos, vel circiter in una, & eadem Terra habitavit, propterea humiliter supplicat, quatenus eidem Vicesgerenti, seu asserto Vicario Apostolico committere, & mandare dignemini, ut si per septem, vel octo annos in dicto loco Guastaldi prædicta Meridiana habitavit, Matrimonium hujusmodi juxta Ritum S. R. E. celebrari permittat,* & huic supplicationi sic respondit Sacra Congregatio Concilii *censuit nihil obstare, quominus Oratores possint matrimonium contrahere.*

Quoad punctum denique, an matrimonium contractum, omissis denuntiationibus, dicendum sit clandestinum, facit resolutio hujus Sacræ Congregationis *in Hieracen. anni 1587. de qua lib. 5. Decret. pag. 30.* in qua cum quæreretur, an matrimonium dicendum esset clandestinum, utpote contractum omissis denunciationibus, & multo magis cum in Constitutionibus Synodalibus contra sic contrahentes imposita esset pœna excommunicationis, Sac. Congregatio dubio sequentibus verbis concepto, *an omissis edictis hujusmodi matrimonium dicatur clandestinum, proleſque illegitima, veluti si sine Testibus, & Parocho contraheretur,* sic respondit: *Congregatio Concilii censuit non dici, sed contrahentes incidere in pœnam excommunicationis in Constitutionibus Synodalibus propositam.*

His stantibus, quæritur

I. *An necessariæ essent denunciationes in loco originis, in casu, & quatenus affirmative.*

II. *An matrimonium sine illis contractum dicendum sit clandestinum, in casu &c.*

Sacr. Congr. respondit,

Ad Primum negative. Ad Secundum proponatur omnino in Prima, audita Datavia.

Moniti fuerunt ejusdem Datariæ Officiales, ut sua jura deducerent.

Porro contendunt Oratores matrimonium, de quo agitur, dici non posse clandestinum, tum quia juxta resoluta in primo dubio, denunciationes non erant necessariæ in loco originis, tum quia, quatenus fuissent necessariæ in loco originis, fuerunt tamen omissæ de consilio Parochi, uti testatur Ordinarius in sua informatione. Tunc autem matrimonium, quod fit, non præmissis denunciationibus, dicitur clandestinum, quando omissio denunciationum fit cum culpa, & cum dolo, uti probat Textus *in cap. fin. de clandestina desponsatione*, ibi; *Si quis vero hujusmodi matrimonia clandestina inire præsumpserit*; secus autem, quoties, prout hic, omissio secuta fuit sine dolo, & sine culpa, & cum consilio Parochi, uti probat *Sanch. de matrim. lib. 3. disp. 1. quæst. 1.*

His positis, quæsitum fuit die 20. Maii 1719.

An matrimonium sine denunciationibus contractum dicendum sit clandestinum, in casu &c.

Sed Causa non fuit proposita.

QUÆSTIO CVI.

In Causa Comensi, die 6. Maii 1719.

JOANNES Baptista Chicherius professionem emissurus inter Clericos Regulares Congregationis Somaschensis in Collegio Sanctæ Mariæ Secretæ Civitatis Mediolani supplicavit pro facultate sibi reservandi pensionem super quodam Beneficio Ecclesiastico, ad quod habet jus præsentandi, ut ope videlicet dictæ pensionis sibi constituere posset livellum, juxta morem eorum, qui Religionem ingrediuntur, sed proposita ejus instantia inter Summaria precum, *die 4. Februarii* 1719. responsum fuit *Letum*: Sanctæ enim mem. Clemens XI. in consimili casu noluit annuere petitioni, licet a Sacra Congregatione admissæ, ut sæcularia Sæcularibus, Regularia Regularibus conferrentur: cumque ipse Jo. Baptista, mutata instantia, novum habuerit recursum ad Sacram Congregationem, sub obtentu, quod sibi tanquam Patrono pauperi, sicuti ex fructibus Beneficii alimenta essent subministranda, si in sæculo remaneret, sic debitum sit subsidium vitalitium in casu Religiosæ professionis, responsum fuit *die 18. Martii ejusdem anni*, quod instantia proponeretur in folio.

Hujus autem instantiæ fundamentum consistit in hoc, quod nulla est quoad juspatronatus difficultas; certa pariter est Oratoris paupertas, cumque ulterius etiamsi aliqua portio fructuum assignetur Patrono, adhuc remaneat congrua necessaria pro substentatione Rectoris, nihil aliud desiderari videtur, ad effectum concludendi, quod præsenti sit annuendum instantiæ.

Quod autem nulla sit difficultas quoad juspatronatus, desumitur ex Relatione Ordinarii, qui dicit Beneficium, de quo nunc agitur, consistens in præbenda Canonicali Collegiatæ Ecclesiæ SS. Petri, & Stephani Bellinzonæ fundatum fuisse a Francisco Cusa, qui ad juspatronatus ejusdem vocavit Andream Cusam, & Pompeum Chicherium, eorumque hæredes, & successores masculos in infinitum, ex quibus omnibus solus superest Joannes Baptista Orator, qui per consequens est unicus Beneficii Patronus.

Quod pariter certa sit Oratoris paupertas colligitur ex eadem Ordinarii relatione, qui inquit, sibi constare ex documentis exhibitis, quod Joannes Baptista bona possidebat in Regno Peloponnesiaco, & quod cum ea fuerint a Turcis occupata, nullum ipsi superest humanum remedium, quo suis indigentiis succurrere possit.

Quod denique, detracta etiam summa Oratori assignanda, titulo livelli, superfit summa necessaria pro sustentatione Rectoris, patet, quia, Teste Episcopo, Præbenda de præsenti habet in reditu scuta 109. *cum dimidio* monetæ Mediolanensis, & præbendatus præter assistentiam Choro, tenetur ad celebrationem Missæ quotidianæ summo mane faciendam ad aliquod Altare Privilegiatum, & instantia Joannis est restricta ad summam annuam scutorum 20. quæ, Teste eodem Episcopo, persolvi bene potest a Præbendato.

Absque eo quod quidquam faciat, quod Orator non est ex linea Fundatoris, quasi quod hac de causa ipsi licet Patrono, non possint esse debita alimenta, quia *Textus in Canone quicumque 16. quæst. 7.* loquens de alimentis subministrandis Fundatori, & ejus filiis, non loquitur taxative, sed demonstrative, quo stante, alimenta sunt debita Patronis etiam extraneis, uti magistraliter examinata materia, firmavit *Rota in Salernitana Alimentorum* 11. *Januarii* 1712. *& in ejus confirmatoria* 20. *Junii ejusdem anni coram Eminentissimo Domino Cardinali Scotto.*

Parum quoque refragante, quod allegatus Textus loquitur de alimentis, non de livello, livellum etenim pari passu ambulat cum alimentis, juxta *decis.* 671. *coram Merlino.*

Proposita Oratoris instantia in Congregatione rescriptum fuit *Dilata, & ad mentem*, & mens fuit, ut exquirerem a memorato san. memor. Clemente XI., an, in hypothesi, in qua Sac. Congregatio esset in sensu assignationis alicujus summæ ex fructibus Beneficii titulo livelli, ipse esset, nec ne resolutionem confirmaturus, & Sanctitas Sua respondit aliud esse pensionem Ecclesiasticam, aliud livellum, & quod in puncto livelli Sacra Congregatio procederet prout de Jure.

Ad trutinam itaque in præsenti redit instantia Joannis Baptistæ, qui innixus relationi Ordinarii omnia exponenda confirmantis, inquit primo, Beneficium, de quo nunc agitur, esse præbendam Canonicalem in Collegiata Ecclesia SS. Petri, & Stephani Bellinzonæ, eamque fundatam fuisse a Francisco Cusa, qui ad Juspatronatus vocavit Andream Cusam, & Pompejum Chicherium, eorumque hæredes, & successores masculos in infinitum, ex quibus, cum solus ipse supersit, unicus per consequens remanet Beneficii Patronus.

Secundo, se esse pauperem, cum enim bona possideret in Regno Peloponnesiaco, illudque fuerit a Turcis occupatum, nullum sibi superest humanum auxilium, quo suis indigentiis valeat subvenire.

Tertio, se nihil aliud petere titulo livelli, quam annuam summam scutorum 20., & annuos reditus Præbendæ esse in scutis 109. cum dimidio monetæ Mediolanensis, & Præbendatum, præter assistentiam Choro, teneri ad celebrationem Missæ quotidianæ summo mane explendam ad aliquod Altare Privilegiatum.

In eo quod attinet ad alimenta Patrono subministranda ex fructibus Beneficii, urgere posset difficultas, quod *Textus in Can. quicumque 16. quæst. 7.* statuit, alimenta esse subministranda Fundatori, & ejus filiis, ex quorum numero Orator non est, cum sit Patronus extraneus, sed re discussa in Sacro Rotæ Auditorio firmatum jam fuit, & admissum, quod Textus allegatus non loquitur taxative, sed demonstrative, itaut alimenta debeantur Patronis etiam extraneis, uti videri potest *in Salernitana Alimentorum* 11. *Januarii* 1712. *& in ejus confirmatoria* 20. *Junii ejusdem anni coram Eminentissimo D. Card. Scotto.*

His stantibus, quæritur

An, & in qua summa Oratoris precibus sit annuendum in casu &c.

Sacr. Congr. die 22. Novembris 1721. respondit,
Negative, & ad D. Secretarium juxta mentem, scilicet, quod reservetur Pensio scutorum 12. *Romanorum.*

QUÆSTIO CVII.

In Causa Uxentina, seu Neritonensi Ordinationis, die 6. Maii 1719.

EPISCOPUS Neritonensis contendit, quod Sacerdos Marcus Antonius Macri incurrerit nedum suspensionem, sed etiam quod contraxerit irregularitatem: Dicit enim, eum natum fuisse Jemini, qui est locus Diœcesis Uxentinæ, sed Robertum ejus Patrem fuisse natum in Terra Casarani, Diœcesis Neritonensis, & ipsum una simul cum Patre in eadem Neritonensi Diœcesi commoratum fuisse, & hisce minime obstantibus ad Sacrum Ordinem Presbyteratus fuisse promotum, nullis a se requisitis litteris Testimonialibus, itaut suspensionem hac de causa incurrerit, & Missam subinde celebrando, irregularitatem contraxerit.

Excipit e contra Marcus Antonius Macri, se nec suspensionem incurrisse, nec irregularitatem contraxisse; licet ab Episcopo Neritonensi pro sua ordinatione nec requisiverit, nec habuerit litteras Testimoniales; ex Testibus etenim, aliisque documentis in suo Summario perlegendis ostendit, non Robertum, sed Dominicum suum Patrem ortum quidem habuisse in Terra Casarani, sed a triginta annis domicilium continuum cum animo perpetuo habitandi constituisse in Oppido Jemini, in quo ipse deinde natus est; ostendit quoque, majorem partem bonorum suæ familiæ esse in dicto Oppido, in quo domum habet apertam, quodque ad locum Casarani, si aliquando venit, una cum Patre, venit, aut causa studii, aut causa videndi suos consanguineos, in quibus circumstantiis concludit, nullam adfuisse obligationem reportandi ab Episcopo Neritonensi litteras Testimoniales.

His stantibus, quæritur

An Sacerdos Marcus Antonius Macri oriundus Jemini, & promotus ad Ordines ab Episcopo Uxentino incurrerit aliquam censuram, in casu &c.

Sacr. Congr. die 17. Junii 1719. respondit,
Negative, & amplius.

QUÆSTIO CVIII.

In Causa Januensi Dispensationis, die 20. Maii 1719.

ANNA Maria Pallavicina *die 13. Junii anno* 1713. matrimonium contraxit cum Joanne Jacobo Imperiali, & postquam cum eodem cohabitavit spatio triginta trium mensium, se recepit in domum Joannis Baptistæ Spinulæ sui Avunculi, & sacri Ordinis Hierosolymitani Bajulivi, in qua eadem domo degebat Comitissa de Flisco soror prædicti Bajulivi, & nullitatem matrimonii, ex capite impotentiæ Viri, judicialiter proposuit coram Eminentiss. Archiepiscopo Januensi.

Avocata Causa, jam in dicta Curia introducta, in sequelam Rescripti Congregationis Signaturæ Gratiæ, eademque delata ad hanc S. Congregationem, Anna Maria Sanctissimo D. Nostro supplicavit pro dispensatione super matrimonio rato, & non consummato, a se, uti dictum fuit, contracto cum prædicto Joanne Jacobo Imperiali, precibusque a Sanctitate Sua remissis ad hanc Sac. Congregationem, Annaque Maria jam Monasterium Monialium ingressa, ut debitam hujus Sac. Congregationis mandato obedientiam præstaret, agitur in præsenti, an sit Sanctissimo consulendum pro dicta dispensationis gratia.

Informantes pro Anna Maria, nullam dicunt de Potestate Pontificis rationabilem moveri posse controversiam, cum, juxta receptam Canonistarum, & quamplurium Theologorum sententiam quamplurimis exemplis consimilium dispensationum a Summis Pontificibus concessarum roboratam, absolutum hodie videatur, posse Summum Pontificem dispensare in matrimonio rato, & non consummato. Post hæc, iidem Informantes transeunt ad probandam non consummationem Matrimonii, & hujus non consummationis probationem constituunt, primo in confessione jurata ipsius Annæ Mariæ, de qua contendunt habendam esse rationem, cum aliorum propinquorum nobilitate insignium accedant juratæ depositiones, in quibus afferunt se credere, veram esse, seu veritati innixam Annæ Mariæ confessionem.

Secundo in confessione extrajudiciali ipsius Joannis Jacobi, nec non Silviæ ejusdem Matris, de qua nonnulli Testes deponunt, hujusque pariter confessionis contendunt Informantes pro Anna Maria habendam esse rationem, cum adminiculum recipiat a medicamentis, & exorcismis, aliisque continuatis diligentiis pro avertenda impotentia, & cum confessio hæc ab illis processerit, qui stare intendunt pro validitate Matrimonii, & qui se ejus opponunt dissolutioni.

Tertio in judicio Medicorum, & Chirurgorum Civitatis Januensis, qui perpensa constitutione Corporis Joannis Jacobi, nec non medicamentis frustra adhibitis, cum juramento affirmarunt, se non dubitare de ingenita, & perpetua ipsius impotentia.

Quarto in facto Principis S. Angeli Fratris Joannis Jacobi; cum etenim hic Uxorem duxerit, non obstante quod esset Romanæ Curiæ Prælatus, & tali merito esset insignitus, talibusque Aulæ Ministeriis potiretur, ut ad majora facile aspirare posset, & non obstante, quod Joannes Jacobus ejusdem Frater pingui potiatur Domus Primogenitura, iidem inferunt Informantes, quod sicuti ab hoc facto Joannis Jacobi sæpe memorati impotentia desumitur, ita etiam desumi dicenda est præcedens Matrimonii non consummatio.

A probatione non consummationis Matrimonii transitum faciunt Informantes ad causas pro concessione dispensationis, & illas reponunt, tum in necessitate, in qua, seclusa dispensatione, Anna Maria constituetur perpetuam servandi virginitatem, tum in odiis, & in inimicitiis, nedum inter Conjuges, sed etiam inter nobiles utriusque partis consanguineos, exortis, quæ etiam in Civitate libera prorumpere possent in perniciem publicæ tranquillitatis, allatis exemplis, in quibus concessæ fuerunt dispensationes super dissolutione Matrimonii rati, & non consummati, ut odia, & inimicitiæ sedarentur.

Celebris fuit Causa dissolutionis Matrimonii rati, & non consummati inter Sigismundum Transilvaniæ Principem, & Mariam Austriæ, temporibus Clementis VIII. cujus meminerunt Informantes, quæque plenius refertur *in Epistola* 180. *Cardinalis d'Ossat par.* 1. qui fuit unus ex Cardinalibus, qui Congregationi interfuerunt; quatuordecim etenim fuerunt a Summo Pontifice ad consilium acciti, octo videlicet Cardinales, quatuor Rotæ Auditores, & duo Basilicæ Vaticanæ Pœnitentiarii.

In citata Epistola refertur, actum primo fuisse, an ad Matrimonii dissolutionem procedi posset per viam justitiæ, declarationis scilicet nullitatis ejusdem, vel potius per viam gratiæ, hoc est, dispensationis super eodem tanquam non consummato, & simpliciter rato, & conclusum fuisse, per hanc secundam viam esse procedendum, cum non constaret, an Principis impotentia esset perpetua, vel temporalis, an absoluta, vel respectiva, & cum Princeps induci non posset ad cohabitandum, & ad experimentum triennale.

In eadem subditur Epistola, nullam fuisse de Potestate Pontificis controversiam, nec minus de concursu causæ sufficientis, & in eo quod attinet ad probationem non consummationis, dicitur eam fuisse constitutam in jurata utriusque Conjugis confessione coram Cardinali Battorio, & in aliorum utriusque partis Testium attestatione deponentium, se tuto credere Matrimonium nunquam fuisse consummatum, exortaque in Congregatione quæstione quoad probationum sufficientiam, cum nonnulli contenderent eam adesse, nonnulli vero dubitarent, ex quo soli Conjuges juramentum præstiterant, & aliorum Testium attestationes erant juramento destitutæ, sic tandem fuisse conclusum, ut locus esse posset dispensationi in forma commissaria, ita tamen, ut coram Delegato pleniores afferrentur non consummationis probationes, & etiam esse posse locum dispensationi in forma gratiosa, si Testes jam examinati iterum cum juramento deponerent, etsi alii, quotquot haberi possent, accederent Testes de non consummatione pariter deponentes, nec consilium captum fuisse de Principissa per Matronas, & Obstetrices visitanda, cum auditum fuisset, eam haud facile hoc passuram.

Alia plura ab Informantibus pro Anna Maria afferuntur, quæ in ipsorum scriptura per manus circumferenda legi possunt, cumque ipsi optime noverint, dissensum Joannis Jacobi gratiæ peritæ opponi posse, congestis undique auctoritatibus Theologorum, & Canonistarum, nec non Summorum Pontificum exemplis, probant, Summum Pontificem dispensare posse, & aliquando dispensasse in Matrimonio rato, & non consummato, altero etiam ex conjugibus invito, & reluctante, cum Pontificia Potestas nec pendeat, nec promanet a placito privatorum atque consensu, sed a suprema auctoritate, quæ Papæ est tradita a Deo pro Regimine Ecclesiæ, pro majori Fidelium bono, & pro salute animarum.

His positis, quæritur

An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione Matrimonii rati, & non consummati, in casu &c.

Sacra Congr. respondit
Affirmative.

Prævio juramento, Joannes Jacobus sibi suspectos esse dixerat Eminentissimum Archiepiscopum, ejus Vicarium Generalem, & cæteros Curiæ Ecclesiasticæ Ministros, petiitque arbitros, qui de causis cognoscerent suspicionis; quocirca, exorta lite quoad Tribunal, in quo Causa discuti deberet, prævio consilio Congregationis loco Signaturæ Gratiæ, signata fuit commissio Avocatoria Causæ a Tribunali Ecclesiastico Januensi, & in ejusdem commissionis sequelam Causa delata est ad hanc Sacram Congregationem.

Tribunali, in quo Causa discuti debebat, statuto, opus erat conficere processum remissorialem, & necessarias recipere probationes, aliaque lite exorta circa Judicem subdelegandum, & instante Anna Maria pro subdelegatione in personam Eminentissimi Archiepiscopi Januensis, & e contra excipiente Joanne Jacobo eandem militare rationem suspicionis, sive agendum esset in Tribunali Ecclesiastico Januensi, jure ordinario, sive jure delegato, tria ab hac Sacra Congregatione prodierunt rescripta: primum *die 2. Octobris* 1717. in quo dictum fuit *confectio processus committatur Episcopo viciniori, & interim Oratrix collocetur in Monasterio Claustrali sibi bene viso*; secundum die 27. *Novembris ejusdem anni*, in quo dictum fuit, quod *instantia omnino proponeretur in pri-*

prima; & tertium die 11. Decembris memorati anni 1717. in quo responsum fuit *in decis. quoad confectionem processus, & in decisis quoad ingressum in Monasterium pro nunc, & amplius*.

A die 11. Decembris 1717. quo, uti dictum fuit, prodiit recitatum rescriptum, nulla in hac Sacra Concilii Congregatione habita est hujus litis mentio, nisi *die* 25. *Februarii* 1719. Cum autem hoc anno, Anna Maria supplicem exhibuerit Sanctissimo Domino Nostro libellum, in quo post enarratam cohabitationem spatio trigintatrium mensium, suumque a Domo Viri egressum, una cum recursu habito ad Curiam Ecclesiasticam Januensem pro declaratione nullitatis Matrimonii, reliquam rerum gestarum seriem sequentibus verbis exposuerit, *non potè però l'Oratrice terminare l'intrapreso Giudizio in detta Curia, mentre l'accennato Marchese si fece lecito di giurare a sospetto, non solo il detto Vicario, la Curia Ecclesiastica, li due Notaj di essa, ma per fino l'Eminentissimo Cardinale Arcivescovo, da cui poi per lettera dell'Eminentissimo Paolucci fondata sopra li scandali, e dissensioni, che sarebbero insorti in Genova fra li Parenti di detti Conjugi per una tale cognizione, fu rimessa la Causa anche con giudizio particolare d'una Congregazione avutasi loco Signaturæ gratiæ alla Sacra Congregazione del Concilio, dalla quale fra gli altri decreti ne nacque anche quello, che si dovesse da un Vescovo Viciniore compilare il processo sopra la nullità del Matrimonio suddetto per cagione della già accennata impotenza*, humillime instando pro dispensatione Matrimonii rati, & non consummati, *pertanto l'Oratrice supplica la Santità Vostra voler dispensare al detto Matrimonio rato, e non consumato, conforme altre volte fu praticato dagli Antecessori di Vostra Beatitudine*, & instantia hæc fuerit a Sanctitate Sua *die* 25. *Februarii* 1719. ad hanc Sacram Congregationem remissa, de Causa hac inter Conjuges non in linea nullitatis Matrimonii, sed in linea dispensationis Matrimonii rati, & non consummati agi cœptum est: Propositoque *die* 20. *Maii hujus ejusdem anni* 1719. dubio; *An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione Matrimonii rati, & non consummati in casu*, utraque parte, & voce, & scriptis informante, responsum fuit *affirmative*.

Post hæc, plura hinc inde gesta sunt a Collitigantibus, tam apud Sanctissimum Dominum nostrum, quam coram Eminentissimo Præfecto, quæ referre inutile esse videtur: Cum etenim omnia hinc inde petita, fuerint a Sanctitate Sua ad hanc Sacram Congregationem *die* 13. *Julii* 1719. remissa, & ab Eminentissimo Cardinali Præfecto statutum fuerit, quod de hac Causa ageretur in Congregatione *diei* 5. *Augusti*, exhibitis ab Anna Maria in Congregatione, quæ dicta die habita est, scripturis, in quibus exoravit pro Causæ expeditione, nullaque pro parte Joannis Jacobi exhibita scriptura, rescriptum prodiit, in quo determinata fuit dies pro Causæ propositione, explicatum fuit dubium, quod erat disputandum, & tempus præfinitum fuit, tum distributioni scripturarum, tum productioni documentorum, uti colligitur ex sequenti decreto, *proponatur omnino die 9. Septembris, etiam unica, & disputetur dubium, an sit standum vel recedendum a decisis, & distribuantur Eminentissimis Scripturæ per decem dies ante, & exhibeantur in Secretaria documenta hinc inde per viginti dies ante*, & in hujus decreti executionem proponitur in præsenti dubium, *an sit standum, vel recedendum a decisis*.

Instat autem Joannes Jacobus pro recessu a decisis, & quod ab hac Sacra Congregatione demandetur Episcopo Viciniori, cui confectio processus commissa fuit, ut procedat ad ulteriora in ejus confectione, intra terminum præscribendum, ut majori, qua fieri possit, celeritate, imponatur finis controversiæ, & utriusque partis indemnitati consulatur, idemque Joannes Jacobus simul, & semel protestatur, quod dubium propositum *die* 20. *Maii* 1719. *an sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione Matrimonii rati, & non consummati in casu*, non poterat disputari, tum quia non fuit cum suo Procuratore concordatum, tum quia in dicto dubio supponitur Matrimonium ratum, & non consummatum, quando ipse sustinet Matrimonium fuisse consummatum, & tandem quia facta a Sanctissimo Domino Nostro simplici instantiæ remissione ad hanc Sacram Congregationem, disputandum erat dubium, *an sit concedenda dispensatio*, prout semper factum fuit in consimilibus Causis. Sed de his, quæ pertinent ad dubii propositi subscriptionem, totam rei seriem infra exponam.

Transeundo ad Causæ merita, sæpe memoratus Joannes Jacobus dicit, non esse locum dispensationi, tum quia non agitur de Matrimonio simpliciter rato, sed de Matrimonio consummato, tum quia, quatenus de solo rato Matrimonio ageretur, causæ deficiunt, & circumstantiæ, propter quas fuerunt alias consimiles concessæ dispensationes.

Quod autem non agatur de simplici Matrimonio rato, sed de Matrimonio rato, & consummato, desumitur ex juramento ab ipso emisso prævia consultatione Virorum in Sacra Theologia, utroque jure, Medicina, & Chirurgia Peritorum, aliisque documentis, ex quibus asserit nedum non constare de non consummatione Matrimonii, sed consummationem esse optime probatam.

Quod vero, quatenus ageretur de Matrimonio tantummodo rato, non adsint causæ, & circumstantiæ, propter quas fuerunt alias a Sede Apostolica concessæ consimiles dispensationes, colligi dicitur, primo quia fuit ab Anna Maria præcedenter intentatum judicium super nullitate Matrimonii, ex capite naturalis impotentiæ, in quo rerum statu, non poterat eidem esse permissum transire ad aliam viam dispensationis super Matrimonio rato, & non consummato, eoque fortius cum nullitatis judicium fuerit ex ejus facto, & culpa retardatum, & impeditum.

Secundo quia causæ, propter quas petitur dispensatio, sunt illæ, quæ sequuntur, impotentia videlicet insuperabilis, & timor scandalorum, quarum neutra subsistere dicitur.

Tertio, quia, quatenus dictæ causæ subsisterent, accedente nihilominus dissensu Viri, non est unquam ex dictis causis procedendum ad dispensationem Matrimonii rati, & non consummati.

Hæc sunt, quæ spectant ad momenta rationum pro Joanne Jacobo militantium, quæque mihi fuerunt expositæ in quadam parva scriptura pro hujus folii compositione consignata.

Adeoque sermonem transferendo ad alia rationum momenta, quæ pugnant pro Anna Maria, quarum ope exorat pro persistentia in decisis, tres sunt propositiones, quibus ejus Defensores præcipue innituntur. Altera est, non posse ullo modo dubitari de potestate Summi Pontificis, quoad dispensationem Matrimonii rati, & non consummati, cum hæc sit communis Canonistarum sententia, eademque sit inter Theologos receptior, & usu, & praxi Sedis Apostolicæ corroborata, uti ex multis consimilium dispensationum exemplis colligi dicitur. Altera est, posse Summum Pontificem in Matrimonio rato, & non consummato dispensare, etiamsi alter ex conjugibus dissentiat, uti passim docent Theologi, & Canonistæ ab ipsis citati, quorum dicta exemplis dispensationum in hac hypotheli indultarum confirmantur. Ultima demum est, pro causis sufficientibus ad rem, de qua agitur, hoc est ad dispensationis concessionem, habendas esse impotentiam Viri, & pericula gravium scandalorum, atque malorum, tum privatorum, tum publicorum, juxta auctoritates & exempla a dictis Informantibus allata, qui præterea contendunt prædicta omnia in casu esse verificata, cum scandalorum timor ex ipsa causæ natura inter utriusque partis Consanguineos descendat juxta attestationem plurium Nobilium Civitatis Januensis, & cum impotentia minori probationum genere demonstranda sit, quando de eadem tractatur ad effectum dissolutionis Matrimonii rati, & non consummati, quam quando de eadem agitur ad alium effectum nullitatis Matrimonii.

Absque eo quod in oppositum facere possit, ut subdunt Informantes pro eadem Anna Maria, quod non constat de non consummatione Matrimonii, cum non consummatio comprobetur: Primo, ex Judiciali juramento ejusdem Annæ Mariæ. Secundo ex Judiciali pariter juramento decimæ manus Propinquorum, quibus alii quinque nuper accesserunt. Tertio ex confessionibus extrajudicialibus ipsius Joannis Jacobi de non consummatione, & impotentia consummandi tam durante cohabitatione, quam post discessum ejusdem Annæ Mariæ, quibus ajunt nullum afferri præjudicium ex errore, qui circa datam temporis creditur opponendus assertioni cujusdam Patris Joannis Baptistæ Pancaldi Missionarii, cum ille nova attestatione præcedens dictum confirmaverit, & datam temporis explicaverit. Quarto ex Confessionibus Parentum dicti Joannis Jacobi. Quinto ex medicamentis, & exorcismis adhibitis pro obtinenda consummandi potentia. Sexto ex conditionibus nomine ejusdem Joannis Jacobi post Annæ Mariæ discessum propositis super consensu præstando pro solutione Matrimonii, si post alia quædam adhibita medicamenta, ipsa ex concordi Peritorum judicio habilis non evasisset. Septimo ex publica voce, & fama.

Ultimo denique ex Judicio Peritorum ab eodem Joanne Jacobo productorum, in quo asserunt, ipsum meliorem assumpsisse conditionem ex usu medicamentorum, & balneorum post discessum Annæ Mariæ exercitorum, & se sperare, quod, iis iterum adhibitis, idoneus effici valeat consummationi Matrimonii.

In nihilum urgente juramento a Joanne Jacobo præstito de Matrimonio consummato; de ejusdem etenim insubsistentia iidem informantes pro Anna Maria dicunt ambigi non posse, tum propter præcedentes extrajudiciales de non consummatione confessiones, tum quia si ille *die* 17. *Junii* 1719. juravit se non posse jurare, quod matrimonium non fuisset consummatum, *non posso in buona coscienza giurare & affermare della Verginità di detta Sig. Anna Maria, e molto meno della non consumazione del predetto nostro matrimonio*, non videtur quomodo *die* 29. *Julii hujus ejusdem anni* 1719. jurare potuerit, quod matrimonium fuerit consummatum, *perciò dunque dico con mio giuramento esser seguita la consumazione del mio matrimonio colla detta Sig. Anna Maria*; juxta siquidem primum juramentum, idem dubius erat de consummatione, & dubius de aliqua re, eam jurare non potest tanquam certam, cum non affirmet rem prout apud se est, sicuti exigitur in juramento.

Ad partes posito, quod postremum juramentum fuit emissum ex consilio Theologi, Juristæ, & Peritorum in Medicina, & Chirurgia, quibus tota rei series fuit exposita, *avendo radunato Teologo, Legista, e Perito di Medicina, e Chirurgia ho a questi con mio giuramento esposto con tutta distinzione tutto quello, e quanto mi è occorso circa del mio matrimonio colla Sig. Anna Maria*, vel quia, uti subdunt informantes pro eadem Anna Maria, non potuerunt Theologus, Jurista, & Periti in Medicina, & Chirurgia consulere nisi super fundamento actuum, qui ipsis fuerunt expositi a Joanne Jacobo, & de quorum insufficientia ad consummationem ipse antea dubitaverat, vel quia jurans debet jurare ex proprio judicio, & non ex alia opinione, vel tandem quia juramentum consummationis emissum fuit *die* 29. *Julii* 1719. & tres ex Peritis, qui dicuntur pro consilio acciti, jurejurando testantur se non ante *diem* 14. *Augusti* fuisse ab eodem consultos.

In his denique, quæ pertinent ad litem super nullitate matrimonii introductam, quæque obstare dicitur instantiæ pro dispensatione matrimonii rati, & non consummati, respondetur ab iisdem Informantibus pro Anna Maria, quod lis præcedens officeret, si eadem non fuisset Summo Pontifici expolita, secus autem, quoties, prout hic, fuit Summo Pontifici narratum, quod lis fuerat in Curia Ecclesiastica Januensi introducta, & ab eadem fuerat avocata, & commissa huic Sac. Congregationi, quæ etiam demandaverat processus confectionem Episcopo Viciniori, quasi quod si, his etiamne obstantibus, fuit instantia a Sanctitate Sua remissa ad hanc Sacram Congregationem, & hæc Sac. Congregatio hujus negotii cognitionem assumpsit, & semel pro dispensatione consuluit, non sit amplius de litis præexistentia discurrendum; multoque magis cum non desint Summorum Pontificum exempla, qui, non obstante litis introductione super nullitate, concesserunt deinde dispensationes super matrimonio rato, & non consummato. Cumque, ipsorum Informantium judicio, intelligi nequeat, quomodo, juxta Theologorum, & Canonistarum sententiam, possit Summus Pontifex, justis concurrentibus causis, dispensare super matrimonio rato, & non consummato, altero etiam ex Conjugibus invito, & reluctante, & non possit, eodem invito, cognitionem instantiæ super dispensatione matrimonii rati, & non consummati delegare, non obstante præcedentis litis introductione super nullitate, & non obstante quasi contractu, qui ex judicio resultare dicitur inter Collitigantes; in præsenti potissimum rerum statu, in quo, cum ex una parte absolvi nequeat Judicium nullitatis sine canonico experimento cohabitationis, quia non agitur de vitio extrinseco, sed intrinseco, & ex alia parte Anna Maria adduci non possit ad cohabitandum, aut ex odio supervento, aut quia se scrupulis conscientiæ vexatam profitetur, nullum aliud superesse videtur remedium, quam illud petitæ dispensationis. Non attenta responsione, quod impedimentum prosecutionis Causæ super nullitate causam habuit a culpa, & facto ipius Annæ Mariæ; cum etiam, hoc admisso, sibi vindicet locum ponderatio mox expressa, & cum ulterius iidem Informantes sustineant, impedimentum fuisse appositum a Senatu Januensi timente, ne mala in litis prosecutione orirentur.

Hæc sunt, quæ continentur in scriptura mihi pro extensione folii communicata. Nunc reliquum est, ut, juxta ea, quæ in superioribus promisi, facti series referatur quoad dubium propositum *die* 20. *Maii*, *an sit consulendum Sanctiss. pro dispensatione matrimonii rati, & non consummati in casu*.

Post remissionem instantiæ super dispensatione matrimonii rati, & non consummati a Sanctiss. Domino Nostro factam huic Sac. Congregationi *die* 25. *Februarii* 1719. comparuerunt coram me Secretario hujus Sac. Congregationis utriusque partis Procuratores, & tunc actum fuit de die, quo Causa erat proponenda, & ipse diem decrevi utrique parti accommodum, habuique rationem temporis necessarii, tum ad principales extra Urbem degentes admonendos, tum ad parandas informationes facti, & Juris, & Procuratori Joannis Jacobi ulteriorem dilationem concessi, ita ut Causa non fuerit proposita nisi *die* 20. *Maii*.

Nec tunc, nec unquam in posterum ullus ex Procuratoribus instetit pro dubii subscriptione, & de facto in scriptura, quæ pro parte Annæ Mariæ fuit exhibita pro Congregatione *diei* 20. *Maii*, nullum fuit appositum dubium disputandum, ut ex ejus lectura dignosci valet; Cum autem tempus advenisset folii extendendi, & juxta hujus Sac. Congregationis Decreta, non possint proponi instantiæ in folio, nisi dubia disputanda exprimantur, operæ pretium esse censui, juxta morem dubium ex officio efformare, & intantum efformavi dubium sæpe memoratum, *an sit consulendum Sanctiss. pro dispensatione matrimonii rati & non consummati in casu*, in quantum in dubiis ad minus, quæ ex officio efformantur, dubium debet esse conforme supplicationi, quæ fuit Papæ porrecta, & ab eodem ad Sac. Congregationem remissa, & petitio Papæ in casu exhibita, & ab eodem ad Sac. Congregationem remissa erat sequentibus verbis iterum repetendis concepta; *l'Oratrice supplica la Santità Vostra voler dispensare al detto matrimonio rato, e non consumato*; & in eo, quod attinet ad punctum, quod in dubio prædicto supponitur matrimonium tantummodo ratum, quando a Joanne Jacobo prætenditur, quod fuerit consummatum, respondetur, quod ipse utique credere poteram, & credebam, eundem Joannem Jacobum, se esse oppositurum instantiæ dispensationis, sed divinare non poteram, quod se esset instantiæ oppositurus ex capite assertæ consummationis matrimonii; notitia hæc etenim ad me non alio modo deferri poterat, quam per ejus documenta, & suorum Defensorum informationes, nec ullum prorsus documentum, nec ulla informatio facti, aut juris, licet sæpius efflagitata, ad me delata fuit, nisi post compositum, impressum, & ad EE. PP. transmissum folium Congregationis, contra hujus Congregationis edictum, quod est in ordine 73. *in parvo Bull. S. Mem. Innocentii XII.*

Cæterum hæc dicta sint, ut ingenua facti series in aperto posita sit, licet superflua quodammodo videri valeant, cum, non obstante dicti dubii subscriptione, Informantes pro Joanne Jacobo in eorum scriptura distributa pro Congregatione *die* 20. *Maii* docte de more sustinuerint non constare de non consummatione matrimonii, & EE. PP. qui dictæ Congregationi interfuerunt, accurate de more examinaverint momenta rationum hinc inde allatarum pro consummatione, & non consummatione respective matrimonii, ita ut eorum solutio non a dubio proposito, sed ab aliis pependerit argumentis, ut unusquisque, eorum bene poterit recordari, & quod caput est, cum, non obstantibus quibuscunque, Sac. Congregatio, uti dictum fuit, decrevit *die* 5. *Augusti* 1719. quod disputaretur dubium, *an sit standum, vel recedendum a decisis*. Sed post exaratum, & typis datum folium quod contemporanee distribuitur, novum exhibetur a Joanne Jacobo Imperiali juramentum, factum *die* 17. *Augusti hujus anni* 1719. in quo ad cautelam confirmat præcedens juramentum factum *die* 29. *Julii*, de quo in præcedenti folio, & ulterius refert se non potuisse inducere eos, quos consuluit pro dicto juramento emittendo, ad suam publicandam consultationem, *richiesto dell'attestato di chi consulto per il giuramento da me preso, e fede giurata da me fatta ai* 29. *del scaduto Luglio, dico, e attesto di non aver potuto indurre li medesimi alla firma di questo*, & tandem concludit, se *die* 14. *dicti mensis Augusti* congregasse Magistrum Silvium Bozzellium, Medicum Octavium Ottaggium, Julium Cæsarem Baccicalupum Juris Doctorem, & Bartholomæum Giansantum Chirurgum, & iisdem casum exposuisse, & ipsos fuisse in sensu, quod Matrimonium dicendum esset consummatum.

Hinc inferendo, non subsistere, quod ipse juraverit *die* 29. *Julii*, adhibito consilio Theologi, Doctorum Juris, Medi-

Medicinæ, & Chirurgiæ, & quod eosdem solum consuluerit *die* 14. *Augusti*, quia consulti *die* 14. *Augusti*, non sunt illi, quos consuluit *ante diem* 29. *Julii*, sed alii, & illi, qui dixerunt, se fuisse vocatos ad consilium *die* 14. *Augusti*, sunt Magister Bozzellius, Ottaggius, & Gianfantus.

Adversus hæc autem reponunt Informantes pro Anna Maria, quod Joannes Jacobus non consuluit nisi Magistrum Bozzellium, Ottaggium, Baccicalupum, & Gianfantum, & sic quod semper subsistit, eum jurasse *die* 29. *Julii*, dependenter ab ipsorum consilio, & eorum consilium non requisivisse, *nisi die* 14. *Augusti*, ita ut actus modo exhibitus, & editus *die* 17. *Augusti*, compositus dici debeat ad effectum eludendi vim prædicti argumenti.

Quod autem Joannes Jacobus non consuluerit nisi Bozzellium, Ottaggium, Baccicalupum, & Gianfantum, probant ex pluribus; & primo quia ipse non nominat alios, quos modo asserit, se consuluisse *ante diem* 29. *Julii*, & nominum reticentia indicare dicitur, non alios fuisse consultos, quam Bozzellium, & cæteros recensitos.

Secundo quia, quando a Joanne Jacobo fuit productum juramentum ab ipso editum *die* 29. *Julii*, fuit etiam immediate post, productum documentum consultationis ipsi datæ a Bozzellio, Ottaggio, Baccicalupo, & Gianfanto. Signum autem hoc esse dicitur, quod alii ab ipso non fuerunt consulti, sed quod intellexit juramentum fulcire, & verificare factum in ipso narratum, consilium prædictorum exhibendo. Tertio quia combinando consilium Bozzellii, & aliorum cum juramento edito *die* 29. *Julii*, deprehendi dicitur, quod juramentum fuit innixum illorum consilio, ita ut alii præcedenter non fuerint ad consilium acciti: In juramento etenim facto *die* 29. *Julii* habentur hæc verba, *avendo radunato Teologo, Legista, e Perito di Medicina, e Chirurgia ho a questi con mio giuramento esposto ec.* & Bozzellius, cæterique supra relati sic loquuntur in sua attestatione, *attestiamo anche con nostro giuramento d'essersi radunati su le istanze dell'Illustrissimo Signor Gio: Giacomo Imperiali, dell'Eccellentissimo Francesco Maria, e sentito quanto lo stesso con suo giuramento ci ha esposto ec.* Multoque magis, cum cæteri, quos Joannes Jacobus in actu facto *die* 17. *Augusti* dicit se consuluisse, exprimantur potius consulti singillatim quam per modum congregationis, *richiesto dell'attestato di chi consultò ec.*

Quod denique actus modo exhibitus, & editus *die* 17. *Augusti* 1719. compositus dici debeat ad eludendam vim memorati argumenti, deducunt Informantes pro Anna Maria ex hoc, quod exhibitus fuit postquam Joannes Jacobus potuit bene intelligere, quod Bozzellius, Ottaggius, & Gianfantus testati fuerant, quod non fuerant consulti, nisi *die* 14. *Augusti*.

Hæc sunt, quæ ab utraque parte mihi fuerunt communicata, ut adderem folio die 9. Septembris 1719. Adeoque nunc quæritur

An sit standum, vel recedendum a decisis die 20. *Maii* 1719.

Rescriptum fuit: *Dilata, & examinetur uterque Conjux cum juramento, & interrogatoriis; examinato prius Joanne Jacobo super circumstantiis expressis ante secundum juramentum Peritis, & exprimat in dicto examine nomen Peritorum, quos prima vice consuluit, qui etiam formiter examinentur, necnon examinentur etiam formiter Testes deponentes de confessionibus extrajudicialibus Joannis Jacobi, & etiam Petrus Gentilis, & Carolus Spinola, & committatur examen Eminentissimo Archiepiscopo Januen. juxta instructionem, præfixo termino trium mensium.*

Post hæc Anna Maria se exhibuit promptam, & paratam ad Canonicum experimentum inspectionis sui corporis, ut de sua virginitate, & de non consummato matrimonio nulla esse amplius posset difficultas; propositaque hac ejus instantia in Congregatione habita die 30. *Septembris anni præteriti* rescriptum fuit: *Prævio recessu a decisis die* 9. *Septembris* 1719. *& loco probationum, quæ fieri debebant in sequelam rescripti editi dicta die, Sacra Congregatio admisit probationem faciendam per inspectionem corporis Annæ Mariæ, juxta instructionem Eminentissimi Præfecti.*

Instructio fuit exarata, & ab Eminentissimo Præfecto fuit accurate considerata, atque correcta, & in eadem fuerunt inserta ea omnia, quæ fuerunt ab EE. PP. ponderata, necnon alia sunt addita, ut majori, qua fieri posset diligentia, canonicum fieret experimentum; cumque eadem subinde sigillis clausa, fuerit ad Eminentissimum Cardinalem Cusanum Episcopum Papiensem transmissa, in ejus executionem deventum est ad inspectionem, & subinde transmissus est ad Sacram Congregationem processiculus, in quo depositiones Obstetricum, & alia, quæ gesta sunt, luculenter continentur.

Compendium instructionis, & processiculi, facilioris studii gratia manuscriptum ad unumquemque ex Eminentissimis Patribus transmittitur.

Adeoque dignabuntur EE. VV. in præsenti Congregatione decernere.

An sit standum, vel recedendum a decisis die 20. *Maii* 1719.

Sacra Congr. die 27. Januarii 1720. respondit
In Decisis, & amplius.

QUÆSTIO CIX.

In Causa Reatina Unionis Ecclesiæ, die 20. *Maii* 1719.

Clerici Regulares Scholarum Piarum anno 1698. fuerunt in Civitatem Reatinam introducti, ut incumberent Fundationi Collegii, & Reverendissimus Vicentinus, tunc temporis Episcopus, dictis Patribus assignavit habitationem, & alimenta in Seminario per spatium octo annorum.

Anno 1705. Sanctissimus Dominus Noster Litteras Apostolicas in forma Brevis expedivit, in quibus nedum prædictum tempus octo annorum ampliavit usque ad formalem Collegii erectionem, sed ulterius iisdem Clericis Regularibus applicavit quinque ex decem Cappellaniis fundatis in loco S. Joannis Vallis Reatinæ primo vacaturas, ut tandem ad memorati Collegii fundationem deveniretur.

Sequuta vacatione quinque Cappellaniarum, & sic earum facta applicatione ad tramites Brevis Apostolici, datus est casus, quod propter præteritorum annorum calamitates, Seminarii reditus adeo imminuti remanserint, ut necessarium fuerit diminuere numerum Alumnorum; adeoque sollicitantibus tam Clero, quam Deputatis Seminarii, & instantibus, ut formalis erectio Collegii fieret, & excipientibus Clericis Regularibus Scholarum Piarum, sibi deesse media opportuna, & necessaria pro erectione Collegii, ex quo in Brevi Apostolico applicationis quinque Cappellaniarum impositum fuit iisdem onus Missas celebrandi, & solvendi annua scuta 50. Seminario Reatino pro educatione duorum Puerorum ex Terra, seu Loco S. Joannis in Valle, in quo Cappellaniæ, ut dictum fuit, erant fundatæ, itaut ex reliquis Cappellaniarum fructibus deponendis, & multiplicandis incipi adhuc non potuerit fabrica Ecclesiæ, atque Collegii.

Ad effectum sublevandi Seminarium ab onere, quod sufferre propter redituum decrementum non potest, fuit ab iisdem Clericis Scholarum Piarum Sanctissimo Domino Nostro exhibitus supplex libellus, in quo exorarunt, ut ad ipsorum favorem fieret unio Ecclesiæ Curatæ Sancti Joannis in Statua vacantis, propter Parochi assumptionem ad alterum ex Beneficiis præbendatis Ecclesiæ Cathedralis Reatinæ, remissisque precibus ad hanc Sacram Congregationem, fuit de more scriptum Episcopo pro informatione, & voto, propositaque Patrum instantia inter summaria precum, *die* 15. *Januarii* 1717. fuit rescriptum *Lectum*, non obstante favorabili dicti Episcopi informatione, sed concessa subsequenter nova audientia proponitur in præsenti dubium infra exponendum.

Ut autem Eminentissimis Patribus innotescant ea, quæ pertinent ad Statum Ecclesiæ, pro cujus unione exoratur, nec non alia, quæ cohærenter ad mandata hujus Sacræ Congregationis facta sunt, operæ pretium est scire: Primo, quod Ecclesia Parochialis S. Joannis in Statua erat antiquioribus temporibus Collegiata, licet in præsenti nulla istius qualitatis vestigia in eadem existant.

Secundo, quod ultra Archipresbyterum, qui erat prima Dignitas, septem aderant Canonici, & quatuor Cappellani, sed quod, sequuta, uti dicitur, unione unius ex Canonicatibus favore Seminarii, sex tantum remanserunt Canonicatus, & quatuor Cappellaniæ, absque ullo onere Residentiæ, cum ad instar Beneficiorum simplicium a Sede Apostolica conferantur.

Tertio, quod reditus Archipresbyteri, seu Parochi sunt omnino separati a reditibus Canonicorum, & Cappellanorum, cum Archipresbyter independenter ab eis sua colat, & locet bona, & fructus colligat, & solus de Domibus Ecclesiæ Parochiali adhærentibus, disponat, vel eas habitando, vel locando.

Quarto, quod reditus Parochi ascendunt ad annua scuta 100. & ex Canonicatibus alter reddit scuta 8. alter scuta 13. alter scuta 10. & tres alii, qui obtinentur ab R. P. D. de Monte Vecchiis ascendunt in totum ad annua scuta 32. cum onere tantum singulis Canonicis imposito celebrationis Missæ per se, vel per alium die Festo Sancti Joannis.

Quinto, quod prima Cappellania sub titulo S. Honuphrii reddit scuta 6. secunda Cappellania sub titulo S. Birgittæ reddit scuta 37. tertia Cappellania sub titulo S. Ignatii reddit scuta 50. quarta sub titulo S. Marthæ reddit scuta 10. nec aliud Cappellani habent onus, quam celebrationis trium Missarum, recurrente die Festo illius Sancti, sub cujus invocatione fundatæ fuerunt Cappellaniæ, & alterius Missæ die Festo S. Joannis.

Sexto, quod emolumenta incerta, & jura stolæ ad solum Archipresbyterum pertinent, exclusis in totum Canonicis, & Cappellanis, qui nunquam Parochum coadjuvarunt in exercitio Curæ Animarum, quique nihil contribuerunt, nec contribuunt pro manutentione supellectilium, celebrantes etenim in Ecclesia, Parochi utensilibus utuntur.

Septimo, quod in Ecclesia Sancti Joannis erecta nuper fuerunt Altaria, illud videlicet S. Eligii, quod administratur ab Universitate Fabrorum Ferrariorum, alterum Sanctorum Crispini, & Crispiniani, quod a Sutorum Communitate pariter administratur, & alterum Purificationis Beatissimæ Virginis, quod pertinet ad Congregationem Agonizantium.

Octavo, quod præfixo Canonicis, & Cappellanis, aliisque interesse habentibus, novo termino ad sua jura deducenda in Sacra Congregatione, Parochiani Ecclesiæ S. Joannis in Statua iterum supplicarunt pro unione; quod ipsum præstitum fuit a Canonicis Ecclesiæ Cathedralis, cum hac tamen conditione, ut obtenta a Patribus unione, a Seminario discedant intra brevem terminum ipsis a Sacra Congregatione præfigendum.

Nono, quod quinque Patres hodie in Seminario reperiuntur, tres etenim ad eruditendos Pueros in publico Gymnasio vocati fuerunt a Civitate, quæ stipendium illis assignavit scutorum 127. & alii duo superadditi fuerunt ab Episcopo Vicentino, Pater videlicet Rector, & Frater Cocus.

Decimo, quod detractis oneribus, quibus afficiuntur Cappellaniæ, quæ fuerunt Patribus applicatæ, ipsarum reditus reducuntur ad scuta 200. quibus si addatur memoratum stipendium Civitatis una cum pensionibus quarundam Domorum a Patribus emptarum, universus ipsorum reditus remanet in scutis 350.

Hæc sunt, quæ pro facti dilucidatione exponenda videbantur. Cum itaque Patres exorent pro unione Ecclesiæ Parochialis sine præjudicio Jurisdictionis Ordinarii quoad concernentia Curam Animarum, & collationem simplicium Beneficiorum in Ecclesia existentium, ex juribus circumferendis dignabuntur EE. VV. decernere

An ita concedenda gratia unionis Ecclesiæ Sancti Joannis in Statua, in casu &c.

Sacra Congr. die 8. Julii 1719. respondit
Affirmative juxta modum.

QUÆSTIO CX.

In Causa Neapolitana Matrimonii, die 20. *Maii* 1719.

Post contractum a Francisco de Franco Matrimonium cum Josepha Brencola, præviis denunciationibus, & coram Parocho, & Testibus, comparuit in Curia Archiepiscopali Neapolitana Ferdinandus Francisci Pater, & exposuit, Matrimonium esse nullum; primo, quia memoratus Franciscus filius commercium carnale habuerat cum Lucia sorore Josephæ; secundo quia Ignatius Francisci frater Josepham ipsam cognoverat; tertio quia Joannes alter Francisci frater copulam pariter plures habuerat cum eadem Josepha, Testibusque in prædicta Curia examinatis, & Causa subinde ad hanc Sacram Congregationem delata, in præsenti disputari contingit de validitate Matrimonii.

Porro in eo quod attinet ad copulam a Francisco habitam cum Lucia sorore Josephæ, inquit idem Franciscus, nullam de hac re adesse probationem, cum nullus Testis de eadem deponat, & cum Lucia ad examen vocata, fuerit constanter negativa.

In eoque, quod spectat ad commercium carnale inter Ignatium fratrem, & dictam Josepham, subdit idem Franciscus, totum probationis pondus constitui in ipsius Ignatii depositione, cui fides non est præstanda, non solum quia propriam revelat turpitudinem, sed etiam quia se professus est magnam habuisse displicentiam propter matrimonium a fratre cum recensita Josepha contractum.

Cumque tota controversia sit redacta ad copulam, quæ frequenter habita supponitur a Joanne altero fratre cum eadem Josepha, pro qua stare videtur magnus numerus Testium, Franciscus ait, non esse illis fidendum, propter exceptiones, quas patiuntur in personis, & in dictis, de quibus late in sua Informatione per manus circumferenda.

Addit, quod quidam Hieronymus Pinto, qui prius pro copula testatus fuerat, se retractavit, & confessus est, se fuisse subornatum ad sic deponendum ab Archangela ipsius Francisci matre, quam etiam refert hoc ipsum præstitisse erga nonnullos alios Testes in hac eadem Causa examinatos, iisdem subministrando pecunias, & munera, quasi quod ab hujus Testis retractatione inferri possit, quanta fides sit cæteris Testibus adhibenda.

His positis, quæritur

An constet de validitate Matrimonii, in casu &c.

Sacra Congr. die 17. Junii 1719. respondit
Non constare de nullitate Matrimonii, & amplius.

QUÆSTIO CXI.

In Causa Aquensi, die 8. *Julii* 1719.

Franciscus Maria Ludovicus de Ruvere Sanctissimo Domino Nostro supplicavit pro confirmatione Patronatus, & juris nominandi ad Parochialem Ecclesiam loci Monasterii, allata Bulla Alexandri Papæ VI. in qua præcedentes concessiones Sixti IV. & Innocentii VIII. favore Joannis de Ruvere, & ejus successorum Apostolica auctoritate fuerant iterum roboratæ. Remissisque precibus ad hanc Sacram Congregationem, illisque relatis inter summaria precum, *die* 23. *Julii* 1718. rescriptum fuit *Lectum*, sub obtentu, quod agebatur de jurepatronatus acquisito ex simplici privilegio, quod per consequens fuit a Concilio Tridentino sublatum *sess.* 25. *cap.* 9. *de Ref.* uti plene adnotarunt *Gonzalez super regulam* 8. *Cancellariæ, Gloss.* 16. *num.* 98. *& seqq. Panimol. decis.* 9. *annot.* 3. *num.* 6. *Rota decis.* 907. *num.* 2. *& seqq. coram Seraphino*; absque eo quod prodesse posset oblatum a Marchione dotis augmentum, ut enim juspatronatus acquiri valeat ex dotis augmento, oportet, quod dos assignata fuerit penitus deperdita, uti adnotavit *Ventrigl. in praxi par.* 2. *annot.* 1. §. 1. *num.* 7. *& seqq.*

Impetrata autem a Marchione nova audientia, una cum descriptione instantiæ in folio, de viribus præcedentis resolutionis in præsenti est agendum.

Putat autem Marchio, locum esse posse confirmationi jurispatronatus ad dictam Parochialem Monasterii, non obstante quod de præcedentibus præsentationibus nullum superfit documentum; deperditæ quippe fuerunt scripturæ ex injuria temporum, atque bellorum, uti legitur in informatione Ordinarii; & petitionis fundamentum in hoc potissimum reponitur, quod annui reditus Parochialis non excedunt annua scuta 14. cumque prædictus Marchio paratus sit ad eosdem augendos in scutis 30. si juspatronatus acquiritur ex augmento dotis, quando illud ascendit ad medietatem valoris redituum Beneficii, *Barbos. juris Ecclesiast. universi lib.* 3. *cap.* 12. *n.* 66. *adden. ad Ludovis. decis.* 397. *in fin. adden. ad Burat. decis.* 931. *num.* 10. *Rota coram Coccin. dec.* 1056. *num.* 9. multo fortius augmentum, de quo nunc agitur, videtur, quod haberi debeat pro sufficienti, ad effectum obtinendi petitam confirmationem.

His positis, quæritur

An, & quomodo Oratoris precibus sit annuendum, in casu &c.

Sacr. Congr. respondit,
Negative.

QUÆSTIO CXII.

In Causa Cremonensi Erectionis Collegiatæ, die 8. Julii 1719.

IN ultimo, sub quo decessit Testamento, facto de anno 1649. Marchio Cæsar Vidonus, institutis ex asse hæredibus duobus suis liberis, Petro videlicet tunc Episcopo Laudensi, & deinde S. R. E. Cardinali, & Marchione Joanne Paulo, erectionem Collegiatæ de jurepatronatus suæ familiæ, & aliorum substitutorum in Ecclesia Parochiali Oppidi S. Joannis de Cruce demandavit, assignatis reditibus percipi solitis ex Portu Picceleonis, qui tunc ascendebant ad annuam summam ducatonorum 200. & in eo, quod attinet ad numerum Canonicorum, & ad proventus eorumdem, statuit, quod quatuor deberent esse Canonici, comprehenso Præposito, seu Archipresbytero, & quod duo deberent esse Clerici, quodque singuli Canonici pro Præbenda habere deberent ducatonos 45. & Præpositus ducatonos 50. & Clerici ducatonos 8. pro quolibet, in eoque quod spectat ad onera, residentiam Testator imposuit, necnon Officii Divini recitationem, una cum quibusdam aliis orationibus latius in Testamento recenditis, & quatenus erectio Collegiatæ fieri non posset in Ecclesia S. Joannis de Cruce, voluit, quod erigeretur in Ecclesia S. Cæciliæ Civitatis Cremonæ, & si nullo modo erectio ad finem perduci posset, legavit memorato Petro Episcopo Laudensi reditus Portus Picceleonis pro erectione Collegiatæ, uti diximus, assignatos.

Laudensis Episcopus animadvertens, quod reditus erant insufficientes pro expletenda erectione, petiit, & obtinuit a Rev. Fabrica dilationem, eademque protracta usque ab obitum, cum in ultimis suis tabulis hæredem instituisset Marchionem Franciscum Sorresinum suum ex sorore nepotem, qui Cæsaris Vidoni deinde nomen, & cognomen assumpsit, ut magis, & magis firma remaneret, & exequibili pii Testatoris Marchionis scilicet Cæsaris senioris voluntas, reliquit scuta 3000. monetæ Romanæ erogandæ, una cum redditibus Portus Picceleonis in erectionem Collegiatæ, superaddendo tamen, quod si Collegiata erigi non posset, non obstante prædicto augmento, summa relicta converteretur in Missarum celebrationem.

Franciscus Sorresinus, qui Cæsar junior de Vidonis, uti vidimus, fuit appellatus, plura peregit, ut compleret erectionem Collegiatæ, cæmenta eteum paravit, & quamdam domum emit, sed cum immatura morte fuerit præreptus, in suo ultimo, sub quo decessit, Testamento, condito de anno 1700. in quo Josephum Antonium filium scripsit hæredem, enixe commendavit adimplementum voluntatis Marchionis Cæsaris senioris, & sic consequenter erectionem Collegiatæ, quæ, ut facilius sequi potest, animadverso quod, præter pium opus Collegiatæ, Cæsar senior erectionem ordinaverat cujusdam Conventus in loco campestri, scilicet in Prædio nuncupato S. Gervasii, nonnullas successive invitando ad hoc legatum Religiones, & quod omnes Religiones invitatæ ad Legatum, illud acceptare noluerant, non solum pro prompta erectione Collegiatæ, iterum reliquit Capitalia a Testatoribus assignata, una cum eorum fructibus, sed ulterius in hanc eandem causam disposuit de Prædio S. Gervasii, cum onere tamen augendi proportionabiliter numerum Canonicorum.

Joseph Antonius maximopere exoptans toties demandatam Collegiatæ erectionem ad calcem perducere, supplicationem in Dataria porrexit pro impetrando Apostolico beneplacito, & cum illa de more remissa fuisset ad hanc Sac. Congreg. reassumptis informationibus Ordinariorum Cremonensium, quæ diversis vicibus fuerant exquisitæ, altera videlicet de anno 1694. altera de anno 1703. & altera tandem de anno 1710. & earum tenore perpenso, qui erat uniformis in excludenda erectione Collegiatæ in Oppido S. Joannis de Cruce, sub obtentu potissimum, quod Oppidum illud tempore piorum Disponentium erat nobile, & sic Collegiatæ Ecclesiæ capax; sed quod, antiqua forma amissa, rusticanum evaserat, itaut indecens videretur, ut in illo adesset Ecclesia Collegiata, operæ pretium existimatum fuit, ante quam ad Causæ propositionem deveniretur, exquirere votum Eminentissimi Domini mei Cardinalis Parracciani, cumque Eminentia Sua fuerit in sensu, quod erectio fieret in Oppido S. Joannis; primo, quia Incolæ 700. in eodem degunt; secundo, quia Parochialis Ecclesia, in qua erectio fieri debebat ad tramites voluntatis piorum Testatorum, septem Altaria habebat, Chorum pro viginti Clericis, & amplitudinem pro 1000. circiter hominibus, qui in eadem convenire vellent; tertio, quia Oppidum erat piorum Testatorum feudale; quarto tandem, quia erectio Collegiatæ fuerat a Marchione Cæsare seniore, aliisque ejusdem successoribus exoptata, ut ejus potissimum Oppidi habitatores spiritualia consequi possent auxilia, deventum fuit ad Causæ propositionem in Congregatione habita *die 30. Aprilis* 1712. cumque, examinato sequenti dubio: *an, & quomodo sit erigenda Collegiata, in casu &c.* nulla tunc capta fuerit resolutio, repropositа iterum fuit *die 11. Junii ejusdem anni*, & Sacra Congregatio censuit, Collegiatam esse erigendam in loco S. Joannis de Cruce, & quoad modum, & numerum Canonicorum distulit resolutionem, cum clausula *ad mentem*.

Appositio clausulæ *ad mentem* originem habuit, & causam ab informatione, seu scriptura in hac Sacra Congregatione exhibita a Procuratore Marchionis Josephi Antonii instantis pro erectione Collegiatæ; cum enim objectum ille adversus se excitasset, quod in causa erectionis Collegiatæ nedum essent implicanda capitalia, sed etiam eorum fructus, qui longo temporis intervallo fuerant percepti absque eo quod voluntas Testatorum fuisset executioni demandata, & huic objecto respondisset, non esse de fructibus habendam rationem ad prædictum effectum, ex quo super illis binæ aderant compositiones initæ cum Rever. Fabrica, altera de anno 1706. altera de anno 1710. mens Sacræ Congregationis fuit, ut ab Eminentissimo Domino meo Cardinali Præfecto, tunc Auditore Sanctissimi, impetraretur remissio Causæ super prædictis compositionibus ad hanc Sacram Congregationem: sed Marchione Josepho Antonio iterum ad hanc Sacram Congregationem recurrente pro obtinenda erectione Collegiatæ in loco S. Joannis de Cruce, propositoque dubio *die 1. Aprilis 1713. An, & quomodo Oratoris precibus sit annuendum, in casu &c.* dilata fuit resolutio, superaddita iterum clausula *ad mentem*, quæ fuit, ut procuraretur deputatio Congregationis particularis, ad effectum recognoscendi, an jurisdictio judicandi super dictis compositionibus spectaret ad Congregationem Rever. Fabricæ, vel potius ad hanc Concilii Congregationem.

Cohærenter ad hæc, expedita fuit commissio, & directa RR. PP. DD. Ansaldo, Cero, & Ansideo, cumque particularis hæc Congregatio nunquam coacta fuerit, & opus pium per consequens ineffectuatum usque adhuc permanserit, pro parte iterum Marchionis Josephi Antonii supplicatio exhibetur, ut erectio fieri valeat Collegiatæ, modo, qui sequitur.

Quoad locum itaque, in quo Collegiata est *erigenda*, ille exorat ut ad tramites resolutionis captæ *die 10. Junii* 1712. fiat in loco S. Joannis de Cruce, ex rationibus tunc ponderatis, & supra expressis.

Quoad Præbendas, præmisso, quod de reditibus Prædii S. Gervasii a Marchione Cæsare seniore relicti pro erectione Conventus, & a Marchione Cæsare juniore relicti pro augmento Canonicatuum Collegiatæ, ex quo, uti supra fuit dictum, Religiones ad novum Conventum invitatæ, eum acceptare recusaverant, nulla est in calculo redituum habenda ratio, quia, stante declaratione nullitatis repudiationum, utpote carentium beneplacito Apostolico, fuit Marchio condemnatus ad Prædii relaxationem, & ad deponendos omnes fructus perceptos, licet compositionem pro dicto Prædio cum Rever. Fabrica fecisset, & cessionem jurium ab eadem reportasset, cum ex reditibus capitalium relictorum tam a Marchione Cæsare seniore, quam a Petro Vidone Episcopo Laudensi, & deinde S. R. E. Cardinali annua *scuta 191.* percipiantur, Marchio proponit, quod distributio sic fieri posset, ut nempe annua præbenda Archipresbyteri esset in scutis 50. illa Canonicorum in scutis 45. pro quolibet, & illa Clericorum in scutis 8. pro unoquoque eorum, uti adamussim præscriptum fuit a Marchione Cæsare seniore, primo hujus operis institutore, desumptis scutis 10. annuis ex capitali mox memorando; distributio etenim relata summam excedit scutorum 191. & ascendit ad summam scutorum 201. ut calculanti patet.

Quoad ædificium vero, seu complementum ædificii Collegiatæ, scire necesse est, quod in compositione inita cum Rever. Fabrica super fructibus decursis, & non applicatis in erectionem Collegiatæ Ecclesiæ, impositum fuit onus erigendi, & construendi ædificium pro Collegiata necessarium, & in eodem implicandi scuta 5000. computatis tamen summis jam erogatis pro cæmentorum præparatione, & emptione cujusdam domus facta a Cæsare juniore, juxta ea, quæ in superioribus fuerunt relata. Vellet itaque Marchio, qui instat pro Collegiatæ erectione, quod ex hoc capitali scutorum 5000. deducerentur annua scuta 10. pro complemento Præbendarum, & quod facta prædicta deductione, ædificium perficeretur, putatque, quod ex summa residuali nedum ædificium perfici valeat, sed etiam superesse possit summa necessaria pro expeditione Bullarum, necnon aliqualis alia summa distribuenda pro manutentione Ecclesiæ, & pro supellectilibus Sacristiæ.

Absque eo quod ulla quæstio excitari valeat super validitate compositionum initarum cum Rever. Fabrica, itaut opus sit statuere, an de earum validitate agi debeat in hac Congregatione, vel in altera Rever. Fabricæ; fructus etenim decursi, & non applicati ascendebant ad annua scuta circiter 9000. cumque eidem Fabricæ persoluta fuerint scuta 2300. & ulterius in eadem compositione impositum fuerit onus erogandi scuta 5000. pro constructione ædificii, juxta ea, quæ supra dicta sunt, de compositionis æquitate Marchio ait non esse ullo modo dubitandum, & multo minus asserit, esse dubitandum de facultate dicti Tribunalis, cum etenim tota difficultas in eo stare videatur, quod fructus decursi dici valent, quod accreverint capitali in beneficium Collegiatæ erigendæ, cessat hæc difficultas ex privilegiis Rever. Fabricæ, juxta quæ fructus capitalium assignatorum pro celebratione Missarum, pro Cappellaniis, vel pro Ecclesiis, aliisque locis piis erigendis, si non fuerint erogati in causas prædictas, non accrescunt capitalibus, nec cedunt in beneficium operum piorum, quorum neglectum fuit adimplementum, sed integraliter spectant ad Rever. Fabricam, juxta compendium dictorum Privilegiorum apud *Vespignan. fol. 31. fol. 35. & fol. 36.*

Porro disputato dubio, *An, & quomodo Oratoris precibus esset annuendum in casu &c.* precibus videlicet Marchionis Josephi Antonii Vidoni instantis pro erectione Collegiatæ in executionem ultimæ voluntatis Marchionis Cæsaris Vidoni, responsum fuit: *pro gratia erectionis Collegiatæ juxta modum*, & modus fuit, quod transmitteretur planta ædificii faciendi, una cum relatione Peritorum in ordine ad expensam, & quod etiam transmitteretur nota expensarum factarum pro comparandis cæmentis, & in emptione domus facta a Cæsare Juniore de Vidonis, & tandem, quod fructus percepti ex reditibus Portus Picceleonis post compositiones initas cum Reverenda Fabrica deponerentur, & implicarentur pro augmento numeri Canonicorum.

Pius Testator inter cætera, quæ demandaverat in erectione suæ Collegiatæ, demandaverat, quod prope Ecclesiam construerentur Domus Canonicales, in quibus Canonici possent habitare. At animadverso a Marchione Josepho Antonio, quod harum Domuum constructio inutilis erat futura, ex quo novi Canonici probabiliter futuri erant Cives Oppidi S. Joannis de Cruce: quique idcirco adigi nunquam potuissent ad proprias domos deserendas, novus ad hanc Sacram Congregationem recursus habitus est pro facultate construendi loco dictarum Domorum Canonicalium a Testatore ordinatarum, construendi inquam prope Ecclesiam magnum cubiculum, in quod Canonici tempore hyberno se recipere possent, una cum quadam alia mansione, in qua se induere, & spoliare valerent, sub obtentu potissimum, quod ea major pecuniæ summa, quæ esset eroganda, si Domus Canonicales ædificarentur, & non ædificaretur cubiculum una cum mansione supra memorata, implicari posset vel in augendo numero Canonicorum, vel in augendis eorundem reditibus, *die 18. Novembris anni 1719.* rescriptum fuit *pro facultate*, & in litteris datis ad Episcopum Cremonensem, fuit ei demandatum, ut ultra cætera documenta, quæ transmittere debebat, transmitteret etiam notulam pecuniæ retrahendæ ex omissione fabricæ Domuum Canonicalium, ut videlicet statui posset, an in unam, vel in aliam causam pecunia esset eroganda, hoc est, vel in augmentum Canonicatuum, vel in augmentum redituum Canonicalium.

Supervenerunt responsiones Episcopi Cremonensis, una cum documentis ab ipso expetitis: Transmissa etenim fuit primo loco planta a Peritis confecta, in qua designatur locus pro ædificando cubiculo, in quo Canonici stare debent, una cum mansione, in qua se spoliare, & induere pariter debent. Transmissa secundo loco fuit nota expensarum factarum pro parandis cæmentis juxta relationem publici Periti, alias exhibitam huic Sacræ Congregationi, & hæc expensa ascendit ad scut. 1158. & obul. 51., sed cum cæmenta partim fuerint ob temporum, & bellorum injuriam dispersa, & partim fuerint in proprios usus a Marchione Josepho Antonio conversa, idem Marchio non solum se offert promptum, & paratum ad restitutionem eorum, quibus usus est, sed etiam ad pretium aliorum, quæ fortuito, ex causa videlicet temporis, & bellorum dispersa remanserunt, ut scilicet eo facilius opus pium perfici possit. Transmissa fuit tertio loco nota valoris domus emptæ desumpti ex instrumento originali emptionis, pretiumque hujus domus est in sc. 266., & hanc domum Marchio Joseph Antonius offert pro se retinere, ejusque valorem persolvere, si ita placeat huic Sac. Congregationi, vel eam etiam libenter dare in computum ejus, quod ipse tenetur persolvere, ut infra exponetur. Transmissa fuit quarto loco nota redituum Portus Picceleonis perceptorum post compositiones initas cum Rev. Fabrica, & eorum summa ascendit ad sc. 1236. & ob. 63. quæ juxta mandatum hujus Sac. Congregationis jam fuit deposita, uti desumitur ex publico instrumento. Transmissa fuit quinto loco nota expensæ faciendæ pro cubiculo magno, & alia mansione, & hæc juxta relationem Peritorum ascendit ad sc. 788. & ob. 66. itaut pecunia, cui parcitur ex omissione fabricæ Domorum Canonicalium, sit in scutis 3293. & obulis 73.

Hæc sunt, quæ fuerunt ab Episcopo Cremonensi in obsequium mandatorum hujus Sacræ Congregationis transmissa, & post hæc transitum faciendo ad integram pecuniarum summam, quæ extat, & quæ est eroganda in erectionem Collegiatæ, nec non ad expensas pro dicta erectione necessarias, ut deinde statui valeat, an augendus sit Canonicorum numerus, vel potius augeri debeant eorum reditus, binæ sunt partitæ dictam pecuniarum summam constituentes, altera est scutorum 1236., & obulorum 63. ex reditibus Portus Picceleonis, uti supra dictum est, altera est scutorum 5000. in quibus Marchio Joseph Antonius se debitorem constituit in compositionibus initis cum Reverenda Fabrica, in qua tamen partita comprehenditur Domus empta pretio scutorum 266. quatenus ea sit retinenda pro Collegiata: Et in eo, quod attinet ad expensas, & ad id, quod superesse potest de quo disceptatur, an sit erogandum in augmentum numeri, vel in augmentum redituum Canonicorum, ultra recensitam summam scutorum 788., & obulorum 66. necessariam pro Cubiculo, & mansione, comparanda sunt Sacra Supellectilia, expediendæ sunt Bullæ Apostolicæ, & solvenda sunt honoraria, & mercedes illis, qui pio Operi promovendo suas operas locarunt, suosque labores impenderunt, hisque omnibus detractis, concluditur, superesse scuta 3500. circiter quæ investita in tot effectibus, seu terrenis in Provincia Cremonensi reperiendis, sufficere dicuntur pro fundo dotali aliorum duorum Canonicatuum ultra quatuor Canonicatus a Testatore statutos, comprehenso Præposito, seu Archipresbytero, quibus Canonicis ducatonos 45. assignavit, & Præposito ducatonos 50., juxta ea, quæ referuntur in folio Congregationis habitæ die 8. Julii 1719.

Addit Episcopus in sua informatione sibi consultius videri, quod pecuniæ retrahendæ ex omissione fabricæ Domuum Canonicalium implicentur in augmentum numeri Canonicorum, & signanter, quia S. Carolus Borromæus, cui tanquam Archiepiscopo Mediolanensi subjecta erat Diœcesis Cremonensis nonnullas in illa suppressit Collegiatas, illas videlicet locorum Ripaltæ, & Suspirii, eo quia numerus Canonicorum non erat sufficiens pro Sacris Functionibus, & Canonici in parvis Oppidulis degentes vitam ducebant in ludis, & venationibus.

His stantibus, quæritur

An, & quomodo sit providendum in casu &c.

Sacra Congr. die 7. Decembris 1720. respondit,

Augendum esse numerum Canonicorum ad ratam redituum, & onera Missarum esse repartienda inter antiquos, & novos Canonicos.

QUÆSTIO CXIII.

In Causa Sanctæ Crucis de la Sierra in Indiis Occidentalibus, die 8. Julii 1719.

LICET a Sacro Concilio Tridentino *sess. 21. cap. 2. de reform.* statutum fuerit, neminem promoveri posse ad Sacros Ordines, nisi prius legitime constet, eum habere Beneficium Ecclesiasticum sufficiens ad honestam sustentationem, vel ad minus patrimonium, vel pensionem, in hypothesi tamen in qua Episcopus judicaverit, quod obtinens patrimonium, seu pensionem sit ad

sit ad Sacros Ordines assumendus pro necessitate, vel commoditate Ecclesiæ, & antiquorum Canonum pœnæ fuerint ibidem a Sacro Concilio innovatæ, non ita quidem, ut Ordinatus sine titulo sufficienti sit suspensus, & ministrando fiat irregularis, juxta *Textum in Can. neminem, & in Can. Sanctorum dist.* 70. sed ita ut ordinans teneatur sic ordinato alimenta subministrare, donec ille Beneficium Ecclesiasticum consequatur, juxta *Textum in cap. Cum secundum de præbendis*, & late disputata ad sensum hujus Sacræ Congregationis per *Fagnanum in citat. cap. Cum secundum num.* 63. *& seqq.*, ubi solum *sub num.* 68. docet, pœnam suspensionis Clericum sine titulo sufficienti ordinatum afficere in casu in quo ipse Ordinantem deceperit, falsas producendo probationes super sui tituli congruitate: Et licet interpretando allegatum Textum Concilii Sacra hæc Congregatio de mense Octobris anni 1589. ut in Regestis *lib.* 6. *pag.* 58. plura proposuerit generalia dubia examinanda, inter quæ illud reperitur; *An habens ex propria industria, & honesto labore tantum lucrum, quantum satis est ad vitæ sustentationem, promoveri valeat*, negative responderit.

Exempla nihilominus non desunt, in quibus, urgente Ecclesiarum necessitate, concessum fuit, ut fieri posset ab Episcopis Ordinatio Clericorum sæcularium, etsi illi nec beneficium, nec patrimonium obtineant. Et prætermisso quidem exemplo Ecclesiæ Metropolitanæ Florentinæ, in qua usque adhuc viget privilegium ab Eugenio IV. concessum, ut Clerici, qui eidem inservierint spatio decem annorum, ordinibus sacris initiari subinde valeant, licet nec beneficium, nec patrimonium obtineant, a Summo Pontifice Urbano VIII. *die* 13. *Martii* 1640. concessum fuit Alumnis Seminarii Pragensis, ut ordines recipere valeant sine titulo beneficii, aut patrimonii, sed solum ad titulum Missionis, prout ab eodem Pontifice præcedenter concessum fuerat *die* 18. *Maii* 1638. Alumnis Collegii de Propaganda Fide. Alumni Collegii Illyrici a Gregorio XIII. instituti, & ab Urbano Papa VIII. restaurati in Civitate Lauretana, privilegio potiuntur ordinationis sine Beneficio Ecclesiastico, & patrimonio, nulla facta mentione tituli Missionis, ut legitur in privilegio ab eodem Urbano concesso *prima Junii anno* 1627. Consimile est privilegium ab eodem Pontifice concessum Collegio Fuldensi pro Scholaribus Germanicæ nationis, nec non Collegio Pragensi, ut plenius deprehendi valet ex collectione Bullarum, & Decretorum Congregationis de Propaganda Fide, impressa, sed nunquam absoluta, nec publicata.

Cohærenter ad hæc, Episcopus Sanctæ Crucis de la Sierra in Indiis Occidentalibus, cum in suis litteris ad Sanctissimum Dominum nostrum datis, exposuerit, quod in Civitate Sancti Laurentii della Baranca, quæ loco alterius Sanctæ Crucis, quæ amplius non existit, subrogata fuit, duo tantum sunt Parochi, & duo Ministri in Cathedrali, Decanus videlicet, & Archidiaconus, quodque nullus superest modus Cappellanias, aut Beneficia erigendi, ad quorum titulos Clerici ordinari valeant, & quod tandem impossibile est extraneos advocare, qui ad dictas Regiones accedant, ex quo nullum est hujus Provinciæ cum aliis commercium, & sic Sanctitati Suæ supplicaverit pro facultate initiandi sacris ordinibus ejus regionis incolas, licet titulum beneficii, aut patrimonii non habeant, & multo magis, cum nullum adsit periculum, quod Promoti mendicare conspiciantur, quia nullus in dicta Regione est, qui mendicet, & a Sanctitate sua fuerint preces remissæ ad hanc Sacram Congregationem, disputandum in præsenti proponitur dubium.

An Episcopo Sanctæ Crucis de la Sierra sit indulgendum, ut promovere valeat ad Sacros Ordines in Civitate Sancti Laurentii della Baranca eos, quos ipse necessarios judicaverit, licet nec beneficium, nec pensionem, nec patrimonium obtineant.

Sacr. Congr. respondit,
Pro Gratia, dummodo non excedat numerum duodenarium.

QUÆSTIO CXIV.

In Causa Iprensi Dispensationis, die 5. *Augusti* 1719.

MAXIMILIANUS Carolus de Coupignì Vir nobilis ex Diœcesi Iprensi, cum esset constitutus in ætate annorum 21. Subdiaconatus Ordinem recepit anno 1711. cumque Sanctissimo Domino Nostro supplicaverit pro dispensatione super voto continentiæ, sub obtentu, quod Ordinem receperit per vim, & metum a Matre illatum, scriptum fuit, juxta morem, Officiali Iprensi pro informatione, & voto.

Respondit Officialis, exposita in facto subsistere, & nonnullas attestationes transmisit, in quibus refertur, Comitissam Oratoris Matrem, quæ erat Vidua, & usufructuaria bonorum, necnon indolis, & naturæ admodum violentæ, & vehementis, eidem minatam fuisse, quod ipsum esset omnino derelictura, si Sacros Ordines suscipere recusasset; accedit ipsius Maximiliani examen, in quo prædicta omnia exponit, addendo, quod ab Episcopo Ambianensi recepit Ordinem Subdiaconatus virtute dimissorialium Episcopi Iprensis sui Ordinarii, quæ fuerunt a Matre ad se transmissæ, una cum litteris comminatoriis: Eques etiam de Coupignì frater natu major suum libentissimum præstat pro dispensatione assensum, & Reverendissimus Nuntius Galliarum sibi constare asserit, quod revera Maximilianus per vim, & metum a Matre incussum, Subdiaconus factus est.

Supplicationis fundamentum in vi prædicta, & metu constituitur, licet enim magna sit inter Doctores disputatio, an sicuti recipiens Ordinem Subdiaconatus per coactionem non absolutam, sed conditionalem, non præcisam, sed causativam, vere recipit characterem, ita etiam teneatur ad continentiam, ex quo Vôtum continentiæ est Sacro Ordini annexum, uti videri potest in binis Magistralibus decisionibus, *prima videlicet, & secunda Cæsaris de Grassis tit. de his, quæ vi, metusve causa fiunt*, in quibus decisionibus, auctoritates, & rationes hinc inde pugnantes afferuntur, hoc unum tamen certum esse videtur, quod metus licet conditionalis præstat Pontifici justam causam dispensandi a voto continentiæ, quod est annexum Subdiaconatui, uti habetur *in allegata decis.* 1. *in fine*, ibi: *Ideo Domini magis securum esse existimabant, quod iste Franciscus impetraret dispensationem omnino a Papa, & dicebant, quod hujusmodi metus præstat justam causam, illam concedendi*,

Absque eo quod quidquam referant resoluta ab hac Sacra Congregatione *in Hispalen. Nullitatis Ordinis* 25. *Martii, &* 2. *Maii* 1716. quia intantum dictum fuit, non constare de nullitate collationis Ordinis Subdiaconatus, in quantum metus non fuit ex Testibus allegatis comprobatus, cujus contrarium prætenditur in hypothesi præsenti contingere.

Proposita fuit hæc Causa in hac Congregatione, nec ulla fuit capta resolutio, sed dictum fuit: *Dilata, & coadjuventur probationes juxta instructionem.*

Instructio fuit exarata, & transmissa tam ad Nuncium Galliarum, quam ad Officialem Iprensem, & in Instructione apposita fuerunt sequentia verba: *Supplicavit Sanctissimo Domino Nostro Subdiaconus Maximilianus Carolus de Coupignì Ipren. Diœcesis pro dispensatione super voto continentiæ, eo sub obtentu, quod Subdiaconatus ordinem receperit per vim, & metum sibi a Matre illatum, precibusque ad hanc Sacram Congregationem Concilii remissis, EE. PP. audita tua relatione, nonnullisque attestationibus super dictis vi, & metu transmissis, inspectis, resolutionem proposito dubii, an sit locus petitæ dispensationi, differentes, censuerunt, coadjuvandas esse probationes, tam super prædictis vi, & metu, quam etiam super ætate Matris de tempore, quo metum incussit, & super quantitate bonorum paternorum Oratoris, ex eo quia in libello dicti Maximiliani exponitur, quod ejus Mater, quæ metum incussit, erat vidua, & usufructuaria bonorum: cum etenim metus ad effectum, de quo agitur, debeat esse cadens in constantem virum, talis in præsenti casu esse posset, si Maximilianus Orator, vel per longum tempus vivente Matre, vel etiam post illius obitum fuisset ad paupertatem redigendus, quatenus imperio Matris de suscipiendo Subdiaconatu non paruisset. Super his itaque punctis probationes recipias, & Testes, qui haberi poterunt, formiter & congruis adhibitis interrogatoriis examinari cures, ac processiculum deinde confectum ad Sacram Congregationem transmittas, &c.*

Supervenerunt documenta transmissa tam a Nuncio Galliarum, quam ab Officiali Iprensi; cumque iterum Maximilianus Carolus supplicet pro gratia, ut ex ejus supplici libello per manus circumferendo:

Quæritur itaque

An sit locus dispensationi super voto continentiæ, in casu &c.

Sacra Congr. die 16. Decembris 1719. respondit,
Negative.

QUÆSTIO CXV.

In Causa Regiensi, die 5. *Augusti* 1719.

JULIA Cavallotti Zoboli in Testamento condito anno 1595. disposuit, ut Antonius suus Maritus traderet alicui loco Pio quoddam prædium extradotale sibimet in suis nuptiis reservatum, *cum onere tamen, quod dictus locus Pius, sicut supra deputan. & eligen. teneatur, & debeat celebrare, seu celebrari facere in Ecclesia dictarum Monialium*, hoc est Monialium Misericordiæ Civitatis Regien. existentium sub gubernio Patrum Minoris Observantiæ Sancti Francisci, *tot Missas singulo die, seu singula hebdomada in perpetuum pro anima dictæ Testatricis, & suorum, prout convenerit dictus Antonius cum loco Pio, ut supra deputan. & eidem D. Antonio placuerit.*

In executionem mentis Juliæ Uxoris, tradidit Antonius Prædium Presbyteris Collegiatæ Ecclesiæ S. Nicolai Civitatis Regien. cum hoc, quod Collegiata prædicta, seu illius Presbyteri *teneantur &c. singulo anno, & singula hebdomada in perpetuum, etiam ultra centum annos celebrari facere in Ecclesia Monialium S. Mariæ della Misericordia Civitatis Regii Missas tres pro anima dictæ Juliæ, & suorum ad dictam summam per dictum Dominum Antonium redactas, habito respectu ad recollectas, quæ percipiuntur ex dicto Prædio, quas Missas voluit etiam dictus Antonius, quod dicti Præpositi pro tempore dictæ Ecclesiæ minuere valeant eorum arbitrio, habito respectu ad recollectas e dicto Prædio percipien. juxta temporum qualitatem, quia sic &c.* & hoc onus fuit nomine Collegiatæ in contractu acceptatum.

Anno 1598. a Presbyteris Ecclesiæ Collegiatæ alienatum fuit Prædium pretio scutorum 213. 52. quod pretium fuit erogatum in emptionem Censuum; cumque reditus Prædii alienati essent in scutis decem annuis, uti constat ex Instrumento venditionis, & pro eleemosyna 159. Missarum, Julii 36. sufficerent, prædicta summa fuit persoluta usque ad annum 1620. sed cum Missarum eleemosyna subinde excreverit, ab anno 1621. usque ad annum 1716. data fuit eleemosyna Juliorum 72. Fratribus Minoris Observantiæ S. Francisci, ut Missas a Julia ordinatas celebrarent in Ecclesia Monialium.

Fratres, qui Missas 159. pro dicta eleemosyna in præteritum celebrarunt in Ecclesia memorata, protestati sunt, se nolle amplius continuare in dicta celebratione, nisi sibi subministretur eleemosyna solidorum 30. quod est idem ac dicere unius Julii pro qualibet Missa, cum hæc sit taxa eleemosynæ, quæ viget in Civitate Regien. & nisi ulterius aliquid solvatur Sacristiæ Monialium pro supellectilibus; cumque Presbyteri Collegiatæ Ecclesiæ huic Sacræ Congregationi supplicaverint pro oneris, hoc est Missarum reductione, & pro translatione earundem ab Ecclesia Monialium ad propriam Ecclesiam, scriptum fuit Episcopo pro informatione, & voto, qui censuit, annuendum esse petitis.

Fundamentum reductionis in hoc consistit, quod scuta 10. quæ ex Prædio a Testatrice relicto retrahebantur, hodie non sufficiunt pro celebratione Missarum 159. itaut sit locus reductioni, & multo magis cum Prædium fuerit non demonstrative, sed taxative relictum.

Absque eo quod quidquam faciat, quod onus Missarum fuit a Presbyteris in contractu acceptatum, quia in contractu adest clausula reductionis oneris ad vires redituum, juxta ea, quæ in superioribus dicta sunt.

Fundamentum deinde translationis ab Ecclesia Monialium ad Ecclesiam Collegiatam reponitur; primo in abundanti numero Missarum, quæ in Ecclesia Monialium celebrantur; secundo in consensu, tam a Fratribus, quam a Monialibus præstito in eo, quod attinet ad translationem; tertio, ex quo in Collegiata Ecclesia sepulta jacent Cadavera Testatricis, & aliorum Familiæ Zoboli.

His stantibus, quæritur

An, & quomodo sit annuendum petitioni in casu &c.

Sacr. Congr. respondit,
Pro reductione, & quoad translationem negative.

QUÆSTIO CXVI.

In Causa Brundusina Adimplementi, die 5. *Augusti* 1719.

JOANNES Vincentius Vitalis in suo ultimo, sub quo decessit, Testamento, hæredem universalem instituit Joannem Angelum fratrem, & eum sequenti onere gravavit. *Esso Testatore vuole, ordina, e comanda, che, seguita la sua morte, sia tenuto il suo universale Erede di far celebrare dai Reverendi Padri di detto Venerab. Convento di S. Rocco una Messa cantata per ogni Venerdì dell' anno in perpetuum nell' Altare del Glorioso S. Francesco di Paola, &c. colla carità di carlini cinque per ciascheduna Messa, e per fondo di detto Legato, possa, e vaglia, tanto detto Gio. Angelo, quanto i suoi Eredi, fondare uno, o più capitali di censi sicuri corrispondenti alla soddisfazione della predetta carità di dette Messe cantate in perpetuum, e nella fondazione di detti capitali facienda a suo arbitrio, sia tenuto detto Gio. Angelo, o i suoi Eredi farvi intervenire il Procuratore, o Guardiano pro tempore di detto Convento, acciò non siano tenuti all' evizione de' capitali, o annualità.*

Patres Conventus S. Rocchi, de quibus in particula Testamenti, sunt Patres strictioris Observantiæ Sancti Francisci; cumque sub obtentu incapacitatis dictorum Patrum recipiendi prædicta capitalia, seu census, Joannes Angelus huic Sacræ Congregationi supplicaverit pro facultate transferendi onus celebrationis Missarum ad Ecclesiam Collegiatam Terræ Liberani, in qua dictus Conventus Patrum Sancti Rocchi existit, nec ullus alius Regularium reperitur Conventus, relata ejus instantia inter summaria precum *die* 17. *Decembris* 1718. rescriptum fuit *Lectum*. Impetrataque subinde nova audientia, una cum descriptione in folio, Joannes Angelus iterum instat pro applicatione Legati favore Ecclesiæ Collegiatæ, vel quod ad minus præscribatur modus, quo piam sui Authoris dispositionem valeat executioni demandare.

Quoad dispositiones factas favore Fratrum Capuccinorum, & Minorum strictioris Observantiæ, & aliorum Regularium, qui Bona in communi possidere non possunt, Privilegia Reverendæ Fabricæ sibi vindicant locum, & in eorum sequelam, Bona dicto modo relicta, eidem Fabricæ applicantur juxta relata *in Compendio Privilegiorum bonæ memoriæ Vespiniani pag.* 25.

Quoad reditus vero his iisdem Fratribus relictos, adjecto onere celebrationis Missarum, in Congregatione habita tempore Urbani Octavi, resolutum fuit, memoratos Fratres esse incapaces horum annuorum relictorum, uti habetur *apud Fagnan. dictæ Congregationis Secretarium in cap. Nimis prava num.* 49. *& num.* 53. *de excess. Prælat.*

Procedentibus contrariis quoad eleemosynas manuales Missarum, quarum absque dubio Fratres etiam, qui Bona in communi possidere non possunt, sunt capaces, uti adnotarunt *Sanchez ad præcept. Decal. lib.* 7. *cap.* 26. *num.* 49. *Barbos. Juris Eccles. Univers. lib.* 3. *cap.* 27. *num.* 77. *Adden. ad Burat. decis.* 756. *num.* 11. *Pignatel. consult.* 16. *num.* 7. *&* 8. *tom.* 3. *Torr. de pactis futuræ successionis lib.* 2. *cap.* 36. *num.* 75. *Rota decis.* 456. *num.* 15. *coram Merlino, decis.* 1219. *num.* 8. *decis.* 1326. *num. pariter* 8. *coram Emerix Juniore.*

Quia vero permissum esse non debet, sub obtentu incapacitatis Fratrum, ut hæredes se eximant ab onere adimplementi Missarum, uti probat *Textus in l. hæredes in fine ff. de petit. hæred.* & ad rem prosequuntur *Corduba in exposit. Regulæ S. Francisci cap.* 6. *quæst.* 7. *& quæst.* 11. *puncto* 2. *&* 4. *Redoan de Spoliis Eccles. quæst.* 8. *num.* 47. & durum esse videretur Fratres arcere a perceptione redituum assignatorum cum onere celebrationis Missarum per modum saltem puræ, & simplicis eleemosynæ.

Statutum fuit, ut solemnis a Fratribus emittatur protestatio subsignata sigillo Conventus, & in ejus libris inferenda, & ad hæredes, sive executores transmittenda, in qua declarent, se nullum jus sibi vindicare, aut asserere ex prædictis Legatis, seu relictis, juxta expressum monitum S. Bonaventuræ in Libello Apologetico, seu excusatorio contra eos, qui Minorum Ordini adversantur, uti habetur *lib.* 2. *Opuscul. quæst.* 9.

Firma interea remanente libertate apud hæredes dandi, aut non dandi Fratribus prædictos annuos reditus, quod est idem ac dicere, celebrari faciendi per illos, aut per alios sibi bene visos Sacerdotes Missas, & Sacrificia legata, uti probat *Textus in cap. Exiit*, §. *Si vero de*

Verb. signific. in 6. ibi, *ad quæ legata solvenda tam hæredes Testatorum, quam Executores se liberales exhibeant*, & habetur in Compendio Privilegiorum Fabricæ *pag.* 72. *& pag.* 74. & præcedentes decisiones modificando, firmavit *Rota in citata decis.* 1326. *num.* 8. *& seqq. coram Emerix Juniore*, ad cujus postremæ decisionis normam datum fuit ab eadem Rota votum Sacræ Congregationi Episcoporum, & Regularium, a qua fuerat pro voto requisita, uti colligitur ex tenore voti impressi *apud Piton. discept. Eccles. tom.* 1. *discept.* 2. *num.* 53. quod votum eadem Sacra Congregatio amplexa est, & Sanctæ Mem. Clemens X. resolutionem Sacræ Congregationis confirmavit per litteras Apostolicas in forma Brevis impressas *apud Matthæuc. in suo Officiali cap.* 30. *num.* 12.

Factaque Commissariis, & Ministris Fabricæ expressa prohibitione admittendi compositiones super Legatis Fratribus factis cum onere Missarum, & Officiorum, præter quam quoad annuas præstationes duorum annorum decursorum a die obitus Testatorum, quas etiam integraliter recipere debent, & Reverendæ Fabricæ applicare, salvo semper capitali, seu proprietate, ut hæredes, vel debitores, qui primis duobus annis non adimpleverunt, possint, si velint, futuris temporibus dare Fratribus annua legata titulo eleemosynæ, juxta decreta Sacræ Congregationis Fabricæ impressa *apud R. P. D. Petram ad Constitut. Apostolicas tom.* 2. *pag.* 463. *& seqq.*

Hæc sunt, quæ pro materiæ dilucidatione, reverenter insinuanda existimavi, sed cum in casu præsenti non agatur de censibus, seu pecuniis investiendis, quæ fuerint Fratribus relictæ cum onere Missarum, sed de onere a Testatore imposito, & hæredem afficiente: *sia tenuto il suo universale Erede di far celebrare dai Reverendi Padri &c. una Messa cantata per ogni Venerdì dell' anno in perpetuum*, hinc oritur rationabilis dubitatio, an Fratres sint consimilis legati capaces, & an hæres teneatur ad ejus præstationem favore eorumdem.

Facit pro affirmativa, quod disputato in hac Sacra Congregatione *in quadam Causa Aprutina Legati* 29. *Februarii* 1677. dubio, an legatum sequentibus verbis conceptum sustineretur, *item dice di aver a censo ducati cento ottanta, lascia di ragione di legato, che l' infrascritto Erede, e Successori in infinitum debbano con i frutti di quelli farne celebrare quattro Anniversarj l' anno nella Chiesa di S. Maria de' Lumi dai Frati Zoccolanti ec.* fuit affirmative resolutum. Et consimilis pariter prodiit ab hac Sacra Congregatione resolutio *in Isernien. Legati* 10. *Junii* 1684. Cum etenim ageretur de Testamento sequentibus verbis concepto: *lascio, che detti miei Eredi faccino celebrare quaranta Messe l' anno all' Altare di S. Maria Maddalena nella Chiesa di S. Maria delle Grazie de' Frati Minori Osservanti, da quelli Padri, che saranno assistenti al Convento sopradetto, e più, che gli siano dati dai suddetti Eredi quattro ducati l' anno, i quali serviranno per i bisogni di detta Cappella*, cohærenter ad hæc bina dubia fuissent proposita, primum scilicet *an præter scuta annua quatuor legata pro indigentiis Cappellæ hæredes teneantur separatim persolvere eleemosynam pro celebratione Missarum*, & secundum *in qua quantitate*, ad primum fuit responsum affirmative, & ad secundum dictum fuit, quantitatem esse debere saltem ad rationem eleemosynæ manualis.

Pro negativa vero facit, quod Fratres isti nullam possunt habere securitatem, sed debent pendere ab incerto juxta *Textum in cap. unico de Religiosis Domibus in* 6. *& juxta Gloss. in cap. unico in verbo mendicantes de excess. Prælat. in* 6. & dici posset, quod ab incerto non penderent, si essent capaces dictorum legatorum, & si hæredes tenerentur ad eorum præstationem; quodque notabilius est, cum in hypothesi præsenti Testator dixerit, quod in emptione censuum accedere deberet consensus Procuratoris, seu Guardiani pro tempore, *acciò non siano tenuti all' evizione de' Capitali, o annualità*, sermo ibi est de hæredibus, supponit hæc circumstantia, quod secuta capitalium, aut fructuum evictione, possent Fratres judicialiter agere, aut officium Judicis implorare pro damni emendatione, seu pro supplemento adversus hæredes, quod nedum adversatur decretis Congregationis *apud Fagnan. in allegato cap. nimis prava de excess. Prælati*; sed etiam Regulæ, & Testamento Sancti Francisci, de quibus *in Bulla V. Honorii Tertii Bull. tom.* 1.

His stantibus, quæritur

I. An Fratres sint capaces Legati in casu, de quo agitur, & quatenus negative.

II. An hæres Legatum, seu onus celebrationis Missarum ab Altari Sancti Francisci de Paula transferre possit ad Ecclesiam Collegiatam Terræ Liberani, & quatenus negative.

III. Quomodo dictus hæres adimplere valeat onus impositum celebrationis Missarum.

Sacra Congr. die 26. Augusti 1719. respondit
Ad primum negative. Ad secundum negative. Ad tertium Hæredem posse census creare, & assignare pro onere Missarum, sed creare, & assignare cum auctoritate Episcopi, cui scribatur juxta mentem, itaut novus censuarius se obliget solvere Patribus eleemosynam ad formam Testamenti.

QUÆSTIO CXVII.

In Causa Auximana Restaurationis Ecclesiæ Parochialis, die 5. *Augusti* 1719.

ECCLESIA Parochialis S. Ægidii Terræ Staphili Auximanæ Diœcesis celeri indiget reparatione, cum principales ejusdem muri sint aperti. Exorta autem controversia inter Parochum ex una, & Communitatem ex alia partibus, ad quem ex ipsis pertineat onus Ecclesiæ ruinam reparandi, eademque delata ad hanc Sacram Congregationem, Ludovicus Moriconus, qui de præsenti dictam obtinet Parochialem Ecclesiam, contendit, se ad ejus reparationem non esse obligatum, primo quia subductis subducendis, congruam non habet conciliarem, ex quo ipsi non remanent annua scuta centum, & licet Parochus, ad instar omnium aliorum Beneficiatorum, teneatur ad suæ Ecclesiæ restaurationem, id tamen procedit, si ultra congruam, & honestam substentationem, alios ex Parochia percipiat reditus, juxta Textum *in cap. de his tit. de Ecclesiis ædificandis*, ibi, *de his, qui Parochiales Ecclesias habent, dicimus respondendum, quod ad reparationes, & institutionem Ecclesiarum cogi debent, cum opus fuerit, de bonis, quæ sunt ipsius Ecclesiæ, si eis superfint, conferre, ut eorum exemplo cæteri invitentur.*

Secundo, quia Communitas, quæ necessariis accedentibus beneplacitis, notabilem pecuniæ quantitatem erogavit pro Ecclesiæ reædificatione, se etiam obligavit ad contribuendum in hypothesi, in qua muri principales restauratione indigerent, *senza che la detta nostra Comunità sia più in obbligo di rifacimento, o reattamento, benchè minimo, di tetto, finestre, vetrate, ed altro, purchè non fossero di necessità nelle muraglie principali*, hinc inferendo, quod sicuti evenit casu reparationis in muris principalibus, ita ab onere reparationis non possit ullo modo Communitas se liberare.

His stantibus, quæritur

An manutentio, seu reaptamentum Ecclesiæ Parochialis, & Matricis Terræ Staphili spectet ad Plebanum, seu Parochum, vel potius ad Communitatem, in casu &c.

Sacra Congr. die 26. Augusti 1719. respondit
Ad primam partem affirmative. Ad secundam negative, & amplius.

QUÆSTIO CXVIII.

In Causa Amalphitana Præposituræ, die 5. *Augusti* 1719.

PRÆVIO consilio hujus Sacræ Congregationis, sanctæ memoriæ Innocentius XII. concessit, ut facto ab Universitate Civitatis Majoris augmento ducatorum annuorum 60. monetæ pro dote Præposituræ erectæ in Ecclesia Collegiata prædictæ Civitatis, jus nominandi Præpositum alternative pertineret ad Capitulum, & ad Universitatem, ita tamen, ut prima vice nominatio ad Capitulum, & secunda vice nominatio spectaret ad Universitatem.

Cohærenter ad hujusmodi indultum, post impetratum Regium assensum, Universitas se obligavit ad præstationem ducatorum 60. annuorum, & pro faciliori exactione nonnulli publici reditus fuerunt assignati, & correspective ad obligationes, & assignationes prædictas, Capitulum solemniter approbavit jus Universitati concessum, alternis vicibus Præpositum nominandi; assumptoque ad Episcopatum Camillo Caravito Collegiatæ Ecclesiæ Præposito, Capitulum, ut initium alternativæ mandaret executioni, devenit ad nominationem Dominici Venusii Primicerii in Præpositum Ecclesiæ, de qua nunc agitur; cumque mortuo Venusio, Universitas Civitatis Majoris nominaverit,

verit, seu præsentaverit ad Præposituram Nicolaum Papalardum, triangularis exorta est controversia, quæ ad hanc Sacram Congregationem fuit subinde remissa, inter Capitulum, & Universitatem, nec non Archiepiscopum Amalphitanum instantem pro unione Præposituræ favore suæ Mensæ Archiepiscopalis, itaut operæ pretium fuerit devenire ad subscriptionem dubii in tres partes divisi, quarum altera respicit juspatronatus, an scilicet de illo constet, altera jus præsentandi, ad quem scilicet in præsenti vacatione spectet præsentatio, & tertia unionem, an scilicet eadem sit concedenda.

Quoad juspatronatus, seu jus alternativæ nominationis, & præsentationis, dicitur de eodem constare ex his, quæ in superioribus fuerunt exposita; absque eo quod quidquam faciat, quod ab Universitate fuerit subinde dicto juri renunciatum, ad effectum Cives eximendi a solutione ducatorum 60. cum etenim reditus assignati fuissent Ecclesiæ, seu Præposituræ quæsiti, non erat amplius in potestate Communitatis sine Beneplacito Sedis Apostolicæ ab eorum solutione se liberare; & multo magis, cum ipsa Universitas se hodie promptam, & paratam exhibeat ad solutionem.

Quoad jus vero nominandi, seu præsentandi in præsenti vacatione, censet Universitas, illud ad se pertinere, cum Capitulum in prima vacatione Dominicum Venusium, uti dictum est, præsentaverit; haud urgente, quod Venusius provisionem obtinuerit a Dataria sine ulla mentione præsentationis, quandoquidem Apostolica provisio expleta fuit in Turno ad Capitulum pertinente, in quo rerum statu nova provisio juxta Universitatis sensum non ad Capitulum, sed ad se spectare debet.

Quoad unionem denique contenditur, eidem non esse locum, tum propter præjudicium Patronorum, tum quia agitur de Præpositura, quæ stante potissimum augmento dotis in ducatis 60. sufficientes habet reditus pro alendo debito cum decore Præposito; ad partes positis litigiis inter Archiepiscopum, & Præpositum, vel quia hæc jam sunt terminata, vel quia non sunt satis pro concedenda unione.

His positis, quæritur

An constet de Jurepatronatus, & quatenus affirmative, an, & ad quem spectet præsentatio, seu nominatio in præsenti vacatione, vel potius sit concedenda unio, in casu &c.

Sacra Congr. die 24. Februarii 1720. respondit
Constare de Jurepatronatus, dummodo intra terminum trium Mensium persolvantur ab Universitate annualitates hucusque decursæ, & dummodo intra eumdem terminum fiat reintegratio in forma valida assignamenti usque ab initio facti, elapsoque termino, & non adimpletis dictis conditionibus, cesset Juspatronatus, & in reliquis Dilata.

QUÆSTIO CXIX.

In Causa Larinensi, die 26. Augusti 1719.

SACERDOTES participantes adscripti servitio Ecclesiarum Parochialium Sanctæ Mariæ, & Sancti Mercurii in Oppido Serræ Larinen. Diœcesis, huic Sacræ Congregationi exposuerunt, Vicarium Generalem Larinen. in ultima visitatione per Edictum pœnale demandasse, quod quilibet eorum teneretur Fidei rudimenta Pueros docere diebus festivis in dictis Ecclesiis Parochialibus per hebdomadarum divisionem, adjecta pœna librarum 30. ceræ, ac suspensionis a Divinis in casu contraventionis.

Scriptum fuit, juxta morem, Episcopo pro informatione, & voto, cumque ipse, pluribus allegatis rationibus, dixerit, Edictum Vicarii esse validum, & justum, & Puerorum necessitati accommodum, facta fuit instantiæ relatio *die* 3. *Septembris* 1718. inter Summaria precum, & fuit rescriptum, quod *ponatur in folio, firmo interim manente decreto Vicarii Generalis.*

Fundamenta autem Sacerdotum participantium consistunt in his, quæ sequuntur; Primo videlicet in dispositione Sacri Concilii Tridentini *sess.* 5. *cap.* 2. *de Reform.* ubi onus hoc docendi Doctrinam Christianam, Parochis imponitur; secundo in observantia, juxta quam Archipresbyteri, seu Œconomi loco ipsorum deputati, Doctrinam Christianam semper docuerunt, assistentibus tantummodo, & coadjuvantibus Clericis, Subdiaconis, & Diaconis; tertio in his, quæ a Doctoribus asseruntur; Quæstioni etenim propositæ, an Parochus possit cogere Clericos, qui sunt intra limites suæ Parochiæ ad se coadjuvandum in docendo Pueros Doctrinam Christianam, negative respondetur, sed eosdem posse tantum urbane excitari, uti habetur apud *Zerolam in praxi Episcopali in verbo Doctrina Christiana in fine*; absque eo quod quidquam faciat, quod Sacerdotes, de quibus agitur, participent de decimis, una cum Parochis, quia participatio hæc refertur ad onus celebrationis Missæ Conventualis, quod ipsi subeunt.

Adversus hæc autem plura excipiuntur ab Episcopo in sua informatione, pro sustinendo Edicto sui Vicarii; primum desumitur ex participatione annuorum redituum, qui maxima ex parte conflantur ex decimis, & aliis Parochialibus obventionibus; quasi quod si Sacerdotes sunt socii Parochorum in consolationibus, debeant etiam esse in supportandis oneribus, & multo magis, cum absentibus, vel impeditis Parochis, ipsi, juxta ordinem antianitatis fruantur nonnullis Parochialibus præeminentiis, & honoribus. Secundum consistit in qualitate eorumdem Sacerdotum; sunt etenim juxta immemorabilem consuetudinem adscripti servitio memoratarum Ecclesiarum, in quo rerum themate, incongruum judicari non potest, ut iidem coadjuvent Parochos in docendo Pueros Doctrinam Christianam, & præcipue, cum experientia teste, deprehensum sit, Parochos solos hoc onus sustinere non posse. Tertium fundamentum stat in his, quæ fuerunt statuta a S. Carolo Borromæo in Synodo quarta Diœcesana, Actorum Ecclesiæ Mediolanensis *par.* 2. *tom.* 1. *pag.* 286. ubi sic legitur: *Sacerdotes, & Clerici inferiores Dominicis, festisque diebus, qua hora in Choro divinis Officiis concelebrandis adstricti non sunt, Parochum, intra cujus Parochiæ fines habitant, in Doctrinæ Christianæ Scholis adjuvent, in Urbe ad præscriptum eorum, quibus id curæ ab Archiepiscopo datum erit, in Diœcesi autem Vicariorum Foraneorum.* In iisdem pariter Actis *par.* 2. *Synodi Diœcesanæ* 11. *pag.* 320. *tomo* 1. imposita legitur pœna Sacerdotibus non coadjuvantibus Parochos in munere docendæ Doctrinæ Christianæ, *quicumque Sacerdos, aut Beneficium obtinens, Parochum non adjuverit, mulctetur duobus nummis realibus*: ex his etenim infert Episcopus non esse de justitia Decreti dubitandum, utpote editi ad tramites eorum, quæ fuerunt statuta a S. Carolo Borromæo pro sua Diœceseli Mediolanensi. Addit Episcopus se consimilia Edicta alias edidisse, nempe die 30. Aprilis 1707. die 24. Maii 1708. die 2. Maii 1710. & etiam de anno 1711. absque eo quod ullus Sacerdotum participantium reclamaverit; nec deest Eminentissimi Metropolitani testimonium, in eo quod attinet ad necessitatem Edicti, de quo nunc agitur, cum in quadam sua Epistola hæc habeantur: *Quanto sia necessario, e dovuto il sostenere l' Editto non so meglio spiegare, che con assicurarla, che qual' ora non fosse dalla S. Congregazione del Concilio, ove han fatto ricorso i Preti, confermato, recherebbe un pregiudizio sommo a tutta questa Provincia, oltre che, so io, quando la divina Degnazione posemi a servire quest' ampia Diocesi, in qual guisa ritrovai le povere plebi digiune affatto della Dottrina Cristiana per mancanza di chi loro l' avesse insegnata, e fino i Vecchi non sapevano i misteri principali della medesima, necessarj ad ogni Cristiano per salvarsi.* Denique si ad promovendum opus Doctrinæ Christianæ, adeo pium, & necessarium, hæc Sacr. Congregatio *die* 17. *Julii* 1688. in quadam Causa *Spalaten. Doctrinæ Christianæ*, in qua disputatum fuit, *an Archiepiscopus cogere potuerit Ludimagistros, tam Clericos, quam Laicos ad docendum Pueros Doctrinam Christianam*, respondit, *posse prius hortari, & deinde præcipere*; multo magis poterit Episcopus Sacerdotes participantes adigere ad Parochum coadjuvandum in munere docendi Doctrinam Christianam, statutis pœnis adversus parere detrectantes.

His stantibus, quæritur

An Edictum Vicarii Generalis sustineatur, in casu &c.

Sacra Congr. die 30. Septembris 1719. respondit
Dilata, & ad Mentem.

QUÆSTIO CXX.

In Causa Panormitana Nullitatis Matrimonii, die 30. *Septembris* 1719.

CATHARINA Bonfilio, quæ *die* 13. *Decembris anni* 1693. per vim, & metum a Patre incussum, de quo Testes deponunt, matrimonium contraxit in facie Ecclesiæ cum Francisco Alvarez Barbitonsore, cum eodem

dem invita cohabitavit spatio quatuor mensium, itaut idem Alvarez sequens exhibuerit Testimonium die 21. Julii 1715. *Confesso qualmente dalla prima ora, che ci congiungessimo sino a quando mi allontanai da essa, non solo mai volle detta Caterina Bonfilio esercitare volentieri l'atto matrimoniale, non ostante minacciarla, e venire continuamente alle percosse, ma ogni qual volta si chiedeva il debito, mi rispondeva di non volere, a causa di non aver volsuto mai esser mia moglie.*

Alvarez desperatione adactus discessit a Civitate Panormitana, ut militiam in Triremibus exerceret; cumque anno 1702. percrebuerit fama, ortum habens ex partita descripta in libris Defunctorum in magno Nosocomio Panormi, quod idem mortuus fuisset, Catharina *die 29. Aprilis* 1708. collocata fuit in matrimonium cum Ignatio Colli, ex quo quatuor filios suscepit, & Alvarez, qui mortuus reputabatur, *die 15. Januarii* 1707. in Civitate Lillæ Uxorem duxit Claudiam Calvinianam post hæresim ab eadem abjuratam.

In hac facti specie, fuit actum in Curia Archiepiscopali Panormitana super validitate primi matrimonii, cumque ab eadem fuerit pro ejus validitate pronuntiatum, de justitia dicti judicati agendum est in præsenti.

Pro validitate facit Textus *in Cap. ad id de Sponsalibus*, in quo matrimonium per vim contractum, statuitur, quod cohabitatione convalescat, ibi: *taliter respondemus, quod quamvis undecim annos habens ab initio invita fuisset ei tradita, & renitens, tamen, quia postmodum per annum, & dimidium sibi cohabitans consensisse videtur, ad ipsum est cogenda redire, nec de cætero recipiendi sunt Testes, si quos memorata mulier ad probandum, quod non consenserit in eundem, nominaverit producendos*, & licet hic Textus loquatur de cohabitatione per annum cum dimidio, id tamen non fuit in Textu statutum taxative, sed demonstrative, itaut ad officium Judicis pertineat circumstantias ponderare, suadentes, an ex cohabitatione purgatus fuerit metus, non obstante, quod cohabitatio non fuerit protracta ad annum cum dimidio, uti ponderat *Abbas in citato Cap. ad id num. 4. de sponsal. & matrim.*

Pro nullitate vero primi matrimonii facit, quod post Concilium Tridentinum, quod novam formam induxit in contrahendo matrimonio, præsentiam videlicet Parochi & duorum Testium, non solum matrimonium est nullum, si fuerit contractum per vim, & metum, sed ulterius non convalidatur, nisi iterum contrahatur, adhibita forma Concilii, licet intercesserit cohabitatio, una cum copula, juxta resolutiones hujus Sacræ Congregationis, & signanter in Hispalen. 20. Junii 1609. lib. XI. Decretorum fol. 58. a ter. *Sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum sæpius respondit, hodie post Tridentinum Concilium matrimonium metu contractum, & purgato metu per cohabitationem cum carnali copula, alioquin actus non convalidari, nisi iterum contrahatur, adhibita rursus ejusdem Concilii forma*, & concordat alia resolutio *in Constantinopolitana 16. Decembris* 1634. *lib.* 15. *Decretorum fol.* 140. *a tergo*.

Proposita fuit hæc Causa in hac Congregatione. Nunc autem nulla fuit capta resolutio, sed cum Causa repropositа fuerit in sequenti Congregatione habita *die* 18. *Novembris* 1719. dictum fuit, *quod Catharina, & Ignatius separarentur, necnon Alvarez, & ejus prætensa Uxor, & quod coadjuvarentur probationes juxta instructionem*, & instructio fuit, primo quod formiter, & cum Interrogatoriis a Promotore Fiscali Curiæ Archiepiscopalis Panormitanæ exhibendis examinarentur Pater, & Mater Catharinæ; Secundo, quod simili modo examinaretur Parochus, coram quo matrimonium fuit contractum cum Joanne Francisco Alvarez; Tertio quod etiam formiter examinarentur Testes, qui matrimonio interfuerunt; & quarto, cum in anteacta causæ propositione nonnulli Testes fuerint producti, deponentes de violentiis exercitis in ipsa Ecclesia coram Parocho, qui non videbantur formiter examinati, quod formiter examinarentur sub Interrogatoriis Promotoris Fiscalis.

Hæc sunt, quæ in instructione fuerunt inserta. Cum autem causa iterum fuerit repropositа, quæsitum fuit

I. An constet de nullitate primi matrimonii in casu, & quatenus affirmative.

II. An secundum matrimonium contractum cum Ignatio Colli sit validum, itaut Catharina cum eodem cohabitare teneatur in casu &c.

Sacr. Congr. die 8. Junii 1720. respondit,
Ad primum constare. Ad secundum satis provisum in primo.

QUÆSTIO CXXI.

In Causa Romana Legati, die 30. Septembris 1719.

HORTENSIA Carpini in Testamento condito de anno 1637. reliquit Archiconfraternitati S. Hieronymi Charitatis duo Loca Montis, sequentibus verbis: *Item per ragion di legato, e in ogni altro miglior modo lascia alla Compagnia di S. Girolamo della Carità di Roma due Luoghi di Monte delle Communità ec. con oblige, che debba far celebrare in detta Chiesa venti Messe basse, ed una cantata da Morti.*

Post obitum Testatricis fuit hoc onus ab Archiconfraternitate punctualiter pro unica vice adimpletum. Cum autem Rev. Fabrica S. Petri prætensionem excitaverit, quod onus prædictum Missarum perpetuum esse deberet, Archiconfraternitas operæ pretium esse censuit habere recursum ad hanc Sacram Congregationem pro reportanda declaratione, quod Legatum non sit perpetuum, sed pro unica vice.

Archiconfraternitatis fundamentum desumitur primo ex litera Testamenti, in quo nulla fit mentio perpetuitatis; secundo, ex eodem pariter Testamento, in quo Testatrix, loquendo de aliis oneribus, expressit eadem perpetua esse debere, hinc inferendo, quod ubi non expressit perpetuitatem, eam noluit adesse; & tertio demum ex observantia, cum nunquam onus, de quo agitur, habitum fuerit pro perpetuo.

Stantibus his, quæritur

An onus Missarum præscriptum in Legato, de quo agitur, sit temporaneum, & pro unica vice, seu potius perpetuum, in casu &c.

Sacr. Congr. die 18. Novembris 1719. respondit:
Ad primam dubii partem affirmative, & ad secundam negative.

QUÆSTIO CXXII.

In Causa Fulginatensi, die 30. Septembris 1719.

FRANCISCUS Ambrosinus Canonicus Cathedralis Ecclesiæ Fulginaten. qui a pluribus annis tali podagra laborat, ut e domo exire non valeat, indulto fruitur participandi de emolumentis sui Canonicatus, non obstante, quod Choro non intersit; cumque occasione Congregationum Capitularium, in quibus agitur de Capituli negotiis, consueta ad ipsum transmittatur intimatio, ut interesse dignetur, suas huic Sacræ Congregationi preces exhibuit pro facultate substituendi alium Canonicum, qui suo nomine præstet suffragium, in hypothesi, in qua sit impeditus ne accedat, & in qua etiam est paratus ad probandum impedimentum medio juramento.

Scriptum fuit Episcopo pro informatione, & voto, cumque Episcopus dixerit expedire in Domino, quod hæc facultas Canonico Oratori concedatur, utpote summa integritate, & prudentia prædito, itaut ejus suffragium maximopere proficuum futurum sit, tam in his, quæ respiciunt cultum Divinum, quam in cæteris, quæ pertinent ad œconomiam Capituli, facta fuit hujus instantiæ relatio in Congregatione habita *die* 17. *Junii* 1719. & rescriptum fuit, *quod poneretur in folio*.

Si essemus in materia electionis, casus dici posset decisus *in Cap. quia propter*, §. *Illud autem de electione, & in Cap. si quis justo eodem titulo in 6.* ubi dicitur, quod absens a loco electionis, & moram ducens in loco, a quo potest avocari, si justo impedimento detineatur, constituere valet Procuratorem, qui suo nomine suffragium ferat in electione, dummodo probet impedimentum juramento, & vices suas uni de Collegio committat.

At quia non agitur de electione, sed de cæteris aliis negotiis, quæ in Congregationibus Capitularibus pertractantur; hinc oritur occasio dubitandi, an id, quod fuit statutum in materia electionis, ad alios actus in Capitulo explendo extendi valeat.

Porro non desunt afferentes, quod sicuti Canonicus dicto modo absens procuratorem modo intimato constituere potest in materia electionis, hoc ipsum facere possit in aliis negotiis Capitularibus, *Ceccoper. lucubr. Canon. lib.* 4. *num.* 41. & ab hac Sac. Congregatione *die* 18. *Februarii* 1623. responsum fuit, Canonicum absentem posse votum suum alteri de Capitulo delegare, si abfuerit ob aliquam causam ex his, quæ sunt approbatæ in Constitutione Bonifacii Octavi, uti videre est *lib.* 12. *Decret. fol.* 119. *a tergo*, & in Constitutione Bonifacii Octavi absens ex infirmitate legitime dicitur abesse, ita ut admittatur ad fruendum distributionibus, quemadmodum habetur *in cap. Consuetudinem de Clericis non residentibus in 6.*

Præter hæc, animadverti posset, quod Canonicus jure suo constituere potest Procuratorem, qui in Capitulo suffragetur, non obstante, quod per seipsum interesse possit, quia speciale est in materia electionis, quod Canonicus constituere non possit Procuratorem, nisi moretur in loco, a quo debeat avocari, justoque impedimento detineatur, quod medio juramento probare tenetur. Theorica hæc est Abbatis *in Cap. quia propter*, §. *illud, num.* 1. *de electione*, ibi: *collige, & tenimenti, quod in alio negotio potest quis Procuratorem constituere, ut vice sua interfit Universitati, licet ipse constituens possit esse per se. Nam speciale statuitur hic in electionis negotio. Ergo in aliis negotiis explicandis per Capitulum, seu Universitatem aliam, potest etiam non impeditus Procuratorem constituere per istum textum*; idque adeo tutum existimatur, ut hac supposita conclusione, quæratur a Doctoribus, an in aliis negotiis extra electionem, Canonicus, qui sit magnæ auctoritatis, & qui non sit impeditus, cogi valeat ad interessendum Capitulo per se, & non per Procuratorem, in qua quæstione nonnulli affirmativam, nonnulli negativam sequuntur opinionem, uti habetur *in pract. Eccles. Marci Antonii Genuensis quæst.* 239.

His stantibus, quæritur

An, & quomodo Oratoris precibus sit annuendum, in casu &c.

Sacra Congr. die 18. Novembris 1719. respondit
Dilata & audiatur Capitulum.

QUÆSTIO CXXIII.

In Causa Cathacensi Commutationis voluntatis, die 30. Septembris 1719.

IGNATIUS Marincola, in ultimo, cum quo decessit, testamento, hæredem sibi scripsit Bernardum Marincolam ex fratre pronepotem; cui inter cætera demandavit, quod singulis annis erogaret ducatos quingentos pro decem subsidiis dotalibus distribuendis favore Pauperum Puellarum Civitatis Cathacen. & locorum Borgiæ, S. Flori, Selliæ, & Stalletti, ad rationem ducatorum 50. pro qualibet Puella.

De Cæsare Marincola, licet æquali consanguinitatis gradu sibi conjuncto Ignatius Marincola Testator nullum habuit verbum in Testamento; cumque ille Sanctissimo Domino Nostro supplicaverit pro aliqua temporanea applicatione annuæ præstationis ducatorum quingentorum, ut supra, a Testatore relictorum, ut suæ rei domesticæ subveniret, & a Sanctitate Sua fuerint preces remissæ ad hanc Sacram Congregationem, post habitam de more Episcopi informationem, propositæ fuerunt inter Summaria precum in Congregatione habita *die* 3. *Decembris* 1718. & rescriptum fuit, *quod Causa poneretur in folio, & quod exquireretur ab Episcopo ad quam quantitatem ascendat patrimonium Cæsaris, & in qua quantitate sint annui ejus fructus.*

Quoad nobilitatem, sanguinis conjunctionem cum Testatore, & quoad Oratoris paupertatem nulla adesse videtur difficultas, cum id resultet ex documentis ab ipso exhibitis, & ex numero filiorum; habet enim quatuor Puellas, & tres Pueros, & tam ipse quam Uxor sunt juvenes; & in eo, quod attinet ad patrimonium, & ad reditus, Episcopus in sua ultima relatione inquit eum miserrime vivere ex fundis dotalibus Uxoris, ipsum quoque possidere Viridarium, ex quo percipiuntur annui ducati 30. cum onere celebrationis quinque Missarum qualibet hebdomada, & cætera alia bona esse intricata, & Creditoribus obnoxia.

Si quid est, quod instantiæ obesse valeat, consistit in hoc, quod Cæsar fuit Ignatio Testatori cognitus, qui, hoc minime obstante, nullam fecit ejus favore dispositionem, ita ut pro ipso non militet præsumpta illa mens Testatoris, quæ in consimilibus casibus considerari consuevit ab hac Sacra Congregatione.

His stantibus, quæritur

An, & quomodo sit locus commutationi voluntatis Testatoris, in casu.

Sacra Congr. die 18. Novembris 1719. respondit
Negative, & amplius.

QUÆSTIO CXXIV.

In Causa Sulmonensi, die 30. Septembris 1719.

BINA proponuntur dubia disputanda inter Promotorem Fiscalem Curiæ Episcopalis Sulmonen. & Capitulum, atque Canonicos Cathedralis Ecclesiæ ejusdem Civitatis; cumque primum dubium infra memorandum respiciat suspensionem a Divinis ab Episcopo inflictam adversus Canonicos Procuratores Capituli, operæ pretium est ab eadem initium desumere.

Inflictæ suspensionis occasio processit ab expositione Reliquiarum S. Pamphili Protectoris Civitatis Sulmonen. pro impetranda pluvia, & ut Augustissima Imperatrix felicem ederet partum; contendit enim Episcopus, Capitulum deliquisse in tentata & demandata Reliquiarum expositione, absque sua scientia, & permissione, & se hac de causa ad suspensionem processisse rite, & recte adversus Canonicos Procuratores Capituli, qui ratione officii specialiori ratione deliquerant, & Capitulum præterea deliquisse, ex quo non obstante, quod ipse Episcopus licentiam, & mandatum exponendi Reliquias subinde expedivisset, ad earum expositionem procedere recusavit.

Adversus hanc suspensionem Capitulum excipit de nullitate, & de injustitia: De nullitate quidem, quia non præcesserunt Canonicæ monitiones; de injustitia vero, tum quia Civitatis Magistratus Capitulo testatus fuerat, quod ab Episcopo licentiam obtinuerat expositionis Reliquiarum, tum quia incepto jam vespere, transmissus fuit a Capitulo Sacerdos ad Episcopum, ut ab eodem sciret, an vellet, quod expositio fieret ante Completorium, & an illi vellet assistere.

Putat autem Promotor Fiscalis has exceptiones non obstare, sive loquamur de validitate, sive de justitia suspensionis, & in eo quidem, quod attinet ad validitatem, cum suspensio inflicta fuerit non propter contumaciam, sed in pœnam delicti, inquit, non fuisse necessarias Canonicas monitiones, & in eo, quod spectat ad justitiam, ait de eadem non esse dubitandum, cum Capitulum devenire tentaverit ad expositionem Reliquiarum, præviis publicis signis, sonitus videlicet Campanarum, & cujusdam Invitatorii, quod fuit affixum in publicis locis Civitatis, absque eo quod id fuerit Episcopo participatum, nec enim dicit subsistere in facto, quod Syndici, seu Magistratus ab eodem Episcopo licentiam petiverint, & obtinuerint exponendi Reliquias S. Pamphili, nec potuisse, aut debuisse Capitulum Syndicis præstare fidem, cum optime sciret, eosdem esse male affectos erga suum Antistitem, & plura molitos esse adversus ejus jurisdictionem.

Hæc sunt, quæ in substantia primum dubium respiciunt: Cumque in secundo dubio disputandum proponetur de exemptione ab Episcopi Jurisdictione, & Judicis deputatione in causis Capituli, & Cleri, necesse est sermonem transferre ad gravamina, propter quæ Capitulum prætendit esse locum exemptioni, & respective Judicis deputationi.

Primum gravamen, uti desumitur ex relatione Episcopi Marsorum, cui informandi cura ab hac Sacra Congregatione commissa fuit, consistit in edicto ab Episcopo Sulmonen. publicato, quod alternatim in una ex tribus Ecclesiis Civitatis ab ipso destinatis instrui debeat Populus in Doctrina Christiana per hebdomadam a Curatis, & Presbyteris, sub nonnullis pœnis in edicto recensitis, quasi quod hoc edictum pariat confusionem, & adversetur Concilio Tridentino *Sess.* 24. *de Reformat. cap.* 4. quod in singulis Parochiis explicationem Doctrinæ Christianæ demandat.

Secundum gravamen desumitur ex alio Episcopi edicto, in quo sub pœna suspensionis a divinis ipso facto, & privationis ab Officio contra Curatos in casu contraventionis, præscribitur delatio Sanctissimi Viatici cum tot luminibus, & cæremoniis tam de die, quam de nocte, ut impossibile videatur earum adimplementum, tam in Civitate, propter aliquem casum inopinatum, quam in Villis, & parvis Oppidis Diœcesis propter Ecclesiarum paupertatem.

Tertium gravamen ortum ducit ab alio edicto, in quo prohibetur accessus ad Monasteria Monialium omnibus Personis cujuscumque status, & conditionis, exceptis Consanguineis primi gradus sub pœna excommunicationis latæ sententiæ ipsi Episcopo reservatæ, pro cujus declaratione statuitur sufficere debere unicum Testem de visu; dicitur enim hoc edictum esse nimis rigorosum, cum dentur Moniales, quæ non habent Consanguineos primi

primi gradus, & cum in nullo judicio fletur dicto unius Teftis.

Quartum gravamen ftat in privatione facultatis audiendi confeffiones, quam una die Epifcopus exequutus eft, quoad Carmelitas, Paulanos, & Auguftinianos Civitatis Sulmonen. ex hoc etenim facto prætenditur, quod cives, & exteri fuerint fcandalizati.

Quintum gravamen ortum habet a recurfu habito ab Epifcopo ad Delegatum Regalis Jurifdictionis pro obfervantia concordiæ a fuo Prædeceffore initæ cum Magiftratu Civitatis, & Procuratoribus Sanctiffimæ Annunciationis fuper deputatione Concionatoris Quadragefimalis, itaut ex hac contentione factum fit, ut in præterita Quadragefima nulla fuerit habita Concio in Civitate Sulmonenfi.

Sextum gravamen emuitur, ex quo Epifcopus femel requifitus pro licentia exponendi Reliquias Sancti Pamphili, prædictam noluit impartiri licentiam.

Septimum gravamen eft, quod utitur horrido carcere, quo ftante, datus eft cafus, quod duo Sacerdotes in eodem detenti gravibus fuerint fubinde affecti infirmitatibus.

Octavum gravamen eft, quod animum habet propenfum erga Seminarium Valvenfe, licet ab Oppido Pentinæ diftans, animumque habet averfum a Seminario Sulmonenfi, non obftante ejus competenti ftructura, cum in eodem faciat paleas affervare.

Nonum gravamen defumitur ex prohibitione, ne in Cathedrali Ecclefia SS. Eucharifticæ Sacramentum affervaretur.

Et decimum denique ftat in omiffione collationis Sacrorum Ordinum, & in omiffione providendi Parochias vacantes, quibus additur, quod occafione obitus duorum Parochorum S. Mariæ de Præraluna concedere recufavit inftitutionem nominatis a Capitulo, ad quod pertinet Jus nominandi, novos fibi bene vifos deputando Cappellanos.

Oppofitis hifce gravaminibus fingillatim a Promotore Fifcali refpondetur, & refponfiones partim defumuntur a relatione Epifcopi Sulmonenfis, & partim a relatione Epifcopi Marforum.

Quoad primum ergo gravamen refpondetur, Epifcopum modo infinuato præfcripffe, quod doceretur Doctrina Chriftiana, ex quo in adventu ad Diœcefim animadvertit, quod Parochi erant inepti ad hoc munus explendum, ita ut methodus infinuata proficiat tam Pueris, ut difcant, quam Parochis, ut inftruantur in modo docendæ Doctrinæ Chriftianæ, fubdendo, folum Capitulum de hac re conqueri, fed tales querimonias non audiri a Parochis, aut a Presbyteris, vel a Populo.

Quoad fecundum refpondetur edictum fuiffe factum, ut Sanctiffimum Sacramentum debitam haberet luminum, & Miniftrorum affociationem, & edictum non extendi ad Diœcefim, fed ad folam Civitatem, & in Civitate fuam habere pacificam executionem.

Quoad tertium, & quartum legitur in relatione Epifcopi Marforum, quod prohibitio allocutionis cum Monialibus tendit ad reprimendam nimiam hac in re Civitatis libertatem, & quod Religiofi privati facultate excipiendi confeffiones erant ad hoc fpirituale munus inepti.

Quoad quintum, fextum, & feptimum, refpondet Epifcopus Sulmonenfis, fe brachium fæculare imploraffe, ut concordia Papali, & Regali auctoritate firmata fuper electione Prædicatoris fuum haberet effectum; fe nunquam prohibuiffe expofitionem Reliquiarum S. Pamphili, fed tantum voluiffe, ut debito modo adimpleretur; fe denique uti carcere a fuo Prædeceffore conftructo, & Sacerdotes in eodem detentos, reos fuiffe criminum, quæ carcerem merebantur, juxta atteftationes Cancellarii, quas exhibet.

Quoad octavum ait Epifcopus, Seminarium Sulmonenfe effe inhabitabile, juxta atteftationem, quam exhibet, & ulterius carere neceffariis reditibus, feque hac de caufa effe propenfum erga Seminarium Valvenfe.

Quoad nonum denique, & decimum, refpondet Epifcopus Marforum, quod in tantum prohibita fuit retentio Sanctiffimi Sacramenti in Ecclefia Cathedrali, in quantum cuftodia non erat totaliter reaptata, & quod hodie Sacramentum cuftoditur in Cappella ejufdem deftinata ab Epifcopo Prædeceffore, & quod omiffio Sacræ Ordinationis, & provifionis Parochialium vacantium, caufam habet a defectu veræ vocationis eorum, qui volunt Sacris Ordinibus initiari, & ex ipforum ignorantia.

Alia plura fuperadduntur ab Informante pro Promotore Fifcali, quibus proinde præfuppofitis, quæritur

I. *An fufpenfio a divinis contra Procuratores Capituli ab Epifcopo inflicta fuftineatur in cafu &c.*

II. *An conftet de caufis gravaminum, itaut locus fit exemptioni, & deputationi Judicis, in caufis Capituli, & Cleri.*

Sacra Congr. die 2. Decembris 1719. refpondit,
Ad primum negative, & ad Mentem. Ad fecundum negative, & amplius.

QUÆSTIO CXXV.

In Caufa Lucana Commutationis voluntatis, die 30. Septembris 1719.

STEPHANUS Leonardus, in ultimo, cum quo decefit, Teftamento, condito de anno 1658. poft relicta nonnulla Legata, arctiffimum inftituit fideicommiffum fuper reliquis fuis bonis, & ad hoc fideicommiffum vocavit Benedictum, & Sebaftianum fuos Confobrinos, ea tamen lege, ut nihil omnino in propriam utilitatem ex fructibus hæreditariis convertere poffent, fed eos multiplicare tenerentur ufquequo ex fructibus foluto alieno ære, folutifque legatis temporaneis, & conftituto fundo capaci pro aliis legatis perpetuis, efformaretur Capitale fructiferum fcutorum 20000. in quo tamen comprehendi noluit bona ftabilia hæreditaria, nec hoc multiplico contentus, idem Teftator voluit, quod fructus capitalis fcutorum 20000. multiplicarentur per annos viginti, & quod hoc fecundum multiplicum æqualiter divideretur inter Patres Sanctæ Mariæ Congregationis Matris Dei, & Sodales Confraternitatis B. Virginis a Succurfu, hifce adjectis oneribus.

Et in eo quidem, quod attinet ad Patres, Teftator eofdem gravavit, primo ad conftituendum fundum annui reditus fcutorum 60. pro ftipendio unius Periti Mufices, qui certis diebus operam fuam præftare teneretur in eorum Ecclefia; fecundo, ad apponendum quolibet anno in die Commemorationis Defunctorum intortitium ceræ albæ accenfum; & tertio, ad conftituendum alium fundum capacem pro celebranda feftivitate Sancti Stephani cum Miffa folemni, nec non pro celebranda alia Miffa die fequenti pro anima fua; & in eo quod fpectat ad Confraternitatem, eidem impofuit onus primo diftribuendi fingulis annis certo modo ftaria 17. frumenti in panes redacti, fecundo, folvendi quotannis fcuta 12. pro apparatu feftivitatis primæ Dominicæ menfis Maii, & pro expofitione Venerabilis, & quoad reliquos fructus fuperextantes eandem Confraternitatem gravavit ad conftituendam Dotem tot Puellis.

Præter multiplica ufque adhuc recenfita, Stephanus Leonardus Teftator multiplicorum amantiffimus ad aliud multiplicum proceffit, voluit enim, quod aliud fieret multiplicum ad annos viginti, ex fructibus dicti primi capitalis, feu multiplici fcutorum 20000. inveftiendis ad commodum fideicommiffi, & deinde ad alios duos annos ad commodum tam Patrum, quam Sodalitatis, ea tamen lege, quod hi fructus duorum annorum dividi nequeant inter Patres, & Sodalitatem, nifi poft lapfum annorum 22. quo medio tempore ftatuit, quod ad utilitatem eorum efformaretur aliud fubmultiplicum, ita ut femper, & in perpetuum ex fructibus primi multiplici fcutorum 20000. conftituantur alia multiplica ad viginti annos favore fideicommiffi, & ad duos annos favore Patrum, & Confraternitatis, quibus proportionabiliter, & ad vires inveftimentorum onera adauxit, fubftituta in cafu non adimplementi, cum iifdem oneribus, Sodalitate Sancti Gregorii.

Moles horum multiplicorum fundata fuit in fructibus affis hæreditarii valoris fcutorum 18000. cujus ejufdem affis bona, utpote fita inter montes, dicuntur tenuiffimi reditus, & licet in eodem affe Domus etiam contineantur, neceffaria nihilominus eft continua reparationis expenfa: Adeoque poft redditam ab hærede Stephani Leonardi rationem fuæ adminiftrationis ab anno 1678. quo adminiftratio incœpit, ad annum 1695. in qua reditione rationis, uti colligitur ex tenore fententiæ, probatum fuit, quod fructus hæreditarii fuerant legitime erogati, & impenfi in adimplendis annuis oneribus hæreditatis, nec non in faciendis neceffariis, & opportunis expenfis pro cultura, & confervatione bonorum, tam Patres S. Mariæ Congregationis Matris Dei, quam Sodales Confraternitatis B. Virginis a Succurfu, operæ pretium effe exiftimarunt, fub obtentu impoffibilitatis exequendi Teftatoris voluntatem habere recurfum ad Sanctiffimum Dominum Noftrum pro facultate recipiendi ab hærede Stephani Leonardi fummam fcutorum 1100.

monetæ

monetæ inter fe æqualiter dividendam, & applicandam pro fuffragio animæ dicti Teftatoris, fublata caducitate appofita in cafu non adimplementi favore Sodalitatis Sancti Gregorii, fueruntque a Sanctitate Sua preces remiffæ ad hanc Sacram Congregationem.

Ad tramites remiffionis, propofita fuit Caufa in Congregatione habita *die* 10. *Julii* 1706. fub dubio fequenti: *An prævia commutatione voluntatis fit locus petitæ transactioni in cafu*, & Sacra Congregatio refpondit, quod ftatus firmaretur.

Putarunt Oratores, fe fatisfeciffe menti Sacræ Congregationis, exhibendo ftatum hæreditarium factum a duobus Sacerdotibus a fe, & non ab Ordinario deputatis, & in hoc rerum ftatu, propofito iterum prædicto dubio in Congregatione habita *die* 21. *Maii* 1707. refcriptum fuit, quod firmaretur ftatus hæreditarius coram Epifcopo, cui fcriberetur pro informatione, & voto.

Datæ fuerunt ad Eminentiffimum Epifcopum litteræ, idemque refpondendo tranfmifit folium ftatus hæreditarii, in quo a duobus Peritis referebatur, quod examinatis, & perpenfis libris rationum a Vicario Generali approbatis, Adminiftrator ab anno 1676. quo tempore Teftator mortuus eft, ufque ad annum 1695. remanferat Creditor hæreditatis in fcut. 40. & obulis 5. & quod ab anno 1695. ufque ad annum 1706. foluto ære alieno fuperextabant fcuta 707. concludendo, precibus Oratorum effe annuendum, & tranfactionem effe confirmandam, & multo magis, fi hæres induci poffet ad augendam fummam oblatam fcutorum 1100. ad fummam fcutorum 1400. aut 1500. ex quo potiffimum multiplica a Teftatore ordinata non erant per lapfum mille annorum ad praxim reducibilia, propofitaque pro tertia vice inftantia in Congregatione habita *die* 28. *Januarii* 1708. nulla fuit capta refolutio, & facta quarta propofitione in Congregatione habita *die* 11. *Februarii* 1708. refcriptum fuit *negative*, hujufque refolutionis fundamentum fuiffe fupponitur, quod non conftito de legitimo inventario primæ aditionis hæreditatis, nec hæreditas præfumi poffet parvi reditus, nec redditio rationis ad tramites juris facta dici valeret; cumque elapfis nonnullis annis, tam Patres, quam Confratres novum habuerint recurfum ad Sanctiffimum Dominum Noftrum pro facultate ineundi tranfactionem, & in Signatura Gratiæ habita *die* 21. *Martii proxime præteriti* coram Sanctitate Sua, fuerint eædem preces remiffæ ad hanc Sacram Congregationem, uti colligitur ex refcripto *eidem Congregationi Concilii pro voto*, novo examini Caufa fupponitur, iterumque difceptatur, an fit, nec ne locus approbationi concordiæ.

Exiftimant autem Oratores, & fperant fe voti compotes effe futuros; de legitima fiquidem bonorum defcriptione facta ab ipfo Teftatore conftare dicunt, nec non de parvo eorundem reditu, itaut ficuti executio voluntatis Teftatoris eft moraliter impoffibilis, ita apertus dici debeat locus pro ejus commutatione; nulla cadente, uti dicunt, dubitatione quoad modicam redituum quantitatem, cum eadem deducatur ex redditione rationis fupra memorata, adminiftrationis ab anno 1677. ad annum 1695. nec non ab alia redditione rationis pariter fupra indicata ab anno 1696. ad annum 1707. & demum ex relationibus Ordinarii.

Hifque ftantibus, quæritur
An prævia commutatione voluntatis fit locus approbationi tranfactionis in cafu &c.

Sacra Congr. die 2. Decembris 1719. refpondit,
In decifis, & amplius.

QUÆSTIO CXXVI.

In Caufa Sicula, die 18. *Novembris* 1719.

PROPTER præteritas, & notas Regni Siciliæ ærumnas, plures contigere cafus, in quibus a Regularibus habita funt Capitula Provincialia nullitatis vitio laborantia; & a nonnullis Religiofis diverforum Ordinum emiffæ fuerunt profeffiones coram Superioribus illegitimis, itaut exhibitis Sacræ particulari Congregationi Immunitatis precibus pro fanatione, & revalidatione omnium prædictorum, fuerit harum precum examen commiffum hujus Sacræ Congregationi, quæ opportuna, prout opus erat, non deftitit fuppeditare remedia.

In Congregatione fiquidem habita *die* 21. *Augufti* 1717. nonnulli Patres Difcalceati Redemptionis Captivorum Beatæ Mariæ Virginis de Mercede Provinciæ Siculæ ingenue admittentes, quod folemnem emiferant profeffionem poft nullitatem Capituli provincialis, quæ tamen ipfis non innotuerat, fupplicarunt pro opportuno remedio, auditaque relatione Archiepifcopi Panormitani, refponfum fuit, quod profeffiones dicto modo emiffæ ratificarentur cum novo Profefforum confenfu in manibus legitimi Superioris deputati, feu deputandi, & cum prærogativa antianitatis a primo die emiffæ profeffionis.

In Congregatione quoque habita *die* 11. *Junii* 1718. cum Pater Provincialis Carmelitarum Difcalceatorum Siciliæ expofuiffet Sacræ Congregationi particulari Immunitatis Ecclefiafticæ, quod ante fuum exilium feptem Clericos admiferat ad habitum fuæ Religionis, cum confuetis formis, & folemnitatibus præfcriptis ab Ordinis Conftitutionibus, quodque Patres Vocales, qui feptem Novitiis dederant approbationes, fuerant admiffi in familiam Conventus Novitiatus ex ordine, & mandato Provincialis intrufi, quodque demum iidem Novitii profeffionem emiferant in manibus illegitimi Superioris, & quod hunc actum nonnulli ex illis expleverant, ut rem gratam faccrent Miniftris Laicæ poteftatis, remiffa hujus inftantiæ cognitione ad hanc Sacram Concilii Congregationem, die, & anno fupra indicatis, refponfum fuit: *Profeffiones effe ratificandas cum novo confenfu Profefforum in manibus Superioris legitimi, & cum difpenfatione quoad alia, quæ in Conftitutionibus præfcribuntur, & quoad antianitatem, ejus initium ex gratia effe defumendum a die primæ profeffionis, licet nullæ, & quoad eos, qui effent ad profeffionem admittendi, eadem Sac. Congregatio refcripfit, quod Superior uteretur jure fuo.*

In poftrema demum Congregatione habita *die* 30. *Septembris hujus ejufdem anni* 1719. cum fuerit expofitum, quod in Provincia Meffanen. Ordinis Minimorum, præteritis annis celebrata fuerant nonnulla illegitima Capitula, necnon electi illegitimi Superiores, qui Novitios ad profeffionem admiferant, refcriptum fuit, quod novus Provincialis eos admitteret ad emiffionem novæ profeffionis, notificata tamen ipfis nullitate primæ profeffionis, & quod nova profeffio quoad antianitatem, cæterafque prærogativas fuum robur habere deberet non ex nunc, fed ex tunc.

Poft edita huc ufque recenfita refcripta, nulla, loquendo de PP. Difcalceatis Redemptionis Captivorum, feu de PP. Minimis, ad Urbem devenit notitia, vel quod Profeffi coram illegitimis Superioribus fuam noluerint ratificare profeffionem, vel quod volentibus illis profeffionem ratificare coram legitimo Superiore, excitata fuerit controverfia, quod novum pro ratificatione Capitulum effet cogendum, quodque Vocales prætenderint nova dare pro admittenda, vel non admittenda ratificatione fuffragia. Id autem, quod non contigit in Patribus Redemptionis Captivorum, nec in Patribus Minimis, contigit in Patribus Carmelitis Difcalceatis. Lecto fiquidem in ipforum Capitulo, fupra recenfito decreto, cum quatuor, qui fuerant admiffi ad profeffionem ex mandato Provincialis intrufi, & eandem emiferant in manibus illegitimi Superioris, fe promptos, & paratos exhibuerint ad eam ratificandam in manibus legitimi Superioris, Pater Prior prætenfionem excitavit, quod in hac ratificatione exquirenda effent fuffragia Vocalium, & iifdem replicantibus, fe poffe libere profeffionem ratificare abfque ulla nova Vocalium approbatione, habitus fuit de hoc diffidio fermo in poftrema Congregatione inter fummaria precum, & refponfum fuit, quod inftantia poneretur in folio.

Pro prætenfione Patris Prioris militare videtur jus commune, & pugnare etiam videntur verba Decreti, & in eo quidem, quod attinet ad jus commune, res expedita effe videtur, fi enim in ratificatione novus requiritur Profefforum confenfus, nova etiam requiri videtur, & effe neceffaria approbatio Vocalium, cum profeffionis vinculum confiftat in mutuo Profitentis, & Religionis confenfu. Simileque judicium ferendum effe videtur de verbis Decreti, in illo quippe fic legitur, uti fupra fuit expofitum: *quo vero ad eos, qui fint ad profeffionem admittendi, eadem Sacra Congregatio refcripfit, quod Superior utatur jure fuo*, & ex horum tenore verborum infertur, neceffariam effe novam approbationem Vocalium in admiffione ratificationis profeffionis, cum in hac re confiftat jus Superioris, quod eft in Decreto refervatum.

Crefcitque difcurfus, quandoquidem in terminis, uti dicitur terminantibus, ratificationis profeffionis, quod novus Capituli confenfus requiratur, ad inftar carnalis Matrimonii, quod fi fuit irritum ob inhabilitatem contrahentium, novum, ut convalefcat, exquirit utriufque Conjugis confenfum, una cum fcientia nullitatis matrimonii, cæteris allegatis late docet *Donat. in praxi rerum Regul. tom.* 2. *tract.* 8. *quæft.* 7. *per totam.*

Magna e contra æquitas affistere illis videtur, qui putant, se esse ad ratificationem professionis admittendos absque novo Vocalium consensu, magnæque ulterius adsunt circumstantiæ, quarum omnium rerum ope contenditur esse locum auctoritati Summi Pontificis, qui novum utcumque necessarium consensum suppleat Vocalium, & Religionis.

Quod autem magna assistat æquitas illis, qui se admittendos dicunt ad professionis ratificationem absque novo Vocalium consensu, patet, quia statim ac novus requiritur consensus, possibilis est casus, quod instantes non admittantur ad ratificationem professionis, in quo rerum themate nemo est, qui non videat, non solum injuriam illis irrogari, sed quod magis est, eosdem ad miserabilem statum induci, cum Sacris fuerint Ordinibus initiati ante Decretum Sacræ Congregationis, eorumque ordinatio non fuerit facta ad titulum Beneficii, vel Patrimonii, sed ad titulum Paupertatis, uti fit in Religiosis professis.

Quod vero magnæ ulterius adsint circumstantiæ, dignoscitur, statim enim ac via aperitur, quod illi, qui in Regno Siculo professionem emiserunt nullitatis vitio laborantem, utpote emissam in manibus illegitimi Superioris, quique ex Decretis hujus Sacræ Congregationis eandem intendunt ratificare, novis teneantur subjici Vocalium suffragiis, intra breve temporis spatium, Siciliæ Regnum repleri poterit Religiosis ad statum Clerici, seu Presbyteri Sæcularis redactis magno cum incommodo familiarium, & cum Ordinis Clericalis dedecore, ex quo potissimum Ordines fuerunt ab illis suscepti ad titulum paupertatis, uti supra dictum fuit.

Quod denique hisce concurrentibus, locus esse videatur auctoritati Summi Pontificis, qui novum utcumque necessarium consensum suppleat Vocalium, & Religionis, ponitur in claris; Papa etenim est omnium Ordinum Regularium Pater, & Dominus, itaut absque ulla difficultate, Vocalium, & Religionis consensum, magna, & justa concurrente causa, supplere possit, nec ulla videtur esse causa major, & aptior, ad rem, de qua agitur, ea, quæ mox fuit exposita, quæque respicit tum privatum, tum publicum bonum, uti ad rem docet *Donat. loco citato tomo 2. tract. 8. quæst. 7. num. 14.* ibi: *Bene verum, ut notat Navarrus, quod sicut Dominus Papa etiam contra Concilium potest tollere Novitiatum, ita & consensum Capituli, ipse enim cum sit Caput Ecclesiæ Militantis, & Generalissimus omnium Religionum, pro communi bono, pace, & tranquillitate Religiosorum, solus potest recipere, vel alteri committere, quod intelligitur fecisse, & facere, quoties commiserit huic, vel illi, & præcipue Religionum Præfectis, ut hoc, & illo modo recipiant, absque eo quod ballottetur, & sine alio requisito suffragio, princeps etenim nemini facit injuriam, & utitur jure suo.*

Absque eo quod obstare dici possint verba Decreti Sac. Congregationis, cum verba illa, *& quoad eos, qui sint ad professionem admittendi, Superior utatur jure suo*, non respiciant eos, qui professionem ratificare debebant, sed alios, qui in Novitiatu forte existebant, & erant ad professionem admittendi; quinimmo, cum in citato Decreto hæc alia verba legantur: *pro ratificatione professionis, cum novo Professorum consensu in manibus Superioris legitimi, & cum dispensatione quoad alia, quæ in Constitutionibus præscribuntur*, & in Constitutionibus præscribatur, quod quilibet Novitius tres debeat reportare approbationes a Patribus Vocalibus illius Conventus, in quo Novitiatus expletur, alteram quarto, alteram octavo, alteram decimo mense, post quas approbationes sequitur licentia Provincialis, ut Novitius admitti possit ad professionem: dispensatio, quæ in Decreto conceditur ab his, quæ sunt in Constitutionibus præscripta, novum etiam in ratificationibus Vocalium consensum excludere videntur.

His stantibus, quæritur

I. An in ratificatione professionis novus requiratur Vocalium consensus in casu, & quatenus affirmative.

II. An sit consulendum Sanctissimo, ut dictorum Vocalium consensum suppleat in casu &c.

Sacra Congr. respondit,

Ad Primum affirmative in casu, de quo agitur, & amplius. Ad Secundum affirmative, & amplius.

Adversus hæc petita fuit a Procuratore Generali Ordinis Carmelitarum Discalceatorum nova audientia, sub obtentu potissimum, quod juxta Constitutiones Ordinis, non potest ullus Novitius, licet a Capitulo approbatus, ad professionem admitti sine licentia Provincialis, qui eam hic, & nunc dare non intendit ex causis in Scriptura deducendis, & quod repugnante rationabiliter Superiore Religionis, congruum esse non videtur, quod Summus Pontifex ejus suppleat consensum, uti docet *Less. de Justit. & jur. lib. 2. cap. 41. dub. 7. num. 67. Pellizzar. in Manual. Regul. tom. 1. tract. 3. cap. 5. sect. 2. num. 59.* Cumque dicto Patri Procuratori Generali fuerit ab Eminentissimo Præfecto concessa nova audientia, in præsenti iterum disputanda proponuntur sequentia dubia.

I. An in ratificatione professionis novus requiratur Vocalium, & Provincialis consensus in casu, & quatenus affirmative.

II. An sit consulendum Sanctissimo, ut dictorum Vocalium, & Provincialis consensum suppleat in casu &c.

Sacr. Congr. die 16. Decembris 1719. respondit,

Ad Primum affirmative. Ad Secundum pariter affirmative, & quoad Fratrem Joannem Dominicum dilata, & scribatur Ordinario pro informatione.

QUÆSTIO CXXVII.

In Causa Justinopolitana Missarum, die 18. Novembris 1719.

BARNABAS Bruti Justinopolitanus anno 1633. devenit ad stipulationem publici Instrumenti cum Patribus Observantiæ S. Francisci, degentibus in Monasterio Civitatis Justinopolitanæ, & in dicto instrumento conventum fuit, quod Patres in perpetuum tenerentur celebrare Missam quotidianam in Ecclesia Sæculari S. Dionysii, juxta mentem, & obligationes Barnabæ, & quod ipse, ejusque successores tenerentur Patribus contribuere ducatos 40. Monetæ Venetæ, & Instrumentum suam habuit executionem usque ad annum 1709. quia Patres Missam celebrarunt, & illi de Brutis punctualiter eleemosynam persolverunt.

Anno 1709. renuentibus Patribus prosecutionem celebrationis Missarum, & e contra contendentibus Brutis eosdem teneri ad continuationem celebrationis, & se esse promptos, & paratos ad persolvendam supra expressam eleemosynam, controversia exorta est, de qua in præsenti est agendum.

Et quia difficultas consistere posse videtur in arctissima Fratrum paupertate, quæ concurrente, illis permissum esse non potuit devenire ad stipulationem contractus, in quo, uti dictum fuit, se obligarunt ad celebrationem Missarum, recepta summa ducatorum 40. cum in fortioribus Fratres Minores, tam de Familia, quam Reformati sint incapaces annuorum Legatorum, quæ fiunt adjecto onere Missarum, nec possint pro illis in judicio experiri, vel Judicis officium implorare, & solum valeant eam recipere per modum eleemosynæ a sponte offerentibus, Missas celebrando ad rationem rei acceptæ, & citra ullam obligationem ad onus perpetuum, & dummodo prius protestentur se illorum capaces non esse, juxta Congregationis particularis Decreta edita tempore Urbani Octavi, & impressa *apud Fagnan. in Cap. nimis prava num. 49. & num. 53. de excessibus Prælat.*

Cum quibus concordat resolutio hujus Sacræ Congregationis *in Brundusina Adimplementi 26. Augusti 1719.* in qua iterum dictum fuit, dictos Fratres non esse capaces Legati relicti cum onere celebrationis Missarum.

Hinc est, quod Bruti contendunt, hæc, & similia non obstare in casu, & ad effectum, de quo agitur. Primo; quia contractum explicando ad tramites juris, prætenditur, ex eodem nihil aliud colligi posse, quam quod persolventibus ipsis eleemosynam, Patres celebrent, sicuti in præteritum celebrarunt Missas a Barnaba Bruti relictas, in quo rerum statu nihil est, quod obstet Fratrum paupertati, juxta *decis. 1219. num. 8. & decis. 1326. num. pariter 8. coram Emerix juniore.*

Secundo, quia decreta in superioribus relata obligant tantum Familiam Cisinontanam, & sic per consequens non comprehendunt Conventum S. Annæ, qui est sub Provincia Dalmatina, quique plura possidet, & habet bona, jura, & actiones.

His stantibus, quæritur

An Fratres Minores de Observantia Conventus S. Annæ Justinopolis teneantur celebrare Missam in Ecclesia S. Dionysii ad formam instrumenti initi anno 1633. in casu &c.

Sacr. Congr. respondit,

Negative, & amplius, & ad Mentem.

QUÆ-

QUÆSTIO CXXVIII.

In Causa Parmensi Translationis Parochiæ, die 2. Decembris 1719.

ANTIQUUM Castrum Arcis Ferrariæ Parmen. Diœcesis divisum modo reperitur in duas Villas, quarum altera, utpote sita in cacumine Montis, dicitur *Villa di sopra*; altera utpote sita in planitie, appellatur *Villa di sotto*.

Homines utriusque Villæ sub una, & eadem degunt Parochia, & cum vetus Parochialis Ecclesia S. Mariæ Magdalenæ dicata, sita esset in summitate Montis, & in planitie situm esset Oratorium S. Francisco dicatum, Parmensis Episcopus *die 30. Julii 1718.* deputavit, assignavit, & constituit in Ecclesiam, & pro Ecclesia Parochiali, tam pro hominibus Rocchæ Ferrariæ superioris, quam pro hominibus Rocchæ Ferrariæ inferioris Oratorium prædictum, imposito eidem titulo S. Mariæ Magdalenæ, & veterem Parochialem Ecclesiam haberi voluit, & mandavit tanquam simplex Oratorium juris ipsius Parochiæ, ex causis mox referendis.

Habito per homines Villæ superioris recursu ad hanc Sacram Congregationem, iisdemque exorantibus pro aliquo temperamento usquequo principalis Causa proponi posset, rescriptum fuit *die 4. Martii 1719.* ad mentem, & mens fuit, quod Deputati Arcis Ferrariæ superioris Romæ existentes, una cum suo Procuratore accederent ad Episcopum Parmensem Romæ commorantem, & quatenus res non componeretur, quod Episcopus nomine Sacræ Congregationis per modum provisionis deputaret Sacerdotem, qui eodem nomine exerceret jura Parochialia in antiqua Ecclesia, expensis hominum Castri Arcis Ferrariæ superioris, præstita ab iisdem fidejussione de reficiendis Parocho omnibus damnis quoad ipsius incerta emolumenta usque ad exitum Causæ, & quod Causa poneretur in folio in prima Junii.

Res amicabiliter, uti sperabatur, componi non potuit; cumque instantibus hominibus Castri Arcis Ferrariæ superioris de negotio principali agendum sit, reliquum est, ut principaliora rationum momenta referantur, quæ pro utraque parte afferuntur.

Parmensis Episcopus in sua informatione ad hanc Sacram Congregationem transmissa, causas aperit, quæ ipsum impulerunt ad translationem, eædemque consistunt, primo in qualitate veteris Ecclesiæ positæ in vertice scopuli, & nimis arctæ sine Sacristia, & Sepulchris, & cum Cœmeterio ab ipsa dissito, & cum unico Altari.

Secundo in qualitate novæ Ecclesiæ, quæ est in planitie posita, & in omnibus suis partibus perfecta, quæque habet duo Altaria, & Sacristiam, & tria Sepulchra, & Cœmeterium annexum, & circa quam mensuales processiones debito ordine duci possunt.

Tertio, in majori commoditate Parochianorum, ex quo major pars Domorum, & Animarum minus distat a nova, quam a veteri Ecclesia.

Quarto denique, in augmento scutorum decem annuorum facto favore Parochi, cujus reditus non excedunt annua Romana scuta viginti, ab hominibus Arcis Ferrariæ inferioris, necnon in Beneficio in nova Ecclesia existente, quod est dotatum in scutis Romanis 440., quodque defectis vocatis ad juspatronatus, novæ unietur Ecclesiæ, dummodo jus Parochiale in eadem conservetur.

Homines e contra Arcis Ferrariæ superioris præmittunt dispositionem Sacri Concilii Tridentini *sess. 21. cap. 7. de Reform.* ubi non absolute, & simpliciter datur Episcopis facultas transferendi Parochiales Ecclesias, sed subsequentibus conditionibus, hoc est, quod si reparatione, & refectione indigeant, refectionem, & restaurationem procurent ex fructibus, & proventibus ad easdem quomodocumque pertinentibus, qui si non fuerint sufficientes, Patronos cogant, & alios, qui fructus percipiunt ex dictis Ecclesiis, & in illorum defectum Parochianos adigant ad contribuendum, quacumque appellatione, & contradictione remota, & si Parochiales Ecclesiæ nimia egestate laboraverint, Concilium in hac hypothesi mandat, quod transferantur ad Matrices, seu viciniores Ecclesias.

Procedendo cum hoc systemate, contendunt dicti homines non potuisse Episcopum Parmensem transferre jus Parochiæ ab Ecclesia S. Mariæ Magdalenæ ad alteram S. Francisci, & primam Ecclesiam, quæ ab antiquissimo tempore Parochialis erat, spoliare jure Parochiæ; multoque magis cum antiquioris Ecclesiæ incommoditas fuerit ante translationem, opera, & impensa ipsorum Hominum Arcis Ferrariæ superioris de medio sublata; ex Testibus etenim, qui in ipsorum antiquo Summario fuerunt exhibiti, desumi prætenditur constructum fuisse novum Chorum, factam fuisse fabricam pro sepulturis, necnon viam commodam pro ducendis processionibus, & Ecclesiam esse omnium Parochianorum receptioni maximopere accommodam; cumque iidem Homines, non obstante quod juxta documenta ipsorum nomine producta, annuus fructus certus Parochiæ sit in scutis 37. se offerant promptos, & paratos, quatenus id necessarium ab hac Sacra Congregatione reputetur, ad augenda favore Parochi annua scuta 10. currentis monetæ Parmensis.

His stantibus, quæritur

An translatio Parochialis sustineatur, sive potius sit revocanda, in casu &c.

Sacra Congr. respondit,

Ad Primam Dubii partem negative. Ad Secundam affirmative, & amplius, & curet Episcopus, ut executioni mandetur oblatio augumenti scutorum 10. annuorum facta ab hominibus Villæ superioris.

QUÆSTIO CXXIX.

In Causa Januensi Nullitatis Professionis, die 2. Decembris 1719.

PATER Jacobus Stephanus Guascus instat pro restitutione in integrum adversus professionem a se emissam inter Fratres Ordinis Servorum Beatæ Mariæ Virginis in Civitate Januensi *die 20. Martii 1700.* ex sequentibus fundamentis.

Primum est, quod fuit admissum ad habitum Novitiatus, cum esset in ætate annorum 22. absque prævia approbatione in Generali, seu Provinciali Capitulo, & sine ulla præcedenti informatione, & inquisitione circa suos parentes, patriam, mores, & alia, quæ ad præscriptum Constitutionum Ordinis confirmatarum a Summo Pontifice Urbano Octavo fieri debebant, uti desumitur ex sequentibus verbis Constitutionum: *Non recipiantur majores sexdecim annis, nisi in Capitulo Generali, aut Provinciali, juxta Constitutionem felicis record. Sixti Papæ Quinti, qui tamen decimum octavum non excedant, recipi poterunt etiam in visitatione ex Indulto Sanctissimi D. Nostri Papæ Urbani Octavi, & qui sexdecim excesserint poni possint in secundo Novitiatu, si id expedire videbitur, etiamsi professionem non emiserint, profiteri tamen debent anno probationis completo.* Quæ verba Constitutionum referuntur in Bulla Urbani Octavi edita *die 23. Februarii anno 1639.* & munita decreto irritante, & impressa ante Constitutiones Ordinis.

Secundum est, quod fuit receptus ad habitum in Conventu, qui non fuerat specialiter ad hoc a Sede Apostolica designatus, nec cæteris adimpletis, quæ præscripta leguntur in Decreto san. mem. Clementis Octavi, edito *die 19. Maii 1602.* & munito pariter Decreto irritante: *decrevit, ac præsentis decreti virtute mandavit, ne in Conventibus, seu Monasteriis ad Novitios recipiendos de Sanctitatis Suæ, seu dictæ Congregationis Reformationis licentia hactenus designatis, & approbatis, seu in posterum assignandis, & approbandis, Novitii ad habitum recipi ullatenus possint, vel admitti, nisi prius ab ipsa Congregatione, vel a propriis locorum Ordinariis, aut ab illis, in quorum Diœcesi Novitiatus existunt, in quibus Novitii recipiendi fuerint, expresse, & nominatim Novitii ipsi recipiendi approbati fuerint, & ut recipi, & admitti possint, licentiam in scriptis &c. obtinuerint &c.*

Tertium est, quod in Conventu, in quo fuit a Patre Jacobo Stephano emissa professio, nullatenus observabatur vita communis, quod adversari dicitur validitati professionis ab eodem in dicto Conventu emissæ, juxta *Constit. 95. relatam in parvo Bullario san. mem. Innocentii XII.*

Quartum tandem, & ultimum est, quod quando Orator professionem emisit, non habuit intentionem profitendi, & se obligandi, uti desumi dicitur ex Testibus de ejus intentione ex ejus dictis, & factis deponentibus, itaut si professio emissa fuit sine animo profitendi, de ejus invaliditate non videatur ulla superesse dubitatio.

Absque eo quod ex subsequenti permanentia in Religione inferri valeat ad tacitam ratificationem, seu ad novam tacitam professionem, quia ex continuis reclamationibus quæcumque ratificatio remanere asseritur exclusa.

Hæc

Hæc sunt præcipua, quæ continentur in informatione. Adeoque quæritur

An sit locus restitutioni in integrum, in casu &c.

Sacra Congregatio respondit,

Dilata, & audiatur Procurator Generalis Ordinis, & scribatur Eminentissimo Archiepiscopo Januen. pro informatione, an Conventus, de quo in præsenti, esset tempore professionis emissæ ab Oratore destinatus pro Novitiatu.

QUÆSTIO CXXX.

In Causa Lucana Præposituræ, die 2. Decembris 1719.

SACERDOS Andreas Valentinus præsentationem a Patronis, ad quos pertinet jus præsentandi, obtinuit ad Præpositurarn Petræ Sanctæ, quæ est Oppidum in temporalibus subjectum Magno Duci Hetruriæ, & in spiritualibus Episcopo Lucano; cumque se examini exhibuisset, fuit ab Examinatoribus rejectus tanquam inhabilis.

Supplicavit Valentinus Episcopo Lucano, ut se ad novum examen admitteret; dixit enim se in primo examine fuisse inopino timore perculsum, & sic se apte respondere nesciviſse, & sub obtentu, quod ab Episcopo sibi fuisset denegata admissio ad novum examen, appellationem interposuit ad Tribunal Nuntiaturæ Florentinæ, quæ in Causa procedendo novos deputavit Examinatores, qui Valentinum idoneum, & aptum esse censuerunt, & sententiam tandem protulit, in qua eum declaravit idoneum, & capacem, & mandavit Episcopo Lucano, sive ejus Vicario Generali, & in subsidium Vicario Foraneo, ut Appellantem in Præpositura Petræ Sanctæ institueret.

In executionem hujus sententiæ, Valentinus instetit coram Vicario Generali Lucano pro institutione, sed allegante Promotore Fiscali Curiæ Episcopalis recursum ab Episcopo factum ad Sanctissimum super hac Causa, ejusque remissionem ad hanc Sacram Congregationem, non fuit institutio concessa, & in præsenti de viribus sententiæ Nuntiaturæ Florentinæ disputari contingit ad tramites dubii infra referendi.

Putat autem Promotor Fiscalis Curiæ Episcopalis Lucanæ, sententiam Nuntiaturæ Florentinæ plurimis nullitatibus laborare.

Prima est, quia Nuntius non habet jurisdictionem in Diœcesi Lucana, in qua Oppidum nuncupatum Petra Sancta situm est, & licet illud pertineat ad Dominium temporale Magni Ducis Hetruriæ, cum tamen antiquitus fuerit sub Ditione Reipublicæ Lucanæ, contenditur illud semper remansisse sub jure spirituali Episcopi Lucani, & sic semper fuisse exemptum a jurisdictione Nuntiaturæ Florentinæ, cum a Dominio, & jurisdictione temporali non valeat illatio ad dominium, & jurisdictionem spiritualem.

Secunda est, quia Nuntius Florentinus non habet jurisdictionem in Causis Beneficialibus, qualis dicitur ea, de qua nunc agitur, & multo magis, cum in sententia non solum fuerit dictum, quod Sacerdos de Valentinis erat habilis ad Curam Animarum, sed ulterius in eadem fuit Episcopo Lucano demandatum, ut illi in Præpositura concederet institutionem.

Tertia est, quia Nuntiatura processit per viam appellationis, adeoque indigebat actorum transportatione, quæ tamen facta non asseritur, subdendo, quod si transportatio facta fuisset, imperceptibile esset, quod Nuntiatura appellationem acceptasset, cum Valentinus appellaverit a non admissione ad novum examen, quando Episcopus non recusarit eum ad novum examen admittere, sed tali quali modo dixit, se esse eum admissurum, statim ac a visitatione rediisset, uti desumitur ex attestatione Cancellarii.

Quarta tandem est, quia sententia prolata fuit contra Promotorem Fiscalem Curiæ Lucanæ, absque eo quod fuerit ipse citatus; nec enim satis esse dicitur citatio per affixionem ad valvas, cum hæc sibi vindicet locum, quando non datur tutus accessus.

Excipit e contra Sacerdos Andreas Valentinus, quod sententia ad sui favorem prolata a Nuntiatura Florentina, nedum est justa, utpote innixa Relationi Examinatorum, aliisque documentis suam idoneitatem, & probitatem demonstrantibus, sed quod ulterius est valida, ex quo allegatæ a Promotore Fiscali nullitates non subsistunt.

Et in eo quidem, quod attinet ad defectum Jurisdictionis, vel quia Oppidum Petræ Sanctæ est in spiritualibus subjectum Episcopo Lucano, vel quia Nuntius Florentinus non habet jurisdictionem in Causis Beneficialibus, respondetur a Sacerdote Valentino, Nuntium Florentinum suam inconcusse exercere jurisdictionem in tota ditione subdita in temporalibus Magno Duci Hetruriæ, & sic etiam per consequens in Oppido Petræ Sanctæ, quod est eidem Magno Duci in temporalibus subjectum, allatis exemplis usum hujusce jurisdictionis in dicto Oppido comprobantibus; absque eo quod defectus jurisdictionis desumi valeat ex qualitate Causæ Beneficialis; quæstio etenim erat super idoneitate, & habilitate Præsentati, & super ejus approbatione, vel reprobatione; cumque non esset super titulo beneficii, Causa idcirco beneficialis dici non poterat.

In eoque, quod spectat ad assumptum, vel quod admissio ad novum examen non fuerit ab Episcopo rejecta, sed tantum dilata ad tempus sui reditus a Sacra Visitatione, vel quod debitis modis, & formis non fuerit Promotor Fiscalis Curiæ Lucanæ citatus, subdit sæpe memoratus Valentinus, non admissionem ad novum examen satis desumi ex verbis ab Episcopo prolatis, occasione qua pro novo examine eidem supplicavit, juxta ea, quæ referuntur a Testibus in Sum. *num.* 3. *&* *num.* 20. & citationes fuisse factas juxta stylum Tribunalis, quod procedit per affixionem cedulæ ad valvas vicinioris Ecclesiæ positæ intra fines ditionis Magni Ducis Hetruriæ, quando agitur adversus Curias Episcopales, quæ sunt extra ditionem Florentinam, licet in ea habeant aliquam Diœcesis partem, uti testatur Cancellarius in sum. *num.* 19. præterquamquod una citatio fuit personaliter executa contra Cancellarium Vicarii Foranei Petræ Sanctæ, uti in Sum. *num.* 8.

His stantibus, quæritur

An judicatum, & sententia Reverendiss. Nuntiaturæ Florentinæ favore Sacerdotis Andreæ de Valentinis sustineatur in casu &c.

Sacr. Congr. die 16. Decembris 1719. respondit,

Negative, ex defectu tamen citationis, & transportationis Actorum, & Valentinus accedat ad Urbem ad se subjiciendum novo examini.

QUÆSTIO CXXXI.

In Causa Syracusana Erectionis Collegiatæ, die 2. Decembris 1719.

PETENTE Magistratu, Clero, aliisque Civitatis Ragusæ Comitatus Motycensis Syracusanæ Diœcesis, quod Parochialis, & Matrix Ecclesia S. Georgii in ampliorem Collegiatæ insignis statum immutaretur, post editum ab Eminentiss. Barberino luculentum de more suffragium, fuit instantia proposita, & examinata in Congregatione habita *die* 5. *Septembris* 1716. & rescriptum fuit *Quod Oratores supplicarent post reædificatam Ecclesiam, & restitutum ejusdem decorem*, & motivum sic rescribendi desumptum fuit ex ipsamet Oratorum supplicatione, in qua hæc verba habebantur, *Ecclesia S. Georgii occasione deplorabilis terræmotus anni* 1693. *vetere amisso splendore pene diruta, & eversa remansit, subinde vero in situ illi contermino per Procuratores, & Œconomos tunc existentes, & prout istius exiguæ vires suaserunt, iterum reædificata, seu potius ad tempus (donec illam ad pristinum splendorem, quoad totum ædificium, & Altaria, pro dicti Oppidi dignitate revocari contingat) reaptata fuerit.*

Ut mandatis Sacr. Congregationis Oratores morem gererent, nonnullas Peritorum, & aliorum Testium attestationes exhibuerunt, in quibus dicebatur Ecclesiam ut supra reædificatam, esse pro Collegiata sufficientem; adeoque reproposita Causa in Congregatione habita *die* 13. *Novembris* 1717. & rursus in Congregatione habita *die* 27. *Novembris ejusdem anni*, cum in prima dictarum Congregationum nulla fuerit capta resolutio, responsum fuit in secunda, quod darentur litteræ Episcopo pro informatione juxta instructionem, & instructio fuit, ut Episcopus distincte, & plene referret circa statum materialem Ecclesiæ post terræmotum reædificatæ, & an Ædificium stabile esset, & duraturum, & capacis, decentisque structuræ.

Datæ fuerunt litteræ ad Episcopum Syracusanum, sed eodem licet pluries exorato, ut informaret, recusante informationem transmittere, novus ab Oratoribus habitus est ad Sac. Congregationem recursus, ut litteras dare dignaretur Metropolitano; cumque *die* 29. *Januarii* 1718. rescriptum fuerit *ad mentem*, quæ fuit, ut Ego Secretarius Episcopum Mazariensem alloquerer tunc in Urbe commorantem, & quod in hypothesi, in qua etiam ipse non informaret, Archiepiscopo scriberem Messanensi, mandatis obedientiam præstiti, dictoque Antistite Mazariensi se excusante propter magnam distantiam inter Diœceses Mazariensem, & Syracusanam, ut ex ejus epistola ad me scripta, & in Secretaria existente colligitur, iterum de hac re sermonem feci in Sac. Congregatione, quæ *die* 2. *Julii* 1718. respondit, quod scriberetur Archiepiscopo Messanensi pro informatione, & voto.

Archiepiscopi Messanensis responsio supervenit, scripta *die* 7. *Julii* 1719. in qua, post enarratam dejectionem Parochialis, & Matricis Ecclesiæ S. Georgii ex causa Terræmotus, hæc habet: *De Ecclesia noviter ædificata pro Divinis tamen officiis rite obeundis in eo loci ædes ædificata est ad lævam veteri ejusdem muro adhærens, quæ ex parte non infirmior est, aut brevi cassura, sed fortassis validior, perpetuoque duratura videtur. Reliqui tres parietes solidi etiam sunt, nec veluti tumultuario excitati. Tota structura non adeo contemnenda est, quin peragi in ea possint Sacræ Cæremoniæ cum debita decentia, quæ Canonicorum Collegio conveniret. Adeo capax est, ut septem Altaria in ea existant, & Chorus subsellia multa habeat, in quo Presbyteri, & Clerici plures divinas quotidie laudes persolvunt a Populo sejuncti. Pavimentum lapide subornatum, tectumque more patrio coopertum, omnis vero ornatus temporum calamitate nihil amisit. Ideo censeo Canonicorum Collegio posse decorari.*

Hæc sunt, quæ continentur in Epistola Archiepiscopi Messanensis, quocirca quæritur.

An, & quomodo Oratorum precibus sit indulgendum in casu.

Sacra Congr. die 24. Februarii 1720. respondit

Pro erectione Collegiatæ juxta numerum petitum Canonicorum, & Dignitatum, & cum concessione usus Rocchetti, & Mozzettæ expedien. per Datariam, & in reliquis juxta Votum Eminentissimi Barberini, & quoad facultatem condendi Statuta addatur clausula, quatenus Juri Canonico, & Sac. Concilio Trid. non adversentur, & ad Mentem.

QUÆSTIO CXXXII.

In Causa Reatina Legati, die 2. Decembris 1719.

IN ultimo, cum quo decessit, testamento, Canonicus Vincentius Clavellonius legavit Capitulo Cathedralis Ecclesiæ Reatinæ quandam domum, & nonnulla loca montium, quorum fructus circiter ascendunt ad annua scuta 200. pro perficiendis nonnullis sacris ornamentis, & pro comparandis Ecclesiæ supellectilibus, & specialiter opera enumerando demandavit, quod Cappella S. Mariæ de Populo marmoreis incrustaretur lapidibus, ostiolo ex auricalcho conficiendo muniretur, & ejus tholus plumbeo tecto cooperiretur, & quod tres statuæ argenteæ, & nonnulla candelabra construerentur, quibus, aliisque similibus operibus adimpletis, idem Testator jussit, quod quolibet anno præstaretur eleemosyna scutorum 50. pro subsidio dotali unius Puellæ pauperis, quæ proximam haberet occasionem monachationis, & Puellæ electionem arbitrio Capituli remisit.

Post obitum Testatoris datum fuit initium operibus ab eodem præscriptis, sed eorum complemento nullatenus expectato, Capitulares anno 1692. devenerunt ad electionem Puellæ, & illi dotem persolverunt, quod ipsum etiam præstiterunt aliis quinque subsequentibus annis licet interpolatis; cumque sic continuaverint usque ad annum 1704. ab ulteriori subinde Puellarum electione abstinuerunt, & incepta opera a Testatore demandata continuando, eadem absolverunt anno 1718.

Anno itaque 1718. cum nonnullæ Puellæ Capitulo supplicassent pro subministratione memoratæ eleemosynæ scutorum 50. a Canonico Vincentio Clavellonio pro monachatione, uti diximus, unius Puellæ paupertate laborantis relictæ, recursum habuerunt Canonici ad hanc Sacram Congregationem, instando pro facultate suspendendi ad sexennium distributionem dotis, ex quo per anticipationem, & tempore, quo solvere non tenebantur, dictam eleemosynam persolverunt juxta ea, quæ in superioribus fuerunt exposita, & remisso juxta morem supplici libello ad Episcopum pro informatione, & voto, fuit ipse in sensu, quod non esset annuendum petitis, sed quod Canonici tenerentur in adimplementum ultimæ voluntatis Canonici de Clavellonibus annuam distribuere eleemosynam scutorum 50. pro Puella monachanda.

Tum quia Testator expresse voluit, quod, completis operibus piis, fieret in perpetuum, & quolibet anno dotis distributio.

Tum quia anticipata solutio, seu dotium distributio non potuit Capitulum liberare, cum non fuerit facta vero Creditori, nec habenti jus eam petendi.

Contendit e contra Capitulum, se per sexennium non teneri ad dotis solutionem, quandoquidem distributio facta fuit per anticipationem, durumque sibi videtur, quod si obligatus ad præstandum aliquod factum remanet liberatus, statim ac docetur de adimplemento, ita ut ad nihil aliud teneatur, hoc ipsum dicendum non fit in hypothesi præsenti, in qua præventive fuit satisfactum voluntati Testatoris.

Quoad hæredem, sive Executorem Testamentarium, qui ex præcepto Testatoris tenetur distribuere Dotes Puellis incertis, quæstio est inter Doctores, an possint illi tempus prævenire a Testatore distributioni præfixum; nonnulli etenim negative respondent, tum propter præjudicium virginum tali tempore eligendarum, tum quia non servatur ad unguem Testatoris voluntas, uti late docet *Simon. de Petris de interpret. ultimar. volunt. lib.* 5. *dubit.* 2. *num.* 75. *pag. mihi* 483. & e contra nonnulli affirmative respondent, tum quia in legato relicto virginibus incertis non est excogitabilis ulla particularis affectio Testatoris; tum quia ejus Animæ magis expedit, ut Legatum pium citius adimpleatur, quemadmodum late firmant *Cardin. Mantica de conject. ultim. volunt. lib.* 8. *tit.* 5. *num.* 20. *Gonzal. ad Regul. Cancell. gloss.* 2. *a num.* 47. *ad num.* 53. *Gratian. discept.* 73. *num.* 1. & alii e contra distinguunt inter dilationem a Testatore concessam favore hæredis, ut interim fructibus frui possit, & inter dilationem ex alia causa concessam, concludendo, quod in primo casu hæres potest suo favori renuntiare, & sic anticipate solvere, sed quod id facere non potest in secundo, in quo non agitur de renuntiando dilationi ad sui favorem appositæ, uti colligitur ex doctrinis mox allegatis.

Procedendo cum hoc sistemate, inquit Episcopus, non potuisse Capitulum præventive facere distributiones dotium, ex quo dilatio non fuit a Testatore demandata, ut ipsum interim frui posset commoditate fructuum, cum fuerit apposita pro forma, & in favorem Causæ piæ, ut scilicet prius absolverentur opera ab eodem Testatore prædilecta.

Excipit e contra Capitulum dilationem fuisse a Testatore concessam in sui favorem, cum ille intantum disturlerit subsidia dotalia pro Pauperibus Puellis monachandis, in quantum voluit, quod prius consuleretur decori suæ Ecclesiæ, suique Capituli, faciendo videlicet statuas argenteas pro decentiori custodia Sacrarum Reliquiarum, exornando Cappellam Sanctissimæ Virginis de Populo, & cætera perficiendo pertinentia ad usum sacrarum supellectilium.

His stantibus, quæritur

An sit concedenda Capitulo Cathedralis Ecclesiæ Reatis per sexennium suspensio legati pro subsidio dotali relicto pauperibus Puellis a Canonico Clavellonio, in casu &c.

Sacr. Congr. respondit,

Negative, & amplius.

QUÆSTIO CXXXIII.

In Causa Cavensi, seu Massæ Lubrensis, die 16. Decembris 1719.

AUGUSTINUS de Urso sacris cupiebat Ordinibus initiari, cumque exorta fuerit controversia inter Episcopos Caven. & Massæ Lubren. contendente unoquoque eorum, ad se dictam ordinationem pertinere, habitus fuit ab Augustino recursus ad hanc Sacram Congregationem, quæ, juxta morem, jussit, ut audiretur uterque Ordinarius.

Episcopus itaque Massæ Lubren. dicit se primam tonsuram, & minores ordines annis præteritis Augustino contulisse, ex quo credidit, & credit, pro se pugnare dispositionem famigeratæ Bullæ *Speculatores*; primo, quia Matthæus Avus erat Civis Massæ Lubren. & ad Civitatem Cavensem se contulit, ut certo determinato incumberet negotio, cumque Dominicus Matthæi filius, & Pater Augustini Oratoris in eadem Civitate natus sit, de

de nativitate accidentali in dicta Civitate non videtur esse dubitandum, & concurrente nativitate accidentali, nullum in Civitate Cavensi contractum dici potuit domicilium.

Secundo, quia Dominicus Pater habet in Civitate Massæ Lubren. domum apertam, bona stabilia possidet, & in eadem obtinet nonnulla jura patronatus quarumdam Cappellarum; non omisso, quod in prædicta Civitate habitat cum sua familia post decem, & amplius annos cum animo deliberato ab ea non recedendi.

Tertio, quia ex eodem Dominico natus est alter filius nomine Matthæus, qui fuit absque ulla contradictione, annis præceritis ab ipso Antistite Massæ Lubren. ad Sacerdotium promotus.

Absque eo quod quidquam referat, quod Augustinus Orator natus est in Civitate Cavensi, in qua etiam per aliquod temporis spatium habitavit, quasi quod hinc inferatur, vel Ordinationem pertinere ad Episcopum Cavensem, vel eam saltem expleri non posse ab Episcopo Massæ Lubren. nisi post habitas litteras testimoniales ab ipso Episcopo Cavensi; dicitur etenim, quod Augustinus per accidens in memorata Civitate natus est, & quod in eadem habitavit, dum erat infans, & dum non habebat ætatem, in qua canonicum posset contrahere impedimentum, quæ omnia subdit Episcopus Massæ Lubren. constare ex dicto sex Testium, qui fuerunt in sua Curia formiter examinati, tunc cum contulit Augustino primam tonsuram.

Hæc sunt, quæ continentur in informatione Episcopi Massæ Lubren. Nunc transeundo ad informationem Episcopi Caven. refert hic, Matthæum e Civitate Neapolitana ad Civitatem Cavensem venisse, ut in ea artem fabrilem exerceret. Addit Matthæum in Civitate Cavæ permansisse usque ad obitum, Uxorem ibi duxisse, & filios procreasse, inter quos adest Dominicus Augustini Pater, qui in Cathedrali Cavensi fuit baptizatus. Dominicus hic, teste eodem Episcopo, artem Patris in memorata Civitate prosecutus est, & in illa genuit Augustinum, qui pariter in Cathedrali baptismum recepit, cumque subinde Dominicus Pater occasione afflictus vectigalium se contulerit ad Civitatem Massæ Lubren. & in ea interpolatim singulis annis habitare cœperit, hinc ait Episcopus Caven. factum esse, quod Augustinus, cum sextum ætatis annum ageret, ad Civitatem Massæ Lubren. a Patre delatus est, in qua tribus circiter annis permansit, post quos iterum rediit ad Civitatem Cavensem, a qua post annum discessit, iterumque ad alteram Civitatem Massæ Lubren. accessit, ubi trium circiter annorum spatio moram traxit, post quos iterum ad Civitatem venit Cavensem, in qua continuo habitavit, & habitat, exceptis duobus mensibus æstivis in anno, & excepto quodam integro anno, quem extra eam transegit ex causa infirmitatis, concludendo se nescire quomodo Episcopus Massæ Lubren. potuerit Matthæum Dominici filium Presbyteratu insignire, & Augustinum ejus fratrem Clericali tonsura, & minoribus Ordinibus initiare, & quomodo nunc prætendere possit ipsi Ordines sacros conferre.

Relata in informatione Episcopi Cavensis confirmantur ex documentis, quæ ab Augustino exhibentur in sua Scriptura per manus circumferenda.

Hisque positis, quæritur

I. An Augustinus fuerit licite ad primam tonsuram, & minores Ordines promotus ab Episcopo Massæ Lubren. in casu &c.

II. An idem Augustinus Sacris Ordinibus sit initiandus ab Episcopo Massæ Lubren. vel potius ab Episcopo Caven.

Sacra Congr. respondit

Dilata, & transmittatur processiculus Testium ab Episcopo Massæ Lubren. & Testes, qui fecerant attestationes extrajudiciales Cavæ, examinentur formiter ab Episcopo Caven.

QUÆSTIO CXXXIV.

In Causa Ordinis S. Augustini Magisterii, die 16. Decembris 1719.

IN decretis Capituli Generalis Ordinis S. Augustini, quod habitum fuit anno 1635. habentur hæc verba: *Magisterii laurea illi in Italia tantummodo decorentur, qui probitatis, & doctrinæ laude præfulserint, & quinquennio Regentis munus obierint, vel in principalioribus Italiæ Urbibus verbum Dei cum plausu, justaque fama decennio deprædicaverint.*

Ad tramites horum verborum, a Concionatoribus admittitur, Regentes esse ipsis in consecutione Magisterii præferendos, si detur casus, quod uno, eodemque tempore Regentes suum quinquennium expleverint, & Concionatores suum decennium, sed controversia in hoc unice residet, quod Concionatores asserunt, sibi in consecutione Magisterii dandam esse prælationem, si suum compleverint decennium antequam Regentes suum quinquennium absolverint; tum quia prior in tempore potior est in jure; tum quia tam Regentes, quam Concionatores cursum explent Philosophiæ, & Sacræ Theologiæ, & non solum, ut quis deputetur in Regentem, subire debet examen, sed hoc ipsum fit ab illis, qui in Concionatores sunt deputandi, cum discursum, seu Concionem habeant super materia ipsis assignata, coram omnibus Patribus, & in publico Capitulo. Accedit, quod sicuti expleto cursu quinquennali, Regentes novum subeunt examen, ita quoque novo se examini exponunt Concionatores post suum decennale prædicationis tempus absolutum; quo stante, inferunt iidem Concionatores tum rationi, tum æquitati esse consentaneum, ut si alter ex ipsis suum decennium terminaverit, antequam quinquennium fuerit terminatum ab aliquo Regente, eidem Regenti præferatur in consecutione laureæ Magisterii.

Præter hanc controversiam, alia etiam fuit excitata quoad principaliores videlicet Italiæ Urbes, in quibus Concionatores cum plausu, & justa fama debent per decennium prædicare, antequam fiant Magistri; conceditur etenim, quod juxta Religionis consuetudinem sub illis verbis comprehendantur ea loca, ad quæ P. Generalis pro tempore Concionatores Annuales, vel Quadragesimales mittere consuevit, quæ loca enumerantur in Summario eorundem Concionatorum.

His stantibus, quæritur

I. An cum PP. Regentes expleverint quinquennium, & Concionatores decennium ad formam Constitutionum Ordinis, seu Decreti Capituli Generalis, sint præferendi, qui primo expleverint, in casu &c.

II. An omnia illa loca, ad quæ mittuntur Concionatores a P. Generali Ordinis, consideranda, connumerandaque sint inter principaliores Civitates Italiæ, in casu &c. & ad effectum, de quo agitur.

Sacra Congr. respondit

Ad Primum negative, & admittendos esse promiscue Regentes, & Concionatores arbitrio P. Generalis. Ad Secundum negative, & ad Mentem.

QUÆSTIO CXXXV.

In Causa Cassanensi Concursus, die 16. Decembris 1719.

VACANTE Cappellania Curata, seu Vicaria perpetua, sub invocatione SS. Annunciationis, indictus fuit de more concursus, idemque habitus fuit coram Vicario Generali, qui erat etiam Examinator Synodalis, & coram sex aliis Examinatoribus, quorum tres fuerant in Synodo electi, aliique tres munus exercebant ex facultate hujus Sacræ Congregationis: cumque ex quatuor concurrentibus, Rev. Blasius Peretta, & Rev. Joannes Baptista Sifandi fuerint tanquam habiliores, & magis idonei quoad scientiam denunciati, prælectus fuit ab Episcopo Cassanen. memoratus Sacerdos Sifandi, & ejus favore fuerunt subinde expeditæ litteræ Apostolicæ; cumque Sacerdos Joseph de Candia, qui fuit unus ex concurrentibus, se in his reputaverit gravatum, & recursum habuerit ad hanc Sacram Congregationem, juxta morem scriptum fuit Episcopo pro informatione, & transmissione actorum, actisque transmissis, disputanda proponuntur dubia ad eadem hujus restrictus inferenda.

Contendit autem Sacerdos Joseph de Candia, quod concursus fuerit nullus, tum quia ipse appellationem interposuerat ab interventu trium illorum Examinatorum, qui non fuerant in Synodo, sed ex facultate hujus Sacræ Congregationis electi, utpote sibimet rationabiliter suspectorum, tum quia, cum tres ad minus adessent Examinatores in Synodo electi, coram quibus poterat haberi concursus, & tres Examinatores, ad effectum de quo agitur, sufficiant, juxta *Caput* 18. *sess.* 24. *de Reform.* concursus sic habitus fuit, ut in eo intervenerint Examinatores Synodales, & non Synodales, electi videlicet ex facultate hujus Sacræ Congregationis, in quo rerum statu de nullitate concursus non videtur esse dubitandum.

Contendit secundo idem Sacerdos Joseph de Candia, quod irrationabile fuerit Episcopi judicium statim ac ad Parochialem vacantem prælegit Sacerdotem Joannem Baptistam Sifandi,

fandi, tum quia Episcopus in sua prælectione dixit, Sacerdotem Joannem Baptistam fuisse repertum magis habilem, & idoneum ab Examinatoribus, ipsumque Sacerdotem Josephum de Candia repertum fuisse minus idoneum in explicatione Textus Sacri Concilii Tridentini, quando ipse fuit approbatus tanquam magis habilis, & idoneus a duobus Examinatoribus, & quando judicio omnium Examinatorum repertus fuit idoneus in explicatione Concilii; tum quia Sacerdos Sifandi est constitutus in ætate annorum 29. quando ipse est in ætate annorum 56. & est laurea doctorali insignitus, & in pluribus aliis muneribus laudabiliter se exercuit, uti latius legi potest in ejus informatione, & summario.

Contendit denique tertio sæpe memoratus Joseph de Candia, esse locum provocationi ad novum examen ad tramites *Bullæ* 33. *S. Pii V.* quia licet ipse fuerit a duobus Examinatoribus approbatus, non fuit tamen approbatus ab aliis, hinc inferendo sibi denegari non posse provocationem ad novum examen.

Excipit e contra Sacerdos Joannes Baptista Sifandi, bene constare de validitate concursus, licet enim Concilium Tridentinum loco citato statuat, concursum esse faciendum coram Examinatoribus non pauciioribus, quam tribus; id tamen non impedit quin Concursus haberi valeat coram pluribus, quam tribus Examinatoribus, juxta resolutionem hujus Sacræ Congregationis impressam apud *Garziam de Benef. par.* 9. *cap.* 2. *num.* 53. & in eo, quod attinet ad Examinatores, auctoritate hujus Sacræ Congregationis deputatos, subdit sex ad minus esse singulis annis in Diœcesana Synodo eligendos, juxta allegatum *Caput* 18. *sess.* 24. *de Reform.* eosdemque exercere posse suum officium usque ad novam Synodum, licet singulo anno non convocetur, dummodo tamen post annum ex electis in Synodo sex ad minus superfint, quod si transacto anno quatuor, aut quinque tantum ex electis in Synodo superfint; superstites officium suum valide exercere non possunt, sed aut nova Synodus est celebranda, & in ea Examinatores Synodales sunt eligendi, aut ab hac Sacra Congregatione facultas est obtinenda, ut Episcopus uti possit superstitibus, vel alios valeat in locum demortuorum subrogare, & illis uti una cum superstitibus, juxta praxim relatam apud *Monacell. in formul. tom.* 4. *pag.* 6. *num.* 21. concludendo, quod sic se res habuit in casu præsenti, & consequenter quod Concursus est validus, non obstante interventu Examinatorum deputatorum auctoritate hujus Sacræ Congregationis.

Excipit quoque idem Sacerdos Sifandi nihil opponi posse prælectioni Episcopi, sui favore factæ, nedum quia ipse ex suffragiis septem Examinatorum, sex obtinuit favorabilia, sed etiam quia optimis moribus est imbutus, juxta attestationes relatas *in suo Summario num.* 4. & se assiduo exercet in prædicatione Evangelii, & in explicando Catechismo, itaut suæ qualitates majoris sint ponderis, quam aliæ, quæ adesse dicuntur in Sacerdote Josepho de Candia.

Excipit denique idem Sifandi, non esse locum provocationi ad novum examen, vel quia Sacerdos Joseph quoad scientiam, & litteraturam fuit ab omnibus Examinatoribus approbatus, vel quia cum ipse hic, & nunc prætendat, quod judicium Episcopi fuerit irrationabile, tenetur ad docendum concludenter de irrationabilitate, & de gravamine, ad differentiam casus, in quo idem simpliciter instaret pro novo examine ad vindicandam propriam existimationem, & idoneitatem, quæ a reprobatione fuisset causata, tunc etenim nulla probatio gravaminis reputaretur necessaria, juxta concordem opinionem hujus Sacræ Congregationis, & Rotæ, uti videri potest *in Lucen. Sarzanen. Parochialis* 2. *Julii* 1706. §. *neque obstare coram bon. mem. Omanna, & in Fulginaten. Parochialis* 13. *Januarii* 1710. §. *inconcussa, & seqq. coram Reverendiss. Aldovrando, quæ sunt decisiones* 9. *&* 10. *post Moncell. tomo* 4. ubi etiam referuntur hujus Sac. Congregationis resolutiones.

His stantibus quæritur

I. An constet de validitate Concursus, in casu &c.

II. An constet de rationabili judicio Episcopi, in casu &c.

III. An sit locus provocationi ad novum examen, in casu &c.

Sacra Congr. respondit,

Ad Primum affirmative. Ad Secundum, & Tertium dilata, & exhibeantur Acta Concursus.

QUÆSTIO CXXXVI.

In Causa Æsina Præeminentiæ, die 16. Decembris 1719.

EXCITATA fuit controversia in Ecclesia Cathedrali Æsina inter Canonicum Curtium Bonafidem Coadjutorem Canonici Moriconi, & Canonicum Hippolytum Colocci; cum etenim recurrente hebdomada, in qua, juxta Turnum, Missa solemnis cantari debebat a Canonico Moricono, Canonicus Curtius Bonafides ejus Coadjutor diceret ad se pertinere ejusdem Missæ solemnis celebrationem in absentia Coadjuti, & e contra Canonicus Hippolytus Colocci se opponeret, asserendo ad se, uti succedentem post Canonicum Moriconum, pertinere, eo impedito, officium peragere, & Missam canere solemnem, in Congregatione habita *die* 26. *Martii anno* 1718. propositum fuit sequens dubium disputandum, *an nolente, vel impedito Canonico Moricono, Missa solemnis, quæ juxta turnum, ab eodem esset celebranda, celebranda sit a Canonico Curtio Bonafide ejus Coadjutore, vel potius sit celebranda a Canonico Hippolyto Colocci in ordine Canonicorum succedente*; cumque tunc nulla fuerit capta resolutio, & in Congregatione habita *die* 9. *Aprilis ejusdem anni* responsum fuerit, quod exhiberetur Bulla Coadjutoriæ, in Congregatione tandem habita *die prima Aprilis, hujus anni* 1719. ad primam dubii partem responsum fuit *negative*, & ad secundam *affirmative*; juxta etenim celebres resolutiones Congregationis Sacrorum Rituum *in Patavina* 14. *Februarii* 1615. *&* 3. *Decembris* 1616. *& in Neritonen.* 12. *Octobris* 1619. hæc adest differentia inter Coadjutores Dignitatum & Coadjutores Canonicorum, quod Coadjutores Dignitatum, uti sedentes in stallo Dignitatis, facere debent functiones spectantes ad Dignitatem Coadjutam, & e contra Coadjutores Canonicorum, utpote sedentes post omnes Canonicos, facere non possunt functiones ad Canonicos Coadjutos pertinentes, nisi in hypothesi, in qua alii desint Canonici, vel nisi ageretur de Missis, quas Canonicus Coadjutus celebrare tenetur, vigore testamenti, & institutionis Canonicatus, & celebrare non potest, aut propter senectutem, aut propter aliud impedimentum, uti bene explicatur *in citata resolutione Patavina*; in nihilum urgentibus verbis, quæ apponuntur in litteris Coadjutoriæ, quod scilicet Coadjutor habere debeat omnes, & singulas prærogativas, præeminentias, & honores in Choro, processionibus, & aliis actibus Capitularibus, quas, & quos Canonicus Coadjutus haberet, si præsens esset; cum hæc verba stare dicenda sint ad exclusionem aliorum inferiorum, & non ad exclusionem aliorum Canonicorum, uti bene docent *Lother. de Re Benefic. lib.* 2. *quæst.* 25. *num.* 36. *Gonzal. de Regul.* 8. *Cancell. gloss.* 5. §. 9. *a num.* 97. *& præsertim num.* 102. *& seqq.*

Statuto, quod impedito Canonico Moricono Missa non esset celebranda a Canonico Curtio Bonafide ejus Coadjutore, sed Canonico Hippolyto Colocci, uti succedente post Canonicum Moriconum, nova subalterna exorta est controversia, an Canonici Coadjutores, post completum Turnum omnium Canonicorum principalium, Missam canere tenerentur in alia separata hebdomada ex propriis personis, cumque in Congregatione habita *die* 17. *Junii hujus ejusdem anni* fuerit demandatum, quod Causa poneretur in folio, duo infrascripta dubia in præsenti disputanda proponuntur.

Alterum respicit resolutionem captam *die prima Aprilis* 1719. in qua, uti supra fuit expositum, responsum est, Missam solemnem non esse canendam a Canonico Coadjutore, sed a Canonico in ordine succedente; dicitur enim hanc resolutionem bene subsistere in puncto Juris, sed non esse hypothesi applicabilem, propter antiquam observantiam vigentem in Ecclesia Cathedrali Æsina, juxta quam prætenditur Canonicos Coadjutores Missam cecinisse, & non Canonicos in ordine succedentes.

Alterum respicit prætensam Coadjutorum Canonicorum obligationem canendi Missas ex propriis personis, post completum Turnum omnium aliorum Canonicorum, & in ordine ad hoc dubium asseritur, non adesse dictam obligationem Canonicorum Coadjutorum, tum quia Coadjutores, durante vita eorum, quorum sunt Coadjutores, non sunt veri Canonici, sed ficti, tum quia si tenerentur post completum turnum aliorum Canonicorum Missam canere, inservirent ex propriis personis, & se haberent ad instar Canonicorum principalium, quod eis non videtur esse permissum.

His stantibus, quæritur

I. An

I. *An sit standum, vel recedendum a decisis die prima Aprilis 1719. & quatenus standum sit in decisis.*

II. *An Canonici Coadjutores in ordine Presbyterali constituti, & Missam solemnem non cantantes in hebdomada, juxta turnum tangentem eorum Coadjutis, teneantur eandem Missam cantare ex propriis personis post completum turnum omnium aliorum Canonicorum, in casu &c.*

Sacra Congr. respondit,

Ad Primum, & in decisis. Ad Secundum teneri ad cantandam Missam, ut complent Turnum Canonicorum.

QUÆSTIO CXXXVII.

In Causa Bononiensi Missarum, die 16. Decembris 1719.

LICET factum primordiale hujus Causæ fuerit plene expositum in folio distributo pro Congregatione habita *die 9. Septembris 1713.*, & pro altera Congregatione habita *die 16. Januarii 1717.*, ut nihilominus EE. PP. non graventur onere ea folia reassumendi, operæ pretium esse censui dictum primordiale factum paucis exponere.

In Metropolitana Ecclesia Bononiensi non solum adest Capitulum Canonicorum, sed ab antiquissimo tempore erecta reperitur quædam Congregatio Beneficiatorum, quæ Consortieria nuncupatur, & unusquisque ex dictis Beneficiatis distincta habet, & separata beneficia, & Cappellanias, cum onere Missarum juxta qualitatem Fundationis.

Paulus Papa II. nonnulla bona Consortieriæ assignavit, & voluit, quod eorum fructus pro quotidianis distributionibus dividerentur inter Consortiales Choro, & divinis officiis interessentes; cumque memoratorum Consortialium numerus adeo auctus esset, ut quilibet ex eis vix annua sex scuta haberet, Pius Papa Quartus numerum statuit 33. *participantium* compositum ex duodecim Mansionariis, & Sacrista Capituli, necnon *ex 20. antiquioribus Consortialibus*.

Consortieria composita tam ex participantibus, quam ex non participantibus suam habuit, & habet Sacristiam, quæ Tabularia nuncupatur, distinctam a Sacristia Capituli, & in antiquioribus hujusce Tabulariæ libris adnotatum reperitur, consuetudinem jam inoleviſſe, ut Consortiales vel Missas, quas ratione Beneficii celebrare tenebantur, celebrarent, vel taxam ad rationem solidi unius, & obulorum quatuor pro qualibet Missa solverent Tabulariæ.

Libri, in quibus consuetudo hæc tanquam jam introducta enuntiatur, sunt libri facti de anno 1552. & post lapsum triginta circiter annorum, perituræ nunquam memoriæ celeberrimus Cardinalis Gabriel Paleottus primus Bononiæ Archiepiscopus, ut religiose servarentur Testatorum voluntates, & onera beneficiis annexa debitam haberent executionem, decrevit, ut Consortiales adimplerent onus Missarum per seipsos, seu Sacerdotes ab eis deputatos, vel solverent Tabulariæ congruentem eleemosynam Sacerdotibus dandam, qui Missas pro dictis beneficiatis celebrarent, & ad ulteriora procedendo, eleemosynam in libris 60. pro qualibet Missa quotidiana taxavit, & a die dicti Decreti Consortiales solvere inceperunt, & adhuc solvunt Tabulariæ taxam prædictam ad rationem oneris Missarum unicuique Beneficio impositi.

Ex hujus taxæ solutione coalescunt introitus Tabulariæ, quæ eosdem erogat pro expensis utensilium, pro salario Exactoris, Ratiocinatoris, & Primi, & Secundi Custodis Sacristiæ, & celebrare facit qualibet die decem Missas ad rationem librarum 60. pro qualibet, absque tamen dictarum missarum applicatione, & quinque ex dictis decem missis quotidianis celebrantur a Patribus Barnabitis, qui sunt Ecclesiæ Metropolitanæ Pœnitentiarii, quique dictarum missarum onus susceperunt, obtenta a Clemente Octavo assignatione eleemosynæ pro dictis quinque missis, quas celebrant.

Tabularia, uti mox dictum est, celebrare facit qualibet die decem missas, computatis illis quinque, quæ uti mox fuit expositum, celebrantur a Patribus Barnabitis, & missæ, quæ ab omnibus Consortialibus essent celebrandæ, ascendunt ad numerum 11318. cumque præter missas, celebranda pariter essent quamplurima anniversaria a Consortieria; attenta redituum tenuitate, Archiepiscopus Bononiensis in Synodo habita anno 1614. illa reduxit *ad annua 83. anniversaria*, & ulterius triginta quinque Consortibus participantibus præcepit, ut unam annuam missam celebrarent, & in *Memento* omnium missarum, quas celebrarent, orarent pro Benefactoribus.

Ab hac facti serie circa annum 1713. ortum habuit controversia, de qua nunc agitur; Canonici etenim Ecclesiæ Metropolitanæ, qui Consortio præsident, dubium excitarunt, an Beneficiati, & eorum Tabularia explendo ea, quæ supra dicta sunt, satisfecerint oneribus Beneficiorum, & an prædicto modo continuare possint: quocirca propositis in Congregatione habita *die 9. Septembris 1713.* duobus dubiis, primo, *an, & quomodo sit consulendum pro præterito*, & secundo, *an, & quomodo sit providendum in futuro*, ad primum responsum fuit *non esse molestandos*, & ad secundum *dilata fuit resolutio*; cumque dubium tunc non resolutum, fuerit repropositum in Congregatione habita *die 16. Januarii 1717.* in Congregatione sequenti habita *die 30. Januarii ejusdem anni*, commissum fuit claræ mem. Cardinali de Abdua, & Eminentiss. Cardinali Tanario, necnon Secretario, ut inter se viderent quid esset agendum, suumque sensum Sac. Congregationi aperirent; mortuoque subinde prædicto Cardinali de Abdua, cum actum fuisset de altero in ejus locum subrogando, placuit Sac. Congregationi *die 4. Februarii 1719.* rescribere, quod Causa proponeretur in plena Congregatione.

In hujus Decreti executionem scriptura circumfertur impressa, in qua ad tramites præcedentium animadversionum in hac eadem Causa factarum distinguitur inter Beneficia, quorum non habetur fundatio, vel si habetur, non legitur in illa, quod fuerit Beneficiatis demandata applicatio Sacrificii, & inter Beneficia, quorum fundationes reperiuntur.

Quoad beneficia itaque, quorum fundatio non reperitur, vel si reperitur, non legitur in illa onus applicationis Missæ, dicitur nihil esse innovandum, nec respectu Beneficiatorum, nec respectu Tabulariæ, sed solitum esse servandum, itaut sufficere imposterum debeant illæ decem Missæ, quas usque adhuc Tabularia celebrare fecit, nullo celebrantibus impositi onere applicationis.

Absque eo quod quidquam referat, quod numerus decem Missarum qualibet die celebrandarum, non adæquat numerum Missarum, quas Beneficiati hujus primæ classis celebrare tenentur, juxta id, quod est adnotatum in Tabellis, tum quia adeo tenues sunt reditus horum Beneficiorum, ut non correspondeant numero Missarum descripto in memoratis Tabellis; tum quia juxta ea, quæ in superioribus dicta sunt, explentur a Consortialibus anniversaria demandata in Synodo anni 1614. & in Missarum celebratione juxta eandem Synodum tenentur in *Memento* orare pro Benefactoribus.

Quoad Beneficia vero, quorum reperitur fundatio, cum alias fuerit insinuatum, quod erat justum, & conveniens, ut Beneficiati adigerentur ad celebrandum in Ecclesia Metropolitana, & ad applicandum Sacrificium, indulta tamen ipsis reductione, juxta vires redituum beneficiorum, hoc est *ad manualem*, & concessa reductione *ad perpetuam*, facto verbo cum Sanctissimo, sermonem habendo de illis beneficiatis Consortialibus participantibus, qui Choro intersunt.

Duo alia in citata Scriptura per manus circumferenda superadduntur, alterum quoad Beneficiatos, alterum quoad Tabulariam. In eo autem, quod attinet ad Beneficiatos ponderatur, quod clar. mem. Cardinalis Paleottus in suo Decreto supra recensito demandavit omnibus Beneficiatis, ut singulis suorum beneficiorum oneribus satisfacerent, cum proportione ad eleemosynam manualem tunc vigentem, & ulterius taxam statuit Tabulariæ solvendam in hypothesi, in qua Beneficiati per seipsos non celebrarent, sed cum voluerit, ut unicuique Beneficiato tertia pars redituum salva maneret, concluditur, quod saltem in nova reductione ratio habeatur hujus tertiæ partis.

In eoque, quod spectat ad Tabulariam, cum congruum omnino sit, ut eadem in suo esse permaneant, & proportionatis fruatur reditibus, exoratur, ne aliquid innovetur quoad Taxam eidem persolvendam, cum Taxa non sit recens, sed antiquissima, vel quod in hypothesi, in qua dictæ Taxæ diminutio præciperetur, consulatur Sanctissimo pro facultate Eminentissimo Archiepiscopo concedenda uniendi Tabulariæ aliqua ex Beneficiis Consortialibus, vel vacantia, vel in posterum vacatura, ne annuæ expensæ Tabulariæ majores sint introitu, & sic ne sequatur ejusdem Tabulariæ excidium.

His positis, quæritur

An, & quomodo sit providendum in futurum &c. in casu &c.

Sacra Congr. die 13. Januarii 1720. respondit,

Scribatur Eminentissimo Archiepiscopo juxta Instructionem.

QUÆSTIO CXXXVIII.

In Causa Comensi Nullitatis Professionis, die 13. Januarii 1720.

IN Regula Minimorum, quæ in præsentiarum vim obtinet, cap. 1. sic legitur: *Hujus Ordinis Minimorum universi Fratres sub Obedientiæ, Castitatis, Paupertatis, & Quadragesimalis vitæ mortificationibus infrascriptis modificatæ sacris votis perseveranter vivere promittant.* Et in professionis forma, quam Minimi expleto probationis anno solemniter emittunt, idem continetur, quæ quidem formula a Julio II. simul cum Regula approbata, & confirmata est. *Ego Frater N. voveo, & promitto Deo Omnipotenti &c. stare, & perdurare toto tempore vitæ meæ sub vita, & Regula Fratrum Ordinis Minimorum Sancti Francisci de Paula, sub votis Paupertatis, Castitatis, ac Obedientiæ, & Quadragesimalis vitæ.*

Bartholomæus de Levizzariis habitum Religionis Minimorum S. Francisci de Paula uti Conversus assumpsit, & completo Novitiatus anno *die 5. Septembris anno 1706.* in eadem Religione professionem emisit, cumque sub obtentu, quod ante emissam professionem talibus corporis infirmitatibus laboraret, & usque adhuc laboret, ut ab esu carnium citra mortis periculum, nec potuerit, nec possit abstinere, contendat professionem a se emissam esse nullam, proponitur in præsenti dubium disputandum.

An sit locus restitutioni in integrum, in casu &c.

Sacr. Congr. respondit,

Negative, & amplius.

QUÆSTIO CXXXIX.

In Causa Virdunensi Restitutionis in integrum, die 24. Februarii 1720.

CRISPINUS Bourlier ex Oppido S. Michaelis Diœcesis Virdunen. professionem Regularem emisit in Monasterio Ordinis S. Benedicti prædicti Oppidi, & licet a sua Religione fuerit ejectus tanquam incorrigibilis, exposcit nihilominus restitutionem in integrum adversus professionem longe ante quinquennium emissam.

Petitionis fundamentum constituitur in metu sibi, ut asserit, a Patre incusso, & de quo tam ipse, quam alii Testes deponunt examinati coram Decano Collegiatæ S. Leopoldi Oppidi S. Michaelis Diœcesis Virdunen. ab hac Sacra Congregatione pro recipiendis probationibus delegato.

Scriptura, una cum Summario circumfertur, & ex utriusque lectura poterunt EE. VV. deprehendere, an metus, qui supponitur a Patre incussus, fuerit metus cadens in constantem virum. Item an incussus dici valeat a Patre, ad effectum extorquendi professionem Religiosam; ipse etenim Crispinus post expositam Patris indolem maximopere proclivem ad iram, & quod male ab eo tractaretur, interrogatus super exposita circumstantia, an hæc, & similia gesta fuerint a Patre ad finem, & effectum extorquendi ab ipso professionem Religiosam, sic deponit: *Dopo di che avendolo interrogato, se avesse conosciuto, che i cattivi trattamenti, ch' egli dice del suo Padre, tendessero a farlo entrare nella Religione, e farvi professione, ci ha risposto, che aveva ogni motivo di presumerlo, stante che avendo fatti i sui studj, li sarebbero stati inutili nel Mondo, ciò che li parve tanto più evidentemente, che essendo andato appresso uno de' suoi Zii per cerimonia a licenziarsi prima d' entrare nella Religione in compagnia del detto suo Padre, questo Zio avendo detto, che il detto Comparente era ancora assai giovane per abbracciar stato, il detto suo Padre lo fece uscire con asprezza, senza aspettare verun ragionamento, ciò ch' l' ha tanto più confermato, che il suo Padre colle sue violenze voleva costringerlo a farsi Religioso, e che per il suo Noviziato aveva fatto più minaccie che vennero sin al Comparente, che se uscisse, lo sarebbe soccombere al giogo della di lui professione di Chiavaro*, quando certum esse videtur, quod metus licet cadens in constantem virum, & licet proveniat ab extrinseco, & a causis liberis, non irritat professionem, nisi constet, quod fuerit incussus ad effectum illam extorquendi, Fagnan. *in cap. si quis num. 81. & in cap. sicut nobis num. 29. tit. de Regul.* Addidisse etiam fas sit, quod Crispinus dicitur constitutus in ætate annorum 34. quod fecisse dicitur professionem dum erat constitutus in ætate annorum sexdecim, & quod fuit a Religione ejectus die 4. Maii 1716. absque eo quod sciatur, an ejus Pater adhuc vivat, vel quo tempore mortuus sit,

His stantibus proposito in Sac. Congregatione dubio hac die 24. Februarii 1720. *an esset concedenda Restitutio in integrum*, responsum fuit *negative*.

Supplicavit Crispinus per nova audientia, eademque fuit concessa, ex quo post prædictam Causæ propositionem Claudius ejus Pater die prima Januarii 1722. declaravit, fuisse a filio emissam Professionem propter metum, quem ipsi incusserat, eum numquam antecedenter reclamasse propter nimium terrorem, in quo erat constitutus, & se tandem eum recognoscere tanquam bonorum suorum hæredem una cum aliis filiis, & fratribus respective.

Scriptura circumfertur, quocirca quæritur

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

Sacra Congr. die 9. Februarii 1726. respondit

In decisis, & amplius.

QUÆSTIO CXL.

In Causa Mantuana, die 24. Februarii, 1720.

PROPTER notas controversias inter Ordinarium Brixien. & Archipresbyterum Asulæ, Sacra hæc Congregatio alias decrevit, quod Territorium Castri Gofredi Diœcesis Brixien per modum provisionis, subjectum remanere deberet Episcopo Mantuano tanquam Sacræ Congregationis delegato.

Vacavit in dicto Castro de mense Martii, & anno 1717. quoddam Beneficium simplex sub titulo S. Crucis de jurepatronatus Familiæ de Simbenis, nec Patroni ullum potuerunt Clericum reperire, qui illud acceptare voluerit, propter redituum tenuitatem, & onerum exorbitantiam; reditus etenim annui sunt in scutis octo monetæ Romanæ, & Beneficiatus tenetur ad celebrandum, & applicandum Sacrificium quocunque die Festo.

Ne Beneficium suo Rectore careret, memorati Patroni intra quadrimestre sibi datum ad præsentandum, supplicarunt Episcopo Mantuano defuncto, ut de Beneficio disponeret, nec ullum Episcopus invenire potuit Clericum, qui dictum acceptaret Beneficium, uti testatus est Cancellarius, qui ulterius deposuit de diligentiis ab Episcopo peractis; iidemque Patroni intra citatum quadrimestre protestati sunt de diligentiis peractis, ne Beneficium sine Beneficiato remaneret.

Post lapsum fere duorum annorum inventus est Clericus, qui est paratus, & promptus ad acceptandum Beneficium; cupit enim ad ejus titulum promoveri cum debito Patrimonii augmento; cumque sæpe memorati Patroni illum Vicario Capitulari præsentaverint, Vicarius antequam præsentationem admitteret, oraculum Sacræ Congregationis requirere voluit, ad eamdem transmittendo omnia documenta, ex quibus notitia facti in superioribus expositi fuit desumpta, cumque in Congregatione habita *die 17. Martii 1719.* dictum fuerit, quod Causa poneretur in folio, proponitur in præsenti disputandum dubium infra referendum.

Putant Simbeni Patroni, suam præsentationem esse admittendam, cum enim tota difficultas consistat in lapsu temporis, a jure statuti ad præsentandum, nullum ex dicto temporis lapsu præjudicium sibi illatum fuisse contendunt, stantibus diligentiis peractis, ut Clericum invenirent, qui Beneficium acceptaret; devolutio siquidem supponit culpam, & negligentiam inexcusabilem Patroni, *Murga de Benef. quæst. 3. §. 10. sect. 1. num. 480.* & pro regula datur a Doctoribus, & a Tribunalibus, quod unumquodque non improbabile impedimentum præservat jura Patroni a devolutione ad Superiorem, *Faber. in Cod. tit. de sacros. Eccles. definit. 35. vers. quod secus est, Piringh. ad lib. 3. Decretal. tit. 38. sect. 4. §. 4. num. 106. Ventrigl. in praxi part. 2. annot. 1. §. 3. num. 28. & seqq. Ricc. collect. 119. vers. in quo, & ipse, Perez de Lara de anniversa. lib. 2. cap. 9. num. 35.*

Aliique docent, nullum Regibus currere tempus ad præsentandum, quia semper supponitur eos esse probabili detentos impedimento, *Solorzan. de jure Indiar. lib. 3. cap. 3. num. 49. & 50 Salgad. de Regia protect. par. 3. cap. 8. num. 43. & 44. Antunez. de denot. R.g. lib. 3. cap. 28. num. 124. Laguncz. de fructibus par. 1. cap. 31. §. 2. num. 122. & seqq.*

His ſtantibus, quæritur
An ſit admittenda præſentatio, in caſu &c.

Sacra Congr. reſpondit
Affirmative, & amplius.

QUÆSTIO CXLI.

In Cauſa Novarienſi, die 24. Februarii 1720.

JOANNES Joannonus *anno* 1711. matrimonium per verba de præſenti contraxit cum Anna Ghinzona, cum proteſtatione tamen, quod ſuum præſtabat aſſenſum, ſub conditione, & præſuppoſito, quod Anna eſſet virgo.

Nec prima, nec ſecunda nocte Joannes rem habuit cum Anna, tum quia in eodem Cubiculo, licet in alio lecto cubabant Mater, & Soror prædictæ Annæ, tum quia de ejus virginitate dubium habebat; ſed cum admonitus fuiſſet, quod Anna erat gravida, eam tertia nocte ſerio de prægnantia interpellavit, eademque confeſſa eſt ſe eſſe prægnantem, & ſe fuiſſe a ſuo Genitore ſtupratam.

Hoc audito, Joannes nedum dicta tertia nocte a copula abſtinuit, ſed ulterius noluit amplius cum Anna dormire, licet in eadem domo cum ipſa cohabitaverit, ne factum innoteſceret, quod tamen innotuit, ſtatim ac Anna peperit, vix elapſis quinque menſibus a die initi matrimonii, itaut Pater in alienas Regiones ſe contulerit, eidemque ſubinde data fuerit facultas ad Patriam redeundi, exburſata notabili pecuniæ quantitate.

In hoc rerum ſtatu, Joannes Annam dereliquit, nec amplius voluit cum ipſa habitare, preceſque huic Sacræ Congregationi exhibuit pro declaratione nullitatis matrimonii.

Scriptum fuit Eminentiſſimo Epiſcopo pro informatione, & voto, cumque conſenſum conditionatum a Joanne præſtitum, una cum excluſione copulæ, Eminentia Sua aſſerat probari ex dicto utriuſque Conjugis, propoſita fuit Joannis inſtantia inter Summaria precum, & dictum fuit, quod proponeretur in folio, & quod Annæ præfigeretur terminus ad ſua jura deducenda in Sacra Congregatione, quæ termini præfixio fuit executioni mandata.

Error qualitatis non facit conjugium irritum, juxta Canones a Gratiano collectos *in cauſa 29. quæſt. 1.* ſed id limitatur in caſu, quo quis expreſſe proteſtetur ſe contrahere ſub conditione, quod talis qualitas inſit perſonæ, cum qua init matrimonium, tunc etenim ceſſante conditione, cui conſenſus innititur, deficit & ipſe conſenſus eſſentialiter ad matrimonium requiſitus, juxta late tradita per *Cabaſſut. in Theor. & praxi Juris Canon. lib. 3. cap. 22. num. 2.*

In re, de qua nunc agitur, defectus qualitatis plene, & ſufficienter deduci non poteſt ex editione Prolis poſt ſexum menſem a die initi matrimonii, cum legitimus, & vitalis cenſeatur partus, nedum editus ſexto, ſed etiam quinto menſe, uti late probant *Caranza de partu naturali cap. 9. fol. 432. num. 2. & num. 46., Carpzov. in juris prud. Eccleſ. lib. 2. definit. 22. num. 3. Armannus in Medica Critica caſu 1. fol. 13., Rota in Avenionen. Dotationis 3. Martii 1692. §. ſed cum hodie coram clar. mem. Cardinali Caprara*, ſed bene deducitur ex actis judiciariis per Localem Prætorem factis contra Patrem Annæ tanquam reum nefarii ſceleris, itaut Eminentiſſimus Ordinarius in ſua relatione dicat, quod concubitus Paternus certus eſt, atque notorius.

Sola ergo difficultas ſtat in probationibus, cum conditio apposita in contractu matrimoniali quoad virginitatem Annæ, & abſtinentia a copula, quæ fuiſſe dicitur in hiſce Conjugibus, eorum tantummodo dictis innitatur, quod non videtur eſſe ſufficiens, juxta Decretalem Cæleſtini Tertii *in cap. ſuper eo tit. de eo, qui cognovit &c.*

His ſtantibus, quæritur
An conſtet de nullitate matrimonii, in caſu &c.

Sacr. Congr. reſpondit,
Negative, & amplius.

QUÆSTIO CXLII.

In Cauſa Bononienſi, die 24. Februarii 1720.

IN Congregatione habita *die 26. Junii anno 1655.* editum fuit ſequens Decretum favore Clericorum Regularium Minorum: *Sacra &c. vigore reſcripti Sanctiſſimi Domini Noſtri benigne impertita eſt Oratoribus facultatem, ut parvam Eccleſiam S. Proſperi derelictam, & maxima reſtauratione indigentem concedere poſſint arbitrio Archiepiſcopi Bononien. ad uſum Eccleſiæ, & ſub expreſſa conditione reſtaurationis faciendæ.*

In ſequelam hujus Decreti putant Clerici Regulares Minores ſe obtinuiſſe facultatem, prædictam Eccleſiam vendendi, ita tamen, ut ejus uſus non mutaretur, & ut ſemper continuare deberet in eſſe Eccleſiæ; cumque tunc Emptorem non invenerint, qui ea uti vellet ad uſum prædictum, & hodie Confraternitas quædam reperiatur, quæ Eccleſiam emeret, & eadem uteretur pro ſuis ſpiritualibus, ſuique inſtituti exercitiis, preces idcirco renovantur pro facultate vendendi, & Oratores putant ſe eſſe poſſe voti compotes; tum quia exiſtimant ſe facultatem vendendi obtinuiſſe uſque de anno 1655. juxta ea, quæ in ſuperioribus dicta ſunt, tum quia Eccleſia ſuum ſtatum non mutaret, nec profanaretur, & tandem quia pecunia ex venditione retrahenda non modicam afferret utilitatem pro indigentiis eorundem Oratorum, qui alium habent in Civitate Bononiæ Conventum, ſeu Collegium, in quo habitant, nec non aliam Eccleſiam Spiritui Sancto dicatam.

Celebris fuit anno præterito cauſa venditionis Eccleſiæ S. Franciſcæ Romanæ in via Felici, Ordinis Redemptionis Captivorum, eademque propoſita in Signatura Gratiæ habita coram Sanctiſſimo Domino Noſtro *die 28. Martii 1719.* reſcriptum fuit, *non eſſe deveniendum ad venditionem, & ſubhaſtationem Eccleſiæ, & Conventus, inſtantibus Creditoribus.*

At quia reſolutio hæc loquitur de venditione, quæ fit ſub haſta, & inſtantibus Creditoribus, reliquum eſt, ut videatur an hoc ipſum ſibi vindicet locum in venditione voluntaria, & quæ fit ſine horrida voce Præconis.

Adverſus etiam hujus generis venditionem facere videtur Textus *in Canone ſi quis objecerit prima quæſt. 3. & in capitulo querelam de Simonia*, ibi, *Sciturl, quod ſicuti emi non potuit, ita nec redimi Eccleſia*, & juris Canonici Interpretes in ea videntur eſſe opinione, quod Eccleſiæ nullo modo, nulloque prætextu, vel colore emi, & vendi poſſint. Materia hæc funditus pertractatur a moderno Domino *Urſaya tomo 2. diſceptat. 25. per totam, & ſignanter num. 100. & ſeqq. & num. 114. & ſeqq. & tom. 3. parte 2. diſceptat. pariter 25. per totam.*

His ſtantibus, quæritur
An Oratorum precibus ſit annuendum, in caſu &c.

Sacra Congr. reſpondit
Negative in caſu, de quo agitur, & amplius.

QUÆSTIO CXLIII.

In Cauſa Fulginatenſi Fontis Baptiſmalis, die 24. Februarii 1720.

EPiſcopus Fulginaten. in viſitatione, quam explevit *anno* 1718. decretum edidit, quod ſcilicet in Parochiali Eccleſia S. Mariæ Novæ Caſtri Seronis Fons Baptiſmalis erigeretur, facta tamen per Parochianos, qui pro erectione Fontis ſupplicaverant, obligatione ſubminiſtrandi omnes expenſas neceſſarias pro conſtructione, & Fontis manutentione.

Epiſcopus autem annuit ſupplicationibus Parochianorum prædictæ Parochialis Eccleſiæ, licet præcedenter in ea Fons Baptiſmalis non adeſſet, tum quia putavit id conducere ad majorem Dei gloriam, & ad Animarum ſalutem, tum quia juxta reſolutiones hujus Sacræ Congregationis in omnibus Eccleſiis Parochialibus debent eſſe Fontes Baptiſmales, niſi Fontes Baptiſmales extent in aliquibus Eccleſiis, quæ Matrices, vel Baptiſmales vocantur, uti ponderat *Fagnan. in cap. cum contingat num. 59. de decimis.*

Abſque eo quod huic erectioni Fontis in Eccleſia Parochiali S. Mariæ Novæ obſtare potuerit prætenſio Parochi Eccleſiæ S. Anſovini Collis Caſulis, in cujus Eccleſia, ante novi Fontis erectionem, baptizabantur pueri, qui naſcebantur in Parochia S. Mariæ Novæ; primo, quia Parochiani Caſtri Seronis ante novi Fontis erectionem non ſolum deferebant ſuos Infantes ad Eccleſiam S. Anſovini, ſed etiam ad alias finitimas Parochiales, ut in illis Baptiſmum reciperent; ſecundo, quia Eccleſia S. Mariæ Novæ Caſtri Seronis eſt totaliter independens ab Eccleſia S. Anſovini, immo majoritatem obtinet ſuper ipſam, cum in Parochiali Seronis fiat proceſſio Euchariſtiæ in ſolemnitate Corporis Chriſti; quando eadem proceſſio fit in Parochiali S. Anſovini Domi-

Dominica infra octavam; tertio tandem, quia via ducens a Parochiali Seronis ad Parochialem S. Anſovini aliquando propter nives remanet invia, itaut neceſſarium omnino fuerit Fontem erigere, de quo nunc agitur.

His ſtantibus, in præſenti proponitur reſolvendum dubium.

An ſuſtineatur erectio Fontis Baptiſmalis in Eccleſia Parochiali S. Mariæ Novæ Caſtri Seronis in caſu &c.

Sacr. Congr. die 22. Junii 1720. reſpondit,
Affirmative, relicta libertate Parochianis S. Mariæ Caſtri Seronis deferendi juxta ſolitum Filios baptizandos etiam ad alias Parochias, & amplius.

QUÆSTIO CXLIV.

In Cauſa Æſina Juris eligendi Concionatorem, die 16. Martii 1720.

POSTQUAM ſubſcripta fuerunt bina dubia in hac cauſa, quorum primum reſpicit nominationem, ſeu præſentationem Prædicatoris in loco Caſtri S. Marcelli, an ea videlicet pertineat ad Priorem Eccleſiæ Cathedralis Æſinæ, qui eſt Curatus habitualis Eccleſiæ Parochialis prædicti Caſtri, vel potius ſpectet ad Communitatem ejuſdem loci, & alterum pertinet ad ſubminiſtrationem eleemoſynæ, quæ fieri debet Prædicatori, an ea ſubminiſtranda ſit a Priore Eccleſiæ Cathedralis Æſinæ, vel potius a Communitate Caſtri S. Marcelli, uti deſumi valet ex eorum tenore ad calcem hujus reſtrictus relato, Communitas quoad primum dubium dat manus victas, & libenti animo admittit, electionem Concionatoris pertinere ad Priorem, in quo rerum themate ſola remanet controverſia quoad ſolutionem eleemoſynæ, niſi forte Eminentiſſimi Patres, ex officio procedentes, opportunum eſſe exiſtimarent inquirere, an Prædicatoris deputatio in Eccleſia, de qua nunc agitur, pertineat ad Epiſcopum, nec etenim ad Parochum in ſua Parochiali Eccleſia, ſed ad Epiſcopum pertinet deputatio Concionatoris in eadem, juxta Textum *in Cap. Excommunicamus*, §. *quia vero de hæreticis, & in Cap. ſicut eodem titulo in 6.* cum aliis late cumulatis in *Deciſ. 598. numer. 60. & ſeqq. coram Merlino*, & expreſſe decernitur in Concil. Trident. *Seſſ. 24. cap. 4. de Reform.*

At quidquid ſit de hoc puncto, & ſermonem transferendo ad aliud dubium, hoc eſt ad quem pertineat onus ſolvendi eleemoſynam Prædicatori, Prior putat ſe ab hoc onere exemptum in ſequelam conſuetudinis, juxta quam electio Prædicatoris ad ſe pertinere poteſt, licet onus ſolvendi eleemoſynam ſpectet ad Communitatem, juxta firmata per Card. de Luca *diſcurſ. 27. num. 8. in Miſcell. Eccleſ.*, & juxta reſolutionem hujus Sac. Congregationis *in Æſina electionis Concionatoris 8. Auguſti* 1711. in qua reſolutum fuit, electionem Prædicatoris in loco Caſtri Plani ſpectare ad Epiſcopum, & non ad Communitatem, ſed Communitatem teneri ad ſubminiſtrandam Prædicatori eleemoſynam.

Communitas e contra S. Marcelli excipit, quod ſicuti Priori competit facultas nominandi Concionatorem, ita debet idem onus ſubire perſolvendi eleemoſynam, & contrarium militare poſſe in terminis, in quibus per tempus immemorabile Prior nominaſſet Prædicatorem, & Communitas eleemoſynam ſolviſſet, contendendo, quod allegata immemorabilis in hypotheſi non ſit ullo modo a Priore probata, juxta firmata per Fagnan. *in Cap. inter cætera num. 21. de Officio Ordinarii*, ubi ex reſolutionibus hujus Sac. Congregationis firmat, quod in electione Prædicatoris Cathedralis Eccleſiæ, ſi Epiſcopus eligit, & Populus ex conſuetudine non immemorabili eidem eleemoſynam ſuppeditare conſuevit, Epiſcopus tenetur ſic electo eleemoſynam erogare, ad differentiam caſus, in quo Populus ex conſuetudine immemorabili eleemoſynam præſtaſſet, quia tunc Populus compellendus eſſet ad obſervantiam conſuetudinis, non obſtante, quod electio ad Epiſcopum ſpectaret.

His ſtantibus, quæritur

I. An nominatio, ſeu præſentatio Prædicatoris in loco Caſtri Sancti Marcelli ſpectet ad Priorem Eccleſiæ Cathedralis Æſinæ, ſeu potius ad Communitatem dicti loci in caſu &c. Et quatenus affirmative quoad primam partem, & negative quoad ſecundam.

II. An Prior teneatur ſubminiſtrare eleemoſynam Prædicatori, ſeu potius Communitas, in caſu &c.

Sacra Congr. Reſpondit,
Ad Primum affirmative ad primam partem, & negative ad ſecundam.
Ad Secundum negative quoad primam partem, & affirmative quoad ſecundam juxta ſolitum, & amplius.

QUÆSTIO CXLV.

In Cauſa Ariminenſi nullitatis Matrimonii, die 16. Martii 1720.

HELENA Zolli matrimonium per verba de præſenti contraxit cum Daniele Giupponi *anno* 1713. ſervata forma Concilii Tridentini, illudque contendit eſſe nullum propter impedimentum impediens, & dirimens impotentiæ perpetuæ prædicti Danielis.

Probat autem Helena impotentiam perpetuam Danielis, primo quia cum ille eſſet in florida ætate annorum 24. tentavit rem habere cum nonnullis Mulieribus, ſed copulam conſummare non potuit.

Secundo, quia poſt decennium contraxit cum ipſa Helena matrimonium, & licet per triennium cohabitaverit, matrimonium tamen nunquam potuit conſummare.

Tertio, quia, durante triennio, nedum copulæ vacavit, ſed apta, & congrua adhibuit remedia pro avertenda impotentia, ſed in caſſum, cum medicamenta nihil ipſi profuerint.

Quarto quia facta fuit ab Obſtetricibus recognitio corporis poſt triennalem cohabitationem, & Agatha, quæ fuit electa pro parte Helenæ, eam dixit eſſe Virginem, & cum Agatha concordavit etiam Julia, quæ fuit electa pro parte Danielis, non obſtante, quod hæc antecedenter aſſeruiſſet Helenam virginem non eſſe, cum id, ut ipſa deinde explicavit, dixerit, ne fieret lis ſuper nullitate matrimonii.

Quinto, quia Medici magni nominis, re accurate perpenſa, in ea fuerunt opinione, quod impotentia Danielis ſit perpetua, & non ſanabilis.

Abſque eo quod quidquam referat, quod Dominus de Paulis, qui modo eſt Sanctiſſimi Archiater, quique eſt Peritus a Sacra Congregatione electus, dixit, Danielem poſſe uti aquis Thermalibus, & præſertim Vallis Lucenſis, ejuſque impotentiam perpetuam eſſe declarandam, ſi ea permaneat poſt duos, aut tres menſes, expleto uſu dictarum aquarum; tum quia id dixit ad majorem cautelam, & exuberantiam, tum quia alii Phyſici, qui ſcripſerunt poſt Dominum de Paulis, aſſeruerunt uſum aquarum Thermalium, nedum inutilem, ſed etiam contrarium eſſe fini deſiderato.

Sexto tandem, quia ſeptima manus Propinquorum juravit, & jure jurando teſtata eſt, ſe credere verum eſſe id, quod dictum fuit ab Helena de nunquam ſecuta conſummatione Matrimonii.

Excluſa quacumque nova cohabitatione triennali, cohabitatio hæc etenim, quæ, attento jure antiquo Romanorum, erat biennalis, quæque triennalis facta eſt ex lege Juſtiniani in novella 22. de Nuptiis cap. *6. non enim biennium numerari ſolum ex ipſo tempore copulationis, ſed triennium volumus. Edocti namque ſumus ex iis, quæ ante hoc provenerunt, quoſdam amplius quam biennium tempus non valentes, poſtea potentes oſtenſos miniſtrare filiorum procreationi*, fuit inter Sacros Canones relata, uti habetur in Decretali Cæleſtini Tertii, *in Cap. laudabilem de frigidis, & maleficiatis*, ſed cum ſua moderatione, quando ſcilicet impotentiæ ſigna dubia ſolum ſunt, aut præſumptiva, ſecus autem, quando ſunt neceſſario & evidenter impotentiam concludentia, aut etiam quando ſunt veriſimiliter evidentia, qualia eſſe dicuntur ea, quæ ab Helena afferuntur pro ſuadenda Danielis impotentia, uti colligitur ex citato Textu *in Cap. laudabilem de frigidis, & maleficiatis*, ibi, *ſi frigiditas prius probari non poſſit, uſque ad triennium ſecundum authenticum legale cohabitent*: Et multo magis, cum non ſolum Doctores prædictam adſtruant diſtinctionem, ſed eadem ulterius fuerit in hac Sac. Congregatione recepta in quadam Cauſa *Januen. Matrimonii*, in qua dictum fuit, eſſe locum diſſolutioni Matrimonii ex capite impotentiæ Viri, abſque nova cohabitatione triennali, uti colligitur ex reſcriptis editis *die 13. Martii, & die 8. Maii 1706.* quæ fuerunt in Signatura Sanctiſſimi confirmata *die 9. Aprilis 1707.*

Excipit e contra Daniel, & putat non eſſe locum diſſolutioni Matrimonii, ſed experimento triennali, ſuæque impo-

impotentiæ signis, pro parte Helenæ ponderatis, sequentes suppeditat responsiones.

Et in eo quidem quod attinet ad tentatam, licet inutiliter copulam cum aliis fœminis, dum erat in ætate florida annorum 24. ad cohabitationem, & condormitionem cum Uxore spatio trium annorum absque copulæ consummatione, & ad adhibita, licet frustra medicamenta, dicit primo, non esse fidem præstandam Mulieribus, quæ de tentata absque consummatione copula deposuerunt, tum quia patiuntur exceptiones in personis, & in dictis, quæ latius a scribentibus pro ipso referuntur, tum quia idem Daniel commissi facti pœnitens, prætendit se perfectam copulam cum altera ex dictis Mulieribus habuisse. Dicit secundo, nullum esse momentum constituendum ad effectum de quo agitur in præterita cohabitatione, & in præterita condormitione, vel quia aliquando propter æstivos calores, aliquando propter Helenæ antipathiam, aliquando propter suam absentiam, durante cohabitationis triennio, non dormivit cum sua Uxore, vel quia, juxta veriorem, receptioremque sententiam, triennium non computatur a die copulæ intentatæ, sed a die Decreti Judicis, itaut vix Judici permittatur triennale tempus abbreviare in hypothesi, in qua Conjuges per plures annos cohabitarunt, & copulæ vacarunt juxta late firmata per Sperel. *decis.* 141. *numer.* 59. *&* 60. Dicit tertio, nullam, aut parvam habendam esse rationem medicamentorum alias sibi applicatorum pro avertenda impotentia, cum applicata fuerint medicamenta sub obtentu, quod impotentia proveniret a frigiditate, quando provenit a nimio calore, hoc est a præpropera seminis emissione.

In eoque, quod spectat ad Obstetrices, & ad judicium Medicorum contendit Daniel Obstetricibus non esse deferendum, cum ultra exceptiones quas patiuntur in dictis, quæque in ejus scripturis legi possunt, facta fuerit Helenæ recognitio absque balneo contra cautelam Hostiensis, *in cap. Causam Matrimonii num.* 4. *de probationibus*, quam etiam cæteri secuti sunt, *Abbas in cap. Fraternitatis num.* 4. *de frigid. & malefic. Sanchez de Matrim. lib.* 7. *disput.* 113. *num.* 11. *Panimol. decis.* 51. *annot. prima num.* 8. *Rota decis.* 392. *sub num.* 16. *parte* 4. *tom.* 2. *Recent. & decis.* 10. *&* 11. *post Cardinalem de Luca ad materiam de matrim. tom.* 2. subditque Medicos pro se stare; omissis etenim illis, qui ultroneas fecerunt Relationes, ex Peritis ab utraque parte electis, alter sensit suam impotentiam esse perpetuam, & insanabilem, alter fuit in opinione, quod impotentia non esset perpetua, sed quod esset sanabilis, cum quo concordare etiam ait Dominum de Paulis, qui fuit Peritus ab hac Sac. Congregat. deputatus, juxta rescriptum editum *die* 9. *Aprilis* 1718. *ibi accedat Daniel ad Urbem, & transmittatur processus per Judicem Subdelegatum, & recognitio fiat hic in Urbe per Physicum de Paulis.*

Concludendo ex his omnibus, non posse procedi ad dissolutionem Matrimonii, sed locum esse cohabitationi triennali, juxta ea, quæ fuerunt ab hac Sac. Congregatione præscripta in celebri Causa *Romana Matrimonii* 10. *Maii* 1698. *&* 15. *Novembris ejusdem anni*, cum adverentia, quod hujus Sac. Congregationis in dicta Causa responsum reperitur impressum penes Dominum Ursayam *discept.* 12. *parte prima, tomo primo num.* 255. hoc modo per errorem Impressoris *non esse locum cohabitationi triennali*, quando in Regestis Sac. Congregationis legitur *Sacra &c. censuit esse locum cohabitationi triennali.*

His stantibus, quæritur

An constet de validitate matrimonii, seu potius sit locus illius dissolutioni in casu.

Sacra Congr. respondit,

Dilata, & fiat experimentum triennalis habitationis, vel alterius brevioris temporis arbitrio Sac. Congregationis, & ad Mentem.

QUÆSTIO CXLVI.

In Causa Romana Subsidii Dotalis, die 16. *Martii* 1720.

IN ultimo, cum quo decessit testamento, Petrus Nicolaus Fantozzius hæredem instituit Societatem S. Apolloniæ erectam in Ecclesia S. Augustini de Urbe, eamque sequenti onere gravavit, *item, che dell' Entrate, che resteranno a detta mia Erede, sodisfatti prima li sopradetti legati, debba il Camerlengo tener conto a parte, e che ogn' anno per il giorno di S. Apollonia si debbano maritare tante Zitelle con gl' infrascritti requisiti, cioè siano figlie di Vedove, o Vedove, o Orfane, e che siano povere, ed oneste figliuole di persone onorate, e che abbiano almeno diciotto anni, e per sussidio dotale le si diano scudi trentacinque di moneta &c.* item, *caso che in Roma vi fossero Zitelle di onesti parenti, che fossero discese da' Maei Paesani, che arrivino all' età sopradetta di diciotto anni, siano sempre preferite all' altre*, exortaque tempore S. Mem. Innocentii XI. quæstione, an Puellæ a Matelicanis descendentes, (Testator enim erat Matelicanus) cæteris præferri deberent, licet in Urbe natæ non essent, clar. mem. Cardinalis Franzonus, cujus arbitrio resolutio controversiæ remissa fuit, statuit admittendas esse Puellas a Matelicanis descendentes, licet in Urbe non natas, dummodo tamen per quadriennium in Urbe permansissent, data tamen prælatione Puellis descendentibus a Matelicanis, quæ in Urbe natæ fuissent.

Eleonora Catharina Fundati prætendit se esse admittendam prælative quoad alias Puellas, & absque lege Bussoli ad Legatum sive Dotem relictam a prædicto Fantozzio, & prætensionis fundamentum in hoc constituitur, quod ipsa est Consanguinea Testatoris, quasi quod si Testator dedit prælationem Puellis descendentibus a suis Concivibus Matelicanis, a fortiori prælationem dedisse dicendus sit descendentibus a suis Consanguineis; multoque magis cum Testator in suo testamento affectionem erga consanguineos patefecerit, cum Nepotibus, & Neptibus ex suis Sororibus reliquerit cujusdam domus usumfructum.

Additur ab eadem Eleonora, quod Sorores Cristallinæ, & quod Eleonora Catharina Calderona fuerunt ad subsidia dotalia electæ a Confraternitate absque ulla imbossulatione, sub obtentu, quod essent Consanguineæ Testatoris; cumque Oratrix sit sanguine conjuncta tam Sororibus Cristallinis, quam Eleonoræ Calderonæ, infert subsidium dotale sibi esse subministrandum iisdem modis, & formis, quibus subministratum fuit prædictis Mulieribus, nulla habita consideratione, quod ipsa non probet consanguinitatem cum Testatore per gradus distinctos; quandoquidem obligatio probandi consanguinitatem modo insinuato sibi vindicaret locum, quando alia adesset Puella, quæ prælationem contenderet sub obtentu consanguinitatis, secus autem, quando ipsa est sola, quæ sub obtentu consanguinitatis instat pro subsidio dotali.

Societas e contra S. Apolloniæ asserit, Eleonoram non esse ad subsidium dotale admittendam, & præsertim absque lege bussoli, tum quia non est Orphana, nec probat paupertatem, neque descendentiam a Matelicanis, tum quia quidquid sit, an sit affinis Testatori, si Testator tamen non habuit in suo testamento considerationem affinium, & consanguinearum, sed tantummodo Puellarum a suis Concivibus descendentium, in consanguinitate per consequens nullum constitui potest fundamentum, licet admissæ fuerint Sorores de Cristallinis, & Eleonora Catharina; cum prætendatur admissas fuisse non tanquam consanguineas, aut affines Testatoris, sed tanquam descendentes a Matelicanis.

His stantibus, quæritur

An Eleonora Catharina Fundati sit prælative quoad alias Puellas, & absque lege Bussoli admittenda ad subsidium dotale relictum a Petro Nicolao Fantozzio, in casu &c.

Sacra Congr. die 13. Aprilis 1720. respondit,

Negative, & amplius.

QUÆSTIO CXLVII.

In Causa Romana Nullitatis Professionis, die 16. *Martii* 1720.

SOROR Maria Constantia Pallavicina, quæ professionem Regularem emisit in Monasterio S. Bernardini de Urbe, non instat pro restitutione in integrum, quia a sua professione reclamavit intra quinquennium, sed exposcit, ut declaretur professionem a se emissam nullitatis vitio laborare tanquam emissam propter vim, & metum sibi illatum a bon. mem. Marchione Nicolao Maria Pallavicino, cujus erat filia illegitima.

Magnus restrictus facti, & juris, una cum voluminoso Summario per manus circumfertur, & intentio scribentium pro Sorore Maria Constantia in hoc unice residet, ut ostendant, primo fuisse eidem incussum metum gravem a Marchione Nicolao Maria Pallavicino ante professionem, & ad effectum eam extorquendi. Secundo, eumdem metum durasse tempore professionis, & tertio non fuisse purgatum ex actibus subsecutis.

Quod autem fuerit Sorori Mariæ Constantiæ incussus metus

metus gravis ante professionem, & ad effectum eam extorquendi, desumitur ex Testibus, qui referunt, Marchionem Nicolaum Mariam minatum fuisse, se esse alimenta denegaturum tum Constantiæ Matri, tum Constantiæ Filiæ, quæ est Monialis, de qua nunc agitur, nisi hæc regularem, & solemnem emisisset professionem, & se ulterius nec obulum esse expensurum, si carnales ipsa nuptias elegisset.

Ponderando, quod si metus reverentialis erga Patrem, una cum minis, juxta veriorem sententiam, satis est pro nullitate professionis, a fortiori hoc ipsum procedere debebit in hypothesi præsenti, in qua, ultra metum reverentialem, nec minæ supra relatæ, nec aliæ circumstantiæ metum rationabiliter augentes defuerunt, cum ageretur de Puella ex una parte, & ex alia parte de Viro austeræ naturæ, & cum Puella ad Matrem recurrere non posset, utpote paupertate laborantem, & subsidiis Marchionis viventem, nec ad Carolum Avunculum, qui erat unicus ex Consanguineis, quos haberet, cum ille esset addictus servitio Marchionis, neque denique ad Supremum Principem, ex quo res taliter fuerat a Marchione Nicolao composita, ut suam Soror Constantia filiationem probare non posset, cum, cæteris omissis, fuerit baptizata tamquam nata ex fictitiis Parentibus, & suppresso nomine prædicti Marchionis Nicolai Mariæ.

Quod vero metus duraverit tempore professionis, suadent Informantes pro Sorore Constantia, tum quia metus semel incussus durare præsumitur, nisi contrarium probetur, tum quia Pater, qui metum incusserat ad finem extorquendæ Religiosæ professionis, vivebat tempore quo professio fuit emissa, in quo rerum themate, actus omnes, qui ponderari, & asserri possunt pro comprobanda libera voluntate in emittenda professione, non spontaneum, liberumque important consensum, sed simulatum, ad avertendam iram ejus, qui metum incussit, & tandem quia ultra Testes de continuatione aversæ a statu Religioso voluntatis deponentes, Soror Maria Constantia semper vestes sæculares retinuit, sperans iis aliquando uti posse, a qua retentione, & usus fiducia, sicuti valet illatio ad voluntatis repugnantiam, ita valet argumentum ad professionem coactam, & metu, & minis extortam.

Quod denique non fuerit purgatus metus ex actibus subsecutis, demonstratur ab iisdem Informantibus, vel quia nonnulli actus prodiderunt vivente Patre, & sic durante causa metus, vel quia omnes, qui asserri possunt actus, prodierunt, durante quinquennio, itaut ex illis ad tacitam ratificationem professionis argui non possit, alias cessaret beneficium a Concilio Tridentino concessum, reclamandi intra quinquennium, vel demum quia omnes, & quicumque actus ad alium titulum, & non ad animum ratificandi professionem sunt referendi; In nihilum urgente, quod Soror Constantia reclamaverit post unum annum cum dimidio ab obitu Marchionis Nicolai Patris, cum semper reclamatio secuta sit intra quinquennium, & cum pecuniæ, ac necessaria subsidia, & necessariæ ipsi deficerent probationes, sine quibus Causa instrui non poterat, adeoque miruni non est, si ad hæc omnia comparanda annus integer cum dimidio sit elapsus.

E contra Maria Hieronyma Arnalda, ad quam ex nota transactione inita cum Reverenda Camera Apostolica, devenit hæreditas Marchionis Nicolai Mariæ Pallavicini, & Monasterium S. Bernardini de Urbe, in quo, uti dictum fuit, Soror Maria Constantia professionem Regularem emisit, sustinent professionem prædictam esse validam; & Scribentes pro Maria Hieronyma, & pro Monasterio, qui magnam pariter scripturarum molem, una cum Summario typis dederunt, duo assumunt probanda, alterum, quod non fuit incussus metus gravis, & qualis oportet pro annullanda professione, alterum, quod quatenus metus gravis fuisset incussus, cessasse dicendus sit ex pluribus actibus, itaut libera voluntas coactæ successerit voluntati.

Porro in eo, quod attinet ad defectum metus gravis, qui est absolute necessarius pro annullanda professione, omissis exceptionibus propositis, tum adversus personas, tum adversus dicta Testium de metu deponentium, Testes a Testibus separandi esse dicuntur; illi etenim, qui deponunt de altercationibus inter Marchionem Nicolaum Mariam, & Constantiam Matrem Sororis Mariæ Constantiæ, & qui concludunt de minis illatis, seu exaggeratis ad effectum extorquendi professionem Religiosam, non faciunt ad rem, cum minæ prædictæ non devenerint ad aures ejus, quæ professionem emittere debebat, & processerint ex quo Marchio Nicolaus sciebat, Matrem omne opus movere, omnemque lapidem, ne Filia fieret Monialis. Cumque in eadem classe reponendi etiam dicantur Testes, qui enarrant dicteria, & conquestiones Sororis Constantiæ, quia certum est, quod hæc, & similia non habentur in consideratione, nisi præcedat concludens probatio metus gravis, totum pondus, ad sensum dictorum Informantium, reducitur ad Testes, qui dicunt, Marchionem Nicolaum proposuisse Sorori Constantiæ, quod si Monasticam professionem emittebat, promptus erat, & paratus ad omnia subministranda, secus autem, si Maritum habere voluisset, quandoquidem in illa hypothesi, aut ipsam ad Civitatem Januensem transmisisset, aut in Matrimonium collocasset cum Fabro Lignario, aut cum alio Homine consimilis notæ. Ex quibus, & consimilibus rebus nullatenus probari dicitur, quod fuerit incussus metus gravis, & qualis est necessarius pro annullanda professione, cum ageretur de Filia illegitima, & quæ juxta tam suam, quam Matris conditionem, alias Nuptias sperare non poterat, ut in terminis Patris, qui filiam naturalem instituit hæredem, hac lege, ut Monialis fieret, sin minus, quod haberet viginti quatuor aureos, & hæreditas ad Monasterium pertineret, quod professio in dicto rerum statu emissa, non dicatur emissa propter vim, & metum, itaut pro nulla habenda sit, firmant *Azor. institut. Moral. parte* 1. *lib.* 13. *cap.* 9. §. 2., *Tamburr. de Jure Abbat. disputat.* 3. *quæst.* 1. *num.* 3. *tom.* 4.

In eoque, quod spectat ad actus subsecutos, ex quibus purgatus asseritur metus, quatenus illatus fuisset, major vis ab Informantibus constituitur in gestis post obitum Patris, & sic postquam cessaverat causa asserti metus; Cum etenim, mortuo Marchione Nicolao, magna super successione in ejus bonis insurrexerit controversia, & Monasterium Sancti Bernardini ex persona Sororis Mariæ Constantiæ universalem sibi asseruerit successionem, sub obtentu, quod Soror Constantia per ingressum in Religionem, & professionem Religiosam fuerit legitimationem consecuta, & duas uncias consecutum fuerit ex sententia Thesaurarii, dividendas inter Matrem, & Filiam, quodque notabilius est, cum inter Monasterium, & Matrem inita fuerit transactio, in qua duæ unciæ Paterni assis, quæ inter Matrem, & Filiam erant dividendæ, conventum fuit, quod dividerentur inter Matrem, & Monasterium, reservato tantummodo Sorori Constantiæ annuo livello, nec Soror Constantia unquam proposuerit articulum nullitatis professionis, nisi postquam in Sententia plenæ Cameræ exclusa in totum fuit a successione in bonis Marchionis Nicolai, sub fundamento potissimum renunciationis ab ipsa emissæ, occasione professionis, quæ renunciatio, subsistente professione, irreparabile ostaculum, tam petitioni universæ hæreditatis, quam duarum unciarum semper erat constitutura.

Ab hisce actibus consequentiæ ab Informantibus pro Arnalda, & Monasterio deducuntur adversus petitionem Sororis Constantiæ; prima est, historiam facti patefacere, qualis fuerit occasio, & qualis sit finis instandi pro nullitate professionis; secunda est, actus hosce subsecutos, & incompatibiles cum supposito professionis emissæ per vim, & metum, facti etenim sunt sciente, & patiente, & respective approbante Sorore Maria Constantia, satis ostendere professionem fuisse libere emissam, & absque ulla coactione; tertia est, ex dd. actibus tacitam induci ratificationem professionis ad normam *Textus in cap.* 1. *de Reg. in* 6., licet emissi fuerint intra quinquennium, cum ex actibus etiam intra quinquennium gestis probetur ratificatio professionis licet emissæ per vim, & metum, dummodo actus internum consensum, sive internam ratificationem præseferant, & multo magis si, prout hic, facti fuerint postquam cessavit causa metus.

Proposita fuit hæc Causa, nec ulla fuit capta resolutio, sed dictum fuit *dilata, & examinentur Testes formiter, juxta instructionem*, & instructio fuit, quod audirentur extrajudicialiter Illustrissimi Cervinus, & De Vico, & quod examinarentur formiter Pater de Matthæis, De Marchis, Dominus Jacobatius Fiscalis Generalis, & ejus Uxor, nec non Moniales, de quibus in præterito Summario Arnaldæ *n.* 14.

Sensus Illustrissimorum DD. Cervini, & de Vico in Sacra Congregatione aperietur a Secretario; Dominus Jacobatius Fiscalis dixit superfluum futurum esse tam suum, quam suæ Uxoris examen, cum nihil ad rem faciens deponere valeat.

Proposita iterum fuit hæc Causa in Congregatione habita

bita die 24. *Augusti* 1720. & rescriptum fuit: *Dilata, & ad mentem*, & mens fuit, ut interrogarentur extrajudicialiter R. P. D. de Calcagninis, & D. Jacobatius Fiscalis, & quod ejus Uxor formiter examinaretur. Fuit extrajudicialiter interrogatus R. P. D. de Calcagninis, qui respondit in scriptis, & ejus epistola transmittitur ad unumquemque ex Eminentissimis in hac Causa suffragaturis. Fuit etiam extrajudicialiter interrogatus D. Jacobatius Fiscalis, qui etiam respondit in scriptis, & inquit, *non ho quanto a me alcuna benchè minima notizia, che riguardi la validità, o nullità della Professione, perchè in detto tempo*, loquitur de tempore, quo Soror Constantia in sua domo permansit, *che non giunse a due mesi compiti, non ebbi occasione, che di trattarla pochissimo, e di materie indifferenti, che neppure mi sovvengono, come più volte mi sono espresso con chiunque mi ha parlato*. Fuit ejus Uxor formiter interrogata, & ejus examen ab Informantibus exhibetur. Adeoque nunc quæritur

An constet de nullitate Professionis in casu &c.

Sacra Congr. die 1. Octobris 1720. respondit
Affirmative.

QUÆSTIO CXLVIII.

In Causa Ulixbonensi Occidentali Nullitatis Matrimonii, die 16. Martii 1720.

JOANNA Agnes de Almada Cardine, ut propriæ consuleret existimationi, quam labefactatam esse sciebat, vel ex defloratione, quam passa fuerat a Ludovico Quifel Barberino, ut ipse exposuit in precibus exhibitis huic Sacræ Congregationi, vel ex nimio tantum ad suam Domum accessu, qui per aliquod temporis intervallum ab eodem Ludovico est habitus, ut ipsa Joanna Agnes confessa est in Apoca mox memoranda, Apocam proprio charactere subscripsit *die 6. Maii anno* 1718. sequentibus verbis conceptam, *quantunque il Signor Lodovico Quifel Barberini non deva cosa alcuna al mio onore ec. con tutto ciò come l'opinione di questo è persa per la facilità, e continuazione, colla quale i miei Genitori lo conducevano alla mia Casa, dimandando al detto risarcisse questo mio discredito, ricevendomi per sua moglie, li prometto dal giorno, in che ciò succeda, di eleggere dentro quindici giorni un Convento, e professare immediatamente nel fine dell'anno lo stato di Religiosa, o in questo Convento della Rosa, o in altro, e di non usare mai del Matrimonio, nè consumarlo, per il che al presente per allora rinunzio ad ogni Jus, che possa io avere nella Persona del detto Signore, il che faccio di molta mia libera volontà, senza alcuna violenza, e mancando io ad alcuna di queste condizioni, non ho dubbio, che il detto Matrimonio sia, e si giudichi, come se non fosse mai stato fatto, per il che al presente per allora do il mio libero, e costante consentimento*, & cum hac mutua intelligentia, quæ fuit Testibus Matrimonialibus notificata, contractum fuit Matrimonium inter Joannam Agnetem, & Ludovicum, illudque dicitur nunquam fuisse consummatum.

De hujus Matrimonii validitate actum fuit tam coram Judice primæ Instantiæ, quam coram Auditore Nuntiaturæ, & Judex primæ instantiæ sententiam protulit pro Matrimonii validitate, & Auditor Nuntiaturæ eam sententiam revocavit.

Conditiones turpes, aut impossibiles, sed quæ Matrimonii bonis non adversantur, vitiantur, sed non vitiant Matrimonium, juxta Textum *in cap. Quicunque, ibique Glos. de condit. appos.* Secus autem se habet res, si conditiones apponantur, quæ Matrimonii substantiæ, aut bonis sint adversativæ, tunc quippe non vitiantur, sed vitiant Matrimonium, illudque reddunt nullum, juxta Textum *in cap. Si Conditiones citat. tit. de condit. appos.*

Quoad conditionem in Matrimonio appositam, ut liceat ingredi Religionem, & in ea profiteri ante consummationem Matrimonii, certum est Matrimonium ab ea non vitiari, cum dicta conditio de jure insit, juxta Textum *in cap. Ex publico, & in cap. ex parte de Conversione Conjugatorum*. At difficultas est, an matrimonium vitietur ex conditione apposita, ut non solum liceat alteri ex conjugibus ingredi Religionem ante consummationem Matrimonii, sed quod alter ex eis teneatur id facere; hæc quippe conditio, cum de Jure non insit, & sit adversativa substantiæ Matrimonii, vitiare videtur ipsum matrimonium, & multo magis, cum prædicta conditio in casu præsenti fuerit ab utroque Conjuge acceptata, juxta firmata in his terminis per Sanchez de *Matrimonio lib.* 5. *disputat.* 10. *num.* 6. *& disput.* 13. *num.* 1. *& num.* 5.

Absque eo quod urgeat instantia, dari scilicet posse verum Matrimonium, etiam præcedente voto servandæ virginitatis; ut ex Matrimonio Beatissimæ Virginis cum Sancto Josepho, aliisque Matrimoniis initis, prævia promissione servandi Virginitatem inferunt Theologi, Theologi etenim communiori calculo admittunt Votum virginitatis non conditionatum, sed purum, & absolutum fuisse a Beatissima Virgine Maria emissum. Subdunt iidem verum fuisse inter ipsam, & Sanctum Josephum Matrimonium, & in eo quod attinet ad concordiam Matrimonii cum voto virginitatis in antecessum emisso, asserunt Beatissimam Virginem antequam nuberet S. Josepho, Divino afflatu, & certa revelatione fuisse admonitam, Josephum tradita sibi in Corpus ipsius potestate, nunquam usurum, nunquam debitum petiturum, seu quod votum virginitatis nuncupaturus esset & ipse, seu quod Deus mentem ejus a petendo debito esset aversurus, ita ut Deipara certior facta revelatione Divina consenserit in traditione juris ad copulam conjugalem, quod ad substantiam Matrimonii satis fuit, & non consenserit in usum juris illius, quem sibi voto castitatis interdixerat, quemque nunquam secuturum certissime noverat. Et recepta quoque inter Theologos est sententia, Matrimonium esse validum, etiamsi contrahatur post conventionem initam, abstinendi a quolibet actu conjugali, cum dominium distinguatur ab usu, & verum dominium subsistere valeat cum obligatione, seu conditione non utendi re ipsa, uti cæteris allegatis late prosequitur Clericat. *Decis.* 3. *de matr. per totam a num.* 21. *& seqq.* ex quibus tamen non videtur inferri posse ad validitatem Matrimonii contracti cum conditione, quod alter tantum ex Conjugibus ante consummationem, Religionem ingrediatur, & in ea profiteatur, & cum renunciatione nedum usui, sed etiam juri, seu dominio Corporis alterius Conjugis.

Alii e contra censent, validum esse matrimonii contractum sub conditione, quod alter ex Conjugibus se obliget ad professionem in Religione emittendam, ex quo conditio hæc non repugnat substantiæ matrimonii, quia non repugnat Proli; contrahentes etenim non se obligant ad impediendam Prolem per media illicita; non fidei, quia contrahentes non se obligant ad communicandum corpus alieno; non indissolubilitati, cum matrimonium adhuc sit indissolubile, uti, cæteris allegatis, late prosequitur Bonacin. *Oper. Moral. tom.* 1. *quæst.* 2. *de Matrim. puncto* 10. *proposit.* 2. *num.* 13.

Hæc dicta sint ad ornatum materiæ, nunc quæritur

An constet de nullitate Matrimonii, in casu &c.

Sacra Congr. respondit,
Dilata, & examinentur formiter Parochus, uterque Conjux, & Testes Matrimonii, quatenus non fuerint examinati formiter.

QUÆSTIO CXLIX.

In Causa Portalegrensi, die 16. Martii 1720.

EPISCOPUS Portalegren. in relatione status suæ Ecclesiæ ad Sedem Apostolicam transmissa refert, quod a tempore immemorabili Episcopi Regni Lusitaniæ consueverunt suis subditis conferre primam clericalem Tonsuram, & Ordines Minores die Veneris post prandium, ante diem Sabbati Quatuor Temporum; cumque quærat, an collatio primæ Tonsuræ, & Minorum Ordinum hoc modo facta, licite facta dici valeat, proposita fuit ejus instantia inter summaria precum, & die 2. Decembris anni præteriti dictum fuit, quod proponeretur in folio.

Quoad primam Tonsuram, nulla videtur esse difficultas, quin eadem conferri possit ante diem Sabbati Quatuor Temporum, & post prandium; in Pontificali etenim Romano titulo de Clerico faciendo sic legitur: *Clericus fieri potest etiam extra Missarum solemnia quocumque die, hora, & loco*, & ad rem prosequuntur *Fagnan. in cap. de eo num.* 4. *de tempor. Ordinat. Anaclet. ad eumdem titulum Decretal.* §. 2. *num.* 30.

Quoad Minores Ordines Alexander Papa Tertius in allegato *cap. de eo de tempor. Ordinat.* statuit, quod extra jejunia Quatuor Temporum possint Episcopi Dominicis, aut aliis festivis diebus unum, aut duos ad Minores Ordines promovere, & in *Pontificali Romano tit. de Minoribus Ordinibus* sic legitur: *quatuor Minores Ordines dari possunt extra Missarum solemnia diebus Dominicis, & festivis duplicibus, sed in mane tantum*.

In quo rerum statu, nemo non videt, permissum de jure non esse conferre Ordines Minores die Veneris post prandium ante diem Sabbati Quatuor Temporum.

At difficultas est in consuetudine, & præsertim immemorabili, uti asseritur ab Episcopo.

Admittitur a Doctoribus hujus consuetudinis validitas, & subsistentia, asseruntque, eam non esse reprobandam in locis, in quibus a tempore antiquo est introducta, & præsertim cum dies Sabbati censeatur incipere a Vesperis feriæ sextæ, nec ulla adsit necessitas, quod Minores Ordines conferantur sub Missæ Sacrificio, vel ut Ordinans jejunus sit. *Enriquez in Summa lib.* 10. *cap.* 12. §. 2. *Gobat. tract.* 8. *theolog. experiment. num.* 452. *Layman. in cap. de eo num.* 4. *de tempor. Ordinat. & lib.* 5. *Theolog. Moral. tract.* 9. *cap.* 8. *num. primo, Piringh. ad dictum titulum Decretal. de tempor. Ordinat. sect. prima* §. 9. *sub num.* 77. *Leander Oper. Moral. tom.* 1. *disput.* 11. *de tempor. Ordinat. quæst.* 6. ubi quod hæc est praxis Hispaniarum, *Juenin. de Sacram. quæst.* 8. *de Ritibus Sacram. Ordinis cap.* 2. *in fine*, ubi quod hæc est praxis Galliarum.

Alii prædictam referunt consuetudinem, sed dicunt eam sibi non placere, utpote contrariam Pontificali Romano, *Ricc. in praxi variar. resolut. resolut.* 273. *n. primo, Ventrigl. in praxi rerum Ecclesiasticarum parte prima adnot.* 44. §. *unico num.* 7.

Fagnanus *in cap. de eo num.* 31. *& seqq. de tempor. Ordinat.* distinguit inter publicam ordinationem, sive generalem, & ordinationem privatam, quæ fit in Cappella, vel in secreta Sacristia concurrente aliqua necessitate, vel utilitate Ecclesiæ, & quoad primam Ordinationem dicit eam esse illicitam, si fiat die Veneris, non obstante consuetudine, & e contra licitam esse secundam ordinationem, si pro ea stet consuetudo, & deinde *num.* 40. concludit, quod licet hæc opinio sit vera, expediret nihilominus ut consuetudo aboleretur.

His stantibus, quæritur

An supposita consuetudine immemorabili, licitum sit conferre primam tonsuram, & Minores Ordines feria sexta post prandium ante diem Sabbati Quatuor Temporum, in casu &c.

Sacra Congr. die 13. Aprilis 1720. respondit
Affirmative quoad primam Tonsuram, & quoad cæteros minores Ordines, consuetudinem immemorabilem tolerari posse, sed expedire, ut Episcopus se conformet Pontificali Romano Titulo de minoribus Ordinibus.

QUÆSTIO CL.

In Causa Burgensi, die 13. *Aprilis* 1720.

ADELESMUS Antonius de Cardenas nomen dedit in Civitate Burgensi Religioni Carmelitarum Discalceatorum, sed ob Regulæ rigorem ab eadem recessit, antequam professionem emitteret, & receptus fuit in Religionem Clericorum Ministrantium Infirmis, in qua nedum professionem Regularem emisit, sed etiam omnes Sacros Ordines suscepit, in quibus ulterius ministravit.

Quia vero Superioribus Clericorum Regularium licet interrogatus non aperuit circumstantiam, quod fuerat antecedenter receptus in Religionem Carmelitarum Discalceatorum, professio ab ipso emissa habita fuit uti nulla, idemque fuit a Religione ejectus cum approbatione etiam Patris Generalis, & ejectioni accessit declaratio, quod suspensionem incurrerat, & irregularitatem.

Adelesmus a Religione, uti diximus, ejectus, supplicavit Sanctissimo Domino Nostro pro relaxatione suspensionis, & pro dispensatione ab irregularitate, precibusque remissis ad hanc Sacram Congregationem, de more responsum fuit, quod audiretur Pater Generalis; cumque ipse fuerit in sensu, quod annui posset petitis, proposita fuit instantia inter summaria precum *die* 16. *Martii* 1720. & dictum fuit, quod poneretur in folio.

Quoad nullitatem professionis, ipsa deducitur ex Constitutionibus Clericorum Regularium Ministrantium Infirmis pag. 25. & seqq. ubi sic legitur: *Si escludono principalmente ec. chi avesse portato l'Abito di qualunque Religione, o Congregazione, eccettuate le Militari, vivendo in esse anche per breve tempo. Niun Superiore di qualunque Grado, o Dignità sotto pena della privazione di Voce attiva, e passiva, e di tutti gli offizj, onori, esenzioni, prerogative, ed inabilità perpetua da incorrersi ipso facto, possa ammettere, o dar licenza, che sia ammesso al Noviziato, e molto meno alla Professione solenne alcuno degl' esclusi per vigore della presente Costituzione, ed in caso di attentato contrario, siano nulli, ed invalidi tutti gli atti, tutto ciò per mancanza del consenso necessario della Religione, a nome di cui si dichiara presentemente, che non intende acconsentire giammai a tali atti, senza questa tacita condizione, che non osti alcuno degl' impedimenti accennati*.

Quoad suspensionem, incursus in illam desumitur ex nullitate professionis Religiosæ, cessante etenim ejus validitate; Orator fuit sine titulo ad Sacros Ordines promotus, & sic suspensus remansit.

Absque eo quod quidquam referat, quod juxta hujus Sacræ Congregationis sententiam, dispositio Sacri Concilii Tridentini *Sess.* 21. *cap.* 2. *de Reform.* in qua adversus Ordinatos sine titulo innovantur pœnæ antiquorum Canonum, non est intelligenda, quoad Canones a Gratiano relatos *in Canone neminem, & in Canone Sanctorum dist.* 70. in quibus sic ordinatis imponitur pœna suspensionis, sed tantum, quoad Decretalem Innocentii Tertii in *Cap. cum secundum de Præbendis, & Dignitatibus*, in qua decernitur, quod Ordinato ad Sacros Ordines sine titulo, Episcopus, qui ordinavit, aut ejus in Episcopatu Successor, tenetur in necessariis providere usquequo titulum obtineat; sententia hæc siquidem hujus Sacræ Congregationis non procedit quoad illos, qui Episcopum ordinantem deceperunt, ostendendo se habere titulum congruum, quando non habebant; cum in hac facti specie sic Ordinati etiam post Concilium Tridentinum remaneant suspensi, uti docte de more ostendit *Fagnan. in Cap. cum secundum a num.* 63. *usque ad finem de Præbendis, & Dignitatibus*, de cujus circumstantiæ interventu non videtur hic, & nunc dubitari posse, cum Episcopus Ordinans supposuerit Oratorem esse vere professum, & Orator ipse in precibus Sanctissimo Domino Nostro exhibitis ingenue confessus sit, se sciviſse, & se a suis condiscipulis audivisse, quod reticendo præviam Habitus alterius Religionis assumptionem, emissurus esset professionem nullitatis vitio laborantem, *benchè sapesse per averlo inteso da' suoi Condiscepoli, che qualunque avesse preso l'Abito in altra Religione, sarebbe nulla la professione in questa*.

Demum quoad irregularitatem, clarus est ejus incursus, cum in Sacris Ordinibus, a quorum exercitio erat Adelesmus suspensus, sæpius ministraverit, ut probat Textus *in cap. primo de sententia, & re judicata in* 6. *& in cap. pariter primo de sententia excommunicationis in* 6.

Transeundo ad gratiæ, pro qua exoratur, motiva, Orator dicit se esse redactum ad statum omnino miserabilem, cum ex una parte ad Religionem redire non possit, & ex alia parte characterem habeat Sacerdotalem, nec habeat modum, quo vivere possit, nisi sibi ex Apostolica benignitate suspensio relaxetur, & dispensatio super irregularitate concedatur.

Hæc dicta sint, ut Eminentissimi Patres perspectam habere valeant nullitatem professionis, suspensionem, & irregularitatem Oratoris, nec non motiva, quæ asseruntur pro gratiæ concessione. Quia vero meum est reverenter insinuare quidquid in Regestis Sacræ Congregationis reperitur, & alia addere, quæ facere possunt ad rem, & præsertim quando, prout in casu, nullæ distribuuntur scripturæ, non levis excitari potest controversia circa validitatem ejectionis Adelesmi a Religione Clericorum Ministrantium Infirmis, non obstante nullitate professionis supra exposita, cum ejectio facta dicatur a Superiore Collegii, una cum approbatione Patris Generalis in Urbe commorantis, quando videbatur, eam fieri debuisse servatis servandis, hoc est non a solis Superioribus Religionis, sed a Superiori Regulari, una cum Ordinario, juxta præscripta a Sacro Concilio Tridentino *Sess.* 25. *c.* 19. *de Regul. & Monial.*

In una Eremitarum Camaldulensium Professionis 23. *Januarii* 1666. *lib.* 25. *Decret. fol.* 18. proposita fuerunt hæc dubia.

I. *An si quando comperiatur, Novitium ex præscripto Consti-*

Constitutionis interrogatum adversus ipsam commisisse impedimentum occultando, possit idem Novitius post emissam professionem per Superiorem expelli.

II. *An vero in hac facti quoque specie servanda sit forma Decreti in cap. 19. sess. 25. de Regul.* & Sacra Congregatio censuit *posse expelli, sed servata forma Decreti Sacri Concilii in cap. 19. sess. 25. de Regular.*

Item in una Cosentina nullitatis Professionis 2. *Julii* 1674. *lib.* 28. *Decr. fol.* 311. *& segq.* in qua agebatur de quodam Cappuccino ejecto per sententiam Superioris Regularis ex causa mox insinuata, proposita fuerunt hæc dubia.

I. *An dictus Frater Leo fuerit a Religione legitime dimissus.*

II. *An eidem liceat Uxorem ducere.*

Et Sacra Congregatio *ad utrumque negative respondit.*

Solemnis tandem fuit disputatio in una Neapolitana 15. *Novembris* 1653. *lib.* 19. *Decretor. fol.* 282. *a tergo*, ubi sic legitur: *Sacra, &c. audito Procuratore Religionis Carmelitarum Discalceatorum S. Teresiæ ore, & scriptis, nec non Constitutionibus dictæ Religionis, ac aliis deductis mature perpensis, censuit dimissiones, & ejectiones Professorum a Religione, quæ ab eadem Religione fiunt ex Capite illegitimitatis, vel ex alio defectu fieri debere conjunctim coram Ordinario, & Superiore Regulari Loci ad præscriptum Sacri Concilii cap. 19. sess. 25. de Regular. ideoque sententiam cum processu super dimissione, & ejectione Fratris Caroli Mariæ a Jesu ab ipsis Regularibus latam minime sustineri.*

His stantibus, quæritur

An sit concedenda relaxatio suspensionis, nec non dispensatio ab irregularitate, vel quomodo sit providendum in casu &c.

Sacra Congr. respondit
Dilata, & Adelesmus redeat ad Religionem, & ejectio fiat, quatenus fieri velit serv. serv. a Superiore una cum Ordinario.

QUÆSTIO CLI.

In Causa Firmana Jurisdictionis, die 13. Aprilis 1720.

CURIA Archiepiscopalis Firmana confectionem assumpsit Criminalis Processus, sub obtentu illicitæ negotiationis contra Nicolaum Picininum Canonicum Ecclesiæ S. Victoriæ, exortaque idcirco controversia inter Curiam prædictam, & Promotorem Fiscalem Abbatialis Curiæ Farfensis, qui contendit ad se dicti processus confectionem pertinere, controversiæ cognitio ab Auditore Sanctissimi ad hanc Sacram Congregationem remissa fuit.

Fundamentum Promotoris Curiæ Abbatialis in hoc potissimum residet, quod a Summo Pontifice Urbano Octavo Monasterium S. Victoriæ fuit sæcularizatum, erectaque Monasteriali Ecclesia in Collegiatam, sic fuit a dicto Pontifice dispositum, *easdem vero Collegiatas Ecclesias, ac eorum futuros Priores, Canonicos, Sacristanos, Clericos, aut alios eisdem inservientes cum eorum rebus, bonis, juribus, & pertinentiis universis, visitationi, correctioni, & omnimodæ jurisdictioni dicti Francisci Cardinalis, ac pro tempore existentis Commendatarii Farfen. & S. Salvatoris Monasteriorum supponimus, & subjicimus; quoadque in iisdem Ecclesiis universa, & singula, quæ locorum Ordinarii in propriis Ecclesiis facere possunt, seu debent, idem Franciscus Cardinalis &c. Successores Commendatarii &c. facere possint, & debeant, perpetuo decernimus, & declaramus.*

Haud urgente, quod hic, & nunc non agitur de delicto commisso intra septa Collegiatæ, sed extra Collegiatam, quasi quod hinc inferri possit, confectionem processus pertinere debere ad Curiam Archiepiscopalem Firmanam, tum quia juxta antiquiores Summorum Pontificum Constitutiones, & signanter juxta illam Gregorii Noni, Archiepiscopus Firmanus nullam potest exercere jurisdictionem in Ecclesiis Farfensibus, & in earum personis, tum quia procedendo ad tramites erectionis monasterii S. Victoriæ in Collegiatam, si Canonici remanent subjecti omnimodæ correctioni, & jurisdictioni Abbatis Farfensis, si iidem amplissima fruuntur personali exemptione, confectio processus ad alium spectare non potest, quam ad Eminentissimum Abbatem, cum hæc intercedat differentia inter exemptionem localem, & exemptionem personalem, quod in primo casu delinquens extra locum punitur ab Ordinario, secus autem se habet res in secundo casu, cum in hoc nec ratione delicti commissi, aut contractus initi, aut rei sitæ extra locum exemptum, exemptus conveniri valeat coram Ordinario, uti interpretando Textum Innocentii Quarti *in Cap. volentes de privilegiis in 6.* innovatum a Concilio Tridentino *sess. 7. cap. 14. de Reform.* bene adnotarunt *Franc. in citato cap. volentes numer. 2. Barbosa num. 3. Passerin. num. 7. & 8. de privilegiis in 6.*

Multoque magis cum Curia Abbatialis processus aliquando confecerit Criminales adversus Canonicos ejusdem Collegiatæ propter delicta extra Collegiatam commissa.

Excipit e contra Curia Archiepiscopalis Firmana, quod licet Canonici Ecclesiæ Collegiatæ sint in sequelam Bullæ Urbani Octavi exempti ab Ordinaria Archiepiscopali jurisdictione, debent nihilominus in casu contractus, vel delicti commissi extra ambitum Ecclesiæ, & sic in loco non exempto, sed in loco suæ jurisdictioni supposito, coram se conveniri, & a se puniri, urgente videlicet allegata Constitutione Innocentii Quarti *in Cap. volentes de privilegiis in 6.* ibi, *volentes libertatem, quam nonnullis Apostolica Sedes privilegio exemptionis indulsit, sic integram observari, ut illam alii non infringant, & ipsi ejus limites non excedant, declaratione irrefragabili definimus, quod quantumcumque sic exempti gaudeant libertate, nihilominus tamen ratione delicti, sive contractus, aut rei, de qua contra ipsos agitur, rite possint coram locorum Ordinariis conveniri, & illi quoad hoc suam in ipsos jurisdictionem, prout jus exigit, exercere*; dictæ etenim Innocentianæ Constitutionis dispositio sibi vindicat locum in exemptione concessa personis propter locum, & in quacumque alia exemptione, licet amplissimis verbis concepta, uti ex sensu hujus Sac. Congregationis firmavit Rota *in Baren. Jurisdictionis* 20. *Maii* 1603. *sub num.* 3. *coram bon. mem. Verospio impressa apud Marchesan. de commiss. parte prima §. 2. par.* 1069. *& decis.* 165. *num. primo, & segq. parte 7. Recent.*

Ad partes positis actibus in contrarium allegatis a Curia Abbatiali Farfensi, cum Curia etiam Archiepiscopalis pluries ratione delicti extra Collegiatam commissi, processerit adversus Canonicos Ecclesiæ Collegiatæ, & in conflictu actuum prævalere debeant illi, qui gesti sunt ab Archiepiscopo, aliis, qui ab Abbatibus pro tempore facti sunt.

Ex his autem, & cæteris a Scribentibus hinc inde afferendis, quæritur

An Reverendissimus Archiepiscopus Firmanus possit procedere, & Jurisdictionem Ordinariam exercere contra Personas, & Canonicos Collegiatæ Ecclesiæ S. Victoriæ subjectæ Abbatiæ Farfen. in casu contractuum, & delictorum factorum, & commissorum respective extra septa dictæ Collegiatæ, in casu &c.

Sacra Congr. respondit primum
Negative.
Deinde sub die 3. Augusti 1720. respondit
Recedendum a decisis.

QUÆSTIO CLII.

In Causa Sancti Severini Applicationis Legati, die 13. Aprilis 1720.

CAROLUS Scaccia in ultimo, cum quo decessit, testamento, disposuit, quod Defunctis Laura Catharina, Maria, & Felice de Peverozzis, ex suæ hæreditatis asse solverentur Congregationi Patrum Oratorii S. Philippi Nerii scuta 100. monetæ Romanæ, cum onere annuarum Missarum duodecim, ac subministrandi ceram, & Sacra utensilia Rectori pro tempore cujusdam Cappellaniæ Laicalis, quam idem Testator erigi mandaverat in Ecclesia dictorum Patrum, *item dopo la morte degli Eredi usufruttuarj lascio jure legati alla Chiesa, e Congregazione di S. Filippo scudi Cento in denaro, o censi, con obbligo perpetuo a' Padri di detta Congregazione di una Messa il mese, e somministrare al Cappellano della mia Eredità paramenti, e quanto è necessario per celebrare la S. Messa.*

Patres Oratorii excessivo Missarum numero gravati, prædictum legatum se renuntiare velle professi sunt, exhibitaque a Rectore Seminarii Clericorum Sanctissimo Domino nostro supplicatione, ut favore ejusdem Seminarii fieret applicatio legati, cum onere tamen celebrare faciendi duodecim Missas a Testatore relictas in Ecclesia Cathedrali, quæ non longe distat ab eodem Seminario, fuerunt preces remissæ ad hanc Sacram Congregationem.

Juxta morem scriptum fuit Episcopo pro informatione, qui respondit æquam sibi videri Seminarii petitionem, tum quia Seminarium summa indigentia laborat, itaut quatuor vicibus clausum, & quatuor vicibus apertum fuerit ab Episcopis pro tempore, absque spe eidem providendi per unionem Beneficiorum, cum Beneficia in Diœcesi non reperiantur, tum quia celebrationi Missarum a Testatore relictarum, bene consulitur juxta modum a Rectore Seminarii insinuatum.

Proposita itaque inter Summaria precum *die* 4. *Februarii* 1719. Seminarii supplicatione, rescriptum fuit *ad mentem*, & mens fuit quod exquireretur, an Patres Oratorii non solum Missas per se ipsos celebrare nollent, sed an ulterius nollent, quod Missæ in eorum Ecclesia celebrarentur; habitaque a Patribus responsione, quod ipsi legatum prædictum, nec primo, nec secundo modo acceptare intendebant, proposita iterum fuit instantia Seminarii *die* 1. *Aprilis* 1719. & rescriptum fuit *pro gratia*, & in hujus rescripti executionem, Episcopus *die* 14. *ejusdem mensis* applicavit Seminario Legatum, & demandavit, ut onus Missarum adimpleretur in Ecclesia Cathedrali, & Joannes Antonius Machinellus Cappellanus Cappellaniæ a Testatore institutæ, & ab eodem Testatore nominatus, protestatus est se nolle impugnare prædictam applicationem factam favore Seminarii.

Applicationis tamen Legati impugnationem, quam recensitus Cappellanus protestatus est se facere nolle, Hieronymus Talpa formiter assumpsit, exhibitoque supplici libello, in quo exposuit, se nedum esse Executorem Testamentarium Caroli Scacciæ, sed etiam esse una cum tota sua domo vocatum ad Cappellaniam, seque idcirco exorare, ut legatum a Patribus S. Philippi renuntiatum, & juxta rescriptum hujus Sac. Congregationis applicatum Seminario, applicetur Cappellaniæ, tum quia Cappellania est hæres Universalis Testatoris, & legata de Jure accrescunt hæredi, tum quia Cappellanus, qui tenetur ad celebrandum duas Missas qualibet hebdomada in Ecclesia dictorum Patrum, bene potest ad tramites voluntatis Testatoris alias duodecim Missas ex legato descendentes in eadem Ecclesia celebrare, & tandem quia non fuit impositum, nec imponi potest onus Seminario subministrandi Cappellano paramenta, vinum, ceram, & alia utensilia, uti in executionem voluntatis prædicti Testatoris, Patres S. Philippi Nerii facere debuissent, si legatum acceptassent, proposita fuit ejusdem Hieronymi instantia in Congregatione habita *die* 20. *Maii* 1719. & rescriptum fuit, *quod iterum proponeretur.*

Cumque difficultatibus a dicto Hieronymo Talpa propositis, defensor Seminarii occurrat in scriptura per manus circumferenda, asserendo, primo quod jus accrescendi favore hæredis, quod habet locum in legatis profanis, non applicatur Legatis Piis, in quibus Sedes Apostolica succedit, & quæ per organum hujus Sac. Congregationis de dicto legato disposuit, secundo, quod onus subministrandi utensilia Cappellano impositum Patribus S. Philippi Nerii innotuit huic Sac. Congregationi, quæ eodem minime obstante, statuit legatum esse Seminario applicandum, & tertio quod non subsistit in facto, Testatorem voluisse, ut Missæ duodecim celebrarentur in Ecclesia Patrum S. Philippi Nerii, uti dicitur colligi ex verbis supra recensitis, Causa reproponitur, & quæritur

I. *An sit recedendum a gratia applicationis Legati favore Seminarii, & quatenus affirmative.*

II. *An sit locus unioni legati favore Cappellaniæ ordinatæ a quodam Carolo Scaccia, in casu &c.*

Sacra Congr. respondit
Negative, & amplius.

QUÆSTIO CLIII.

In Causa Fanensi Reductionis Missarum, die 13. Aprilis 1720.

SEBASTIANUS de Arnolphis *anno* 1496. suos universales hæredes gravavit, ut in Ecclesia Cathedrali Sacellum construerent sub Invocatione SS. Corporis Christi, & illud dotarent in Florenis 100. investiendis in bonis stabilibus, quorum reditus pro ejusdem Sacelli officiatura inservire deberent, & paulo post Michael Angelus Arnolphus Sebastiani frater eidem Cappellæ reliquit alios Florenos 50. in bonis stabilibus pariter investiendos.

Vincentius de Arnolphis cupiens, pias Sebastiani, & Michaelis Angeli Patris, ac Patrui respective voluntates executioni demandare, *anno* 1554. devenit ad transactionem cum Canonicis ejusdem Ecclesiæ Cathedralis, & se obligavit quoad usque dictos Florenos 150. persolvisset, tradere quolibet anno Canonicis Florenos septem constituentes summam scutorum trium, & obulorum octo monetæ Romanæ, & e contra Canonici promiserunt, & se obligarunt perpetuis futuris temporibus celebrare in eadem Cappella tres Missas qualibet hebdomada, ac annuum Officium mortuorum cum Missa cantata, solitisque orationibus, & commemorationibus pro Animabus mortuorum, & vivorum Domus de Arnolphis, hoc superaddito speciali pacto, quod cessantibus Canonicis in celebratione dictarum Missarum, & Officii, licitum esset Vincentio, ejusque hæredibus easdem Missas celebrari facere per alios Sacerdotes, etiam quod non essent de dicta Ecclesia.

In vim hujus pacti, Canonici protestati sunt, se nolle inposterum continuare in celebratione Missarum, attenta tenuissima eleemosyna, quæ vix ascendit ad obulum unum pro qualibet Missa, quando in Diœcesi Fanen. eleemosyna manualis est unius julii pro qualibet; cumque hanc protestationem intimassent Antonio Arnolpho hæredi Vincentii transigentis, idem ægre ferens hujus oneris in se assumptionem, eosdem Canonicos provocavit ad A. C. Gentilem, sub obtentu pendentiæ litis usque ab anno 1664. coram A. C. Areosto, sed cum Auditor Sanctissimi controversiam quoad reductionem Missarum remiserit ad hanc Sacram Congregationem, post auditum de more Ordinarium, omnia prædicta confirmantem, & consulentem pro reductione Missarum, proposita fuit Capituli instantia inter Summaria precum, sed Antonio Arnolpho exorante, ut sibi permitteretur sua jura deducere, responsum fuit quod Causa poneretur in folio.

Ex supplici libello tunc ab Antonio exhibito deducitur, ejus fundamentum pro reductione deneganda consistere potissimum in hoc, quod agitur de Missis per contractum acceptatis, in quibus Sacra hæc Congregatio reductionem concedere non consuevit, & multo magis cum contractus fuerit executioni mandatus per longissimum temporis spatium, & cum nulla contigerit immutatio, ex quo eadem summa, quæ ab initio in pactum fuit deducta, ut solveretur, semper fuit persoluta, & in præsenti persolvitur.

Excipit e contra Capitulum, quod contractus est ad iniquitatem redactus, & ad læsionem enormissimam, in quo rerum statu nunquam denegatur reductio, etiam si res sit de Missis per contractum acceptatis; Pro solis etenim scutis tribus, & obulis octo Capitulum se obligavit ad celebrationem trium Missarum hebdomadalium, una cum Missa solemni, & Officio mortuorum, quando eleemosyna Missæ manualis est unius julii pro qualibet, uti supra dictum fuit, non computatis utensilibus, itaut *scuta* 16. & *obuli* 60. requirantur pro dictarum Missarum celebratione, nec non pro Missa cantata.

His stantibus, quæritur

An, & quomodo sit facienda reductio Missarum in casu &c.

Sacra Congr. die 27. Aprilis 1720. respondit,
Pro reductione ad Manualem, deleta Missa solemni, & deleto Officio Mortuorum.

QUÆSTIO CLIV.

In Causa Prænestina Jurisdictionis, die 27. Aprilis 1729.

PROMOTOR Fiscalis Curiæ Episcopalis Prænestinæ contendit, jurisdictionem in Monasterio S. Mariæ Angelorum dictæ Civitatis pertinere ad Eminentissimum Ordinarium, & non ad Eminentissimum Cardinalem dicti Monasterii Protectorem.

Fundamenta Promotoris Fiscalis sunt ea, quæ sequuntur. Primum constituitur in juris dispositione, juxta quam omnia, & singula Monasteria tum Virorum, tum Mulierum subduntur jurisdictioni Ordinariæ, nisi auctoritate Apostolica probentur exempta.

Secundum in fundatione Monasterii S. Mariæ Angelorum, de quo nunc agitur, ad supplicationem etenim Julii Cæsaris Columnæ Prænestinorum Principis, Cardinalis Marcus Antonius Columna Prænestinus Episcopus concessit licentiam pro erectione ejusdem, sed cum explicita conditione, quod Monasterium, & Moniales esse deberent sub cura, visitatione, correctione, gubernio, & superioritate ipsius Cardinalis, & pro tempore existentis Episcopi Prænestini, quinimmo cum tunc erectio Monasterii non fuerit executioni mandata, & idem Franciscus Prin-

Princeps Columna novas pro erectione exhibuerit preces fac. mem. Paulo Quinto, Pontifex nedum approbavit erectionem ad formam concessionis præcedenter obtentæ per Organum Cardinalis Episcopi, sed ulterius Monasterio erigendo Ecclesiam S. Mariæ de Trullo, quæ erat de Jurepatronatus memorati Principis, univit, repetita conditione, quod Moniales perpetuo remanere deberent sub cura, visitatione, correctione, & superioritate ipsius Ordinarii, quæ eadem conditio apposita etiam fuit in sententia lata a Vicario Generali Prænestino tanquam Delegato Apostolico, super valida, & legitima institutione, & erectione Monasterii.

Tertium fundamentum desumitur ab observantia, licet enim Summi Pontifices Monasterio S. Mariæ Angelorum Protectores assignaverint, Ordinarii nihilominus non destiterunt suam in eo exercere jurisdictionem, tum illud visitando, tum approbando contractus in sequelam rescriptorum Sacræ Congregationis Episcoporum, & Regularium, quæ eorum executionem commisit non Cardinalibus Protectoribus, sed vel Cardinalibus Episcopis, vel eorum Vicariis.

Quartum stat fundamentum in his, quæ jure delegato conceduntur Ordinariis a Sacro Concilio Tridentino *Sess. 25. de Regular. cap. 5.* circa clausuram Monialium, & ab aliis Constitutionibus Apostolicis, & Sacrarum Congregationum rescriptis, non obstante etiam Monasteriorum exemptione; Titulus etenim Delegati superadditus a Sacro Concilio Tridentino non dat Ordinariis jurisdictionem novam, sed est excitativus antiquæ, & præexistentis, & inventus fuit, ne prætextu exemptionis subditi se subtraherent ab Ordinaria Episcopali Jurisdictione.

Nec idem Promotor Fiscalis putat quidquam obesse posse vel auctoritatem Eminentissimi Protectoris ipsi de jure competentem, vel Brevia eidem concessa, vel actus ab eodem exercitos.

Non auctoritatem ipsi de jure competentem, quia Protectores de jure nullam habent jurisdictionem, sed solam assistentiam; post editam potissimum Constitutionem 25. sanctæ mem. Innocentii XII. moderatoriam facultatum, quas Ordinum Protectores sibi competere asserebant.

Non Brevia Summorum Pontificum, quia clausulæ in illis appositæ *cum omnibus, & singulis facultatibus, jurisdictionibus, privilegiis, honoribus, & oneribus solitis, & consuetis, quibus alii hujusmodi Monasteriorum Protectores, qui pro tempore fuerunt de jure, usu, consuetudine, aut privilegio, & concessione Apostolica usi sunt, & uti quomodolibet potuerunt*, non operantur, nisi a Cardinali Protectore ostendatur sibi ex privilegio, & concessione Apostolica, aut ex usu undequaque legitimo, & munito bona fide, tituloque præambulo, & scientia, & permissione Cardinalium Episcoporum, aliquam fuisse quæsitam auctoritatem, aut jurisdictionem.

Atque de facto, cum san. mem. Urbanus Octavus consimile protectionis Breve concessisset clar. mem. Cardinali Francisco Barberino Seniori, idemque bene agnovisset, nullam sibi in dicto Brevi concessam fuisse jurisdictionem, eidem Summo Pontifici supplicavit pro concessione alterius Brevis pro obtinenda licentia eligendi in Confessarium Monasterii Monialium aliquem Presbyterum ab Ordinario approbatum.

Cumque novum Breve ab Urbano VIII. fuerit dicto Cardinali concessum, *non obstantibus Constitutionibus Apostolicis, quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, atque de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus.*

Tria sunt, quæ a dicto Promotore Fiscali inferuntur; primum est, non sufficere pro aliqua jurisdictione attribuenda Breve generalibus verbis supra expressis conceptum; secundum non posse Eminentissimum Dominum Cardinalem Franciscum Juniorem aliquod juvamen recipere a Brevi concesso Cardinali Francisco Seniori utpote munito clausula *pro illa vice dumtaxat*; tertium, non esse ad effectum, de quo agitur, alicujus roboris, & momenti quæcumque Brevia eidem Cardinali Francisco Juniori concessa, cum in illis non adsit derogatio Sacri Concilii Tridentini Constitutionum Apostolicarum, & Legum fundationis, & erectionis Monasterii.

Remanent actus a Cardinalibus Protectoribus exerciti; sed Promotor Fiscalis contendit, eos non esse attendendos, aut quia non probatur, quod fuerint facti cum scientia, & patientia Ordinariorum, aut quia non habent assistentiam tituli, aut quia in conflictu actuum, semper prævalent illi, qui facti sunt ab Ordinariis.

Proposita fuit hæc Causa in folio hujus Congregationis, & responsum fuit, *Proponatur in prima post proximam etiam unica*. Prævia autem benigna reassumptione quæritur

An in Monasterio S. Mariæ Angelorum Civitatis Prænestinæ competat Jurisdictio Eminentissimo Ordinario, sive potius Eminentissimo Barberino in casu &c.

Sacra Congr. die 8. Junii 1720. respondit

Competere Jurisdictionem ordinariam Eminentissimo Protectori, delegatam vero Eminentissimo Episcopo, & dentur dubia circa actus pertinentes ad Jurisdictionem delegatam.

QUÆSTIO CLV.

In Causa Albanensi, die 27. Aprilis 1720.

EXTAT in Civitate Albani Monasterium Monialium Ordinis S. Francisci sub Invocatione Sanctissimæ Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis, quod fuit fundatum a Claræ Mem. Principissa Catharina Sabella in sequelam Brevis ipsi concessi a Sanctæ Mem. Urbano Octavo, quod fuit directum Cardinali Borgiæ tunc Episcopo Albani, & in allegato Urbani Brevi habentur hæc verba, *insuper Monasterium sic erigendum, & instituendum, postquam erectum, & institutum fuerit, illiusque Abbatissam, seu Priorissam, & Moniales, ac personas quascumque earumque bona, gubernio, & regimini, administrationi, correctioni, visitationi, obedientiæ, superioritati, & omnimodæ jurisdictioni tuæ, & pro tempore existentis Episcopi Albanen. similiter, & perpetuo submittas, & subjicias, & ultra reditus a Principissa assignatos pro alimoniis Monialium, & cæteris expensis,* eadem promisit *in perpetuum manutenere Monasterium de uno Sacerdote pro Cappellano, & Confessario Monialium, & de uno Factore, seu Ministro pro servitio ejusdem Monasterii idoneis, & approbandis ab Eminentissimo Domino Cardinali Borgia, & ab Episcopo Albanen. pro tempore, ac a Monialibus, & in eventum non manutentionis, voluit teneri ad dictam solutionem scutorum 100. monetæ, ultra dicta scuta 300. Auri, quæ sint pro taxa salarii dicti Confessarii, & Factoris, & pro prædictis se, ac bona sua obligavit, & hypothecavit.*

In horum sequelam putat Eminentissimus Dominus Cardinalis Pauluccius Episcopus Albanen. ad se tanquam ad Ordinarium pertinere jurisdictionem in dicto Monasterio Monialium, eoque fortius cum Episcopi Prædecessores sæpius illud visitaverint, & in eo exercuerint actus jurisdictionis, & Sac. Congregatio Episcoporum, & Regularium in casus contingentia, sæpius direxerit executionem ordinum, & decretorum, tum pro introducendis Monialibus, & Educandis, tum pro approbatione contractuum, Cardinalibus Episcopis Albanen. aut eorum Vicariis.

Absque eo quod jurisdictio attributa dici valeat Cardinalibus Protectoribus, tum quia in Brevibus Protectionum non adest derogatio his, quæ fuerunt statuta in fundatione, tum quia Protectores, uti tales, nullam obtinent in Monasteriis, quorum sunt Protectores, jurisdictionem, & multo magis post editam supra memoratam Constitutionem Innocentii XII.

Et quia aliqui jurisdictionis actus afferri possunt a Protectoribus, subdit idem Eminentissimus Pauluccius, non esse in illis constituendum ullum fundamentum, nedum quia non probantur facti cum scientia, & patientia Cardinalium Episcoporum, sed etiam quia in conflictu actuum semper prævalere debent illi, qui facti fuerunt ab Ordinariis.

His stantibus, quæritur

An in Monasterio Conceptionis Beatissimæ Virginis Civitatis Albanen. competat jurisdictio Eminentissimo Ordinario, sive potius Eminentissimo Protectori in casu &c.

Non fuit resoluta.

QUÆSTIO CLVI.

In Causa Romana, seu Tusculana, die 27. Aprilis 1720.

DOMINICUS Antonuccius e Civitate Tusculana oriundus *anno 1663.* Romam se contulit, ubi primum Domum conduxit, quam etiam successive una cum aliis bonis acquisivit. Contraxit idem Dominicus *anno 1680.* Matrimonium in Urbe cum Hieronyma de Parentibus, & ex hoc Matrimonio *anno 1685.* in Urbe natus est Fran-

Franciscus Antonuccius, qui Sacramenta Baptismatis, & Chrismatis in Sacrosancta Lateranensi Basilica recepit; Vicarius Curatus Parochiæ Sanctorum Quirici, & Julittæ, testatus est dictos de Antonuccis *ab anno 1663.* in sua Parochia domicilium habuisse, & in eadem singulis annis præcepto annuæ communionis satisfecisse, & Franciscus, post emensum in Collegio Romano, & Archigymnasio Sapientiæ studiorum curriculum, uti Romanus fuit prima Clericali tonsura insignitus, & dictæ Parochiali Ecclesiæ adscriptus, & successive ad minores ordines, & deinde ad majores promotus est, prævia dispensatione Sanctitatis suæ super admissione tituli patrimonii, & trium mensium permanentia in Domo Missionis.

Sub obtentu, quod tonsuram, minores, & majores ordines idem Franciscus in Urbe recepisset sine litteris Eminentissimi Episcopi Tusculani, instante Promotore Fiscali prædictæ Ecclesiæ fuit eidem ab Eminentissimo Episcopo demandatum, ut se a celebrando abstineret, habitoque per Franciscum recursu ad hanc Sac. Congregationem, juxta morem responsum fuit, quod audiretur Eminentissimi Episcopus Tusculanus, & Vicarius Urbis, & successive demandatum est, quod Causa poneretur in folio.

Prima, quæ supervenit informatio, fuit illa Eminentissimi Vicarii, in qua inquit, fuisse Franciscum in Urbe prima tonsura, minoribus ordinibus & deinde majoribus insignitum, nullis requisitis litteris Eminentissimi Episcopi Tusculani, tum quia suo Tribunali fuerunt exhibitæ testimoniales super matrimonio parentum, & ipsius Francisci Baptismate, & Chrismate in Urbe celebratis, necnon attestatio Parochi super vita, & moribus, una cum cæteris documentis de studiis in Urbe peractis, & de assignatione Patrimonii in bonis, in Urbe pariter existentibus, hinc inferendo, nullas pro Francisci ordinatione fuisse necessarias Eminentissimi Episcopi Tusculani litteras; licet enim Dominicus Pater in Civitate Tusculana natus esset, ejus tamen permanentia in Urbe dici non potuit temporalis, occasione videlicet itineris, officii, legationis, mercaturæ, aut alterius temporalis moræ, uti loquitur Constitutio Innocentiana mox alleganda, sed permanentia ad quinquaginta, & ultra annos protracta talis fuit, ut in ejus sequelam verum de Jure contraxerit domicilium, in quo rerum statu sibi vindicat locum dispositio Bullæ 44. quæ incipit *speculatores* S. Mem. Innocentii XII. ubi sic legitur, *at si Pater in alieno loco, ubi ejus filius natus est, tamdiu, ac eo animo permanserit, uti inibi vere Domicilium de Jure contraxerit, tunc non origo Patris, sed Domicilium per Patrem legitime, ut præfertur, contractum pro ordinatione ejusdem filii attendi debeat.*

Tum quia cum tota difficultas in eo consistere videatur, quod, una cum Domicilio in Urbe acquisito, Dominicus Pater retinuit etiam in Civitate Tusculana Domicilium, nulla ex facti circumstantia ortum habere potuit necessitas requirendi litteras testimoniales Eminentissimi Episcopi Tusculani; primo quia si Franciscus aliquando Civitatem petiit Tusculanam, id fecit more Romanorum ad animum alleviandum; secundo quia testimoniales litteræ in Constitutione Innocentiana requiruntur in ordinando ratione Beneficii, *ut in §. Licet vero*, ratione accidentalis nativitatis, una cum permanentia ad tantum tempus protracta, ut potuerit eo in loco, in quo ex accidenti natus est, canonico impedimento irretiri, quemadmodum legitur *in §. Cæterum*, vel demum in eo, qui alibi natus Domicilium vere, & perfecte acquisivit, sed in tali ætate a loco originis discessit, ut potuerit alicui Canonico imedimento obnoxius effici, uti habetur *in §. subditus*; absque eo quod Innocentiana Constitutio testimoniales exposcat epistolas illius Episcopi, in cujus Diœcesi, licet Pater retineat Domicilium, aliud tamen in alio loco Domicilium acquisivit, ubi & filium procreavit, in hac quippe facti specie, cum filius subditus sit Episcopi, in cujus Diœcesi natus est, tum ratione Originis, tum ratione Domicilii, nullum sibi videntur vindicare locum litteræ testimoniales Episcopi illius loci, in quo Pater natus est, & in quo adhuc retinet Domicilium.

Pro quo assumpto militare videntur binæ Resolutiones hujus Sacræ Congregationis, altera *in Neapolitana, seu in Hieracen. Ordinationis*, in qua, orta controversia inter Episcopum Hieracen. & Archiepiscopum Neapolitanum super ordinatione cujusdam Clerici, asserente Episcopo Hieracen. quod ipse erat Ordinarius originis paternæ, & excipiente Archiepiscopo Neapolitano, quod Pater in Civitate Neapolitana Domicilium contraxerat, & ibi filium, de cujus ordinatione agebatur, procreaverat, Sacra hæc Congregatio, quæ *die 27. Junii anno 1699.* fuerat in sensu, quod ordinatio pertineret ad Episcopum Hieracen. *die 17. Decembris 1700.* distulit resolutionem, & *die 15. Januarii 1701.* recessit a decisis, & censuit, Ordinationem spectare ad Archiepiscopum Neapolitanum. Altera Resolutio est in Causa Romana, seu Sutrina Ordinationis *die 17. Martii 1708.* in qua, cum Episcopus Sutrinus assereret ad se spectare cujusdam Clerici ordinationem, sub fundamento, quod Pater, & Mater ejusdem essent Originarii suæ Sutrinæ Diœcesis, & in ea bona possiderent, & e contra Eminentissimus Urbis Vicarius exciperet, quod quidquid esset de origine Patris, & Matris, iidem Domicilium contraxerant in Urbe, in qua etiam Orator natus erat, Sacra Congregatio respondit, ordinationem pertinere ad Eminentissimum Urbis Vicarium.

Supervenit deinde informatio Eminentissimi Episcopi Tusculani, in qua, præmisso, quod Dominicus Francisci Pater Tusculi natus est, ibique adhuc retinet Domicilium, & majorem partem bonorum, & publica Communitatis munia exercet, & quod Franciscus licet in Urbe natus per notabile tempus Tusculi permansit usque videlicet ad ætatis suæ annum 14. concludit, non potuisse eum ordinari prima tonsura, & minoribus, atque majoribus ordinibus sine litteris dimissorialibus, & in omnem durissimum casum, sine litteris Testimonialibus sui Tribunalis.

Quod autem Franciscus non potuerit licite ordinari sine suis litteris dimissorialibus, in citata demonstratur informatione, quoties etenim Dominicus Pater est originarius Civitatis Tusculanæ, & in ea habet Domicilium, Filius, qui sequitur originem Patris, non poterat initiari sine litteris dimissorialibus Episcopi Tusculani.

Absque eo quod quidquam referat Domicilium subinde a Patre acquisitum in Urbe, in qua etiam, uti dictum fuit, Filius natus est, quandoquidem sæpe memorata Bulla Innocentiana non requirit tantum, ad effectum contrahendi domicilium pro suscipiendis ordinibus, decennalem habitationem in loco, translationem majoris partis bonorum, una cum instructis ædibus, quæ satis erant de Jure Communi, sed ulterius præscripsit, quod deberet adesse juramentum indicativum animi domicilium contrahendi, uti habetur in §. *subditus*, ibi, *se vere, & realiter animum hujusmodi habere jure jurando affirmet*, quasi quod non exhibito a Dominico Patre Juramento, domicilium ab eodem in Urbe nunquam contractum dici valeat.

Ad partes positis resolutionibus allegatis in Hieracen. & in Sutrina; ignoratur enim, an in earum casu adfuerit juramentum a Bulla Innocentiana requisitum pro contrahendo domicilio, & potius præsumi debet, quod adfuerit, tum quia Sac. Congregatio processit cum supposito, quod Ordinandi domicilium legitime contraxissent in Civitatibus Neapolitana, & Romana, quod contingere non poterat sine juramento, tum quia semper Sac. Congregatio in terminis, de quibus agitur, reputavit, juramentum esse necessarium pro domicilio contrahendo, uti, cæteris omissis, desumitur ex Ugentina, seu Hydruntina Ordinationis, quæ fuit proposita *die 23. Julii 1718. die 18. Martii 1719. & die prima Aprilis, & die 8. Julii 1719.* & in qua fuit resolutum, ordinationem non pertinere ad Episcopum Ugentinum, sed ad Archiepiscopum Hydruntinum, in cujus Diœcesi Ordinandus majorem suorum bonorum partem habebat, una cum instructis ædibus, & inter Cives fuerat adscitus, *præstito tamen Juramento ad formam Bullæ.*

Et cum hoc themate procedendo, concordatur §. Bullæ incipiens *at si Pater* cum §. ejusdem Bullæ incipiente *subditus*; Primum etenim §. statuens, attendendum esse domicilium a Patre acquisitum, & non originem Patris, ut Filius sit ordinandus, loquitur de domicilio per Patrem legitime contracto, modusque legitime acquirendi domicilium exprimitur in subsequenti §. in quo ultra alia requisita a jure communi inducta pro domicilio contrahendo, additur in Bulla, & illud juramenti.

Quod vero in omnem durissimum casum Franciscus non potuisset ordinari sine litteris saltem testimonialibus Curiæ Episcopalis Tusculanæ, patet, quia idem in ea Civitate permansit usque ad eam ætatem, in qua canonicum potuerat contrahere impedimentum, in quo rerum statu ad ordinationem legitime non proceditur nisi præviis litteris testimonialibus Ordinarii, in cujus Diœcesi tempore prædicto permansit.

Multoque magis cum in Civitate Tusculana, Pater sicuti nunc, tunc etiam habuerit domicilium, in hac quippe facti specie mora dici non potuit accidentalis, & *similis* illi, quæ

quæ fit ab eo, qui omnino exterus accedit ad aliquem locum, vel causa animum alleviandi, vel vacandi studiis, quique idcirco promovetur sine litteris testimonialibus Ordinarii dicti loci, juxta resoluta *in Turritana Jurisdictionis 17. Martii 1708. & in alia Turritana 3. Augusti 1709., & in Uxentina, seu Neritonen. Ordinationis 17. Junii 1719.*

His stantibus quæritur

An Franciscus licite fuerit prima tonsura, minoribus, & majoribus ordinibus initiatus in casu &c.

Sacra Congr. respondit,
Negative.

QUÆSTIO CLVII.

In Causa Herbipolensi Ecclesiarum Parochialium, die 27. Aprilis 1720.

EPiscopus Herbipolensis mandavit Abbati Monasterii S. Michaelis Ordinis S. Benedicti extra Mœnia Bambergæ, quod ad Monasterium revocaret Patrem Bonifacium, sub obtentu, quod male exerceret curam Animarum in Ecclesiis Parochialibus EzelsKirchen, & Gremsdorff, & quod idoneum loco illius Clericum Sæcularem præsentaret, sed respondente Abbate, se Patrem Bonifacium esse revocaturum, dummodo sibi daretur facultas præsentandi alium Monachum, Patrem videlicet Idelphonsum, exorta est inter eosdem controversia, eademque ad hanc Sac. Congregationem delata.

Contendit Episcopus, memoratas Ecclesias Parochiales esse Beneficia sæcularia, admissamque fuisse præsentationem ab Abbatibus, factam in personis suorum Monachorum ab anno tantum 1660. quo tempore propter Acatholicorum invasiones, & Bellum Svevicum magna aderat penuria Clericorum Sæcularium; in quo rerum statu infert, non esse nunc liberum Abbati præsentare Regulares sui Ordinis, sed debere præsentare Curatos, qui sint Presbyteri Sæculares, quique ab Episcopo pro tempore institutionem debeant reportare, cum Regularia Regularibus, Sæcularia Sæcularibus sint conferenda, juxta *Caput X. sess. 14. de Reform.* & cum ab hac Sac. Congregatione jam fuerit resolutum, Regularem præfici non posse curæ Animarum ab Episcopo sine Apostolica dispensatione, quæ concedi non consuevit, nisi eodem Episcopo instante pro necessitate, vel utilitate Ecclesiæ, uti ex sensu hujus Sac. Congregationis bene docet Fagnan. *in cap. quod Dei timorem de statu Monachorum num. 17.*

Et quia ab Abbate responsum fuit, quod Parochiales Ecclesiæ suo sunt unitæ Monasterio, item, quod semper ad easdem Monachus fuit præsentatus, & tandem quod vigore præscriptionis jus acquisivit Monachos præsentandi.

Ab Episcopo respondetur nullum, ex dictis fundamentis subsistere, non primum unionis, quandoquidem instrumentum concambii facti a S. Henrico Imperatore anno 1015. ex quo desumitur unio, non fuit exhibitum in forma probante, & quatenus in forma probante exhiberetur, non concluderet unionem, tum quia non potest potestas Laica facere unionem Beneficiorum, tum quia citatum perlegendo instrumentum, in illo continetur donatio nonnullarum Villarum, necnon Jurispatronatus Ecclesiarum dictis Villis annexi, quæ res nihil habet commune cum unione.

Non alterum, quod semper videlicet fuerint Monachi præsentati ad Ecclesias Parochiales, de quibus agitur, cum constet Presbyteros Sæculares fuisse præsentatos usque ad annum 1660.

Non ultimum denique præscriptionis, in tantum siquidem Episcopi ab eo tempore usque in præsens admiserunt præsentationes Monachorum, in quantum id de necessitate fieri debebat, stante penuria Clericorum Sæcularium.

Præterquamquod ad mutandum Beneficii statum quadragenaria requiritur, sed non sufficit, necesse etenim esse dicitur, quod concurrat bona fides, adsit scientia, & patientia illorum, quibus ex mutatione status præjudicium infertur, & quod provisiones fuerint factæ eo animo, & intentione, ut Beneficii status mutaretur, juxta firmata per Adden. ad Ludovis. *Decis.* 434. num. 20.

Contendente igitur Episcopo, memoratas Ecclesias Parochiales esse beneficia sæcularia, & admissam fuisse præsentationem ab Abbatibus factam in personis suorum Monachorum ab anno tantum 1660. quo tempore, propter Acatholicorum invasiones, & Bellum Svevicum magna aderat penuria Clericorum sæcularium, hinc inferendo non debere esse modo liberum Abbati præsentare Regulares sui Ordinis, sed mutatis in præsenti rerum circumstantiis debere præsentare Curatos, qui sint Presbyteri sæculares, & qui ab Episcopo pro tempore institutionem reportent, nulla fuit capta resolutio, sed responsum, quod hinc inde coadjuvarentur probationes, & quod ab Episcopo exiberentur institutiones.

Facta fuit hinc inde coadjuvatio probationum, & reliqua demandata, sunt adimpleta. Quocirca quæritur

An Abbas Monasterii S. Michaelis extra mœnia Bambergæ Ordinis Benedictinorum teneatur præsentare Rectores, seu Curatos ad Ecclesias Ezelskirchen, & Gremsdroff, qui sint Presbyteri sæculares ab Episcopo instituendi, vel potius liberum eidem sit præsentare Regulares sui Ordinis in casu &c.

Sacra Congr. die 19. Septembris 1722. respondit
Affirmative ad primam, & negative ad secundam dubii partem.

QUÆSTIO CLVIII.

In Causa Nucerina Parochialis, die 11. Maii 1720.

EPiscopus Nucerinus concursum de more indixit ut Parochialem Ecclesiam, sive Prioratum S. Angeli Terræ Saxoferrati vacantem de novo Rectore providerет.

Plures ad concursum venerunt, sed aliis omissis, qui vel appellationem subinde non interposuerunt, vel subsequenter a prosecutione appellationis interpositæ recesserunt, Sacerdos Marcus de Evangelistis ex quinque examinatoribus Synodalibus tres habuit sibi favorabiles, & in Sacerdotem Paridem de Vimercatis omnium quinque examinatorum favorabilia vota confluxerunt.

Paris de Vimercatis fuit ab Episcopo prælectus, & appellatione a Sacerdote Marco de Evangelistis ad hanc Sac. Congregationem interposita, in præsenti quæritur an sit locus novo examini, & quatenus novo examini locus non esset, an saltem aliunde constet de irrationabili judicio Episcopi, ut ex tenore dubii infra referendi desumitur.

Sacerdos Paris contendit, non esse locum novo examini, nisi aliqua probatio præcedat gravaminis ab Episcopo illati in sui ipsius prælectione, & multo magis cum Sacerdos Marcus de Evangelistis suæ idoneitatis honorabile testimonium habuerit, cum ex quinque examinatoribus, tres eum denuntiaverint idoneum pro obtinenda Parochiali; & post hæc, transit ad enumerationem suorum requisitorum, propter quæ contendit, nedum constare de rationabili judicio Episcopi, sed ulterius superfluum esse futurum quodcumque novum examen, in quo licet Sacerdos Marcus superior evaderet, non ob hoc tamen Parochialem consequi posset, cum Parochiales Ecclesiæ conferantur non intuitu tantum litteraturæ, sed ex aliis etiam qualitatibus, ad quas conferens debet habere omnem considerationem.

Excipit e contra Sacerdos Marcus de Evangelistis, novum examen esse de necessitate instituendum, cum appellationem ipse interposuerit, & novi examinis facultas Appellantibus detur in celebri Constitutione 33. *S. Pii V. Bullar. tom. 2.*

Absque eo quod debeat ipse hic, & nunc docere de gravamine per Episcopum illato, quandoquidem de hoc docere non debet ante novum examen faciendum coram Judice appellationis juxta antiquam hujus Sacræ Congregationis resolutionem in Causa Pistorien. 12. *Junii* 1603. impressam apud *Fagnan. in cap. eam te num. 31. de ætat. & qualit.* & juxta recentem hujus eiusdem Sacr. Congregationis resolutionem in *Isclana* Parochialis 23. *Julii* 1718.

Et quia, uti supra visum fuit, Sacerdos Paris insistit in præponderantia suarum qualitatum, & in sufficienti approbatione idoneitatis a Sacerdote Marco reportata, subdit idem Sacerdos Marcus non esse hic, & nunc agendum de qualitatum præponderantia, de ea etenim erit agendum, postquam completum fuerit novum examen, & quando assumetur principalis quæstio, an sit facienda nova collatio ob prælectionis irrationabilitatem, tunc quippe erit assumenda indago de moribus, de experientia, & de consimilibus qualitatibus, juxta Sacræ hujus Congregationis resolutiones, quas Rota reverenter amplexa est *decis. 4. & decis. 24. coram Cardinali Celso, & decis. 9. & 10. post Monacell. in formul. tom. 4.*

Nec ulterius idoneitatis approbationem a tribus Examinatoribus Synodalibus reportatam satis esse, ut novum examen excludatur, cum in durioribus terminis duorum æque approbatorum in Concursu, juxta sensum tam Sacræ Congregationis, quam Rotæ novo examini sit locus, si alter ex eis appellationem interponat, juxta firmata *in Comen. Parochialis 10. Januarii 1707. §. nec urgere coram b. m. Caffarello, & in Comen. Præposituræ 13. Maii 1707. §. Clara etenim coram b. m. Omanna.*

Discursus circa Appellationes, quæ interponuntur vel a mala relatione Examinatorum, vel ab irrationabili judicio Episcopi in provisione Ecclesiarum Parochialium per concursum.

1. UT recto ordine procedatur, operæ pretium est in primis exponere, quid in hac Appellationum materia de Jure statutum sit; deinde necesse est differere de Praxi tam apud hanc Sacram Congregationem, quam apud Tribunal Rotæ recepta; ulterius de inconvenientibus, & præjudiciis, quæ ex dicta praxi derivare dicuntur, ultimo tandem de remediis, quæ parari posse videntur adversus allegata inconvenientia, & præjudicia.

2. Porro initio ducto a dispositione Juris, notum est quod Sacrum Concilium Tridentinum *sess. 24. cap. 18. de Reform.* novam formam induxit in collatione Parochialium; voluit enim, quod fieret Concursus, quod Concurrentes examinarentur ab Episcopo, vel ab ejus Vicario Generali, & ab Examinatoribus Synodalibus, non paucioribus, quam tribus, quod Episcopus eum eligeret, quem cæteris magis idoneum judicaret, habita ratione ætatis, morum, doctrinæ, prudentiæ, & aliarum qualitatum, quæ sunt opportunæ ad gubernandam Ecclesiam Parochialem, & quod Examinatorum relationem nulla devolutio, aut appellatio etiam ad Sedem Apostolicam impedire valeret in suspensivo. Præterea notum est etiam, quod Sanctus Pius Quintus *in sua Constitutione 33. Bullar. tom. 2.* ut non solum dignis, sed magis idoneis Parochiales Ecclesiæ conferrentur, decrevit, quod si Episcopus minus habilem, posthabitis magis idoneis, elegerit, possent ii, qui fuissent rejecti, a mala hujusmodi electione, ad Metropolitanum, vel ad Sedem Apostolicam appellare, & prælectum ad novum examen coram ipso Appellationis Judice, & ejus Examinatoribus provocare, & constito de prioris eligentis irrationabili judicio, eoque revocato, quod Parochialis conferatur magis idoneo, & quod denique appellatio interposita interim non impediat, aut suspendat, quominus electio per Ordinarium primo loco facta interim debitæ demandetur executioni. Totum hoc legitur *in §. 7. & 8. dictæ Bullæ*; quocirca post Bullam memoratam, cessat controversia, quæ olim aderat, an scilicet appellari tantum posset a reprobatione Examinatorum, vel etiam ab electione, & judicio Episcopi; appellatio siquidem ab electione, & judicio Episcopi expresse admittitur in memorata Piana Constitutione, uti bene ponderat *Fagnan. in cap. Eam te a num. 24. usque ad 29. de ætate, & qualitate.*

3. Transeundo ad praxim, eadem exponitur sequentibus assertionibus.

4. Prima est, quod Appellans a mala electione Examinatorum, vel irrationabili judicio Episcopi, potest Electum provocare ad novum examen, absque eo quod de irrationabilitate ullum afferat documentum, ullamve probationem. Ita fuit resolutum ab hac Sacra Congregatione *in quadam Causa Pistorien. 12. Junii 1603.*, & resolutio est impressa apud *Fagnan. in allegato cap. Eam te num. 31. de ætate, & qualitate*, ubi postquam Sacra Congregatio ponderavit, Pianam Constitutionem permittere appellanti, ut provocet ad novum examen, & postquam decrevit, quod constito de Episcopi eligentis irrationabili judicio Parochialis magis idoneo conferatur, subdit, loquendo de dicta Constitutione: *Satis manifeste requirit novum examen ad hujusmodi irrationabile judicium cognoscendum, itaut non sit necesse de illo constare antequam decernatur examen, sed absque eo quod de tali judicio irrationabili constet, illud debere decerni, ut per examen perveniatur ad cognitionem irrationabilis judicii.* Concordat alia resolutio *in Causa Montis Regalis 2. Augusti 1607. lib. 11. Decret. pag. 11.* ubi respondendo ad quartum propositum quæsitum, inquit: *Ad quartum, postpositum posse provocare prælectum ad novum examen coram Judice Appellationis, & antequam per alia documenta doceat de irrationabili judicio Episcopi, atque ita Congregatio intellexit Constitutionem san. mem. Pii Quinti.*

5. Quodque notabilius est, licet tempore antecedenti Rota fuisset in sensu, quod docendum erat de gravamine ante admissionem ad novum examen, visa tamen allegata resolutione *in Causa Pistorien.* cui interfuerunt tres Cardinales, Blanchettus, Mantica, & Plattus, qui olim fuerant dicti Tribunalis Auditores; mutavit opinionem, & se conformavit sensui Sacræ Congregationis, nullam requirentis probationem gravaminis ad novum examen, sed illud absolute, & simpliciter indulgentis, statim ac quis appellat in provisione Parochialis, uti late videri potest *in decis. 5. per totam, & præsertim num. 10. & seqq. coram Card. Celso in decis. 476. par. 18. tom. 2. recent. in decis. 64. num. 14. & 15. coram bon. mem. Ansaldo, in decis. 9. num. 3. in decis. 10. num. 4. & seqq. post Monacell. in formul. legal. tom. 4. in Lunen. Sarzanen. Parochialis 2. Julii 1706. §. Neque obstare, & in Comen. Præposituræ 13. Maii 1706. §. Clara etenim, coram bon. mem. Omanna, & in Regien. Parochialis 1. Martii 1720. §. Aut revelante, coram R. P. D. Cerro*, quod extenditur etiam ad casum, in quo intra legitima tempora non fuisset appellatio interposita ab irrationabili Episcopi judicio, vel a mala relatione Examinatorum, teste *Card. de Luca de Paroch. disc. 6. num. 8.*

6. Secunda est, licere, & permissum esse Appellanti electum provocare ad novum examen, etiamsi Appellans fuerit quoad scientiam approbatus in æquali gradu cum illo, cui Parochialis fuit collata; ex ea potissimum ratione, quod Appellans potest contendere, vel se debuisse qualificari tanquam magis doctum, vel alium non debuisse qualificari tanquam idoneum, uti habetur *in Comen. Parochialis 10. Januarii 1707. §. Nec urgere, coram bon. mem. Caffarello, & in allegata Regien. Parochialis 1. Martii 1720. §. Coæqualis, coram R. P. D. Cerro.*

7. Itaut nullus alius adsit modus, quo Electus effugere possit novum examen: quam ostendendo, quod Appellans, & provocans ad novum examen, est de aliquo crimine diffamatus, in quibus terminis procedunt resolutiones hujus Sacræ Congregationis *in Mediolanen. seu Alexandrina Concursus 28. Novembris 1693. lib. 43. decret. fol. 586. & 13. Februarii 1694. lib. 44. decret. fol. 60. a tergo, & in Cassanen. Archipresbyteratus 3. Octobris 1716. lib. 66. decret. fol. 439. a tergo*, & bene adnotarunt *Card. de Luca de Parochis discursu 8. num. 5. & 6. R. P. D. Ansaldus in addit. ad decis. 64. num. 30. & in addit. ad decis. 32. num. 70.* & firmavit *Rotæ decis. 311. coram Priolo, & decis. 10. num. 11. post Monacell. in formul. legali tom. 5.* idque ex ea ratione inductum dicitur, quod sicuti de crimine diffamatus Ecclesiam Parochialem nunquam consequi potest; sic imperceptibile esse videtur, ut pro libito suæ voluntatis valeat ipse Electum provocare ad novum examen.

8. Tertia est, quod licet de Jure sit, quod examen, ad quod Electus provocatur, fieri debeat intra breve tempus, ne lapsu longi temporis reprobatus evadat doctior, uti bene habetur apud *Ventrigl. in praxi ver. Eccles. par. 2. annot. 5. §. 2. num. 55. & 56.* ut plurimum tamen id in praxi non verificatur; passim etenim admittitur intervallum unius anni, & etiam aliquando viginti mensium a primo ad secundum examen, si provocans sit extra Statum Ecclesiasticum, vel si tempus intermedium de necessitate insumatur in tricis Judiciariis, & signanter in disputatione, quæ statim excitatur inter Appellantem, & Appellatum, an videlicet sit locus novo examini, ut ponderat *Lotter. de re benef. lib. 2. quæst. 31. sub num. 155.* & prosequitur *Rota in citata decis. 32. num. 9. & seqq. & in decis. 64. sub num. 25. cor. bon. mem. Ansaldo.*

9. Quarta est, quod ad tramites Bullæ Pianæ, novum examen fieri debet coram ipso Appellationis Judice, & ejus Examinatoribus, & sic, si appellatur ad Sedem Apostolicam, novum examen fit in Urbe, & coram Examinatoribus Eminentissimi Cardinalis Vicarii, itaut nec ætas provocati ingravescens, nec loci distantia ab Urbe, utpote si ipse extra Montes degeret, eum excusare valeant ab accessu ad Urbem, ut se novo examini subjiciat, quemadmodum adnotavit *R. P. D. Ansaldus in addition. ad decis. 32. num. 69.* & firmavit *Rota decis. 5. num. 14. coram Cardin. Celso, & decis. 10. num. pariter 14. post Monacell. in formul. legal. tom. 4.* poterunt que EE. VV. benigne recordari, quod in quadam Causa Isclana Parochialis, quæ fuit propolita 23. *Julii* 1718. & in qua disputatum fuit, an esset locus provocationi ad novum examen faciendum in Curia, responsum est *affirmative, & ad mentem*, & mens fuit, quod exquireretur, an Concursus in terminis appellationis fuisset unquam in partibus delegatus, agebatur enim de provocato paupere, & sene: pervolutisque regestis, cum unica tantum resolutio fuerit reperta *in quadam Causa Melfien. Concursus 21. Junii 1642. lib. 42. Decret. fol. 381.* in qua commissum fuit examen Episcopo vicinio-

viciniori, sed propter timorem pestis tunc grassantis in Civitate Melfien., deprehensum fuit resolutionem esse inapplicabilem, & repropositа Causa *die* 24. *Septembris* 1718. rescriptum fuit, quod examen fieret in Urbe, & sola examinis subdelegatio in partibus admittitur in Parochialibus de Jurepatronatus Laicorum, aliisque Beneficiis, quæ examen exposcunt, & non concursum, uti late habetur *in decis.* 348. *num.* 9. *par.* 10. *recent. in decis.* 307. *per totam*, *& signanter num.* 6. *&* 7. *coram Celso*, *& in decis.* 10. *num.* 13. *& seqq. & præsertim n.* 16. *post Monacell. in formular. leg. tom.* 4.

10. Quinta est, non sufficere unum tantum novum examen, sed juxta praxim, secundum, & tertium examen non denegari quoad usque per tria uniformia experimenta, ad instar rei judicatæ, de litteratura, vel illitteratura constare possit, uti plene habetur *in decis.* 10. *num.* 10. *post Monacell. in formular. tom.* 4. & ad majorem praxis explicationem, operæ pretium est adnotare, quod si prælectus ab Episcopo in concursu, & ad novum examen provocatus, per duas vices reprobetur, admittitur ad novum examen, ex eo quod deficientia in successivis examinibus adscribi valet accidentali ægritudini corporis, vel animi, & ad effectum excludendi juridicum, vel judicialem possessorem tria requiruntur uniformia judicata in Judicio Ordinario, & devolutivo. At si aliquis prælectus ab Episcopo in duobus successivis examinibus succubuisset, & deinde in tertio vicisset, tunc de jure non est locus quarto examini; sed ex quadam æquitate introductum est, ut quartum etiam concedatur examen, juxta late firmata *in Placentina Parochialis* 16. *Martii* 1708. *num.* 7. *& seqq. cor. bon. mem. Ansaldo impressa post Monacell. in formul. tom.* 4.

11. Ultima demum assertio est, quod, absoluto examinis judicio, absolutum dici non potest judicium super Collatione Parochialis; cum etenim doctior non sit dignior, & aliquis posset esse minus doctus, sed magis idoneus pro Ecclesia Parochiali, hinc est, quod expletis examinibus instituenda est quæstio circa Collationem Parochialis, adeoque circa uniuscujusque requisita, & tunc formiter, & per concludentes probationes poni debet in claris, quod Ordinarius prælegerit minus dignum in comparatione dignioris, & in his terminis procedere dicuntur verba Bullæ Pianæ: *constito de prioris eligentis irrationabili judicio*, *coque revocato*, *Parochialis magis idoneo conferatur*, & late ad rem prosequuntur *Ventrigl. in praxi rerum Eccles. parte* 2. *annotat.* 5. §. 2. *num.* 53. *&* 54. *Garzias de benef. par.* 9. *cap.* 2. *num.* 252. *Monacell. in formul. tom.* 2. *tit.* 15. *num.* 20. *&* 21. *Rota in Lunen. Sarzanen. Parochialis* 2. *Julii* 1706. §. *Neque obstare coram bon. mem. Omanna*, *& decis.* 10. *num.* 4. *&* 5. *post Monacell. in formul. tom.* 4.

12. Exposita praxi, juxta methodum insinuatam, necesse est loqui de inconvenientibus, & præjudiciis, quæ ex dicta praxi derivare dicuntur. Porro nonnulla respiciunt juris dispositionem, & ordinem, nonnulla decorem Episcopalem, & nonnulla damnum ipsarum Ecclesiarum Parochialium, nec non Parochianorum.

13. Quoad dispositionem, & ordinem juris, durum & durissimum dicitur esse, quod, si præsumptio juris est pro Episcopi judicio, quoad usque contrarium doceatur, provocatio ad novum examen deinde admittatur, nedum absque ulla probatione, sed etiam absque ullo fumo irrationabilitatis Episcopalis judicii, & multo magis, cum ex novo examine non desumatur nisi major, vel minor litteratura, quando certum est majorem litteraturam non sufficere pro obtinenda Parochiali, itaut possibilis sit casus, quod rite, & recte Episcopus prætulerit minus doctum magis docto, ex quo minus doctus cæteris aliis necessariis polleret qualitatibus pro regimine animarum, ut in puncto, perpensa praxi, de qua nunc agitur, ponderat *Card. de Luca de Parochis, disc.* 6. *num.* 3. *& seqq.*

14. Quocirca dicunt Doctores, quod hæc provocatio ad novum examen etiam cum subsecuto favorabili effectu, quod appellans scilicet remaneat approbatus, & etiam qualificatus tanquam magis doctus, nullatenus ei sufficiat pro obtinenda Parochiali, sed tantum ad avertendam notam, & infamiam reprobationis, aut approbationis in secundo gradu reportatæ in primo examine Episcopali, uti ponderat *Ventrigl. in praxi Rer. Eccles. par.* 2. *annot.* 5. §. 2. *num.* 48. & sequitur *Rota decis.* 10. *sub num.* 9. *post Monacell. in formul. tom.* 4.

15. Quoad decorem Episcopalem, animadvertitur, quod provocans ad novum examen, & obtinens approbationem in secundo, & ulterioribus examinibus, ut plurimum Parochialem consequitur, & a Tribunalibus Urbis respondetur, quod *constat de irrationabili judicio Episcopi*, itaut Parochia sit provocanti conferenda. Responsio autem, quod *constat de irrationabili judicio Episcopi*, præjudicium affert decori Episcopali, & quidem, ut aliqui dicunt, sine fundamento, & ratione; deberet etenim de irrationabilitate constare ex actis Concursus habiti coram Episcopo, & non ex novo examine, quia sicuti possibile est, ut aliquis male responderit in Concursu, habito coram Episcopo, & bene respondeat in Concursu, qui fit coram Judice Appellationis, sic possibile est, quod rationabile fuerit Episcopi judicium, non obstante approbatione a provocante reportata in secundo examine, in quo rerum themate, nemo non videt sine fundamento, & sine ratione, & cum dedecore Episcopalis Dignitatis, sæpius responderi, quod *constat de irrationabili Episcopi judicio*; eoque fortius, quod sive ex industria, sive ex accidenti magnum, ut plurimum, intercedit tempus inter examen Episcopi, & examen coram Judice Appellationis, quo tempore intermedio reprobatus discere potest, & experientia Teste habetur, quod probati discunt, edocti videlicet, & præsertim in Urbe ab aliquo viro peritiam habente Theologiæ Moralis, & casuum, uti dicunt, conscientiæ.

16. Quoad damnum denique, & præjudicium Ecclesiarum Parochialium, & Parochianorum, de illo dicitur non esse dubitandum, quia postquam electus in concursu possessionem obtinuit Ecclesiæ Parochialis, si provocetur ad novum examen, debet a Parochia discedere, debet accedere ad Judicem Appellationis, & ut plurimum ad Urbem, debet de necessitate non recedere ab Urbe, nec a loco Judicii quoad usque fuerit completum judicium novi examinis, quod ex supradictis tres, & quatuor instantias admittit, qua in re, an contineatur, nec ne damnum Ecclesiarum Parochialium, & Parochianorum, unusquisque facile colligere poterit, tum ex lege residentiæ impositæ Parochis pro beneficio suarum Ecclesiarum, & Parochianorum, tum ex Sacris Canonibus, qui diutinæ Ecclesiarum adversantur vacationi propter damnum, quod in illas, & earum Parochianos derivat ex intermedia residentia Œconomorum, & Vicecuratorum.

17. Post expositam Juris dispositionem in materia harum appellationum, nec non praxim tam hujus Sacræ Congregationis, quam Tribunalis Rotæ, nec non inconvenientium, & præjudiciorum, quæ ex dicta praxi derivare dicuntur, nihil aliud superest, quam proponere remedia, quæ parari posse videntur adversus allegata inconvenientia, & præjudicia.

18. Ad rem itaque descendendo, præmittere opus est, quod plures in Urbe fiunt Concursus, non solum etenim fiunt pro Ecclesiis Parochialibus Urbis, sed etiam pro Parochialibus, quæ vacant in Patria obedientia, nec non pro omnibus aliis Ecclesiis Parochialibus, in quibus admittitur provocatio ad novum examen.

19. Ante tempora sanctæ memoriæ Innocentii XI. proponebantur ab Examinatoribus oretenus nonnulli casus Theologiæ Moralis, & Concurrentes respondebant oretenus, & non in scriptis, & non iidem casus omnibus Concurrentibus proponebantur, sed aliqui casus uni, alii alteri; cumque frequentes reclamationes audirentur, unus enim ex Concurrentibus asserebat sibi propositos fuisse casus difficiliores, & alterum fuisse de facilioribus interrogatum, quodque notabilius est, cum in magna Concurrentium multitudine, & quidem respondentium non in scriptis, sed in voce, difficile admodum esset, quod Examinatores tutum de uniuscujusque litteratura possent efformare judicium, de ordine san. mem. Innocentii XI. introducta fuit praxis in Tribunali Eminentissimi Vicarii Urbis, quod eadem omnino quæsita omnibus Concurrentibus proponerentur, quod omnes Concurrentes, intra tempus ipsis assignatum, responderent non voce, sed scriptis, & quod pariter non voce, sed scriptis parvam exararent concionem super Textu Evangelii ipsis assignato, exclusa temporibus recentioribus consuetudine explicandi Concilium Tridentinum; cum ex responsionibus, quæ lingua Latina a Concurrentibus dantur, respondendo in scriptis ad quæsita proposita, bene dignoscatur, an calleant linguam Latinam, & sic an habeant capacitatem intelligendi, & explicandi Concilium Tridentinum; & methodus hæc, quod eadem omnino quæsita omnibus Concurrentibus proponantur, & quod ipsi in scriptis respondeant, exigitur a Dataria Apostolica, quando vacat Parochialis Ecclesia Sede Episcopali aut Archiepiscopali vacante, quando contingit vacatio alicujus Ecclesiæ Parochialis, juxta Decretum, & quando vacat aliqua Dignitas major in Collegiata, aut Cathedrali Ecclesia, cui sit annexa Cura Animarum, de qua olim disputabatur, an esset, nec ne conferenda per Concursum, juxta late deducta per *Fagnan. in cap. Cum sit arf. num.* 19. *& seqq. de ætate*, *& qualitate*. Sanctissimus etenim Dominus Noster voluit, atque decrevit, quod occurrente vacatione alicujus majoris Dignitatis in Cathedrali, aut Collegiata Ecclesia, cui sit annexa Cura Animarum, epistola scribatur ab Eminentissimo Prodatario ad Ordinarium Loci, ut Concursum indicat, & quod deinde transmittat acta Concursus, & methodus denique proponendi eadem quæsita omnibus, & exigendi responsionem in scriptis in pluribus viget Diœcesibus, sed non in omnibus, Bononiæ etenim, & Perusiæ examen adhuc fit oretenus, & Concurrentes non respondent in scriptis.

20. Præmittendum est etiam, quod in tantum fuit admissa provocatio ad novum examen absque ulla probatione gravaminis, in quantum cum Concurrentes non responderent in scriptis, non poterat ex actis primi Concursus gravamen desumi, & sic nullus alius supererat modus inquirendi, an ille, qui fuerat in primo examine reprobatus, rite, & recte fuisset reprobatus, quam novum examen decernendo, in quo rerum themate probatio gravaminis ante examen non videbatur, quod exigi posset, juxta censuram Textus *in cap. Si forte de electione in sexto*, ibi, *Si forte inter cætera, quæ objiciuntur electo, aut postulato, seu alias promovendo ad aliquam dignitatem, evidentem scientiæ, vel alium personæ defectum opponi contingat, in discussione objectorum, illum statuimus ordinem incommutabiliter observandum, ut Promovendus super defectu ipso ante omnia subjiciatur examini, cujus eventus examinandis aliis, aut dabit initium, aut negabit*, & in terminis, quod provocatio ad novum examen admittatur absque ulla probatione gravaminis, ex quo gravamen ex actis primæ instantiæ desumi non potest, firmat *Pax Jordan. lucubr. lib.* 10. *tit.* 8. *num.* 227. *Lotter. de re Benef. lib.* 2. *quæst.* 31. *num.* 155. *Garzias de Benef. par.* 9. *cap.* 2. *sub num.* 250. *Gonzal. ad regul.* 8. *Cancell. gloss.* 4. *num.* 144. & quod in tantum admittatur provocatio ad novum examen absque ulla probatione gravaminis, in quantum ex actis primi Concursus non habebantur interrogationes, & responsiones, firmat *Rota coram Ludovis. decis.* 538. *n.* 3. ibi: *Ad docendum autem de gravamine est locus novo examini, qui est modus attendendi iniquitatem, & injustitiam Examinatorum, quod tanto magis procedit in casu isto, in quo non fuerunt descriptæ interrogationes, & responsiones, aut saltem non fuerunt transmissæ, & productæ, itaut cum ex ipsis apparere non possit de gravamine, si aliunde doceri non posset, inanis esset facultas appellandi*, & sequitur *Rota decis.* 5. *num.* 11. *coram Celso*. ibi, *& in hanc partem eo magis inclinarunt Domini, quia in actis dicti Concursus ad Curiam transportatis non apparet registratum integrum examen, ad effectum, ut dignosci possit quis sit judicandus magis idoneus*, & conferunt ea, quæ referuntur apud Auctores, & habentur in monumentis, in quibus aliquid de hisce concursibus statuitur, aut respective refertur, cum apud *Fagnan. in cap. eam te sub num.* 48. *de ætate*, *& qualitate*, habeatur, quod in Diœcesi Pistoriensi non aderat consuetudo scribendi interrogationes Examinatorum, & responsiones Concurrentium, cum in Actis etiam Ecclesiæ Mediolanensis pluries sermo fiat de examinibus faciendis ad tramites Concilii Tridentini pro conferendis Parochialibus Ecclesiis, scilicet *par.* 1. *pag.* 14. *pag.* 120. *pag.* 215. §. *Tum periculum fiat*, nec ullibi mentio fit de conscribendis interrogationibus, & responsionibus, cum ulterius in Archiepiscopali Bononiensi edito a clar. mem. Cardinali Gabriele Paleotto *par.* 4. *tit. de ratione examinandi* expresse supponatur, quod interrogationes fiant oretenus, & responsiones edantur consimili modo, *illud tamen nostra Synodus observandum esse ducit, ut cum plures se obtulerunt examinandos, illi, qui prius nomina dederunt, primi ad examen admittantur, aut si ita expediat, omnes simul coram Examinatoribus convocentur, ut de unoquoque coram omnibus periculum fiat, ac si ex re magis videatur, liceat singulis Examinatoribus aliquid interrogare, ea semper ratione servata, ut inter Examinandos, quanta fieri poterit æqualitas observetur, & super eadem re, & per easdem interrogationes, singuli examinentur, ut omnis collusio, sive præcedens instructio amoveatur sub perjurii periculo*, cumque tandem ex actis concursuum, qui conservantur in Archivo Sacræ Congregationis, & loquendo præsertim de actis antiquioribus, desumatur interrogationes, & responsiones oretenus factas fuisse, hoc solo intercedente discrimine, quod in nonnullis actis solum legitur Titium e. g. fuisse ab Examinatoribus approbatum, & Cajum fuisse reprobatum, & in aliis, interrogationes habentur per extensum, & responsiones, sed scriptæ a Cancellario, qui eas excepit ex ore Interrogantium, & Respondentium, quique per consequens conscribendo modo prædicto interrogationes, & responsiones, uni ex Concurrentibus auxilium, & alteri præjudicium afferre potest, vel ex industria, quod non est credendum, vel ex accidenti.

21. Supposito, quod Concursus, qui fiunt in Urbe, quique ad Datariam Apostolicam transmittuntur, sint taliter confecti, ut eædem interrogationes fiant omnibus Concurrentibus, & quod responsiones scriptæ sint proprio uniuscujusque Concurrentis charactere, videtur, quod præcipiendo, quod omnes Concursus fiant prædicto modo, quod statuendo tempus, intra quod ille, qui fuit in Concursu rejectus, debeat appellare, decernendo ulterius, quod Provocans ad novum examen, gravamen ostendat ex actis primi Concursus, antequam novum examen decernatur, gravamen etenim, si vere adest, potest ictu oculi ostendi ab Appellante ex dictis actis primi Concursus, in quibus, uti supponitur, tam suæ, quam aliorum responsiones continentur, & quidem uniuscujusque charactere conscriptæ, & demum jubendo, ut Appellans, non ex gravamine in litteratura, sed ex aliarum suarum qualitatum præponderantia, ostendat si potest gravamen, aut ex actis Concursus, aut aliunde, & per documenta etiam extrajudicialia, antequam appellatio admittatur, videtur inquam, quod omnia præjudicia cessent, & inconvenientia, nihil quoque fiat adversus Concilium Tridentinum, aut Bullam Pianam, nec adversus sensum Sacræ Congregationis, aut Rotæ.

22. Quod autem omnia prædicta demandando, cessent præjudicia, & inconvenientia, patet; quia si præsumptio est pro Episcopi judicio, quoad usque contrarium doceatur, id totum verificatur in hypothesi, de qua nunc agitur, cum nec provocatio ad novum examen, nec appellatio admittantur, nisi docto de gravamine. Rursus, si inconveniens reputatur, quod sine fundamento, & ratione respondeatur, *quod constat de irrationabili judicio Episcopi*, ex quo Episcopus potuit rationabiliter existimare, quod aliquis in examine coram se peracto esset reprobandus, qui deinde in successivis examinibus approbationem meretur, absurdum hoc nullum sibi potest locum vindicare in eo rerum statu, de quo nunc agitur, cum in ipso irrationabilitas prælationis, in eo quod attinet ad litteraturam, magna ex parte desumatur ab examine peracto coram eodem Ordinario. Denique, si Parochorum absentia magnum tum Ecclesiis, tum Parochianis affert detrimentum, non erit absentia ita frequens, non solum quia frequentia cessabit ex temporis præfinitione ad interponendam appellationem, sed quod magis est, quia imposita lege de probando gravamine ex actis primi Concursus, antequam admittatur provocatio ad novum examen, non erunt provocationes adeo frequentes, & sic adeo frequens non erit absentia, quæ ortum habet a provocatione ad novum examen.

23. Quod item prædicta omnia demandando, nihil committatur adversus Concilium Tridentinum, aut Bullam Pianam, dignoscitur, quia appellatio a mala relatione Examinatorum, nec non ab irrationabili judicio Episcopi, de quibus in Concilio Tridentino, & respective in Bulla Piana, præservatur, & ad eam tantum regulam nonnullæ adduntur conditiones, ut appellatio rite, & recte admittatur.

24. Ultimo, quod nihil per methodum insinuatam inducatur contra sensum hujus Sacræ Congregationis, & Tribunalis Rotæ, ponitur in claris, cum in tantum in præteritis fuerit dictum, esse locum provocationi ad novum examen, absque ulla probatione gravaminis, in quantum gravamen ex actis primi Concursus desumi non poterat, nec alius aderat modus ostendendi gravamen, quam per novum examen, quæ ratio nullum amplius sibi vindicat locum, quando taliter acta primi Concursus conficiuntur, ut ex illis gravamen valeat desumi: Ad quod assumptum comprobandum mirifice confert, quod Sacra hæc Congregatio, licet in resolutionibus, & decretis indicatis, & aliis, quæ possent indicari, videatur quod fuerit in sensu admittendi appellationem, & provocationem ad novum examen, absque ulla prævia probatione gravaminis; de fumo tamen gravaminis, seu irrationabilitatis judicii Episcopalis, voluit aliquando gustare ante appellationis admissionem, teste *Fagnan. in cap. eam te* 39. *de ætate*, *& qualitate*, ibi, *cæterum, etsi ad obtinendum novum examen in judicio appellationis non sit necesse, ut prius constet de irrationabili judicio, ut expræditis liquet, nihilominus Sacra Congregatio consuevit novum examen decer-*

decernere dato aliquo fumo irrationabilitatis, & malæ præelectionis Episcopi &c. & rursus post expositum casum appellationis interpositæ ex præponderantia qualitatum, & ex nimia erga approbatum Examinatorum familiaritate, & benevolentia, subdit, *Sacra Congregatio censuit Concursum novum in Urbe esse instituendum, ubi Orator de veritate narratorum dederit fumum, id est postquam per attestationes extrajudiciales, vel alia informia documenta de hujusmodi suspicione, & gravamine aliqualem fecerit fidem, ut sic probabilis, & sufficiens Causa eum excuset a calumnia.*

Atque hæc dicta sint sub Censura, salvo semper &c.

Nulla fuit *die 11. Maii* 1720. capta resolutio, sed rescriptum est *ad Mentem*, & mens fuit, ut stante frequentia consimilium quæstionum exquireretur, an adesset modus coercendi frivolas appellationes, quæ a non approbatis in Concursu interponuntur, vel a mala Relatione Examinatorum, vel ab irrationabili judicio Episcopi, nec non incongruas provocationes ad novum examen.

In hujus mandati executionem fuit a me exaratus Discursus supra relatus, & tunc impressus post folium exhibitum pro Congregatione habita *die 1. Octobris* 1720. efformatisque nonnullis dubiis generalibus, inter cætera fuit resolutum, quod Appellans a mala Relatione Examinatorum, vel ab irrationabili judicio Episcopi, in eo, quod attinet ad litteraturam, deberet in posterum docere de gravamine, vel ex actis originalibus Concursus, vel ex copia authentica collationata ad formam Juris, in qua tam suæ, quam Concurrentium responsiones proprio charactere, una cum concionibus conscriptæ invenirentur, & quod ante appellationis admissionem, Appellans ab irrationabili judicio Episcopi, non ex capite litteraturæ, sed aliarum qualitatum, quibus se & non præelectum contenderet præditum esse, teneretur docere de gravamine, aut ex actis primi Concursus, aut ex aliis documentis saltem extrajudicialibus ab ipso exhibendis; cumque resolutiones hæ fuerint captæ in Congregatione habita *die 16. Novembris* 1720. annuente felic. record. Clemente Papa XI. scripta fuit subsequenter Epistola Circularis ad Patriarchas, Archiepiscopos, & Episcopos, ut ipsis nota esset mens Sac. Congregationis tum quo ad modum explendi Concursus, tum quo ad circumstantias, quas ipsa statuerat esse necessarias, ut locus esse posset appellationi a mala Relatione Examinatorum, vel ab irrationabili judicio Episcopi.

In eadem Congregatione habita, uti dictum est, *die 16. Novembris* 1720. proposita etiam fuit hæc eadem Causa Nucerina Parochialis, nec in ejus examine opus fuit quæstionem assumere, an ad effectum admittendæ appellationis seu provocationis ad novum examen sibi vindicaret locum Regula contemporanee statuta de gravamine ex actis Concursus comprobando; Marcus enim de Evangelistis, qui appellationem interposuerat, docere prætendebat de gravamine ex ipsis actis Concursus, sed cum Paris de Vimercatis exciperet, quod acta Concursus transmissa non bene fuerant conscripta, Sac. Congregatio respondit, quod transportarentur acta originalia Concursus.

Adimpleta fuit mens Sac. Congregationis, & facta est transmissio Actorum originalium, quocirca quæritur

An sit concedendum novum examen, & quatenus negative, an aliunde constet de irrationabili judicio Episcopi in casu &c.

Sacra Congr. die 2. Octobris 1721. respondit
Negative.

QUÆSTIO CLIX.

In Causa Uxentina Parochialis, die 11. Maii 1720.

INDICTO Concursu occasione vacationis Parochialis Ecclesiæ S. Nicolai Terræ Salvi Uxentinæ Diœcesis, præelectus fuit ab Episcopo Sacerdos Guarinus, & Sacerdos Jo: Felix Lecci appellationem interposuit ab irrationabili judicio Episcopi, transmissisque juxta morem ad hanc Sacr. Congregationem actis Concursus, memoratus Sacerdos Jo: Felix contendit, Ecclesiam Parochialem sibi esse adjudicandam, nedum quia ipse etiam fuit ab examinatoribus approbatus, sed etiam quia suas asserit qualitates, & requisita id exposcere, habita præsertim ratione demeritorum Sacerdotis Guarini, quæ latissime in informatione per manus circumferenda legi possunt.

Addit majorem suam in doctrina idoneitatem desumi posse ex responsionibus tam a se, quam a Sacerdote Guarino datis ad quæsita ab examinatoribus proposita.

Primum quæsitum fuit circa intelligentiam verborum Sacri Concilii Tridentini *Sess. 6. de Justificat. Can.* 10. ibi *si quis dixerit homines sine Christi justitia, per quam nobis meruit justificari, aut per eam ipsam formaliter justos esse, anathema sit.*

Secundum fuit. An Parochus, qui cum Pœnitente peccatum commisit, possit excipere dicti Pœnitentis Confessionem, & an, excipiendo eam, valida sit.

Tertium, An Confessarius, qui Pœnitentem indispositum cognoscit, eique absolutionem dare nequit, possit nihilominus proferre verba, *ego te absolvo*, communicata prius Pœnitenti intentione eum non absolvendi.

Ad primum autem Sacerdos Jo: Felix respondit, merita Christi esse Causam moralem nostræ justificationis; & gratiam sanctificantem esse Causam formalem nostræ justificationis; & Sacerdos Guarinus respondit homines justificari ex justitia Christi non qua ipse justus est, sed qua nos justos facit, nempe suæ Passionis merito, nec per eam ipsam formaliter justos fieri, nisi concurrant opera bona ipsius justificandi.

Ad secundum Sacerdos Joannes Felix respondit posse Parochum Confessionem audire, & Confessionem esse validam, & Sacerdos Guarinus respondit, posse Parochum audire Confessionem, sed Confessionem esse invalidam ex defectu erubescentiæ, & consequenter doloris,

Ad tertium Sacerdos Joannes Felix respondit esse propositionem damnatam a S. M. Innocentio XI. & scribens pro Jo: Felice contendit hanc responsionem subsistere, cum inter allegatas propositiones vigesimanona sit ea, quæ sequitur, *urgens metus gravis est justa Causa Sacramentorum administrationem simulandi*, & Sacerdos Guarinus respondit posse Confessarium proferre illa verba *ego te absolvo*, absque intentione absolvendi, dummodo id Pœnitenti manifestaverit.

His stantibus, quæritur

An constet de irrationabili judicio Ordinarii, ita ut Parochialis Ecclesia S. Nicolai Terræ Salvi sit adjudicanda Jo: Felici Lecci, in casu &c.

Proposita fuit hæc Causa in Congregatione. Tunc autem disputato sequenti dubio, *an constet de irrationabili judicio Ordinarii, ita ut Parochialis Ecclesia S. Nicolai Terræ Salvi sit adjudicanda Joanni Felici Lecci in casu*, responsum fuit *affirmative*.

Prodiit hæc resolutio inaudito Sacerdote Guarino, impetrataque per ipsum nova audientia, iterum quæritur

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu.

Sacra Congr. die 7. Septembris 1720. respondit,
Recedendum a decisis.

QUÆSTIO CLX.

In Causa Firmana Cappellaniæ, die 11. Maii 1720.

NICOLAUS Lappa in ultimo, cum quo decessit, testamento demandavit, quod quædam Cappellania perpetua erigeretur in Ecclesia Sancti Joannis Montis S. Martini.

Super hac Cappellania exorta est controversia; Sacerdos etenim Valerius de Valeriis se ad illam obtinuit præsentari ab his, qui habent jus præsentandi, & e contra Communitas Terræ Montis S. Martini, & Sacerdos Cajetanus Petruccius se dictæ opponunt præsentationi, asseruntque Cappellaniam non Valerio, sed ipsimet Cajetano esse debitam.

Horum fundamentum in hoc consistit, quod Valerius licet fuerit a Patronis præsentatus, non potuit tamen ab Archiepiscopo Firmano reportare approbationem ad audiendas Confessiones, tum propter defectum ætatis, tum propter inhabilitatem.

Quando in fundatione Cappellaniæ habentur hæc verba, *che il suddetto Cappellano da eleggersi sia Confessore, e quando non fosse tale nel tempo dell'elezione, che ne debba impetrare la facoltà dentro un mese dopo seguita la stessa elezione, altrimenti decada da ogni jus di poter essere più Cappellano.*

Absque eo quod quidquam referat conjunctio sanguinis, quam Valerius dicit se habere erga Fundatorem, quia Fundator dedit prælationem consanguineis, sed dummodo illi probent consanguinitatem, & dummodo sint capaces, hoc est habeant omnes alias qualitates ab eodem Testatore volitas, *comandando però, che sino, che vi saranno miei parenti, anco remotissimi, ma capaci a poter esercitare detta Cappellania, questi tutti debbano essere preferiti secondo il loro grado di parentela, che averanno con me, quanto all'ordine dell'elezione, e quando il grado della parentela fosse uguale, voglio, che sia preferito quello, che sarà d'età maggiore, con che però siano tenuti a provare la parentela.*

Addendo, quod idem Fundator exclusis consanguineis prælationem dedit Concivibus, *se non vi saranno miei parenti in tempo, che si sarà fatto luogo alla nomina delle dette elezioni, sia nondimeno sempre preferito il Paesano al Forastiere*, & quod ipse Cajetanus est Concivis juxta attestationes ab ipso exhibitas.

His stantibus, quæritur

An Cappellania relicta per quondam Nicolaum Lappam deboatur Sacerdoti Valerio de Valeriis, seu potius alteri Sacerdoti Confessario Terræ Montis S. Martini in casu &c.

Sacr. Congr. die 22. Junii 1720. respondit,
Ad primam dubii partem negative, ad secundam affirmative.

QUÆSTIO CLXI.

In Causa Vestana seu Sypontina, Ordinationis, die 11. Maii 1720.

PAULUS Jordanus Montis S. Angeli Sypontinæ Diœcesis Mansionariam quamdam Residentialem obtinuit in Ecclesia Cathedrali Vestana, ad cujus Cappellaniæ titulum fuit ab Episcopo Asculano promotus *anno* 1715. ad Diaconatum, & Presbyteratum, præviis litteris dimissorialibus Vicarii Capitularis Vestani, sed sine litteris tam dimissorialibus, quam testimonialibus Archiepiscopi Sypontini.

Instante Promotore Fiscali prædictæ Curiæ Sypontinæ, ut Jordanus declararetur suspensus ab exercitio ordinum, & etiam declararetur irregularis, ex quo, non obstante suspensione, missam ubique locorum celebraverat, post requisitas, & habitas informationes tam Archiepiscopi Sypontini, quam Episcopi Vestani, proposita fuit instantia inter summaria precum in Congregatione habita *die 4. Maii* 1719. & responsum fuit *Jordanum esse suspensum, & irregularem*, & multo magis cum ex dictis informationibus deprehensum fuerit, quod Mansionaria, ad quam fuit ordinatus, erat amovibilis ad nutum Capituli Vestani, ita, & taliter, ut propter a sua Ecclesia absentiam fuerit eadem subinde privatus.

Adversus hoc rescriptum Jordanus obtinuit novam audientiam, suamque instantiam in folio proponi, asserendo, quod nullum ex recitatis fundamentis habet subsistentiam.

Non primum defectu litterarum dimissorialium Archiepiscopi Sypontini, quia post obtentam in Civitate Vestana Mansionariam, quæ erat pro ordinatione sufficiens juxta taxam dictæ Diœcesis, subditus evasit Curiæ Vestanæ, ad tramites *Bullæ 44. Innocentii XII. §. licet vero.*

Non secundum, defectu litterarum testimonialium prædicti Archiepiscopi Sypontini, quia licet eædem requirantur, quando Clericus, qui jam a suo Episcopo ad Clericalem tonsuram, vel minores ordines promotus est, subditus evadit alterius Episcopi ratione Beneficii in ejus Diœcesi obtenti, uti cavetur in citata Bulla §. *hinc est*, testimoniales tamen Archiepiscopi litteras ipse exhibuit Vicario Capitulari Vestano antequam litteras ab ipso dimissorias obtineret pro ordinibus Diaconatus, & Presbyteratus.

Non tertium, quod Mansionaria videlicet, ad quam fuit ordinatus, esset amovibilis, tum quia de hac qualitate non constat, tum quia alii ad titulum ejusdem fuerant ordinati, & Vicarius Capitularis sibi litteras dimissoriales non dedisset, si Mansionaria fuisset amovibilis.

Non quartum, quod ipse fuerit Mansionaria subinde privatus, quandoquidem id processit ex non residentia, & quatenus opponatur eum sine titulo remanere, subdit, id non verificari, cum habeat Patrimonium, ad cujus titulum recepit ordinem Subdiaconatus ab ipso Archiepiscopo Sypontino.

His stantibus, quæritur

An sit standum, vel recedendum a Decisis, & quatenus standum sit in Decisis, an sit locus dispensationi.

Sacra Congr. respondit,
Coadjuventur probationes super qualitate Mansionariæ an sit perpetua, vel ad nutum amovibilis.

QUÆSTIO CLXII.

In Causa Interamnensi Taxæ Seminarii, die 11. Maii 1720.

CLAR. mem. Cardinalis Rappacciolus Episcopus Interamnen. in Synodo habita anno 1653., & in executionem Sacri Concilii Tridentini devenit ad Fundationem, & Institutionem Seminarii, pro ejus manutentione ad Taxam etiam devenit, *ad rationem duorum scutorum de paulis 10. pro scuto pro quolibet centenario scutorum*, tam super fructibus mensæ Episcopalis, quam super fructibus aliorum Diœcesis Beneficiorum.

Taxa hæc fuit pacifice exacta, sed contendentibus nunc nonnullis Beneficiatis ab ejus integra solutione se subtrahere, instante Rectore Seminarii, deventum fuit ad sequestrationem fructuum, & expeditis per Beneficiatos nonnullis inhibitionibus vigore Appellationum coram A. C., facta fuit ab Auditore Sanctissimi Causarum avocatio, eædemque fuerunt remissæ ad hanc Sacram Congregationem, in qua modo dubium infra referendum disputari debet.

Fundamentum Seminarii constituitur *in Cap. 18. Sess. 23. de Reform.* in quo litteraliter præscribitur, quod Beneficiati adigantur ad Taxæ solutionem etiam per Censuras Ecclesiasticas, & alia Juris remedia, invocato quoque, si opus fuerit, auxilio Brachii sæcularis, non obstantibus privilegiis, consuetudine immemorabili, & quavis appellatione, quæ executionem impediat.

Absque eo quod suffragari valeant majores Seminarii divitiæ, quæ post taxam supervenisse referuntur, tum quia id non subsistit in facto, uti refert Ordinarius in sua informatione, tum quia ut objectum suam haberet vim, & efficaciam, oporteret firmare statum Seminarii, qua pendente discussione solutio retardari non potest.

His stantibus, quæritur

An Parochi, Beneficiati, Confraternitates, cæterique omnes comprehensi in Taxa Seminarii Conciliaris Interamnæ facta de anno 1653. per clar. mem. Cardinalem Rappacciolum Episcopum, cogendi sint coram Curia Episcopali dictæ Civitatis ad solutionem ejusdem Taxæ pro terminis decursis, & decurrendis, quacumque appellatione suspensiva, & quibuscumque Inhibitionibus Urbis non obstantibus, in casu &c.

Sacra Cong. respondit,
Affirmative, & amplius.

QUÆSTIO CLXIII.

In Causa Asculana Reædificationis Ecclesiæ, die 11. Maii 1720.

EPISCOPUS Asculanus in sua visitatione peracta anno 1712. restaurari jussit quamdam parvam Ecclesiam S. Francisci de Capradoxo, sitam in sua Diœcesi Asculana, in qua Scipio de Boncompagnis quoddam simplex retinet Beneficium.

Putat autem Scipio, non esse locum restaurationi hujus parvæ Ecclesiæ, licet eadem sit diruta, & omnibus supellectilibus destituta, & absque tecto, tum quia necessaria esset impensa scutorum 185. & obul. 50. quando, adimpleto onere Missarum, sibi non supersunt sex scuta annua, tum quia cæteri prædecessores Episcopi eam habuerunt pro derelicta, permittendo, ut Missæ, quæ in eadem essent celebrandæ, celebrarentur in Parochiali Ecclesia S. Luciæ, prout factum fuit a quadraginta annis citra, & randem quia concurrente inopia Ecclesiæ, quæ dote caret, concurrente inopia Rectoris, qui suam ex Beneficio non recipit congruam substentationem, aliisque omnibus remediis deficientibus, Concilium Tridentinum *Sess. 21. cap. 7. de Reformat.* statuit, quod Ecclesiæ dirutæ ad Matrices, seu viciniores Ecclesias transferantur, & convertantur in profanos usus, sed non sordidos, erecta cruce, in loco in quo erant.

Proposita fuit hæc instantia in Congregatione habita *die 11. Maii* 1720. & dictum fuit, quod scriberetur Episcopo juxta instructionem.

Primum caput instructionis fuit, ut Episcopus referret super reditibus Beneficii, & ipse respondet libera pro Rectore remanere scuta sex annua cum dimidio.

Secundum caput est, ut referret super impensa necessaria pro restauratione, & Episcopus respondet esse necessaria scuta centum, & ultra.

Tertium caput est quoad tempus, quo incepit necessitas restaurandi Ecclesiam, & Episcopus respondet, quod ex visi-

visitatione facta anno 1672. habetur, quod Ecclesia indigebat reaptatione in tecto, & quod si anno 1673. quo Scipio obtinuit Beneficium, dictæ reaptationi vacasset, non corruissent parietes Ecclesiæ, uti subinde contigit.

Concludit tandem Episcopus, quod si fructus, quos ipse posuit sub sequestro *ab anno* 1712. pro Ecclesiæ restauratione applicentur, ipse absque alia impensa Scipionis modum inveniet construendi de novo Ecclesiam, quæ Ecclesiæ ædificatio multum proderit ad excitandam Fidelium devotionem.

His stantibus, quæritur

An sit reaptanda, & supellectilibus instruenda Ecclesia S. Francisci de Capraduxo, & quatenus affirmative, ad quem onus spectet in casu &c.

Sacr. Congr. die 21. Junii 1721. respondit

Episcopus mandet reaptari Ecclesiam cum fructibus usque adhuc sequestratis.

QUÆSTIO CLXIV.

In Causa Romana Census, die 11. Maii 1720.

FRATRES de Moriconis anno 1670. super nonnullis suis bonis annuum perpetuum, sed redimibilem censum imposuerunt in forte scutorum 1332. 50. ad rationem scutorum quatuor cum dimidio pro quolibet centenario, & anno, illumque vendiderunt Confraternitati SS. Triphonis, Respicii, & Nimphæ, & pro faciliori fructuum exactione, fructus nonnullorum locorum montium, juxta morem, obligarunt, vel uti vulgo dicitur, attergarunt.

Anno 1684. prædicti Fratres de Moriconis insteterunt pro fructuum reductione, coactaque generali Confraternitatis Congregatione in ædibus Primicerii, qui tunc erat bon. mem. R. P. D. Octavianus de Corsinis, indulta fuit reductio fructuum census a quatuor cum dimidio ad scuta quatuor tantum, & anno sequenti 1685. deventum fuit consimili modo ad aliam fructuum reductionem, a scutis videlicet quatuor ad sola scuta tria cum dimidio.

Factæ fuerunt hæ reductiones absque Beneplacito Apostolico, cumque moderni Officiales Confraternitatis prætensionem excitaverint, quod reductiones ex dicta Causa nullæ, & irritæ remanserint, itaut fructus, & in præteritum, & in futurum debiti fuerint, & debeantur Confraternitati ad rationem quatuor cum dimidio pro quolibet centenario, & anno, subscriptum fuit dubium ad calcem hujus restrictus referendum.

Magna est inter Doctores controversia, an in Censu consignativo fieri valeat reductio fructuum absque Beneplacito Apostolico, & eorum auctoritates hinc inde pugnantes fuerunt a me relatæ in folio Congregationis habitæ *die* 2. *Julii* 1718. occasione qua in quadam Causa *Senogallien. Censuum* disputatum fuit, *an reductio fructuum Census sine beneplacito Apostolico sustineretur in casu &c.*

In allegata causa *Senogallien. Censuum* Sacra Congregatio noluit articulum in abstracto resolvere, sed proposito dubio respondit *negative*, addita salutari clausula *in casu de quo agitur*; ponderatum etenim fuit in dicta Causa, quod reductio fructuum non erat undequaque immunis a labe collusionis; facta enim fuerat a duobus Prioribus Confraternitatis, cæteris Prioribus absentibus, unde Sacra hæc Congregatio in eadem Causa ad secundum dubium respondendo, in quo quærebatur, *an esset locus revalidationi, & confirmationi Contractus reductionis, tam pro præterito, quam pro futuro*, quoad præteritum *negative* respondit, & reservavit jus agendi contra Priores, qui Censum reduxerant, & quoad futurum instantiam remisit arbitrio Eminentissimi Episcopi.

Cohærenter ad hæc contendit Confraternitas SS. Triphonis, Respicii, & Nimphæ nec primam, nec secundam fructuum reductionem sustineri, tum quia utraque facta fuit absque causa, & ad solum finem annuendi petitis, seu instantiæ promotæ a debitoribus, in quo rerum statu, licet admittatur, quod reductio in abstracto fieri possit sine Beneplacito Apostolico, in concreto tamen fieri non poterat, tum quia ab omnibus præscindendo in secunda reductione fuit apposita conditio, quæ nunquam fuit adimpleta, quod scilicet cautio pro fructibus præstaretur, ex quo loca montium attergata cuidam fideicommisso erant subjecta.

His stantibus, quæritur

An reductiones fructuum Census sustineantur in casu &c.

Sacra Congr. respondit,

Affirmative, præstita fidejussione ad formam resolutionis Congregationis Confratrum de anno 1685. *& amplius.*

QUÆSTIO CLXV.

In Causa Romana Onerum, die 8. *Junii* 1720.

CAPITULUM, & Clerus Basilicæ Vaticanæ tanta communium anniversariorum, & Officiorum pro defunctis mole gravabatur, ut Chori servitium redditum esset intolerabile, ita ut non per hebdomadas, sicuti in Constitutionibus præscribitur, sed fere quotidianum evasisset, adeoque san. mem. Sixtus Papa V. in suis Litteris Apost. expeditis anno 1589. demandavit continuationem viginti & unius Anniversariorum celebrandorum cum interventu totius Cleri, & loco aliorum Anniversariorum quasdam Preces, & quasdam alias Missas partim in Choro, partim extra Chorum recitandas, & applicandas subrogavit.

Post Sixtinam hanc reductionem nova Anniversariorum, & Communium onera fuerunt a Capitulo acceptata, & Chori servitium, quod fuerat a Sixto mitigatum, gravosum iterum, & quodammodo iterum intolerabile evasit, cum sexaginta quinque Anniversaria ab universo Clero in Choro celebrentur, & cum res eo redacta sit, ut ultra interessentiam necessario exhibendam, tam Dominicis, quam Festis diebus ab omnibus tum Canonicis, tum Beneficiatis, qui per hebdomadas reliquo anni tempore deserviunt, diviso toto Clero in duas, ut dicunt Mediarias, quarum una prima hebdomada, altera secunda hebdomada, & sic successive per annum Choro interesse tenetur, dies liberi, & expediti in anni decursu non sufficiant pro separata celebratione omnium Anniversariorum, & exequiarum, ex quo sequitur, quod plures in anno tres Missæ cantatæ in Choro celebrentur, quæ celebratio adimpleri nequit cum ea decentia, quæ esset necessaria, tum quia interessentes Choro remanent nimium defatigati, tum quia magna pars temporis, non obstante initio Chori, quod est valde mane, impenditur in recitatione Officii Divini, quod in Feriis non est sejunctum a parvo Officio Beatissimæ Virginis; quodque in Feriis Quadragesimæ non solum non est sejunctum a dicto parvo Officio, sed etiam conjungitur, vel cum Psalmis Pœnitentialibus, vel cum Psalmis Gradualibus, & cum quotidiana assistentia, & interessentia Prædicationi, quæ fit post Evangelium in Missa de Feria.

In hoc rerum statu habitus fuit recursus ad Sanctissimum Dominum Nostrum pro obtinenda aliquali Communium, & Anniversariorum reductione, remissisque precibus ad hanc Sacram Congregationem, iisdemque, post habitam de more favorabilem informationem ab Eminentissimo Archipresbytero, propositis inter summaria precum, dictum fuit, quod Instantia describeretur in folio.

Parendo mandatis, Instantia in folio describitur, & Scriptura per manus circumfertur, & in Scriptura tres enumerantur Classes Anniversariorum, quorum nonnulla originem suam habent a Capituli gratitudine erga nonnullos suos Benefactores, alia a contractibus, & alia ab ultimis Legantium dispositionibus.

Quoad primam classem Anniversariorum, quæ suam a gratitudine Capituli habent originem, tria enumerantur, & in ordine ad hæc supplicatur, ut eorum loco subrogetur numerus Missarum lectarum de Requiem extra Chorum celebrandarum, vel quod saltem indulgeatur, ut non amplius celebrentur a toto Choro, sed ab ea tantum Chori Mediaria, quæ juxta Regulare ejusdem Chori Servitium, Choro interesse tenetur, & in eo, quod attinet ad quartum Anniversarium supplicatur pro ejus totali abolitione, firmis tamen remanentibus tribus Missis lectis, ad quas una cum Anniversario quolibet anno celebrandas, Capitulum ex gratitudine se obligavit: Hujusque supplicationis fundamentum constituitur, tum in qualitate onerum, quæ voluntarie assumpta fuerunt, tum in continuato tot annorum fideli adimplemento, & tandem in qualitate munerum a Benefactoribus factorum, quæ fuerunt quidem ab illis relicta, sed integre non fuerunt a Capitulo recepta, uti legi potest in allegata Scriptura per manus circumferenda.

Quoad secundam Classem Anniversariorum, & Communium, quæ ex contractibus descendunt, eorum fit enumeratio in sæpe citata Scriptura, & pro eorum aliquali Reductione arbitrio hujus Sacræ Congregationis reverenter supplicatur, propter notabilem redituum decrescentiam, & diminutionem, quæ contigit a tempore initorum contractuum ad tempus præsens; cumque inter hæc Anniversaria, quæ ex contractu descendunt, bina enumerentur, alterum Thaddæi Collicolæ, alterum Quirini Morzani ex eadem ratione tenuitatis fructuum, petitur, ut adimpleri valeant a Mediaria præsente.

Quoad Classem denique Anniversariorum, & Communium descendentium a Legatis, & ab ultimis voluntatibus, quæque sunt decem, & septem, singularis quoque eorum fit enumeratio, & descriptio in Scriptura Capituli una cum individuatione tum Redituum, qui relicti fuerunt, tum Redituum, qui hodie exiguntur, & etiam de his loquendo, fit instantia pro Reductione ad minorem numerum, vel saltem pro facultate, ut in posterum celebrentur in Choro a Mediaria præsente; Absque eo quod adversus hanc Instantiam valeat oppositio, quod in hac tertia classe Anniversariorum, & Communium decem inveniuntur, quæ fuerunt præservata in Bulla Sixtina supra enunciata; cum etenim Sixtus in tantum illa præservaverit, in quantum sufficientes tunc aderant reditus pro eorum implemento, hinc est, quod secuta Redituum deterioratione, reductio semper sibi debeat locum vindicare non obstante Sixtina Constitutione.

Pro faciliori autem petitionis admissione, binæ afferuntur hujus Sac. Congregationis Resolutiones. Prima est in quadam Causa *Neapolitana*, quæ fuit resoluta die 27. *Februarii* 1717., in qua indultum fuit Monialibus B. Patritiæ Ordinis Sancti Benedicti, ut loco Anniversariorum cum cantu celebrandorum subrogarentur nonnullæ Missæ lectæ addito aliquali illarum numero, arbitrio Archiepiscopi Neapolitani, ex motivo magni incommodi, quod Moniales Chorales subire tenebantur in adimplemento prædictorum Anniversariorum cum cantu. Secunda est in quadam Causa *Bracharen.* quæ fuit proposita, & resoluta die 2. *Octobris* ejusdem anni 1717., in qua, loco 145. Anniversariorum annuatim a Capitulo Cathedralis Ecclesiæ celebrandorum, facta fuit subrogatio nonnullarum Missarum, ex motivo, quod Anniversaria erant Canonicis nimis onerosa, & quod Nocturnum cum Vesperis, & Laudibus Defunctorum, quod erat in quolibet Anniversario recitandum de necessitate recitabatur sine debita decentia, & cum verborum præcipitantia, ne tempus deesset recitandi Horas Canonicas, & alias Preces juxta ritum Chori.

His stantibus, quæritur

An, & quomodo sit locus Reductioni, vel Commutationi Anniversariorum, & onerum susceptorum a Capitulo Basilicæ Vaticanæ, sive ex gratitudine, sive per contractus, sive ex ultimis voluntatibus, in casu &c.

Causa in Sacra Congr. non fuit proposita.

QUÆSTIO CLXVI.

In Causa Bojanensi Matrimonii, die 8. *Junii* 1720.

DOMINICUS Marzillus de Terra Cantalupi Diœcesis Bojanen. matrimonium contraxit cum Martha de Prato Vidua, quæque ex primo Marito habebat Filium Marcum Antonium. Hic Marcus Antonius matrimonium contraxit cum Samaritana Petrecca, cumque tam Martha Uxor Dominici, quam Marcus Antonius ejus Filius ex primo Viro mortui sint, & Dominicus matrimonium contrahere intendat cum Samaritana, quæ fuit Uxor Marci Antonii sui Privigni, quæstio excitata est, an id licite, & valide fieri possit, cumque ejus resolutio fuerit huic Sacræ Congregationi commissa, scriptum fuit juxta morem Episcopo pro Informatione, qui retulit exposita in facto subsistere, & totam difficultatem in Jure versari, expectando ab hoc sacro consessu resolutionem, & cohærenter ad hæc proponitur dubium infra referendum.

Porro ex una parte videtur nihil esse, quod obstare valeat matrimonio contrahendo inter Vitricum, & Uxorem Privigni; Uxor enim Privigni est affinis Vitrico, sed non est affinis primo genere affinitatis, sed secundo, uti bene explicat Glossa in *cap. non debet in verbo in* 2. *&* 3. *de consanguinitate, & affinitate*, & juxta novum jus Concilii Lateranensis sub Innocentio Tertio sublatum est impedimentum, quod olim vigebat, secundi, & tertii generis affinitatis, & hodie solum primum affinitatis genus est illud, quod constituit impedimentum usque ad quartum gradum inclusive, uti statuitur in allegato textu *in cap. non debet tit. de consang. & affin.* ibi: *cum ergo prohibitiones de conjugio in secundo & tertio affinitatis genere minime contrahendo &c. difficultatem fre-*

quenter inducant, & aliquando periculum pariant animarum, cum cessante prohibitione cesset effectus, constitutiones super hoc editas, Sac. approbatione Concilii revocantes præsenti Constitutione decernimus, ut sic contrahentes de cætero libere copulentur. Prohibitio quoque copulæ conjugalis quartum consanguinitatis, & affinitatis gradum de cætero non excedat.

Absque eo quod quidquam referat, quod a Jure Civili prohibitæ sint nuptiæ inter Vitricum, & Uxorem Privigni; in hac siquidem, in qua versamur, materia, non Jus Civile, sed Jus Canonicum est attendendum, uti probat *Textus in cap. quod Clericis de Foro competenti.*

Multoque minus refragante, quod sublato impedimento affinitatis in secundo genere aliud remaneat impedimentum, quod illicitum, & nullum reddere potest matrimonium, & est impedimentum publicæ honestatis, sublato quippe a Jure Canonico recentiori impedimento secundi generis affinitatis, sublatum etiam dici debet impedimentum publicæ honestatis descendens a dicto secundo genere affinitatis juxta Glossam loco citato ibi, *Potest dici, quod ubi publica honestas simul incidit in eumdem casum cum secundo, vel tertio genere &c. uno sublato tollitur & aliud per hanc constitutionem, quoties enim vitium ex una etiam radice nascitur, consequens est, ut una lege tollatur.*

Ex alia vero parte non videtur quod ullo modo contrahi possit matrimonium inter Vitricum, & Uxorem Privigni, clarus enim est textus in L. Uxorem 15. ff. de ritu nuptiarum ibi: *Uxorem quondam Privigni conjungi matrimonio Vitrici non oportet.*

Nec est dicendum, quod contrarium fuerit a Jure Canonico statutum, quia Text. *in cap. non debet de consanguin., & affinit.* loquitur de collateralibus consanguineis, & affinibus, ita ut aptabilis videatur propositio, quod Jura Juribus sunt concordanda, & quod quando aliquid est dubium de Jure Canonico, & est decisum de Jure Civili, jus Civile non solum observatur in foro Civili, sed etiam in foro Canonico, & quod quando aliquid est dubium de Jure Civili, & est decisum de Jure Canonico, Jus Canonicum observatur tam in foro Canonico, quam in foro Civili juxta Textum *in Cap. Intellex. de novi operis nunciatione in cap. super Spec. de privil., & in Cap. Clerici de Judiciis.*

Sic ratiocinatur *Joannes Oinotim. ad lib. primum Instit. tit. de Nuptiis de arbore affinitatis num.* 14. *pag. mihi* 45. ibi: *Mortua Anna Matre Caji, & etiam ejus Filio Cajo, quæritur an Vitricus Pamphilus possit ducere Bertam sui Privigni Caji Viduam? De Jure Canonico videtur dicendum quod sic, quia ista Berta est Pamphilo in secundo genere affinitatis, quod hodie matrimonium non impedit cap. Non debet de consanguin. & affinit. Contrarium vero expresse disponitur de Jure Civili in L. Uxorem de Ritu Nuptiarum, ubi dicitur Uxorem quondam Privigni conjungi matrimonio Vitrici non oportet, & in dicta L. non facit §. hoc itaque ff. de gradibus affinit. ubi pro Regula traditur nefas esse eos, qui affinitatis causa inter se Parentum, & Liberorum loco habentur, matrimonio copulari, & quia in hoc casu Jus Civile expresse non reperitur correctum a Jure Canonico in Consistoriis nostris sequimur in pronunciando dispositionem Juris Civilis; quæ maximam publicæ honestatis habet rationem, prout scilicet semper in conjunctionibus non solum id quod licet, sed, & quod honestum est, considerari debet: Nec obstat dictum caput non debet, quia illud tantum de Collateralibus consanguineis, & affinibus loquitur, non autem de Ascendentibus, & Descendentibus Consanguineis, & Affinibus, & Jura Juribus sunt concordanda, ut vitetur Jurium correctio.*

Concordat *Arnoldus Vinnius ad eundem titulum Institutionum de Nuptiis sub num.* 2. *pag.* 63. Editionis Venetæ ibi. *Secundum, & tertium genus affinitatis temere excogitatum posteriores Pontifices merito abrogarunt, nam qui Uxori non sunt Consanguinei, non possunt dici Marito Affines, & contra, ac proinde non prohibebor verbi causa Uxorem ducere eam, quæ Fratri Uxoris meæ quondam nupta fuit. Non obstat quod Papinianus respondet in L.* 15. *Uxorem quondam Privigni conjungi matrimonio Vitrici non oportere, hoc enim non eam rationem habet, quod Affines sunt, sed quod honestas, & pudor naturalis non patiatur mecum matrimonio jungi Uxorem ejus, qui mihi aliquando Filius, seu loco Filii fuit propter Matrem, quam in Matrimonio habui.*

His stantibus, quæritur

An Matrimonium contrahi possit inter Dominicum, & Samaritanam in casu &c.

Sacra Congr. respondit,

Dilata, & scribant bini Theologi.

Votum Patris Joseph de Alfaro e Societate Jesu Theologi Sacræ Pœnitentiariæ.

OBTEMPERANDO humiliter, ac reverenter, ut par est, Illustrissimæ, ac Reverendissimæ Vestræ Dominationis mandato, breviter dico: in casu proposito probabilius, & absolute verum mihi videri, quod Vitricus nullo modo possit ducere in Uxorem eam, quæ fuit uxor Privigni sui jam defuncti. Moveor unice, quia communior, seu potius communissima sententia Canonistarum, & Theologorum, quos late refert *Sanchez lib.7. de Matrim. disp. 66. num.6.* tenet affinitatem ex matrimonio, & copula conjugali contractam, inspecto etiam solo jure naturæ, dirimere matrimonium in primo gradu lineæ rectæ, ut inter Vitricum & Privignam, Novercam, & Privignum, Socerum, & Nurum, Socrum, & Generum. Hanc sententiam post Thomam Sanchez, qui cum aliis paucis contrarium sentit, probabiliorem esse confirmat *Pater Layman lib.5. tract. 10. part.4. cap.6. a num.* 5. & magis adhuc efficaciter probat *Coninck disp. 32. de impedimento triplicis cognationis, affinitatis, & publicæ honestatis, dub.4. num.52. & 53.* Quamvis enim Matrimonium cum affini in primo gradu contineat aliquam indecentiam, quæ in linea transversa non videtur ita gravis, cum viri Sancti, & in Scriptura laudati talia Matrimonia contraxerint, ut patet in Jacob Patriarcha ducente duas Sorores: in linea tamen recta, hæc indecentia est valde gravis. Unde omnes gentes bene institutæ talia Matrimonia tanquam gravissima scelera semper sunt valde detestatæ: ut patet ex 1. ad Corinth. 5. ubi dicitur: *Auditur inter vos fornicatio, & talis fornicatio, qualis nec inter gentes, ita ut Uxorem Patris sui quis habeat.* Nec satisfacit, quod aliqui dicunt, eum loqui de uxore patris adhuc viventis; quia Apostolus hoc peccatum non tam exaggerat in ratione injuriæ, quæ patri fiebat, quam in ratione extraordinariæ fornicationis, ac libidinis. Id ipsum pluribus aliis Scripturæ locis, & testibus ex jure Civili allatis, efficaciter confirmat; & tandem concludit, quod cum talia matrimonia contineant gravissimam indecentiam contra jus naturæ, & fere similem ei, quam continet matrimonium Patris cum filia, (nam eadem fere hac in re debetur reverentia Novercæ, & Matri, cum illa sit facta una caro cum patre, unde illius turpitudo Levit. 18. dicitur turpitudo patris) omnino videtur incredibile, authorem naturæ concessisse homini facultatem, ut posset valide tale Matrimonium inire, cum hactenus nullus acciderit casus, nec unquam futurus sit, in quo sit tanta necessitas talis Matrimonii ineundi, ut hoc honeste fieri possit. Unde sequitur, id nunquam valide factum esse, & sine speciali Dei concessione valide fieri non posse. Post hæc vero ad argumenta in contrarium allata plene, & adæquate satisfacit *a num.*55. Atque ita demum ego pariter censeo, Matrimonium Vitrici cum Uxore sui privigni jure naturæ irritum esse. Salvo meliori &c.

Votum Patris Aloysii Sparaverii Theologi Societatis Jesu.

ANTIQUITUS triplex erat affinitatis genus. Primum erat inter Personam copula licita, vel illicita cognitam, & consanguineos cognoscentis: & e contra inter Personam cognoscentem, & consanguineos cognitæ. Alterum erat inter verum affinem, & maritum, seu uxorem sui affinis. Tertium erat inter affinem secundo genere, & maritum, seu uxorem sui veri affinis. Hæc tria affinitatis genera olim dirimebant Matrimonium. At hodie solo primo affinitatis genere Matrimonium dirimitur. Sic enim statutum est in Concilio Generali Lateranensi, & habetur *cap. non debet, de consanguin. & Affin. Ita Sanch. de Matrim. lib.7. disp.67. num.1. & 2. Filliuc. tract.10. par.2. cap.6. num.211. & 212.*

Jam vero Vitricus affinitatem primi generis habet cum Privigno suo, utpote consanguineo Uxoris suæ. At cum uxore Privigni sui habet solum affinitatem secundi generis: cum illa uxor Privigni sui non sit consanguinea uxoris suæ, sed solum affinis, nempe nurus. Ergo cum uxore Privigni sui habet affinitatem, qua non dirimitur ipsius Matrimonium cum eadem.

Similis casus est, si Cajus duxerit Bertam, Berta vero fratrem habeat Cæsarem, qui duxerit Catharinam. Siquidem mortuis Berta, & Cæsare, potest Cajus ducere Catharinam. *Ita Sanch. l. cit. num.2. Bonacin. de impedim. matrim. quæst.3. pun.12. num.4. Tamburin. Juris Eccles. lib.8. de Matrim. cap.12. §.1. num.6.* Ratio est eadem: quia Cajus cum Catharina habet solum affinitatem secundi generis: eo quod non sit consanguinea Bertæ, sed solum affinis, nempe fratria.

Uno verbo, regula ex his est, quod affinitas non parit affinitatem, nimirum veram, & per se, quæ Matrimonio impedimentum præstet. Affinitas igitur, quæ est inter Vitricum, & Privignum suum non parit affinitatem inter eundem Vitricum, & uxorem Privigni sui; nec dirimit proinde, aut impedit ullo jure Matrimonium contrahi inter Vitricum, & uxorem Privigni sui.

Eadem ratio valet circa justitiam publicæ honestatis. Hæc enim utpote quasi affinitas, vel affinitatis initium, non est nisi inter sponsum, & consanguineos sponsæ; & e contra inter sponsam, & consanguineos sponsi. Dirimit autem Matrimonium cum consanguineis in primo solum gradu; vel usque ad quartum gradum inclusive, prout fuerunt sponsalia de futuro, vel de præsenti: Inter Vitricum ergo, & uxorem Privigni sui nullum habet locum justitia publicæ honestatis: quia illa uxor cum sponsa Vitrici nullam habet consanguinitatem. Ita salvo meliori &c.

Votum Fratris Antonii Bardon Ordinis Prædicatorum Doctoris Theologi, & Cathedratici Casanatensis.

APUD bene multos, quos consului, Casuum arbitros, altum est silentium de morali specie, quæ ventilatur, num scilicet Vitricus absque ullo impedimento, vel publicæ honestatis, vel affinitatis, uxorem ducere possit eam, quæ fuit conjux Privigni sui jam defuncti: quocirca nec difertos Canones, nec luculenta scriptorum testimonia huc facientia in præsentia proferre possum, pono tamen principia, quibus mea quidem sententia nullo negotio dissolvitur moralis quæstio, quæ agitatur. Salvo meliori judicio, plane censeo, Vitricum citra ullum impedimentum, vel publicæ honestatis, vel affinitatis, Matrimonio sibi copulare posse eam, quæ fuit Uxor Privigni sui jam mortui.

Honestas publica est propinquitas orta, aut ex sponsalibus validis, dirimitque Matrimonium cum consanguineis sponsi, ac sponsæ in primo gradu tantum, juxta Concilium Tridentinum Sessione 24. cap.3. de Reformatione Matrimonii, aut ex Matrimonio rato, sed non consummato; tuncque ex S. Pii Papæ V. Decreto, quod incipit, *ad Romanum*, extenditur ad quartum gradum inclusive, ut jam ante Synodum Tridentinam protendebatur. Uxor porro superstes Privigni jam demortui consanguinea non est, nec Vitrici, nec ipsiusmet Privigni, ut supponitur: honestatis igitur publicæ impedimentum præsenti in casu minime potest locum habere.

Affinitas definitur propinquitas procedens ex carnali copula, omni parentela carens. Titius v. g. duxit uxorem Bertam, vel eam illicite cognovit: ex tali matrimonio, seu copula nefaria, cum consanguineis Bertæ affinitatem contraxit, etiamsi alias consanguineus non esset: si vero consanguineus erat, duplex impedimentum cum consanguineis uxoris habebit, unum consanguinitatis ex parte sua, alterum affinitatis ex parte uxoris, quod ad impetrandas dispensationes diligentissime animadvertendum est. Si affinitas sit ex copula licita, dirimit matrimonium intra quartum gradum; si autem ex illicita, dissolvit intra primum, & secundum tantum. Porro circa impedimentum affinitatis, adnotanda sunt hæc duo axiomata. Unum: quo gradu aliquis viro consanguineus est, eodem gradu est affinis illius uxori, & viceversa. Alterum: affinitas affinitatem minime parit; unde affinis Petro non est affinis Joanni illius fratri: hincque fit, ut duo fratres ducere possint citra dispensationes duas sorores. In casu autem, de quo lis movetur, Privignus quidem est affinis Vitrico propter matris suæ nuptias cum eo initas; at Privigni uxor nullam incurrit affinitatem cum mariti sui Vitrico; affinitas quippe, ut dictum est, modo non parit aliam affinitatem.

Id totum in consimilibus tradit doctissimus noster Sylvester Prieras in summa, verbo, *Matrimonium*, §. 8. num. 15. sub finem, ubi hæc habet: *Si mortua uxore, vult quis accipere in uxorem illam, quæ quondam fuit uxor alicujus de consanguinitate primæ uxoris, hoc potest, quia licet nullam fœminam de consanguinitate primæ uxoris possit accipere, quia ibi est affinitas, tamen fœminam olim uxorem alicui de ipsa consanguinitate bene potest accipere, & idem dicendum est, si ponatur similis casus ex parte uxoris, quia, mortuo viro, licet accipere non possit aliquem virum de consanguinitate primi, potest tamen accipere virum maritum alicujus fœminæ de ipsa consanguinitate, quia ibi non est affinitas primi, sed secundi generis. Similiter si Petrus habuit successive duas uxores Bertam, Mariam, ex quarum prima, id est Berta, genuit Margaritam filiam, quæ nupsit Martino, mortuo Petro, & Berta, & Margarita, Martinus potest in uxorem accipere Mariam secundam uxorem Petri secundum prædicta, quia licet Martinus accipere non possit aliquam de consanguinitate suæ uxoris usque ad quartum gradum, fœminam tamen olim uxorem alicujus de ipsa consanguinitate bene potest accipere, ut est hic, & sic est casus, in quo Gener accipere potest eam, quæ fuit uxor Soceri sui. Si etiam mortua uxore mea volo accipere relictam viri, qui fuit germanus meæ uxoris, hæc possum. Similiter posset quis accipere Cognatum uxoris suæ defunctæ, quia si fuit Cognata, id est uxor fratris uxoris, est in secundo genere affinitatis &c.* Hactenus Prieras.

Ita sentio, salvo meliori Judicio.

Votum Fratris Dominici Pontii Ordinis Prædicatorum Sacræ Theologiæ Magistri.

AN Vitricus absque ullo impedimento, vel affinitatis, vel publicæ honestatis ducere possit in uxorem eam, quæ fuit uxor Privigni sui. Respondeo affirmative: quia tali matrimonio neutrum obstat impedimentum.

Non obstat in primis affinitas, quia Vitricus, & uxor Privigni sunt affines dumtaxat in secundo genere affinitatis: quamvis autem antiquitus tria fuerint genera affinitatis, quæ matrimonium impediebant, ut habetur 35. quæst. 2. & 3. Tamen per Concilium Lateranense sub Innocentio III. impedimentum proveniens ex secundo, & tertio genere penitus sublatum est, ut legitur Can. *Non debet*, de consanguinitate, & affinitate his verbis: *Non debet reprehensibile judicari, si secundum varietatem temporum statuta quandoque varientur humana: præsertim cum urgens necessitas, vel evidens utilitas id exposcit..... Cum ergo prohibitiones de conjugio in secundo, & tertio affinitatis genere minime contrahendo . . . . . & difficultatem frequenter inducant, & aliquando periculum pariant animarum, cum, cessante prohibitione, cesset effectus, Constitutiones super hoc editas sacri approbatione Concilii revocantes, præsenti Constitutione decernimus, ut sic contrahentes de cætero libere copulentur.* Hæc ibi.

Deinde non obstat publica honestas: Hoc enim ipso, quod ex vi præfatæ Constitutionis Innocentii III. sublatum est impedimentum affinitatis in secundo, & tertio genere, sublatum quoque creditur impedimentum publicæ honestatis, ut bene notat Glossa in dicto Can. *Non debet*. Quia ubi publica honestas simul incidit in eundem casum cum secundo, vel tertio genere affinitatis, uno sublato tollitur & aliud per hanc Constitutionem.

Quinimmo, sublato impedimento affinitatis, a fortiori censendum est sublatum impedimentum publicæ honestatis. Quia secundum, & tertium genus affinitatis prohibitum erat, potius propter publicam honestatem, quam propter affinitatem. Cum igitur Innocentius III. per prædictam Constitutionem decreverit, quod affines in secundo, & tertio genere possunt libere copulari, implicite declaravit, quod publica honestas, quæ fuerat potior causa, & ratio prohibendi matrimonium inter tales affines, non obstat eidem matrimonio. Quando namque tollitur prohibitio, implicite declaratur, quod causa, & ratio, seu motivum prohibitionis non amplius subsistit.

Doctrina hæc per extensum traditur a *Divo Thoma in 4. sentent. dist. 41. quæst. 1. art. 1. quæstiuncula 5. & habetur in supplemento 3. par. quæst. 55. art. 5. in corpore his verbis.*

Persona, quæ matrimonialiter affini conjungitur, non est affinis, sed est aliud genus attinentiæ, quod dicitur secundum genus: & rursus si affini in secundo genere aliquis per matrimonium conjungatur, non erit affinis in secundo genere, sed in tertio, ut hoc versu ostenditur. Mutat Nupta genus, sed Generata gradum.

Et hæc duo genera olim erant prohibita propter publicæ honestatis justitiam magis quam propter affinitatem, quia deficiunt a vera affinitate . . . . Sed modo illa prohibitio cessavit, & remanet sub prohibitione solum primum genus affinitatis.

His verbis docet Divus Thomas, quod secundum & tertium genus affinitatis erat olim prohibitum *propter publicæ honestatis justitiam magis, quam propter affinitatem.* Cum igitur ex Constitutione Innocentii III. jam sit licitum matrimonium inter affines secundi, & tertii generis; aperte colligitur, quod non amplius obstat publica honestas, propter quam magis, quam propter affinitatem fuerat prohibitum matrimonium inter tales affines.

Hinc sequitur, quod cum Vitricus sit affinis Uxori Privigni solum in secundo genere, potest licite contrahere matrimonium cum illa, quin obstet publica honestas.

Nec refert, quod uxor Privigni habeatur tanquam nurus Vitrici, adeoque reputanda sit tanquam filia 35. quæst. 2. & 3. Can. *Si vir, & uxor non jam duo, sed una caro sunt, non aliter est nurus deputanda, quam filia.* Et quod Vitricus se habeat loco Patris, adeoque eadem, quæ parentibus debetur, his personis, quæ loco parentum sunt, exhibenda sit reverentia. L. *Quia parentis 16.* ff. soluto matrimonio.

Non, inquam refert, quia, ut ait *Gonzal. lib. 4. Decretal. Tit. 14. de Consang. & Affinit.* Talis reverentia non habet eandem vim, ac ea, quam filii tenentur exhibere parentibus, ac proinde cum ad similitudinem detur, non potest illa reverentia similitudinaria irritare, aut impedire matrimonium.

Quidquid autem de Jure Civili sit, standum est Juri Canonico in his, quæ spectant ad propositum casum. Quare licet uxor Privigni vulgo dicatur nurus, & habeatur ut filia; revera tamen est affinis Vitrico dumtaxat in secundo genere, ac proinde potest illi licite copulari. Quemadmodum filius Vitrici potest copulari filiæ Novercæ, quamvis filius Vitrici vulgo dicatur frater filiæ Novercæ, ut habetur Can. *Quod super his*, de Consang. & Affinit.

Ita censeo, salvo meliori &c.

Adnotationes Auctoris Sanctissimi, tunc Secretarii ex Jure desumptæ circa quæstionem propositam.

An Vitricus absque ullo impedimento, vel affinitatis, vel publicæ honestatis ducere possit Uxorem eam, quæ fuit Uxor Privigni sui.

VIDETUR, quod Vitricus ducere non possit in uxorem eam, quæ fuit uxor Privigni sui: Textus enim est clarus in L. uxorem 15. ff. de ritu nuptiarum, ibi: *Uxorem quondam Privigni conjungi matrimonio Vitrici non oportet.* Textus autem hic non videtur contemnendus, nedum quia est insertus in Corpore Juris Civilis, sed etiam quia Authorem habet Papinianum, de quo Imperatores Theodosius, & Valentinianus *in L. prima de Responsis prudentum in C. Theodosiano* hæc habent, *ubi diversæ sententiæ proferuntur, potius numerus vincat Auctorum, vel si numerus æqualis sit, ejus partis procedat auctoritas, in qua excellentis ingenii vir Papinianus emineat.*

Secundo quia, si quid favere posset matrimonio inter Vitricum, & uxorem Privigni est Textus *in Cap. non debet de consang. & affin.* in quo prohibitio nuptiarum coarctatur ad primum genus affinitatis, sublato in totum impedimento, quod olim vigebat, secundi, & tertii generis affinitatis.

At Textus hic non applicatur, vel quia uxor Privigni non videtur esse in secundo genere affinitatis cum Vitrico, sed in primo, ex quo videlicet uxor Privigni non est affinis Privigno, sed Privignus, & ejus uxor sunt causa affinitatis, uti habetur in notis ad Arborem affinitatis, impressum apud Gratian. in suo decreto *causa 35. quæst. 5.* ibi, *inter Virum, & Mulierem non contrahitur affinitas, sed ipsi sunt affinitatis causa.*

Aut quia dato, quod Uxor Privigni sit in secundo genere affinitatis erga Vitricum, & quod Textus *in cap. non debet de Consang. & affin.* secundum genus substulerit affinitatis, quærendum adhuc remanet, an secundum genus affinitatis fuerit a Jure Canonico sublatum in linea tantum collateralium, vel an etiam in linea ascendentium, & descendentium; cumque hoc ultimum non fuerit decisum *in allegato cap. non debet de Consang. & affinit.* permanere debet in suo robore dispositio Juris Civilis *in allegata L. Uxorem ff. de Ritu Nuptiarum*, ut in puncto argumentatur *Joannes Oinotomus ad lib. primum instit. tit. de Nuptiis de arbore affinitatis num.* 14. *pag. mihi* 45. ubi proposita quæstione, an Vitricus accipere possit in Uxorem, eam, quæ fuit Uxor Privigni sui, inquit, *de jure Canonico videtur dicendum, quod sic, quia est in secundo genere affinitatis, quod hodie matrimonium non impedit cap. non debet, de Consang. & affinit. Contrarium vero expresse disponitur de Jure Civili in L. Uxorem de Ritu nuptiarum, ubi dicitur Uxorem quondam Privigni conjungi matrimonio Vitrici non oportet &c. Nec obstat dictum Caput non debet, quia illud tantum de Collateralibus consanguineis, & affinibus loquitur, non autem de ascendentibus & descendentibus consanguineis, & affinibus, & jura juribus sunt concordanda, ut vitetur jurium correctio.*

Haud

Haud urgente, quod de matrimoniis est agendum, non ad tramites Juris Civilis, sed ad tramites Juris Canonici; propositio quippe vera est in hypothesi, in qua Jus Canonicum adversetur Juri Civili, secus autem, quando aliquid clarum est de Jure Civili, & non reperitur correctum a Jure Canonico, & exemplum desumi potest *ab ipso Cap. non debet de consang. & affinit.* Prohibetur in hoc textu matrimonium usque ad quartum tantummodo gradum. Quæritur a Doctoribus, an prohibitio usque ad quartum gradum intelligatur de Collateralibus, vel an etiam se extendat ad ascendentes, & descendentes, ita ut sicuti in Collateralibus valet matrimonium ultra quartum gradum, idem etiam dicendum sit de matrimonio inter ascendentes, & descendentes; cumque huic quæstioni negative respondeatur, validum scilicet non esse matrimonium inter ascendentes, & descendentes ultra quartum gradum, sed prohibitionem in hac linea extendi in infinitum, ex quo videlicet sic statutum fuit a Jure Civili *in L. Nuptiæ ff. de Ritu Nuptiarum*, & dispositio Juris Civilis non fuit a Jure Canonico correcta *in Cap. non debet de Consanguinit., & affin.*, quod sine distinctione lineæ Collateralium, & lineæ ascendentium, & descendentium matrimonium prohibet usque ad quartum gradum inclusive, uti bene argumentatur *Abbas in sæpe citato cap. non debet sub num.* 8. ibi, *Cum Textus Juris Civilis indistincte prohibeat matrimonium inter ascendentes, & descendentes in infinitum &c. & cum Jus Civile non reperiatur expresse correctum. & sit fundatum super honestate maxima, non debemus per generalem dispositionem Canonicam dicere contrarium*, signum evidens hoc est, non esse matrimonii controversias resolvendas ad tramites Juris Civilis, quando Jus Civile est correctum a Jure Canonico, secus autem, quando aliquid est clarum de Jure Civili, & non est expresse correctum a Jure Canonico.

Tertio quia quatenus impedimentum affinitatis non obstaret matrimonio inter Vitricum, & Uxorem Privigni, semper tamen eidem obstaret impedimentum publicæ honestatis; Privignus etenim est erga Vitricum loco Filii, & sic loco Filiæ erga eum est etiam Uxor Privigni. Impedit ergo publica honestas, ne matrimonium contrahatur inter Vitricum, & inter eam, quæ fuit Uxor Privigni, uti bene ponderato sæpe citato textu *in L. Uxorem ff. de Ritu Nuptiarum*, inquit *Antonius Faber in sua Jurisprudentia Papinianea tit.* 10. *de Nuptiis principio sexto illat.* 12. ibi, *inhonestum autem palam est, eam, quæ aliquando Uxor fuerit illius, qui mihi aut filii, aut parentis loco fuerit, Uxorem a me duci, siquidem individua illa vitæ societas, quæ per matrimonium contrahitur, efficit, ut qui mihi parentis, aut filii loco est, ejus quoque Conjux parentis, & filii loco esse videatur*, & sequitur *Arnoldus Vinnius ad titulum Instit. de Nuptiis sub n.* 2. *pag.* 63. *editionis Venetæ* ibi, *non obstat, quod Papinianus respondet in L.* 15. *Uxorem quondam Privigni conjungi matrimonio Vitrici non oportere, hoc enim non eam rationem habet, quod affines sunt, sed quod honestas, & pudor naturalis non patiatur mecum matrimonio jungi Uxorem ejus, qui mihi aliquando filius, seu loco filii fuit propter Matrem, quam in matrimonio habui.*

Quarto quia inter cætera impedimenta impedientia, & dirimentia matrimonium adest cognatio legalis ortum ducens ab adoptione, vel arrogatione. Fuit hoc impedimentum statutum a Nicolao Primo *in c. ita diligere* 30. *quæst.* 3. *& in cap.* 1. *de cognatione legali*, adeoque *clar. mem. Cardinalis de Lauræa disput.* 29. *de matrim. num.* 43. relatis Nicolai Primi verbis, inquit, *Nicolaus, ut vides, per solam approbationem Juris Civilis statuentis cognationis legalis impedimentum, illud inducit in Ecclesia. Nec ullus alius Canon, aut rescriptum Pontificium antea de eo loquitur, sed approbatio Nicolai in perpetua consuetudine Ecclesiæ fuit.* Hoc cognationis legalis impedimentum inter Fratres adoptivos tamdiu durat, quamdiu remanent sub ejusdem patris potestate, & sic cessat, si Patria potestas per mortem Patris, aut per emancipationem de medio tollatur, uti habetur *in allegato cap. Unico de Cognatione legali*; cumque impedimentum cognationis legalis intercedat inter adoptantem, & adoptatum, & Uxorem adoptati, licet adoptatus mortuus sit, idque non solum de Jure Civili, uti habetur *in L. adoptivus ff. de Ritu Nuptiarum*, sed etiam de Jure Canonico, ut late docent *Gofredus ad titulum Decretalium de Cognat. Legali num.* 4., *Pirhing. ad eundem titulum* §. 3. *num.* 7. *Anaclet. ad eundem pariter titulum num.* 9., *Cardinalis Toletus instruct. Sacerdot. lib.* 7. *cap.* 4. *num.* 7. *& pluribus seqq.*, *Cardinalis de Lauræa disput.* 29. *de matrim. num.* 44. *& pluribus seqq.*, *Clericat. in decis. de Sacramento matrimoni decis.* 24. *num.* 29. infertur idem dicendum esse, hoc est matrimonium nullatenus contrahi posse inter Vitricum, & Uxorem Privigni, cum honestatis ratio intercedens inter adoptantem, & Uxorem adoptati, æquali, si non potiori Jure intercedat inter Vitricum, & Uxorem Privigni.

Ultimo tandem, tutior est opinio, quæ adstruit matrimonium contrahi non posse inter Vitricum, & Uxorem Privigni, quocirca sibi vindicat locum prima propositio inter damnatas a S. mem. Innocentio XI. *die* 20. *Martii* 1679. ibi: *non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore nisi, id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi. Hinc sententia probabili tantum utendum non est in collatione Baptismi, Ordinis Sacerdotalis, aut Episcopalis.*

Hæc sunt quæ contra validitatem matrimonii ponderari possunt. Transeundo autem ad ea, quæ validitati assistunt, certum est, quod de jure antiquo triplex erat affinitatis genus, uti colligitur *ex Canone de propinquis, & ex Canone Porro* 35. *quæst.* 3. & bene adnotavit Petrus Blesensis epistola 115. ibi: *inveniuntur Canones, ex quorum intelligentia triplex affinitatis genus, & in eis diversorum distinctionem graduum industria Scholaris explicavit.* Cum autem Innocentius Papa III. in Generali Concilio Lateranensi, secundum, & tertium affinitatis genus revocaverit & decreverit ea solum matrimonia esse nulla, quæ contrahuntur in primo genere affinitatis usque ad quartum gradum, uti literaliter habetur in allegato *capitulo non debet de consang. & affinit.*; cumque Vitricus, & Uxor Privigni in secundo sint affinitatis genere constituti, ut infra demonstrabitur, infertur matrimonium inter Vitricum, & Uxorem Privigni contrahi posse: exclusoque ab hoc matrimonio impedimento affinitatis, exclusum etiam dici debet impedimentum publicæ honestatis, sicuti ponderat *Gloss. in allegato capitulo non debet in verbo in secundo, & tertio tit. de Consang. & affinit.* ibi: *potest dici, quod ubi publica honestas simul incidit in eundem casum cum secundo, vel tertio genere &c. uno sublato; tollitur & aliud per hanc Constitutionem, quoties enim vitium ex una etiam radice nascitur consequens est, ut una lege tollatur*, & sequitur *Abbas in eodem capitulo non debet num.* 11. nec aliter res esse potest, si enim secundum, & tertium affinitatis genus sublata sunt a Concilio Lateranensi propter difficultates, & propter animarum pericula, uti legitur *in sæpe citato capitulo non debet*, ibi, *& difficultatem frequenter inducant, & aliquando periculum pariant animarum*, non fuisset huic malo sufficienter cautum, quoties sublato impedimento affinitatis in secundo, & tertio genere, in suo robore adhuc permansisset impedimentum publicæ honestatis a dicto secundo, aut tertio genere proveniens.

Retentaque hac opinione, facilis est responsio ad ea, quæ in contrarium fuerunt deducta, non obstat enim primo citatus Papiniani Textus *in L. Uxorem ff. de Ritu Nuptiarum*, cum fuerit ille abrogatus a posteriori citata Constitutione *in Capitulo non debet*, ut in puncto firmat *Jacobus Cujacius ad titulum* 14. *de consanguin. & affinit. operum Postumorum tom.* 3. *editionis Parisiensis anni* 1658. *pag. mihi* 316. ibi, *at hodie ex capitulo penultimo, sive Concilio Lateranensi habito sub Innocentio III. in secundo genere affinitatis nuptiæ vetitæ non sunt, & abrogata est lex* 15. *ff. de Ritu Nuptiarum*, quod ipsum fusius repetit *in Commentariis ad allegatam Legem Uxorem* 15. *Oper. tom.* 1. *pag.* 153. ibi, *at hæc Papiniani sententia hodie abrogata est decreto Innocentii in cap. non debet de consang. & affinit. quo in primo tantum genere affinitatis nuptiæ prohibentur, non in secundo, vel tertio, & personæ, de quibus in hac lege agitur, sunt in secundo genere affinitatis, non in primo.*

Minus facit id quod secundo loco ponderabatur, quod Uxor scilicet Privigni non videtur esse in secundo genere affinitatis cum Vitrico, sed in primo, ex quo Uxor Privigni non est affinis Privigno, sed Privignus, & ejus Uxor sunt causa affinitatis: Privignus etenim est erga Vitricum in primo affinitatis genere, ut in puncto firmat *Gonzal. in cap.* 1. *num.* 2. *de eo, qui cognovit consanguineam suæ Uxoris*, quo stante Uxor Privigni est affinis Vitrico in secundo genere affinitatis, sicuti prosequitur *Cujacius in cap. non debet de consanguin. & affinit. Operum tom.* 3. *pag.* 372. ibi, *filia Uxoris meæ ex alio Marito, id est Privigna, est mihi primo gradu affinis,*

nis, Maritus ejus, qui Uxoris meæ est Gener, Uxori quidem est affinis primo genere, at mihi non nisi secundo genere. Stipes quippe in affinitate sunt illæ duæ Personæ, quæ se carnaliter cognoscunt, quæque proinde non dicuntur inter se affines, sed principium affinitatis; cumque quoto gradu consanguinitatis consanguinei Uxoris sunt erga ipsam Uxorem, eodem gradu affinitatis sint erga Virum, uti bene docent *de Justis de dispensat. Matrimon. lib.* 2. *cap.* 7. *num.* 37. *Card. de Lauræa de Matrim. citata disput.* 26. *art.* 1. *Anaclet. ad titulum decretalium de consanguin. & affinit.* §. 2. *num.* 52. *Clericat. decis.* 31. *de Sacramento Matrimonii num.* 20. hinc est, quod sicuti Filius est in primo gradu consanguinitatis erga Matrem, sic debeat esse in primo gradu affinitatis erga Vitricum, Uxorque propterea Privigni, aut erit in secundo genere affinitatis erga Vitricum, uti probat *Gloss. in sæpe citato capitulo non debet in verbo in* 2. *&* 3. *de consanguin. & affinit.* ibi, *si vis habere secundum genus affinitatis, adde personam per carnis copulam primo generi*, & bene explicat *Sanchez de Matrimonio libr.* 7. *disputat.* 67. *num.* 1. ibi, *secundum genus affinitatis erit inter verum affinem, & Maritum, seu Uxorem sui affinis*, aut erit saltem principium secundi generis affinitatis, quod a Concilio Lateranensi sublatum est, juxta ea, quæ in superioribus fuerunt exposita; & alias discurrendo sequeretur absurdum, quia sequeretur, quod affinitas pareret affinitatem, quod hodie est reprobatum, uti late docent *Covar. in* 4. *Decretal.* 2. *par.* 4. *cap.* 6. §. 7. *num.* 6. *Sanchez loc. cit. num.* 2. *Juvenin. de Sacramentis differt. X. quæst.* 7. *cap.* 10. §. *tria illa affinitatis genera*, ibi, *ratio, cui innititur præsens illa disciplina, est, quia affinitas affinitatem non parit, nec enim affinis Uxoris est affinis Viri, nec vicissim.*

Ad eandem pertinet Classem, id, quod tertio loco opponebatur, fuisse videlicet a Jure Canonico sublatum secundum genus affinitatis, sed in linea collateralium, non autem in linea ascendentium, & descendentium; Prætermisso quippe, quod hæc indago non est hypothesi applicabilis, in qua quæritur, an Vitricus ducere possit in uxorem eam, quæ fuit uxor Privigni sui, quæque idcirco inter Vitrici descendentes nullo modo enumerari potest, ad rem, de qua agitur, ut infra explicabitur, quæstio, quæ sit a Doctoribus, non est, an matrimonium contrahi possit inter affines secundo genere affinitatis, non solum in linea collaterali, sed etiam in linea recta, sed, an spectato Jure naturæ, validum sit matrimonium inter affines in primo gradu affinitatis in linea recta, puta inter Novercam, & Privignum, inter Privignam, & Vtiricum, in qua quæstione nonnulli negative respondent, juxta illud *Divi Pauli prima ad Corinthios* 5. *Auditur inter vos fornicatio, & talis fornicatio qualis nec inter Gentes, ita ut Uxorem Patris sui aliquis habeat*, nonnulli autem affirmativam sustinent opinionem, ex quo allegatus Divi Pauli Textus loquitur de concubitu Privigni cum Noverca, adhuc vivente Patre, uti, ponderatis hinc inde pro una, & pro altera parte fundamentis, latissime prosequuntur, *Tanner. tom.* 4. *disput.* 8. *quæst.* 4. *dub.* 7. *num.* 13. *Coninch. disput.* 32. *de Sacrament. dub.* 4. *num.* 53. *Covar. in* 4. *Decretal. par.* 2. *cap.* 6. §. 10. *num.* 8. *Sanchez de Matrimonio lib.* 7. *disput.* 66. *num.* 6. *&* 7. *Pirhing. ad titulum decretalium de consanguin. & affinit. sect.* 2. §. 2. *num.* 32. *Clericat. de Sacrament. Matrimon. decis.* 31. *num.* 41. *& seqq.* At hæc controversia nihil habet commune cum casu nostro, in quo, uti fuit ponderatum, non est res de matrimonio inter affines in primo gradu in linea recta, sed de his, quæ sunt affines in secundo gradu.

Majoris roboris non est id, quod quarto loco opponebatur, vigere videlicet impedimentum publicæ honestatis in Matrimonio inter Vitricum, & Uxorem Privigni, ex quo Uxor Privigni, vivente Privigno, fuit tanquam filia in eo quod attinet ad Vitricum: Præter enim ea, quæ supra dicta sunt, de impedimento publicæ honestatis, quod sublatum dici debet, statim ac sublatum fuit impedimentum secundi generis affinitatis, procedendo ad tramites sacrorum Canonum, cum quibus præsens hæc de matrimonio controversia est dirimenda, impedimentum publicæ honestatis oritur tantum ex sponsalibus validis, uti desumitur *ex Capitulo ex Sponsalibus de sponsalibus & matrimoniis in* 6. *& ex cap.* 3. *sess.* 24. *Concilii Tridentini de Reformat.* ex matrimonio rato, & non consummato, juxta Constitutionem S. Pii V. *editam anno* 1568. quæ incipit *ad Romanum*, & ex matrimonio nullo, vel quia non fuit servata forma Concilii, vel ex alia causa, uti probat *Fagnan. in cap. ad audientiam de sponsal. & matrim.* in quo rerum statu, de excogitato illo impedimento publicæ honestatis ratione reverentiæ non est ulla habenda ratio, ne novum præter, & contra Canones inducatur impedimentum impediens, & dirimens matrimonium.

Ad partes posito, quod Uxor Privigni, vivente Privigno, fuit tanquam filia in eo quod attinet ad Vitricum, hæc enim dicuntur ad similitudinem, idque facit, ut reverentia similitudinaria nequeat matrimonium irritare, ut in simili bene ponderant *Gonzal. in cap. ex litteris sub num.* 9. *de consanguin. & affinit. Clericat. de Sacram. Matrim. decis.* 31. *sub num.* 44. *vers. ad octavum respondetur.*

In nulla demum consideratione haberi debent cætera ex adverso deducta, quod scilicet inter Adoptantem, & Uxorem Adoptati matrimonium contrahi non potest, & quod tutior opinio est eligenda in materia Sacramentorum; in eo enim, quod attinet ad Matrimonium inter Adoptantem, & Uxorem Adoptati, in tantum illud irritum est, in quantum Nicolaus Papa I. in Ecclesia induxit impedimentum cognationis legalis a Jure Civili introductum, nec reperitur, quod ullus alius Pontifex, vel ullum Generale Concilium, prædictum limitaverit impedimentum, & in tantum non fuit impedimentum limitatum, in quantum rarissimæ sunt adoptiones, & arrogationes, quæ fieri contingunt, ita ut nullum ex illimitato illo impedimento provenerit, aut provenire valeat periculum animarum: Cumque impedimentum affinitatis in secundo genere a Jure Civili cognitum, & ab antiquioribus Canonibus receptum, sublatum deinde fuerit a posteriori Constitutione Concilii Generalis Lateranensis sub Innocentio III. fueritque sublatum propter magnas difficultates, & propter periculum animarum, nemo est qui non videat disparitatem, quæ intercedit inter unum, & alium casum.

In eoque quod spectat ad tutiorem opinionem retinendam in materia Sacramentorum, respondetur, opinionem Matrimonii validitati adversantem, nec esse probabilem, nec rationabiliter tutam, & sic extraneam esse propositionem inter damnatas ab Innocentio XI.

Absque eo quod de veritate assumpti dubitari contingat, abstinendo etenim a rationibus jam supra insinuatis, ne fiat molesta repetitio, pro sententia, quæ adversatur validitati matrimonii, pugnat *Joannes Oinotomus*, qui est Auctor hæreticus larvato nomine scribens, pugnat *Arnoldus Vinnius*, hæresis pariter labe infectus, pugnat *Antonius Faber*, magni utique nominis Vir, Præsesque Primarius in Supremo Sabaudiæ Senatu, sed unice in opere allegato intentus explicationi mentis Papiniani, nulla facta mentione Juris Pontificii; e contra vero pro matrimonii validitate stat *Jacobus Cujacius*, de cujus laudibus multa collecta legi possunt in tractatu *Blount*, cui titulus: *Censura celebriorum Authorum pag.* 752. quique Cujacius validitatem adstruit Matrimonii, examinata utriusque juris dispositione, & tam in Commentariis ad Leges, quam in Commentariis ad Decretales, quodque notabilius est, pro nullitate Matrimonii stat Papinianus, pro validitate Innocentius III. in Concilio Generali Lateranensi, itaut aptabilis videatur propositio, debita tamen adhibita proportione, propositio inquam S. Hieronymi in Epitaphio Fabiolæ, ubi post recensitam Juris Civilis dispositionem, quæ statuit adulterium a Marito non committi, si accedat ad solutam, hæc habet: *Aliæ sunt leges Cæsarum, aliæ Christi, aliud Papinianus, aliud Paulus noster præcipit. Apud illos, viris impudicitiæ frena laxantur, apud nos, quod non licet fœminis, æque non licet viris, & eadem servitus pari conditione censetur.*

Atque hæc dicta sint sub censura, salvo semper &c.

Non solum duo, sed quatuor Theologi scripserunt, & eorum suffragia una cum nonnullis meis adnotationibus fuerunt impressa in folio Congregationis habitæ *die* 3. *Augusti* 1720. Cumque in Congregatione habita prædicta die fuisset hæc eadem Causa iterum proposita, nulla pariter fuit capta resolutio, sed rescriptum est *ad mentem*, & mens fuit, quod per litteras admoneretur Episcopus Bojanensis, ut videret, an dum adhuc res est in fieri, cum timus in Matrimonio non contracto, sed contrahendo, Dominicum, & Samaritanam suasionibus a contrahendo Matrimonium avertere posset.

In executionem hujus rescripti datæ fuerunt litteræ ad dictum Episcopum, qui respondit se omnem operam, sed

sed incassum navasse, tum quia licet Matrimonium non sit contractum, sponsalia tamen jam præcesserunt, tum quia inter Dominicum, & Samaritanam post sponsalia intercessit diuturna conversatio, & consequenter aliqualis diffamatio, itaut præscindendo ab hoc Matrimonio, Samaritana remaneret innupta, & tandem, quia lis est pendens in magna Curia Vicariæ, a qua si Dominicus cáderet, mendicare cogeretur, quæque suspensa remansit post contracta sponsalia, & sub spe futuri inter Litigantes Matrimonii.

Pro adæquata hujusce Causæ resolutione, cum in præterita Congregatione habita *die 3. Augusti* 1720. nonnulla fuerint accurate de more perpensa, necessarium existimavi hoc loco ea inserere, una cum nonnullis auctoritatibus, quæ in hoc non ita obvio articulo non sine labore fuerunt a me perquisitæ, & inventæ.

ADNOTATIONES

Circa quæstionem de qua in Causa Bojanensi Matrimonii,

An Vitricus videlicet *absque ullo impedimento, vel affinitatis, vel publicæ honestatis ducere possit in Uxorem, eam, quæ fuit Uxor Privigni sui.*

IN *Congregatione habita die 3. Augusti* 1720. in qua hæc eadem quæstio proposita fuit, ponderatum est ab aliquibus, quod Matrimonio inter Vitricum, & Uxorem Privigni obstabat litteralis Textus *in l. Uxorem* 15. *ff. de Ritu Nuptiarum*, ibi, *Uxorem quondam Privigni conjungi Matrimonio Vitrici non oportet*, & sic quod illud propter impedimentum publicæ honestatis nullo modo contrahi poterat, uti diserte docet *Faber in sua Jurisprud. Papinianea tit.* 11. *de Nuptiis princ.* 6. *illat.* 12. ubi ad mentem Papiniani, quam tantum in dicto Opere exponit, hæc habet, *inhonestum autem palam est, eam quæ aliquando Uxor fuerit illius, qui mihi aut filii, aut parentis loco fuerit, Uxorem a me duci, siquidem individua illa vitæ societas, quæ per Matrimonium contrahitur, efficit, ut qui mihi parentis, aut filii loco est, ejus quoque Uxor parentis, & filii loco esse videatur*, & sequitur *Arnoldus Vinnius Auctor Hetevodoxus ad tit. Instit. de nuptiis sub num.* 2. *pag.* 63. *edit. Venetæ*, ibi, *non obstat, quod Papinianus respondet in l.* 15. *Uxorem quondam Privigni conjungi matrimonio Vitrici non oportere, hoc enim non eam rationem habet, quod affines sunt, sed quod honestas, & pudor naturalis non patiatur mecum matrimonio jungi uxorem ejus, qui mihi aliquando filius, seu loco filii fuit propter Matrem, quam in matrimonio habui.*

Addi possunt ad hujus assumpti comprobationem Joannes Schneidenitus Professor Academiæ Witembergensis *in comment. ad instit. Civil. lib.* 1. *de nuptiis tit.* 10. *pag. mihi* 50. ibi *& quia in hoc casu jus Civile expresse non reperitur correctum a jure Canonico, in Consistoriis nostris sequimur in pronunciando dispositionem juris Civilis, quæ maximam publicæ honestatis habet rationem, prout scilicet semper in conjunctionibus, non solum id quod licet, sed & quod honestum est, considerari debet.*

Bruneman Antecessor in Academia Viadrina, & J. C. Electoris Brandeburg. in Comment. ad Pandectas ad l. Uxorem 15. *ff. de ritu Nuptiarum*, ibi, *sed an hic casus sit dispensabilis? Affirmatur per jus Canonicum, quia est in secundo genere affinitatis conjunctio &c. tamen re integra non facile concedendum esse arbitror hoc matrimonium ob scandalum.*

Benedictus Carpzovius J. C. Electoris Saxonici lib. 2. *Jurisprud. Consist. tit.* 7. *de dispens. Matrim. in gradu prohibita definit.* 119. *pag. mihi* 182. ibi, *Privignus a Vitrici, & hic rursus a Privigni vidua abstinere debet, non solum ob rationem honestatis, quæ in matrimonio multum attenditur, sed etiam propter expressam juris Civilis dispositionem in l. Uxorem ff. de Ritu Nuptiarum.*

Responsum e contra fuit, in dicta Congregatione, & ponderatum ab aliis, non obstare Matrimonio inter Vitricum, & Uxorem Privigni Textum supra citatum *in l. Uxorem ff. de Ritu Nuptiarum*, cum enim Vitricus, & Uxor Privigni sint in secundo genere affinitatis constituti, & impedimentum secundi, & tertii generis affinitatis fuerit a jure Canonico, una cum impedimento publicæ honestatis annexo dictis secundo, & tertio generi affinitatis sublatum, uti habetur *in cap. non debet, ibique Glossa in verbo in secundo, & tertio, ibique Abbas num.* 11. *de Consanguin. & affin.* constituenda idcirco non videtur vis in allegato Textu Civili, cum fuerit idem correctus a jure Canonico in Decretali mox allegata, uti ponderat *Cujacius ad tit.* 14. *de consang. & affinit. oper. Postumorum tom.* 3. *edit. Parisiensis anni* 1658. *pag. mihi* 316. ibi, *at hodie ex capitulo penultimo, sive Concilio Lateranensi habito sub Innocentio III. in secundo genere affinitatis Nuptiæ vetitæ non sunt, & abrogata est lex* 15. *ff. de Ritu nuptiarum*, quod ipsum fusius repetit in *Comment. ad allegatam l. Uxorem* 15. *oper. tom.* 1. *pag.* 153. ibi: *at hæc Papiniani Sententia hodie abrogata est Decreto Innocentii in cap. non debet de consang. & affinit. quo in primo tantum genere affinitatis nuptiæ prohibentur, non in secundo, vel tertio, & Personæ, de quibus in hac Lege agitur, sunt in secundo genere affinitatis, non in primo.*

Addi possunt *Henricus Zoesius in Academia Lovaniensi Antecessor ad tit. Decretalium de consang. & affinit. num.* 9. ibi, *Vitricum Privigni sui uxorem sibi conjungere olim nequidem juve Civili licitum erat l. Uxorem ff. de Ritu Nuptiarum. Verum ea lex abrogata est per dictum caput* 8. *cum jus Civile cedat dispositioni Canonicæ in causis spiritualibus.*

Robertus Konigb Ordinis S. Benedicti ad eundem titulum Decret. de consang. & affinit. part. 2. *pag. mihi* 150. ibi, *Verum hodie secundum, & tertium genus affinitatis penitus sublatum est, in cap.* 8. *hoc titulo, quamobrem ducere licet Novercam Uxoris suæ defunctæ, vel ejus Privignam, utpote in secundo genere affinitatis conjunctam, quidquid olim tum leges Civiles, tum antiqui Canones in contrarium disposuerint.*

Engel Ordinis pariter S. Benedicti ad eundem tit. Decretal. de consang. & affinit. §. 2. *num.* 6. ibi, *si quis ducere vellet Privignam, vel Novercam suæ Uxoris defunctæ. Negant nonnulli inter tales personas consistere posse matrimonium propter Textum in l. Uxorem ff. de Ritu Nuptiarum. Melius tamen dicitur, quidquid Leges Civiles, vel antiqui Canones circa secundum genus affinitatis disposuerint, totum id per Concilium Lateranen. in cap. non debet generaliter abrogatum est.*

Franciscus Schmalzgrueber e Societate Jesu Canonum Professor in Universitate Ingolstadiana ad tit. pariter de consang. & affin. §. 2. *num.* 76. & 77. ibi, *excipiunt nonnulli eos, qui constituti sunt in secundo affinitatis genere in linea recta, & se habent per modum Parentum, & liberorum, ut si quis vellet ducere Privignam, vel Novercam suæ Uxoris defunctæ. Ratio est, quia ita expresse disponitur in l. Uxorem ff. de Ritu Nuptiarum, sed dicendum est legis illas Civiles per capitulum non debet abrogatas esse &c. Poterit igitur aliquis ducere Privignam, vel Novercam suæ Uxoris defunctæ.*

In Congregatione pariter habita *die 3. Augusti* 1720. fuit a nonnullis docte, & subtiliter de more ponderatum, quod *Capitulum non debet de consang., & affinit.* revocat impedimentum secundi, & tertii generis affinitatis, sed non revocat impedimentum secundi generis affinitatis in linea recta ad tramites Juris antiqui, de quo in *Can. de propinquit, in Can. Porro, aliisque a Gratiano collectis* 35. *quæst.* 3. hinc inferendo, quod cum Vitricus, & Uxor Privigni conjuncti quidem sint in secundo genere affinitatis, sed Uxor Privigni sit in linea recta respectu ad Vitricum, matrimonium idcirco inter eosdem contrahi non valeat.

Pro hujus assumpti comprobatione pugnat Joannes Oinotomus ad *lib.* 1. *instit. tit. de Nuptiis de arbor. affinit. num.* 14. *pag. mihi* 45. ibi, *nec obstat dictum caput non debet, quia illud tantum de Collateralibus consanguineis, & affinibus loquitur, non autem de ascendentibus, & descendentibus consanguineis, & affinibus, & jura juribus sunt concordanda, hoc est caput non debet cum l. Uxorem de Ritu Nuptiarum supra allegata, ut vitetur jurium correctio.*

Addi potest Abbas, quem alii sequuntur *in citato capit. non debet num.* 8. *de consang., & affinit.* ibi, *sed quæro nunquid inter ascendentes, & descendentes possit esse matrimonium ultra quartum gradum, quod est quærere numquid dispositio hujus* §. *concernat omnes consanguineos tam collaterales quam ascendentes, & descendentes, ut ultra quartum gradum prohibitio non extendatur. Vide Gofredum, qui dicit, quod sic, unde intelligit istum Textum generaliter, sed contrarium tenuit Joannes Andreas &c., & hanc opinionem credo verissimam, cum Textus Juris Civilis indistincte prohibeat matrimonium inter ascendentes, & descendentes in infinitum, ut in l. Nuptiæ ff. de Ritu Nuptiarum. Unde Glossa ibi colligit, quod si Adam hodie viveret, non reperiret Uxorem, quia omnes descendimus ab eo, & cum jus Civile non reperiatur expresse correctum, & sit fundatum super honestate maxima, non debemus per generalem dispositionem Canonicam dicere contrarium, hæc tamen quæstio propter brevem hominum vitam raro practicatur*; at in eo quod attinet ad Abbatem, cæterosque eodem modo loquentes, examinare opus est, an faciant ad rem, cum loquantur de consanguineis, & de veris descendentibus, uti desumitur ab exemplo Adami, & præsens quæstio est de *Affinibus*.

Conferunt res judicatæ apud Antonium Mornaccium in Senatu Parisiensi Patronum in observat. *ad* 24. *priores libros ff. lib.* 23. *ad l.* 42. *de Ritu Nuptiarum pag.* 862. ibi *tertium exemplum est in l. Uxorem quondam Privigni hoc titulo, huic enim cum fraudem facere conatus fuisset Neustrius quidam ex gratia legis, quam Romana potestas fecerat, appellarunt tanquam ab abusu cognati Mulieris ab executione Pontificii decreti, vetitumque est utrique, ne copulari auderent matrimonio, pœnæ capitalis comminatione adjecta, si secus fieret. Supplicavit adversus hoc Curiæ Rothomagensis placitum Neustrius, &, ut evaderet, quod futurum prospiciebat, causam Auctore Principe a Rothomagensi Curia transtulit in Consistorium, ex quo cum amandatus esset vir clarissimus ad Senatus Parisiensis triumviros, de peritia triumviralis Sententiæ latum fuit postea in Consistorio Principis Augustum immotumque judicium, quo Rothomagensis convaluit Auctoritas anno* 1610.

E contra in citata Congregatione habita die 3. Augusti 1720. ab aliis ponderatum fuit, quod licuti *caput non debet de consanguinitate, & affinitate* indistincte loquitur, & indistincte aufert impedimentum secundi, & tertii generis affinitatis, & sic auferre dicendum est impedimentum secundi generis affinitatis etiam in linea recta.

Faciunt deducta per Divum Thomam *in supplemento tertia parte quæst.* 55. *art.* 5. ubi loquens de secundo, & tertio genere affinitatis, inquit quod *solum* remanet sub prohibitione primum genus affinitatis, in quo est *vera affinitas*; per *Barbos. in Collect. ad l.* 4. *pag.* 550. ubi inquit, tam secundum, quam tertium genus affinitatis *omnino* sublatum esse, per *Martinum Perez de Matrim. disput.* 31. §. 6. ubi firmat *solum* primum genus affinitatis vim habere, per *Corradum lib.* 7. *dispens. matrim. cap.* 1. *a num.* 7., ubi firmat primum genus affinitatis *solum* hodie inducere impedimentum post Capitulum *non debet*, & tam tertium, quam secundum affinitatis genus esse hodie *prorsus* sublatum, ita quod *nullo modo* impediat matrimonium, quod impeditur *tantum* a primo genere.

Verum præter citatos Auctores sic, uti visum est loquentes, alii adduntur expresse impugnantes distinctionem inter lineam rectam, & collateralem in secundo genere affinitatis. *Engel ad tit. Decretal. de consang. & affinit.* §. 2. *num.* 6. ibi, *sed quid si in secundo genere affinitatis constituti sint in linea recta, & se habeant per modum parentum, & liberorum, V. G. si quis ducere vellet Privignam, vel Novercam suæ Uxoris defunctæ. Negant nonnulli, inter tales personas consistere posse matrimonium propter Textum in l. Uxorem ff. de Ritu Nuptiarum. Melius tamen dicitur quidquid leges civiles, vel antiqui Canones, circa secundum genus affinitatis disposuerint, totum id per Concilium Lateranense, & capitulum non debet generaliter abrogatum est.*

Franciscus Schmalzgrueber ad tit. Decretal. de consang. & affinit. §. 2. *num.* 77. ibi, *neque verum est Textum Capituli non debet loqui de affinitate affinitatis in linea transversa, nam Textus universalis est, & Canonistæ passim eum universaliter intelligunt. Neque dicas juxta multorum sententiam, quam ego num.* 37. *amplexus sum, caput citatum dum consanguinitatis, & affinitatis impedimentum reducit a septimo gradu ad quartum, loqui solum de linea obliqua, ac proinde de hac solum etiam loqui tunc, quando aufert impedimentum, quod olim oriebatur ex affinitate affinitatis, negatur enim sequela, rationem, cur in priori casu loquatur solum de linea obliqua, dedi numero citato, illa autem ratio non pugnat in casu, uti consideranti patebit.*

Cumque ratio a dicto Auctore ponderata in *num.* 37. ad effectum demonstrandi, & probandi quod *Capitulum non debet de consang. & affinit.* restringens prohibitionem matrimonii ad quartum gradum sibi vindicat locum in collateralibus, & non in ascendentibus, & descendentibus, inter quos vigere dicit impedimentum illimitatum, & indefinitum, sita sit in hoc, quod dispendia, & animarum pericula, quibus Concilium Lateranense voluit obviare, verificari tantum poterant in collateralibus, & non in ascendentibus, & descendentibus, inter quos moraliter erat impossibile propter brevem hominum vitam, quod matrimonium contrahi posset ultra quartum gradum, sensus ejus est, quod, cum animarum pericula dari, & contingere possint, si sublato impedimento secundi generis affinitatis, illud in totum sublatum non sit, hoc est, tam in linea recta, quam in linea obliqua, restringenda idcirco non sit sublatio dicti impedimenti secundi generis affinitatis ad lineam obliquam, sed extendenda veniat ad lineam rectam, non obstante, quod in linea recta inter consanguineos impedimentum adhuc vigeat perpetuum, & illimitatum.

Corroborantur huc usque deducta ex his, quæ habemus *in tom.* 7 *Theologiæ Dogmaticæ, & Moralis ad usum Seminarii Catalaunensis de matrim. pag. mihi* 853. ubi post exposita ea, quæ supra ex Mornaccio relata fuerunt, infertur hæc consequentia, *ergo Concilium Lateranense in cap. non debet supra laudato loquitur dumtaxat de affinitate inter Collaterales, nullatenus vero inter ascendentes, & descendentes*, cui consequentiæ sic Auctor respondet, *nego consequentiam, hæc enim distinctio gratis excogitata est, cum nulla fulciatur auctoritate, sive Concilii posteriori, sive Theologorum, sive Canonistarum, qui in laudatum caput scripserunt. Ad antecedens vero respondeo, primo merito in dubium revocari, quod scribunt laudati Juriseriti, primo quia non conveniunt circa annum scriptum, seu datam, ut ajunt, alter enim annotat annum* 1607. *alter* 1610. *alter* 1617. *secundo quia referunt cum Neustrio dispensatum fuisse a Summo Pontifice; Atqui in Curia Romana non agnoscitur affinitas, de qua est sermo, sed sublata habetur per Concilium Lateranense, tertio quia narrant Senatum Rothomagensem judicasse ex consilio Theologorum Parisiensium, quod verisimile non est, cum constantissimum sit apud omnes Theologos ejusmodi affinitatem sublatam fuisse per Concilium Lateranense*; idemque Auctor deinde refert tam anno 1670. in Causa cujusdam Andreæ Huillin fuisse pronunciatum pro validitate consimilis Matrimonii in Senatu Rothomagensi, quam anno 1676. in privato Regis Consilio.

Addi potest interrogatum fuisse Officialem Præpositum dispensationibus Matrimonialibus, ut sciri posset, an umquam petita, & an umquam concessa fuerit dispensatio inter Vitricum, & Uxorem Privigni, eumque post perquisita diligenter Regesta, respondisse talem dispensationem nec petitam, nec concessam fuisse. Porro id probare videtur non subsistere in facto allegatam Neustrii dispensationem. Cæterum judicium erit EE. PP. statuere, an universalis hæc consimilis dispensationis carentia prosit vel obstet Matrimonio inter Vitricum, & Uxorem Privigni, & quatenus obesse dicatur, dicendum etiam erit, quod numquam in alicujus Vitrici mentem, excepto solo casu præsenti, venerit desiderium ducendi in Uxorem eam, quæ fuit Uxor Privigni sui, quod est difficile captu, cum ex originalibus documentis habeatur, quod anno Domini 1697. prævia dispensatione Vicarii Generalis super denunciationibus Archipresbyter, & Parochus Collegiatæ, & Parochialis Ecclesiæ Sancti Joannis Apostoli Terræ Valentani Diœcesis Monti Falisci in matrimonium conjunxit Jacobum Fantinum cum Virginia vid. relicta Joannis Baptistæ de Franzis, qui erat Privignus dicti Jacobi Fantini.

Atque hæc sunt, quæ pro facilitando Causæ studio Secretarius operæ pretium esse censuit adnotare.

Proposito igitur dubio.

An matrimonium contrahi possit inter Dominicum, & Samaritanam in casu &c.

Sacra Congr. die 8. Martii 1721. respondit,

Ad Secretarium juxta mentem, scilicet quod non impediatur Matrimonium.

QUÆSTIO CLXVII.

In Causa Anagnina distributionum, die 8. Junii 1720.

IN Cathedrali Ecclesia Anagnina fit quædam inter Canonicos distributio scutorum 208. in Festis Natalitiis, & in ordine ad hanc distributionem exorta est controversia.

Nonnulli Canonici recursum habuerunt ad hanc Sacram Congregationem eidem supplicando, ut demandare dignaretur Præposito Anagnino, quod distributionem faceret Natalitiam inter eos, qui in anno capitulari currenti servitium præstiterunt, & operæ pretium existimatum fuit scribere eidem Præposito pro informatione, & voto, cum Bonifacius Papa Octavus, qui præposituram erexit, multa, & insignia privilegia eidem contulerit, & signanter liberam potestatem, & facultatem dividendi distributiones, & obventiones inter Canonicos, subla-

sublata in hoc facultate tam Episcopo, quam Vicario, uti habetur in Bulla erectionis impressa apud Ughellium *Ital. Sacr. tom. 1. pag. 358. & cum bo. mem.* Episcopus Gerardus *anno 1702.* de observantia Privilegiorum Præpositurræ concessorum amplum reddiderit Sacræ Congregationi Episcoporum, & Regularium testimonium.

Alii etiam ejusdem Cathedralis Anagninæ Canonici ad hanc eandem Sac. Congregationem recursum habuerunt, asserendo, quod distributio Natalitia Scutorum 208. fieri deberet non inter eos, qui servitium præstiterunt currenti anno capitulari, sed inter eos, qui anno capitulari immediate præcedenti inservierunt, utque Sac. hæc Congregatio adæquatum ferre posset in hac controversia judicium, scriptum etiam fuit Episcopo pro informatione, & voto.

Præpositus est in sensu, quod distributio scutorum 208. fiat inter eos, qui currenti anno Capitulari servitium præstiterunt, tum quia per hanc viam procedendo, evitatur confusio, quæ dicitur inevitabilis in hypothesi, in qua distributio fieri debet inter eos, qui anno Capitulari antecedenti servitium præstiterunt, tum quia modus hic faciendi distributiones est uniformis nedum Constitutionibus Ecclesiæ ab ipso allegatis, sed etiam Juri communi in Cap. *unico de Clericis non residentibus in 6.* & Sac. Concilio Tridentino *Sess. 24. cap. 12. de Reform.* attenta quippe horum Jurium dispositione, distributiones sunt stipendium quotidiani servitii, & quotidianæ interessentiæ omnibus, & singulis, tam nocturnis, quam diurnis partibus Officii Divini, & si possibile esset, earum divisio fieri deberet singulis diebus, uti notant DD. in allegato *Cap. consuetudinem de Clericis non residentibus in 6.*

Nec Præpositus putat esse in casu præsenti deferendum consuetudini, tum quia methodus distribuendi taxam fixam scutorum 208. in Festis Natalitiis, suum habuit initium anno 1683. tum quia consuetudo nec laudabilis, nec præscripta dici potest, & signanter quia obstant Ecclesiæ Constitutiones editæ, vel renovatæ anno 1701.

E contra Episcopus est in sensu quod divisio Scutorum 208. fiat ad mensuram servitii proxime præterito anno Capitulari præstiti, tum quia proportionabilis ratio servitii supputari solet in fine anni Capitularis, tum quia sic ex traditione Seniorum a multo tempore factum est, & tandem quia divisio, de qua nunc agitur, non adversatur naturæ distributionum quotidianarum, de earum siquidem essentia est, quod dividantur habito respectu ad quotidianum servitium, sive divisio deinde fiat una, sive altera parte anni.

Scripturæ hinc inde distribuuntur, quocirca quæritur

I. An distributio natalitia nuncupata annuorum Scutorum 208. sit facienda pro rata servitii præstiti in anno Capitulari antecedenti in casu &c. & quatenus negative.

II. An, & quomodo sit facienda.

Sacr. Congr. respondit,

Ad primum affirmative. Ad secundum satis provisum in primo, & amplius.

QUÆSTIO CLXVIII.

In Causa Imolensi Dismembrationis, die 8. Junii 1720.

EMinentiss. Dominus Cardinalis Gozzadinus in relatione status suæ Ecclesiæ Imolensis, cujus est Episcopus, ad hanc Sacram Congregationem transmissa exposuit, quod ad succurrendum Animarum saluti expediebat Parochiam ruralem S. Bernardini in Silva nuncupatam in duas dividere, & eidem Eminentiss. Domino rescriptum fuit, quod uberiorem super hoc facto exhiberet informationem antequam procederet ad actualem divisionem, & quod a suo Promotore Fiscali præfigeretur terminus interesse habentibus ad sua Jura deducenda in hac Sacra Congregatione.

Prædictus Dominus Cardinalis Gozzadinus in executionem prædicti decreti, novam, & uberiorem transmisit informationem, in qua summatim hæc continentur, primo, quod Parochia S. Bernardini in sui longitudine extenditur ad quinque, vel sex milliaria, & in sua latitudine ad tria milliaria circiter. Secundo quod præd. Parochiam interfluit flumen Santerni, quod hyemali præsertim tempore est impervium. Tertio quod Parochiani vel propter magnam distantiam, vel propter viarum difficultatem pro majori parte anni ad dictam Parochialem Ecclesiam accedere non possunt, qua de causa factum est, ut nonnulli pii Benefactores Oratoria construxerint pro commoditate, & necessitate Parochianorum, qui diebus Festis Missam alias non audirent. Quarto, quod attenta distantia, nec non attenta viæ difficultate, quæ ad Parochiam ducit, nonnulli Parochiani non sunt sufficienter instructi in rebus fidei, & aliquando sine Sacramentis decesserunt. Quinto quod, se hortante, quidam Sacerdos Franciscus Belletti ære proprio a fundamentis extruxit Ecclesiam sub invocatione S. Joseph, una cum commoda Domo pro novi Parochi residentia. Sexto, quod idem Sacerdos paratus est assignare tot Bona stabilia fructifera pro annuo reditu scutorum 60. & quod alia adsunt annua scuta 25. relicta ab alio Benefactore, & eroganda in celebratione Missarum in dicta Ecclesia adimplenda. Septimo, quod novæ huic Parochiæ centum dumtaxat focularia assignari possent, remanentibus tercentum focularis pro antiqua Parochia S. Bernardini, concludendo, quod in hisce circumstantiis sibi videtur in Domino expedire, quod ad hujus novæ Parochiæ erectionem deveniatur.

Additur in scriptura Promotoris fiscalis per manus circumferenda, quod Parochus S. Bernardini habet annuum emolumentum scutorum 200. & quod ad reparandum quodcumque damnum, quod idem pati posset ex privatione perceptionis primitiarum a familiis dismembrandis, Eminentissimus Episcopus esset in sensu quod novus Parochus illi consignaret septem, aut octo corbas frumenti quolibet anno, quæ summa fere ascendit ad medietatem corbarum frumenti, quam idem novus Parochus percipere posset a familiis sibi assignatis.

Non omissa reservatione juspatronatus novæ Parochiæ favore Sacerdotis Francisci Belletti, qui construxit novam Ecclesiam, & eam dotare paratus est; absque eo quod Parochus S. Bernardini valeat sibi dictum juspatronatus asserere, Parocho siquidem Matricis Ecclesiæ intantum competit jus præsentandi ad Parochiam noviter institutam *ad terminos Textus in cap. ad audientiam il primo de Ecclesiis ædificandis*, in quantum Ecclesia antiqua de suo contulit pro ædificatione, aut fundatione Ecclesiæ, secus autem quando eadem aliorum sumptibus fuit ædificata, & fundata, uti adnotarunt *in dicto cap. ad audientiam Abbas num. 10. Fagnan. num. 39. de Ecclesiis ædificandis Adden. ad Lap. allegat. 66. litt. N. Lambertin. de jurepatronatus parte prima primi libri quæst. 8. art. 1. per totam, Pirhing. ad lib. 3. decretal. tit. 48. §. 2. num. 12. Lotter. de Re Benefic. libr. pr. quæst. 28. numer. 46. & seqq.*

Et honor, qui est Ecclesiæ Matrici præservatus in *cap. ad audientiam il primo de Eccles. ædificandis* pendet ab arbitrio Ordinarii. *Murga de Benefic. quæst. 6. num. 12. Ricc. in Collect. 4201. §. Infertur 4. Castropal. Oper. Moral. parte 2. tract. 13. de Benefic. disput. 6. puncto 9. §. 10. sub num. 4.* & Eminentissimus Ordinarius Teste Promotore Fiscali paratus est ad demandandam relatam annuarum Corbarum frumenti contributionem favore Parochi S. Bernardini.

Cum igitur Eminentissimus D. Cardinalis Gozzadinus in Relatione status suæ Ecclesiæ Imolensis ad hanc Sacram Congregationem transmissa, exposuisset, ut diximus, quod ad succurrendum animarum saluti expediebat Parochiam Ruralem *Sancti Bernardi in Silva* in duas dividere, in Congregatione habita die 22. Junii 1720. fuit Eminentiæ Suæ insinuatum, quod uberiorem super hoc facto exhiberet informationem, antequam ad dismembrationem procederet, & quod a suo Promotore Fiscali terminus præfigeretur interesse habentibus ad sua jura deducenda in hac Sacra Congregatione.

In hujus insinuationis executionem, Eminentia Sua uberiorem transmisit informationem, in qua, post expositam longitudinem, & latitudinem Parochiæ S. Bernardini, refertur, primo, quod per d. Parochiam interfluit Flumen Santerni, quod hyemali præsertim tempore est impervium, secundo, quod Parochiani, vel propter magnam distantiam, vel propter viarum difficultatem pro majori anni parte accedere non possunt ad Ecclesiam Parochialem, itaut nec Missæ interessent diebus festis, nisi a piis quibusdam benefactoribus nonnulla Oratoria constructa fuissent, in quibus Missæ dictis diebus celebrantur, tertio quod attentis distantia, & viæ difficultate supra expositis, nonnulli Parochiani non sunt sufficienter instructi in rebus fidei, & aliquando sine Sacramentis decesserunt, & decedunt, quarto, quod, se hortante, quidam Sacerdos Franciscus Belletti ære proprio a fundamentis extruxit Ecclesiam sub invocatione S. Joseph, una cum commoda domo pro residentia novi Parochi, & accedente ulterius ejusdem Sacerdotis promissione de facienda assignatione tot bonorum stabilium fructiferorum pro annuo reditu *scutorum 60.* ultra nonnulla alia annua legata scutorum 25. relicta ab alio benefactore, & eroganda in celebratione Missarum in dicta Ecclesia adimplenda, ultimo, quod ad reparandum quodcumque damnum, quod Parochus S. Bernardini ex dismembratione pati posset, licet habeat in reditu scuta 200. circiter, posset novus Parochus obligari ad consignandas eidem septem, aut octo annuas corbas frumenti, quæ summa fere ascendit ad medietatem corbarum frumenti, quas antiquus Parochus a familiis perciperet, si non fieret earum dismembratio; cumque ad hujus uberioris informationis tramites, propositum fuerit in Sacra Congregatione habita *die 22. Junii anni prox. præter.* dubium, *an esset locus dismembrationi, & erectioni novæ Parochiæ*, nulla tunc fuit capta resolutio, sed responsum est, quod scriberetur Eminentissimo Episcopo pro nova informatione juxta mentem, quæ fuit, ut instructa redderetur Sacra Congregatio de annuo reditu, qui quolibet anno habetur ex focularis novæ Parochiæ assignandis, facto calculo redituum per decennium ad tramites Juris, & quod ulterius edoceretur de modo, quo Eminentissimus D. Episcopus subvenire intendit aliis domibus descriptis in planta exhibita, & æquali, si non majori auxilio indigentibus, & novæ Parochiæ nullatenus assignatis.

Ad effectum satisfaciendi hisce novis petitionibus tertia informatio ab Eminentissimo D. Cardinali Gozzadino ad hanc Sac. Congregationem transmissa est. Et in in eo quidem quod attinet ad interesse primitiarum a domibus dismembrandis percipi solitarum, dicitur totum interesse consistere in scutis 26. & obulis 60. tam habita ratione frumenti, quod a nonnullis domibus consignatur, quam pecuniæ, quæ ab aliis persolvitur, & idcirco in secunda informatione propositum fuisse, quod Parochus novæ Parochiæ ex dictis primitiis contribueret sex, vel septem annuas corbas frumenti antiquæ Parochiæ S. Bernardini in signum Matricitatis, quæ corbæ æstimari possunt ad rationem juliorum quatuordecim pro qualibet, facto calculo super pretio frumenti per decennium; In eoque, quod spectat ad subministrationem auxilii pro aliis domibus in planta exhibita descriptis, subditur, sic rem componi posse assignando novæ Parochiæ centum & quinquaginta focularia, extendendo limites novæ Parochiæ per lineam directam versus antiquam Ecclesiam, ad Occasum per duo milliaria circiter usque ad inclusionem loci, qui dicitur *Oratorio della Pianta*, & per lineam lateralem ad meridiem per milliare circiter usque ad locum, qui dicitur *via del Traversagno*, & ab aliis lateribus usque ad confinia Diœcesis Imolensis cum Diœcesibus Ravennatensi, & Faventina, concludendo, vel quod reliqua secularia non ita distant ab Ecclesia S. Bernardini, vel si quæ sunt distantia, non esse in tali numero, ut iisdem in casu indigentiæ a novo Parocho succurri non possit, & quominus homines in dictis domibus degentes tempore hyemali accedere ad novam Parochiam, licet alienam, valeant, vel ut functionibus interfint Ecclesiasticis, vel ut doctrinam ediscant Christianam.

Hæc sunt, quæ pertinent ad dismembrationem, & erectionem novæ Parochiæ, sed cum post aliam hujus Causæ propositionem, habitam *die 22. Junii 1720.* fuerit a me petitum, ut dubio super dismembratione, & erectione novæ Parochiæ, aliud superadderem circa pertinentiam, seu reservationem Jurispatronatus, novum antiquo dubio fuit dubium superadditum, Sacerdosque Franciscus Belletti contendit Juspatronatus sibi, & non antiquo Parocho esse reservandum, tum quia ære proprio novam Ecclesiam a fundamentis, una cum domo pro Parochi residentia construxit, tum quia promptus, & paratus est ad faciendam consignationem stabilium fructiferorum in annuo reditu scutorum 60. absque eo quod ulla sit habenda ratio, vel aliorum legatorum novæ Ecclesiæ relictorum, vel Primitiarum, quas ex domibus dismembrandis antiquus Parochus solitus erat percipere; Legata etenim non sunt gratuita, sed cum onere celebrationis Missarum, & primitiæ novæ Parochiæ consignantur in recognitionem laboris, & sollicitudinis, quam Parochus habet in cura animarum, absolutumque est in Jure, quod Parocho Matricis Ecclesiæ in tantum competit Jus præsentandi ad Parochiam noviter institutam *ad terminos Textus in cap. ad audientiam il primo de Ecclesiis ædificandis*, in quantum Ecclesia antiqua de suo contulit pro ædificatione, aut fundatione novæ Ecclesiæ, secus autem quando eadem prout hic, sumptibus Sacerdotis Francisci Belletti fuit fundata, & ædificata, cuique idcirco jus præsentandi ad ipsam est reservandum; uti adnotarunt *in dicto cap. ad audientiam Abbas num. 10. Fagnan. num. 39. de Eccles. ædificandis, Adden. ad Lap. allegat. 66. litt. N. Lambertin. de Jurepatronatus parte prima primi libri quæst. 8. artic. 1. per totum, Pirhing. ad tit. 3. decret. tit. 48. §. 2. num. 12. Lotter. de re benefic. lib. 1. quæst. 28. num. 40. & seqq.*

Jura hinc inde circumferuntur: Quocirca quæritur

I. An sit locus dismembrationi, & erectioni novæ Parochiæ in casu, & quatenus affirmative.

II. An, & ad cujus favorem sit reservandum Juspatronatus in casu &c.

Sacra Congr. die 21. Junii 1721. respondit

Ad Primum affirmative dummodo Oratorium della Pianta remaneat sub antiqua Parochiali. Ad Secundum, Juspatronatus pertinere ad Sacerdotem Belletti, solutis Corbis septem frumenti annuis a novo Parocho Ecclesiæ Matrici, & reservato competenti honore ab Ecclesia filiali exhibendo erga Matricem arbitrio Eminentissimi Episcopi.

QUÆSTIO CLXIX.

In Causa Portucallensi Reductionis Congruæ, die 8. Junii 1720.

MOnasterium Monialium de Ave Maria S. Benedicti Civitatis Portus jus habet præsentandi, seu nominandi Vicarium Curatum ad Parochialem Ecclesiam S. Christophori; cumque, occasione ultimæ vacationis nominaverit, seu præsentaverit Sacerdotem Joannem de Tavora sub ea lege, & conditione, quod idem, ultra oblationem Altaris, domum, Pomarium, & Prædia Domui annexa, obtinere debet annua scuta 80. monetæ Romanæ loco decimarum de Baguin, & primitiarum Territorii de Poggionegro, quæ a Prædecessoribus Vicariis exigebantur, reservato tamen beneplacito Apostolico, exorta est controversia inter Monasterium, & Sacerdotem Joannem, de qua in Congregatione est agendum.

Fundamentum Monasterii in hoc consistit, quod Parochia S. Christophori est sibi unita unione plenaria, & subjectiva, sicuti omnia Jura, & Bona Parochiæ transierunt in dominium Monasterii cum onere præstandi congruam Vicario, sic assignatio decimarum Locorum prædictorum, & primitiarum Vicariis facta censeri debet causa demonstrationis juxta deducta per *Lotter. de Re Benefic. lib. 1. quæst. 3. n. 19. & seqq.* & quando assignatio facta fuit causa demonstrationis, sequitur, quod sicuti decrescentibus reditibus debuisset Monasterium eorum deficientiam supplere, sic in hypothesi immodicæ eorumdem Redituum excrescentiæ, possit idem Monasterium justa subsistente causa, & intercedente Superioris auctoritate, sibimet asserere memoratorum Redituum applicationem juxta celebrem Glossam *in Cap. Avaritiæ* in verbo *Reditus* de præbendis ibi. *Monachi certam partem percipiunt, & totum aliud dimittunt Cappellanis, & tunc in nullo diminuere debent, quod relinquunt Cappellanis suis sine consensu Archiepiscopi, vel Episcopi sui, & idem esset si Clerici certam partem percipiunt, & Monachi totum aliud ex eo, quod dicitur sine consensu Archiepiscopi, videtur, quod de consensu ipsius hoc facere possint, & diminuere, & parochias dividere, quod verum est justa de Causa &c. possunt etiam Reditus diminuere, puta, si Ecclesiæ facultates essent ampliatæ, ut sic de augmento, & Monachi sentiant utilitatem, cum hujusmodi Ecclesiæ subsint eis quoad temporalia.*

Ad justam vero causam descendendo, illa reponitur in Monasterii indigentia, quod habet magnos sumptus, & parvos reditus, & in excrescentia immodica prædictarum decimarum, & primitiarum, anno etenim 1516. decimæ, & primitiæ importabant 7. vel 8. Scuta monetæ Romanæ, itaut Vicarius pro supplemento suæ congruæ substentationis obtinuerit oblationes de pede Altaris, Domum, & Hortum, & hodie decimæ, & primitiæ ascendere dicuntur ad annua Scuta 650.

Additæ fuerunt a Monasterio Monialium pro impetrando Beneplacito sequentes circumstantiæ, quarum prima desumpta fuit ex magnis sumptibus, quibus est obnoxium, non obstante modicitate redituum, & altera constituta fuit in hoc, quod Decimæ, & Primitiæ a prædecessoribus Vicariis habitæ, ascendunt ad scuta annua 650. quando anno 1516. eædem non importabant nisi scuta septem, aut octo monetæ Romanæ.

Actum fuit de hac controversia in Congregatione habita *die 13. Julii 1720.* nec ulla fuit capta resolutio, sed dictum, quod coadjuvarentur probationes, secutaque probationum coadjuvatione, quæritur

An assignatio Congruæ facta in bonis sustineatur, vel potius sit locus reductioni, seu confirmationi reductionis ejusdem Congruæ in casu &c.

Sacra Congr. die 18. Decembris 1723. respondit

Esse locum Commutationi Congruæ, augendo summam oblatam scut. 80. usque ad summam scut. 150.

QUÆSTIO CLXX.

In Causa Leodiensi Confirmationis Concordiæ, die 8. Junii 1720.

ANNO 1651. Monasterium S. Laurentii Ordinis S. Benedicti Civitatis Leodien. immissionem obtinuit ad Castrum, Terras, Toparchiam, & Bona de Heers, ad effectum sibi satisfaciendi de summa florenorum 32000. sibi debita ex quadam domus evictione, quam passum fuerat.

Ab anno 1651. usque ad annum 1690. Monasterium permansit in pacifica Bonorum possessione; cum autem hoc anno Comes de Argentau judicium introduxisset pro residuo solutionis dotis sibi debito super enarratis Bonis, lis introducta fuit inter Monasterium, & dictum Comitem, & Monasterium sententiam favorabilem reportavit.

A Comite de Argentau interposita fuit appellatio, delataque subinde ejus hæreditate ad Comitem de Mersi, adversus hunc fuit a dicto Monasterio introductum Judicium pro obtinendis annuis Canonibus Modiorum 48. Speltæ, quos esse sibi debitos afferebat in sequelam antiquæ emphytheusis Bonorum de *Moumael*.

In hoc rerum statu operæ pretium existimatum est ad transactionem devenire, sub reservatione Beneplaciti Apostolici, & in transactione Comes de Mersi cedit liti super Bonis de Heers, cedit etiam favore ejusdem Monasterii creditum dotis in summa florenorum 20000. cum omnibus fructibus decursis, & decurrendis in annua summa florenorum 1000. & e contra Monasterium cedit favore Comitis de Mersi Jus exigendi annuos Canones modiorum 48. Speltæ, & cedit etiam nonnullos alios census modici momenti una cum quodam petio Terræ, & Jure relevii *super Poicoul*, quæ omnia a Peritis fuerunt valutata in summa florenorum 13330. & in annuo reditu florenorum 666.

Supplicavit Monasterium huic Sac. Congregationi pro confirmatione, & approbatione Concordiæ, cumque post auditum Officialem Leodiensem omnia prædicta referentem, & comprobantem, negotii examen fuerit commissum claræ mem. Cardinali Priolo, binæ fuerunt ab ipso exaratæ relationes, altera die 5. Januarii 1717. altera die 15. Aprilis 1719.

In prima Relatione prædictus Dominus Cardinalis dubitavit de utilitate Monasterii eo sub fundamento, quod ignorabatur, an annua responsio 48. modiorum Speltæ super Bonis in Moumael esset referenda ad canonem emphytheuticum, incongrua ipsi videbatur æstimatio ad rationem quinque pro centenario, & ulterius consideratione digna ipsi videbatur amissio directi dominii, quod est pretio æstimabile.

In secunda deinde Relatione idem Dominus Cardinalis fuit in sensu, quod constaret de utilitate Monasterii, tum quia spes recuperandi aliquando Bona emphytheutica, admisso etiam, quod responsio modiorum 48. Speltæ esset ad Canonem emphytheuticum referenda, erat nimis remota, cum Investitura concessa fuisset in perpetuum Comitibus de Mersi, & esset comprehensiva hæredum, & successorum; Tum quia cum Monasterium esset obligatum ad redditionem rationis fructuum perceptorum ex Bonis de Heers eo sub fundamento, quod in Patria Leodiensi possidens Jure *Saisiniæ* tenetur reddere rationem de fructibus perceptis ex Bonis *Saisitis*, uti apud Nos ad eamdem rationis tenetur redditionem, quicumque Bona possidet Jure Salviani, uti tradit *Meam. ad Jus Civile Leodien. observat.* 237. *n.* 5. Clar. mem. Cardinalis Priolus existimabat, quod Monasterium ex fructibus perceptis consequutum fuisset satisfactionem totius sui Crediti florenorum 32000. & sic, quod non posset dicta Bona retinere, nisi acquireret Jura dotalia, quorum favore se confoveret in eorum possessione adversus quoscumque.

Cum hisce duabus Relationibus clar. mem. Eminentiss. Prioli facta fuit Instantiæ propositio in hac Sacra Congregatione inter summaria precum, nonnullæque ex officio fuerunt excitatæ difficultates, fuitque demandatum, ut Instantia proponeretur in folio.

Difficultates autem ex Officio excitatæ consistunt in hoc, quod si tota utilitas Monasterii ad hunc unicum punctum reducitur, quod ipsum acquirit Creditum annuorum florenorum 1000. constituentium capitale florenorum 20000. & cedit Comiti de Mersi Capitale Florenorum 13330. & se liberat a lite a dicto Comite introducta super Redditione rationis fructuum perceptorum ex Bonis *de Heers* in Salviano, seu *Saisina* possessorum.

De hac utilitate est dubitandum, primo quia habenda est ratio dominii directi, & speratæ devolutionis Bonorum, necnon Juris relevii, & homagii *super Poicoul*, necnon Canonum decursorum, & non solutorum a Comite de Mersi, quibus omnibus rebus Monasterium media hac transactione renuntiat.

Secundo quia Monasterium acquirendo Creditum annuorum florenorum 1000. non remanet liberatum a redditione rationis fructuum hucusque perceptorum ex Bonis de *Heers*, pro qua saltem alii Creditores instare possunt.

Tertio quia in hac transactione Monasterium non acquirit, seu obtinet securitatem se confovendi in possessione Bonorum de *Heers*, securitas quippe ex alio capite haberi non potest, quam a credito dotis per Monasterium acquirendo, sed cum creditum jam fuerit semel per sententiam rejectum, suumque habeat initium *de anno* 1737. & ignoretur an adsint alii Creditores anteriores, nemo est, qui non videat securitatem non esse ullo modo verificatam.

Fuerunt hæ difficultates communicatæ Procuratori Monasterii, cumque ipse in Scriptura per manus circumferenda conetur iisdem satisfacere, quæritur

An sit locus Beneplacito Apostolico, in casu &c.

Sacra Congr. die 22. Junii 1720. respondit
Negative.
Sed impetrata nova audientia, proposito dubio,
An sit standum, vel recedendum a decisis,
Sacra Congr. die 6. Maii 1723. respondit
Prævio recessu a decisis concordiam esse confirmandam.

QUÆSTIO CLXXI.

In Causa Illerdensi Translationis, die 22. Junii 1720.

IN summitate Montis Villæ de Alguaire in Diœcesi Illerden. assurgentis, insigne, & pervetustum aderat Monasterium, in quo degebant Moniales Beatæ Mariæ subjectæ Religioni S. Joannis Hierosolymitani.

Pars ædium olim repente lapsa est, & laxatæ fuerunt murorum omnium compages, itaut imminens reputata fuerit ruina Monasterii.

Adeoque anno 1699. vacante Sede Episcopali Illerden. Frater Felicianus Sajol Ordinis Hierosolymitani, Locumtenens Magni Prioris Catalauniæ, prædictas Moniales a memorato loco absque ulla Ordinarii, vel Sedis Apostolicæ licentia, sed prævio tantum assensu Magni Magistri, ejusque Consilii Ordinarii, & assemblea Prioratus Catalauniæ, ad Civitatem transtulit Barchinonensem, ibique in Domibus Parochialibus, in quibus anno etiam 1640. urgente belli timore fuerant collocatæ pro interim, & provisionaliter, & donec quassatum Monasterium esset reparatum iterum, collocavit.

Adversus hoc factum nedum Capitulum reclamavit, sed etiam tota Civitas Illerdensis commota est, habitoque recursu ad hanc Sac. Congregationem, in ipsa disputatum fuit *die* 20. *Augusti* 1701. *an esset locus restitutioni Monialium, vel potius esset concedendum Beneplacitum, dictaque die sequens prodiit responsum: translationem fuisse nullam, & scribatur Nuntio Apostolico pro deputatione Episcopi Viciniorís, qui conficiat processum juxta instructionem, & interim Moniales collocentur in uno vel pluribus Monasteriis Barchinonæ bene visis arbitrio Sacræ Congregationis, & quoad censuras incursas, extrahentes consulant conscientiis suis.*

Cohærenter ad hæc datæ fuerunt Litteræ Nuntio Apostolico in Regnis Hispaniarum degenti, in quibus fuit ei demandatum, quod aliquem deputaret ex Episcopis vicinioribus, qui de statu Monasterii, tam circa necessitatem, & facilitatem reaptationis, quam circa assertam aeris intemperiem, & aquæ carentiam diligenter inquireret, deputatoque ad hunc effectum etiam de partium consensu Episcopo Barbastrensi, & ab ipso examinatis, tum Physicis, tum Fabris murariis, & Architectis, Physici retulerunt aerem esse salubrem, & Fabri murarii fuerunt in sensu, quod Monasterium restaurari commode posset cum impensa librarum 4458. communicatoque partibus processu iisdemque monitis, & informantibus, fuit iterum de hoc negotio actum in Congregatione habita *die* 3. *Octobris* 1705. cumque in ea fuissent disputata bina dubia, primo videlicet, *an sit standum, vel recedendum a decisis sub die* 20. *Augusti* 1701. *& quatenus in decisis*. Secundo, *an Moniales continuare debeant permanentiam in Civitate Barchinonensi, vel potius restituendæ sint ad pristinum Monasterium, vel ad alia Monasteria Civitatis, & Diœcesis Illerdensis*. Et in eo quod attinet ad primum Sacra Congregatio *stetit in decisis*; & in ordine ad secundum censuit *restituendas esse Moniales ad pristinum Monasterium postquam fuerit reaptatum, & scribendum Ordinario Illerden. ut incumbat sollicitæ ejusdem reaptationi, cum præfixione congrui termini, nec non Episcopo Barchinonen. ut interim inhibeat ne aliquæ admittantur ad habitum, seu professionem in Civitate Barchinonæ, & hujusmodi causam amplius non proponi mandavit*.

Adversus hoc rescriptum, plura in quodam supplici libello, Monialium nomine fuerunt Sacræ Congregationi exposita, tum circa impossibilitatem redeundi ad antiquum Monasterium, illudque reaptandi, tum circa congruentiam permanendi in Civitate Barchinonensi, *sed cum die* 14. *Novembris* 1716. Sacra Congregatio respondisset, *instent pro nova audientia in plena Congregatione citata parte, & doceant de executione Decreti Sac. Congregationis quoad habitationem in aliquo ex Monasteriis Barchinonæ*, allataque subinde epistola Episcopi Barchinonensis, in qua ultra attestationem impossibilitatis antiquum reparandi Monasterium, dixit domum, in qua usque de anno 1699. Moniales fuerunt collocatæ, esse aptam, & idoneam pro earum habitatione, & pro exercendis omnibus, quæ ipsarum professionem religiosam respiciunt, nec non altera pariter allata epistola Episcopi Illerdensis, in qua retulit nullum aliud adesse remedium celerius, & opportunius, quam Moniales ad quasdam ædes, quas habent cum sua Ecclesia Beatæ Mariæ Virginis *del Merli* nuncupata, sitas in ipso Oppido de Alguaire, transferri mandare donec antiquum restauraretur Monasterium, cum sex ex decem Monialibus superextantibus pro hac ad dictas ædes supplicaverint translatione, & reliquæ Moniales ab hac instantia excitatæ, seu Superiores Religionis Hierosolymitanæ, contemporance pro nova audientia iterum exoraverint, proposito negotio in Congregatione habita *die* 11. *Septembris* 1717. rescriptum fuit *nihil de nova audientia, & scribatur Episcopo Illerden. ut sollicite curet ad statum Monasterii, & clausuræ enunciatas ædes reducere, & quod post executionem certioret*.

Sub obtentu, quod propter temporum calamitates non erat ullo modo possibile recensitas ædes aptare ad statum monasterii, atque clausuræ, subprioriss, & nonnullæ moniales recursum habuerunt ad hanc Sacram Congregationem, exorando, quod Episcopo Barchinonensi demandaretur transmissio ad Civitatem Illerdensem, & quod Episcopo Illerdensi scriberetur, ut tam se, quam alias moniales in suam reciperet Diœcesim, & aliquas in uno, alias in alio ex prædictæ suæ Civitatis monasteriis collocaret usquequo monasterium antiquum repararetur, & clausura ad primævum statum reduceretur, assignatis unicuique Moniali alimentis ex reditibus Monasterii de Alguaire, & in eodem relictis quatuor Monialibus sexagenariis, quæ celeri reaptationi, & reditui administrationi incumberent, & Sacra Congregatio, ut finem tandem huic imponeret negotio *die* 27. *Januarii hujus anni* 1720. censuit. *Dandas esse novas litteras tam ad Episcopum Illerden., quam ad Episcopum Barchinonen., & quod Episcopo Illerden. demandaretur, ut Moniales collocaret in Monasteriis Civitatis pro suo arbitrio, & prudentia, celeri incumberet reaptationi antiqui Monasterii, necnon administrationi Bonorum, & Redituum ad illud pertinentium, quod Episcopo Barchinonensi injungeretur, ut communicato cum Episcopo Illerdensi consilio, omnem navaret operam, ut translatio ab una ad alteram Civitatem debitis adimpleretur modis, & formis, & quoad permanentiam quatuor Monialium in antiquo Monasterio, Sac. Congregatio censuit non esse annuendum petitis, sed melius esse existimavit, quod etiam quatuor istæ Moniales collocarentur in aliquo ex Monasteriis Civitatis Illerdensis*.

Jure merito sperari poterat, quod finis huic rei esset impositus, sed eventus fefellit; Supervenit etenim Epistola Episcopi Illerdensis scripta die 9. Januarii hujus ejusdem anni 1720. in qua relative ad aliam Epistolam Episcopi Barchinonensis, nedum testimonium perhibet de permanentia in totum, & per totum decentissima, & Religiosæ professioni accommoda in dicta Civitate Barchinonensi, sed ad ulteriora progrediendo, inexequibile fatetur esse consilium a se alias datum de reducendis ad Clausuram ædibus, quas habent Moniales, una cum Ecclesia Beatæ Mariæ del *Merli* in oppido de *Alguaire*. Supervenit ulterius documentum, ex quo probari contenditur, non posse antiquum Monasterium restaurari, murosque ejus adhuc extantes esse dejiciendos, ne iterum Seditiosi, & Latrones in eodem loco sedem figant, ut fecerunt in postrema seditione Principatus Catalauniæ. Supervenerunt denique Testium examina dictum assumptum corroborantia; quocirca operæ pretium existimatum fuit rescribere die 16. *Martii* 1720. *quod Causa in folio proponeretur*.

Proponitur itaque Instantia in folio; cumque exoretur, quod Moniales continuent in Civitate Barchinonæ, data opportuna facultate novam admittendi ad habitum, & ad professionem, nec enim ulla fuit admissa, nec professionem emisit post supra recensitum Sacræ Congregationis Rescriptum editum die 3. *Octobris* 1705. itaut Monasterii exterminium immineat, licet consimilium Monasteriorum manutentio, & conservatio præcipiatur in *Statuto* 26. *&* 27. *Religionis Hierosolymitanæ*, sequens dubium proponitur,

An, & quomodo sit providendum in casu, &c.

Sed illud non fuit resolutum, cum dictum fuerit, scribendum esse Episcopo Barbastren. pro informatione juxta instructionem, & instructio fuit redacta ad capita, quæ sequuntur. Primo, ut informaret, an Moniales modo Barchinonæ degentes commodam habeant habitationem, & decentem Ecclesiam, & an utraque saltem sit reaptabilis ad formam veri Monasterii, & Ecclesiæ. Secundo, an practicabilis sit modus alias propositus ab Episcopo Illerdensi transferendi Moniales ad Ædes *del Merli*. Tertio, an, & cum qua impensa antiquum Monasterium valeat restaurari, & an restaurationi Regii obstent Ministri. Quarto, quot sint de præsenti Moniales, & an aliquæ post Sac. Congregationis prohibitionem fuerint admissæ ad professionem, & an major, vel minor pars sit illa, quæ exoptat permanentiam in Civitate Barchinonensi. Quinto, an in hypothesi, in qua Monialibus permitteretur permanentia in Civitate Barchinonensi, posset recte adimpleri administratio bonorum ad Monasterium pertinentium, & in Diœcesi Illerdensi existentium. Sexto demum, & ultimo, an magis expediat pro bono Monasterii, & Instituti Regularis, quod Moniales permaneant in Civitate Barchinonensi, vel quod transferantur ad Ædes *del Merli*, seu potius quod antiquum Monasterium restauretur.

Supervenit informatio Episcopi Barbastrensis, in qua distincte satisfecit omnibus capitibus memoratæ instructionis, concludendo pro translatione Monialium ad Ædes *del Merli*, quas autumat reduci posse ad statum competentis Monasterii cum expensa quatuor millium librarum monetæ illius Provinciæ; at nonnullis ex Monialibus instantibus pro translatione ad Ædes *del Merli*, & aliis exorantibus pro permanentia in Civitate Barchinonensi, iterum quæritur

An, & quomodo sit providendum in casu &c.

Sacra Congr. die 2. Maii 1722. respondit,
Scribatur Episcopis Barchinonen. & Illerden. juxta Instructionem, & interim pro facultate admittendi ad professionem quatuor Novitias jam receptas, prævia tamen declaratione a dd. Novitiis emittenda parendi mandatis Sac. Congregationis quoad translationem.

QUÆSTIO CLXXII.

In Causa S. Agathæ Gothorum, die 22. Junii 1720.

EXTAT in Oppido Argenti Diœcesis S. Agathæ Gothorum, numeroso Populo Animarum septem circiter millium referto, ampla Parochialis Ecclesia S. Andreæ, bene ornata, tribusque navibus composita, in qua præter Archipresbyterum Animarum curam habentem tresdecim Cappellani reperiuntur, qui quibusdam anni temporibus in ipsa celebrant Officia Divina.

Extant ulterius in eodem oppido plura tum Regularium, tum Monialium monasteria, aliæque sex Ecclesiæ Parochiales una cum numeroso Clero Sæculari, numerum centenarium excedente; cumque in prædicto oppido, quod si non antiquitate, saltem cæteris qualitatibus nobilius est, & magis conspicuum cæteris aliis, quæ sunt in Diœcesi, non reperiatur Ecclesia Collegiata, in mentem venit oppidanis Sanctissimo Domino Nostro supplicare pro erectione Ecclesiæ S. Andreæ in collegiatam, & a Sanctitate sua fuerunt preces remissæ ad hanc Sacram Congregationem, quæ de more audivit Ordinarium, & negotium ulterius discutiendum commisit clar. mem. Cardinali Priolo, ut ex informatione prædicti Ordinarii, & suffragio memorati Cardinalis, quæ exhibentur, colligi potest.

Ecclesiæ reditus modo consistunt in annuis ducatis 386. quorum medietas cedit in commodum Archipresbyteri, & alia medietas in commodum tresdecim Cappellanorum,

rum, qui in ea celebrant officia Divina, uti supra dictum est; cumque reditus isti nullatenus sint sufficientes pro fundanda collegiata, & in nonnullis Ecclesiæ oppidis, & casalibus unitis tresdecim reperiantur Cappellaniæ, quæ nec sunt beneficia, nec conferuntur in titulum, sed ex piorum eleemosynis conflatæ administrantur per duos Œconomos Laicos ab oppidanis deputatos, & ab Episcopo approbatos.

Mens dictorum oppidanorum esset, ut annuente Sanctissimo, cæteris Ecclesiæ Sancti Andreæ reditibus fieret unio redituum supradictarum Cappellaniarum, qui, demptis oneribus, ascendere dicuntur ad ducatos 1087. & sic, quod vigintiquinque Canonicatus erigerentur, comprehensis tamen in hoc numero Archipresbyteratu, Primiceriatu, præbenda theologali, & thesauriariatu, reservatoque favore Parochianorum jure præsentandi ad Archipresbyteratum, & ad alias tres dignitates erigendas, appositaque conditione, quod Canonicatus in quatuor partes dividantur, quarum tres conferantur Clericis oppidi, quarta Clericis ex casalibus oriundis, & ultimus Canonicatus, nempe vigesimus quintus, Clerico casalis Sanctæ Mariæ novæ, in quo altera ex Cappellaniis uniundis existit.

Fundamentum, cui petitio jurispræsentandi ad Archipresbyteratum, & ad alias tres dignitates erigendas præcipue innititur, residet in hoc, quod Archipresbyteratus de præsenti est de jurepatronatus Parochianorum, & quod sicuti annuente hic, & nunc Archipresbytero ex ducatis 386. Ducati tantum 180. pro Archipresbytero, ejusque successoribus remanere debent, & alii cedunt in dotem aliarum trium dignitatum, sic æquum esse videtur, ut jus præsentandi ad easdem dignitates reservetur favore universitatis.

Fundamentum deinde conditionis appositæ, ut Canonicatus erigendi conferantur partim Clericis oppidi, partim Clericis oriundis ex casalibus, originem habet a Cappellaniis uniendis, quarum nonnullæ in Ecclesiis oppidi, nonnullæ in casalibus unitis reperiuntur erectæ.

Alia plura legi possunt in scriptura per manus circumferenda, in qua etiam occurritur nonnullis difficultatibus in suffragio clar. mem. Cardinalis Prioli excitatis.

Cum Sacra Congregatio resolutionem distulerit, & demandaverit, quod scriberetur Episcopo juxta instructionem, mandatis, ea, qua decet, reverentia morem gessi.

In executionem itaque mandatorum Sacræ Congregationis, datæ fuerunt ad Episcopum litteræ, in quibus ipsi expositum fuit, quod Sacra Congregatio erat in dispositione annuendi erectioni Collegiatæ, sed cum duabus Dignitatibus tantum, & duodecim Canonicatibus, & cum unione quatuor Cappellaniarum, duarum in Ecclesia S. Andreæ, & duarum in Ecclesia Sanctissimæ Annuntiationis, quod id notificaret Universitati, & quod, habita ejus mente, eam Sacr. Congregationi notificaret.

Episcopus paruit mandatis, & in suis litteris inquit, expedire in Domino, quod numerus Canonicorum non minuatur, & quod ille tanquam excessivus haberi non potest, habita ratione numeri Animarum Oppidi, qui est in septem millibus, habitaque consideratione, quod sua Cathedralis cum Populo vix ascendente ad quatuor mille, habet triginta Canonicos, inter quos quinque sunt Dignitates.

Ut pariter omnia essent in aperto, non destiti notum facere Procuratori Communitatis, quod nonnulli ex EE. DD. dixerunt rationabiliter timeri posse, tum de incommodo hominum degentium in Casalibus, tum de periculo diminutionis redituum, & deinde onerum, si fiat unio Cappellaniarum, & quod penes nonnullos alios ex EE. DD. aliquid difficultatis ingessit ponderatio quod Archipresbyteratus, cui est annexa cura Animarum, esset conferendus non per Concursum, sed prævio examine.

Ad submovendas autem hasce difficultates, Episcopus in nova epistola inquit habitatores Casalium non esse incommodum passuros ex unione Cappellaniarum, cum Casalia sint contermina Oppido, nullum adesse periculum diminutionis redituum, tum quia nunc administrantur a Laicis, & in posterum administrabuntur a Canonicis rem propriam gerentibus, tum quia facto multiplico redituum inexactorum, & ascendentium ad scuta 3000. constitui poterit capitale multiplicandum pro supplemento futurorum decrementorum, cum conditione, ut omnia onera Cappellarum impleantur citra ullam spem reductionis onerum; adduntque Informantes, juri consonum esse, quod Dignitates, quibus annexa est cura Animarum, non conferantur per Concursum, sed prævio tantum examine, & de facto tempore SS. D. N. introducta fuit consuetudo, ut, vacantibus primis Dignitatibus, quibus annexa est cura Animarum, quarum collatio spectat ad Datariam, fiat ab Ordinario Concursus, qui transmittitur pro instructione animi Sanctitatis Suæ.

His autem stantibus, quæritur

An, & quomodo sit annuendum petitioni in casu &c.

Sacra Congr. neque die 8. Martii 1721. neque die 31. Martii 1721. quibus diebus Causa fuit reproposita, nihil resolvit.

QUÆSTIO CLXXIII.

In Causa Imolensi Congruæ, die 22. Junii 1720.

FUNDATUM reperitur in Ecclesia Parochiali Sancti Pauli Terræ Massæ Lombardorum Imolen. Diœcesis quoddam Consortium Presbyterorum, quod Communia appellatur, ad quam, juxta resolutiones alias editas ab hac Sacra Congregatione, non solum admitti debent Sacerdotes intra circuitum Terræ nati, sed etiam Oriundi de Territorio.

Terra, & Territorium Populo abundant, & in dies augetur numerus Clericorum, & Sacerdotum, & triginta Sacerdotes *anno* 1717. quo fuit exarata ab Eminentissimo Gozzadino Ordinario Imolen. informatio, descripti reperiebantur in Communia, & alii vigintiquatuor, intra breve temporis spatium, contendere poterant admissionem ad eamdem.

Ratione hujus magni, & tractu temporis excessivi Consortialium numeri, timor exortus est, quod nedum Cœtus vilescere posset, sed quod etiam Cultus Divinus detrimentum pateretur, tenentur etenim Consortiales interesse Choro, & functionibus singulis diebus, & quando iidem sunt in numero 30. quilibet Sacerdos, deductis Missarum eleemosynis, quas celebrat obligatione Communiæ, deductisque aliis impensis necessariis pro manutentione Sacrarum Supellectilium, vix habet annua scuta 16. quæ summa diurno penso impar videtur.

Ad reparandum hoc futurum inconveniens, exhibitus fuit huic Sacræ Congregationi supplex libellus, in quo petitum fuit, quod determinaretur numerus Consortialium, qui pro tempore adscriberentur Communiæ, & sic quod Ecclesia fieret numeratitia, & Eminentissimus Gozzadinus in supra recensita Informatione, censuit esse annuendum petitis, quia, effecta Ecclesia numeratitia, non omnis Clericus tamquam tutus de sua admissione, studere negliget, sed unusquisque, qui Clericali militiæ nomen dabit, studiis strenue incumbet, ut præ cæteris ad Consortium eligi possit, idemque Eminentissimus censuit, quod pensatis Ecclesiæ Reditibus, numerus Consortialium præfigi posset in quinque supra viginti, comprehenso Archipresbytero, qui est caput Communiæ; præfixoque dicto Participantium, seu Consortium, seu Consortialium numero, quæ res tamen est intelligenda sine præjudicio eorum, qui sunt ad præsens adscripti, singuli eorum haberent annua scuta 20.

Hæc sunt, quæ continentur in Informatione Eminentissimi Ordinarii, quæ exhibetur in summario scripturæ Prioris, & Consortialium Communiæ Massæ Lombardorum. In hac vero Scriptura contenditur, quod perpenso assiduo gravique servitio, consideratis ulterius expensis faciendis pro manutentione supellectilium, habitaque ratione aliarum circumstantiarum, taxa annua pro quolibet Sacerdote esse debeat in scutis 50. ut in terminis congruæ pro Ecclesia receptitia inquit *Rota dec.* 206. *num.* 10. *par.* 19. *recen.* & quod hoc posito, facile admodum sit numerum Consortialium statuere, cum ex processu remissoriali confecto prætendatur annuum reditum Communiæ esse in summa scutorum 668.

Quæritur itaque

I. An & ad rationem cujus summæ taxanda sit substentatio singulorum Consortialium, in casu &c.

II. An, & quot Consortiales secundum præsentem Redituum Ecclesiæ statum recipi possint, in casu &c.

Sacra Congr. die 7. Septembris 1720. respondit,
Nihil innovandum.

QUÆ-

QUÆSTIO CLXXIV.

In Causa Pragensi Matrimonii, die 13. Julii 1720.

SUMMUS Pontifex, qui Filios illegitimos ubique terrarum directe legitimare potest, quo ad omnes spirituales effectus, Sacrorum videlicet Ordinum, atque Beneficiorum Ecclesiasticorum, quique eosdem illegitimos, legitimos facere potest, atque capaces successionum, cæterorumque bonorum, omniumque Civilium effectuum, & quidem directe in Terris suæ temporali jurisdictioni subjectis, juxta ea, quæ plene colliguntur ex celebri responso Innocentii Papæ Tertii *in cap. per venerabilem, qui filii sint legitimi.*

Potest etiam ubique Terrarum, & in Terris alienæ jurisdictioni quo ad temporalia subjectis, filios illegitimos legitimando, non directe, sed indirecte capaces efficere successionum, & quarumcumque rerum temporalium, concedendo videlicet dispensationem, quæ dicitur *in radice Matrimonii*, dummodo tamen adsit magna, & urgentissima causa, dummodo proles suscepta non fuerit ex copula manifeste fornicaria, sed ex copula putative matrimoniali; in copula quippe manifeste fornicaria, nulla est radix Matrimonii, in qua Papa directe dispensando, legitimet indirecte, & per quamdam consequentiam in ordine ad temporalia, & dummodo Matrimonium, ex quo Proles legitimanda est orta, non fuerit nullum propter impedimentum Juris Divini, vel naturalis, sed tantum propter impedimentum legis Ecclesiasticæ, quemadmodum etenim Summus Pontifex potest legem Ecclesiasticam irritare, & revocare non tantum quoad imposterum secuturos effectus, ne incurrantur, sed etiam quoad effectus antea productos, juxta Textum *in Clementina quoniam de Immunit. Eccles.* sic dispensando in radice Matrimonii, & revocando impedimentum dirimens Matrimonium, & simul, & semel abrogando legem Ecclesiasticam, quæ dictum statuit impedimentum, facit, ut dispensatio retrotrahatur ad initium Matrimonii, & sic quod proles quo ad omnes effectus, & sic quoad effectus civiles indirecte, legitima sit, & habeatur.

Ita communiter docent Canonistæ *in cap. Per Venerabilem, ubi Joannes Andreas num.* 26., *Abbas num.* 22., *Alexander de Nevo num.* 18. *Gonzal. num.* 23. *Barbos. num.* 6., *qui filii sint legitimi*, & ad eundem titulum Decretalium prosequuntur *Pirhing.* §. 6. *n.* 42. *& seqq.*, *Anaclet.* §. 2. *num.* 51. *Navar. consil.* 2. *lib.* 4. *eodem titulo, qui filii sint legitimi, plenissime Barbosa voto decisivo* 27. *per totum lib.* 2. *Sanchez de Matrim. lib.* 8. *disput.* 7. *num.* 4. *& pluribus seqq.*, *Castil. tom.* 5. *Controv. cap.* 105. *& præcipue num.* 28. *Diana in edit. coordin. tom.* 3. *tract.* 1. *resolut.* 87. *per totam*, *Peregrin. de fideicom. art.* 24. *n.* 76. *& pluribus seqq. Corrad. in praxi dispensat. lib.* 8. *cap.* 3. *num.* 46. *& seqq.*, *de Justis de dispensat. Matrim. lib.* 1. *cap.* 7. *n.* 284. *& seqq.*, fuitque perpetua opinio Rotæ, uti habetur *ex Decisionibus in Causa Pampilonen. Illegitimitatis* 5. *Decembris* 1608. *&* 10. *Junii* 1609. *coram Justo, impressis apud Garziam de Benef. part.* 7. *cap.* 2. *num.* 40. *& seqq.*, *decis.* 1121. *coram Serafino*, *decis.* 462. *lib.* 2. *in Correctis coram Puteo*, *decis.* 19. *per totam coram Ludovisio*, *decis.* 174. *post secundum volumen consiliorum Farinac.*, *& plenissime in decis.* 455. *part.* 1. *recent.*, *& decis.* 687. *part.* 2. *recent.*

Ita ut assertio Additionatoris ad Navarrum *citato consil.* 2. *lib.* 4., ubi refert Summum Pontificem Gregorium XIII. consimilem dispensationem concedere noluisse, & etiam addidisse, se non posse dictam concedere dispensationem, vel intelligenda sit, & explicanda, ut Pontifex dicere voluerit, se dictas dispensationes concedere non posse, nisi magna urgente causa, uti ejus dictum explicando, ajunt *Diana loc. citato num.* 6., *Barbosa in allegato voto* 27. *num.* 31., vel de manifesta redarguatur falsitate, cum constet Gregorium XIII. dispensationes concessisse in radice Matrimonii, ita ut memoratæ Rotæ decisiones 455. *part.* 1. *Recent.*, & altera hoc est 687. *part.* 2. *Recent.*, prodierint in casu consimilis dispensationis a dicto Pontifice concessæ.

Pontificiæ hujus auctoritatis præsidium fuit imploratum a Guillelmo Jaroslao Graisfensels de Pilsemburg Barone, seu Domino loci Tman; exhibito siquidem Sanctitati Suæ supplici libello, humiliter exposuit, se ante annos circiter 40. Matrimonium cum Ludmilla honesta Puella contraxisse, non tamen coram Parocho, sed coram Sacerdote extraneo, ac absque ulla fraude, vel dolo, eo quod Territorium contrahentium tunc temporis proprium Parochum non habebat, sed Incolis Sacramenta administrabantur ab Advenis, seu extraneis Sacerdotibus, se ex dicto putativo Matrimonio tres filios habuisse superstites, Joannem videlicet, Carolum, & Rodulphum, qui semper tanquam legitimi fuerunt reputati, se in senectute jam constitutum exoptare eosdem sibi scribere hæredes, sed id facere non posse, obstantibus videlicet legibus Regni Bohemiæ, juxta quas illegitimi a successionibus arcentur, licet per subsequens Matrimonium essent legitimati, concludendo, quod si de Summi Pontificis Potestate in concedendis dispensationibus in radice Matrimonii dubitari non potest, si eidem est locus, quando agitur de Matrimonio nullo propter impedimentum Juris Ecclesiastici, quale est illud defectu præsentiæ Parochi, si demum consimilis indulgetur dispensatio, concurrente gravissima causa, qualis est illa, de qua nunc agitur, utpote præcipue consistenti in bono filiorum, qui alias Paternis bonis remanerent privati, & tanquam ignobiles traducerentur, licet hucusque inter Nobiles, & Equites fuerint recensiti, & multo magis, cum alter ex illis jam Matrimonium contraxerit cum Fœmina nobilis conditionis, & ex qua liberos habuit, & cum qua per consequens jurgia essent inevitabilia, nec non cum ejus Parentibus, & Consanguineis, si ille ignobilis, & infamis detegeretur, concludendo inquam, se, concurrentibus dictis circumstantiis, juremerito sperare posse a Sanctitate sua dispensationis gratiam in *radice Matrimonii*.

Absque eo quod in hac dispensatione intercedere debeat novus contrahentium consensus, aut quia ex hac nova consensus præstatione, Ludmilla, quæ hucusque habita fuit pro Conjuge legitima, sui honoris detrimentum pateretur, aut quia licet in hac facti specie renovatio expressa, aut tacita consensus, a nonnullis reputetur necessaria, juxta ea, quæ habentur *apud Sanchez de Matrim. lib.* 8. *disp.* 8. *n.* 25., verior nihilominus est opinio, nullam consensus renovationem esse in hisce circumstantiis necessariam, uti firmat *Barbosa citato voto* 27. *num.* 14. *lib.* 2., & late habetur *in decis.* 455. *n.* 11. *part.* 1. *Recent.*

Hæc sunt, quæ continentur in supplicatione Guillelmi, cumque a Sanctitate Sua fuerint preces ad Sacram Congregationem remissæ, datæ sunt, juxta morem, litteræ ad Archiepiscopum Pragensem pro informatione.

Archiepiscopi litteræ supervenerunt; cumque in illis habeatur, Oratorem nunquam de facto Matrimonium contraxisse coram Sacerdote, cum ejus nomen non patefaciat, nec Testes nominet, qui Matrimonio interfuerunt, & quod Ludmilla semper fuit habita pro ejus concubina, itaut sæpius fuerit admonitus de eadem dimittenda, quo stante, alterum ex requisitis deficeret pro concedenda dispensatione in radice Matrimonii, juxta ea, quæ in superioribus dicta sunt, necessarium existimatum fuit ordinarii informationem Defensoribus Guillelmi communicare.

Cumque ab iisdem dicatur, primo, quod Matrimonii celebratio coram Sacerdote facta, comprobatur ex statu, in quo locus Tman tunc reperiebatur, cum in eo non adesset Parochus particularis, nec non ex solemni juramento coram libro Evangeliorum, aliisque intercedentibus solemnitatibus præstito a Guillelmo, & a Ludmilla, secundo, quod imperceptibile esset, quod filii nati habiti fuissent pro Equitibus, & Nobilibus, & quod alter eorum nobilem Uxorem duxisset, si prædictum Matrimonium non præcessisset, & tertio, quod aliud est fornicatio quoad forum conscientiæ, & aliud quoad finem, & effectum de quo agitur, in foro etenim conscientiæ Concubinarii sunt illi, qui Matrimonium contraxerunt, & in eodem permanent cum aliquo impedimento impediente, & dirimente, quando ad effectum de quo agitur satis est, quod Matrimonium fuerit de facto contractum, & quod intercesserit affectus maritalis, una cum consensu naturali, etiam si adsit impedimentum Juris Ecclesiastici, uti docet *Jo. Andreas in cap. per Venerabilem num.* 20. *qui filii sint legitimi*, & sequitur *Rota in Pampilonen. illegitimitatis* 10. *Junii* 1609. §. *nec obstat coram bon. mem. Justo impressa apud Garz. de Benef. par.* 7. *cap.* 2. *sub n.* 40., *& decis.* 355. *num.* 9. *par.* 1. *Recent.*

Proposita fuit causa in Congregatione nec ulla fuit capta resolutio, sed dictum, quod probationes coadjuvarentur juxta instructionem.

Cohærenter ad hoc responsum edita fuit instructio, in hoc consistens, quod examinarentur formiter Testes deponentes, quod filii habiti semper fuerint pro legitimis, & quod alter ex eis Matrimonium contraxit cum Nobili Muliere, item quod coadjuvarentur, si possibile esset,

set, per Testes formiter examinandos, vel per alia legitima documenta, probationes de Matrimonio coram Sacerdote contracto, rursus quod simili modo ostenderetur Guillelmum, & Ludmillam se tractasse tanquam veros Conjuges, & uti tales habitos fuisse saltem in initio Matrimonii, & quia in informatione Archiepiscopali dictum fuerat, transmissa fuisse a Curia præcepta ad Oratores de se ad invicem separando, vel de contrahendo Matrimonio, necnon mentio habita fuerat cujusdam Brevis Sacræ Pœnitentiariæ, dictum fuit, quod copiæ præceptorum, & Brevis transmitterentur.

Cumque in obsequium rescripti Sacræ Congregationis in scriptura per manus circumferenda exhibeatur epistola Judicis Delegati, exhibeantur Testes formiter examinati, exhibeatur repetitum juramentum Guillelmi jam decrepiti, & morti proximi, absque eo quod novum juramentum fuerit emissum a Ludmilla, utpote a loco absente, exhibita fuerint præcepta Episcopalia, quæ utpote facta *annis* 1701. *&* 1702. non obstare dicuntur, cum Matrimonium ante quadraginta annos initum fuisset, & juxta institutionem attendendum supponatur tempus initi Matrimonii, an tunc videlicet Oratores habiti fuerint pro legitimis Conjugibus, non exhibeatur Breve Sacræ Pœnitentiariæ, cum dicti Tribunalis Brevia, quoad legitimationem prolis prosint tantummodo in foro conscientiæ, & post factam legitimationem lacerentur *juxta Constitut.* 12. §. 48. *in parvo Bullario Innocentii XII.*

Proposito igitur in Sac. Congregatione habita *die* 16. *Januarii* 1723. dubio, *an sit Sanctissimo consilium præstandum pro concessione dispensationis in radice Matrimonii in casu &c.*, responsum fuit, *negative*.

Occasione secundæ propositionis hujus instantiæ fuit ab altero ex EE. PP. insinuatum, non parum esse petitioni profuturum, si notitia haberi posset de genere vitæ Guillelmi, & Ludmillæ, de frequentia Sacramentorum, cum imperceptibile videatur, quod iidem Christiane vixerint, & Sacramenta frequentaverint, & inter eos non præcesserit Matrimonium putative validum, concessaque nova audientia, cum novæ probationes advenerint de laudabili vita Guillelmi, & Ludmillæ, de Sacramentorum frequentia, de communi fama Conjugii inter eosdem initi, quodque notabilius est, cum Guillelmus, qui hoc interim vitam cum morte commutavit, nedum in Testamento filios scripserit hæredes, & eos asseruerit legitime procreatos, ex quo ante quadraginta annos cum Ludmilla Matrimonium contraxit coram Sacerdote in Ecclesia loci Tman, æternam sibi imprecando damnationem, si aliter res se habeat, sed ulterius post peractam Confessionem Sacramentalem, & paucis ante obitum horis coram Parocho, & aliis probatis Testibus adstantibus, & Matrimonium bona fide cum Ludmilla coram Sacerdote contractum, & tempus initi Matrimonii, *ante videlicet annos* 40. solemniter repetierit, uti Parochus, aliique Testes deponunt, quod si aliter esset, *sua anima salutem consequi non deberet*, instantia reproponitur; dispensatio etenim in radice Matrimonii conceditur etiam post mortem alterius ex Conjugibus, uti late probat *Barbos. voto* 27. *num.* 15. *lib.* 2. & firmavit *Rota decis.* 455. *num.* 11. *par.* 1. *recent.* idcirco quæritur

An sit standum, vel recedendum a decisis 16. *Januarii* 1723. *in casu &c.*

Sacra Congr. die 18. Septembris 1723. respondit,

Prævio recessu a decisis consulendum Sanctissimo pro dispensatione in radice Matrimonii.

QUÆSTIO CLXXV.

In Causa Nullius Pisciensi Commutationis voluntatis, die 13. *Julii* 1720.

JULIANUS de Orsuccis in Testamento, quod condidit *anno* 1631. hæredem sibi scripsit Balthassarem Fratrem, post cujus obitum voluit, quod ex reditibus suorum bonorum fieret multiplicum spatio annorum 20., ut ex ejus capitali, & fructibus tria Sanctimonialium Monasteria erigi possent, alterum Pisciæ sub titulo S. Juliani, cum hoc, quod Moniales nuncuparentur Jesu, & Mariæ, alterum Burgi, sub titulo S. Laurentii, cujus Moniales denominarentur Sanctissimi Crucifixi, tertium Bugiani, sub titulo S. Philippi, & quod Moniales essent sub nuncupatione Virginis Immaculatæ.

Ad tramites voluntatis Juliani, factum fuit multiplicum, cumque deventum fuerit ad dispunctionem computorum deprehensum est, quod anno 1686. bona omnia non excedebant valorem scutorum 16549., & quod a dicto tempore ad annum 1718. eorum valor erat in scutis 28550., ita ut detractis scutis 330. solutis Comiti Antonio Orsucci, ex causa transactionis cum eodem initæ, & approbatæ a Sacra Congregatione Episcoporum, & Regularium, vix remaneat id, quod sufficit pro erectione unius Monasterii.

In hoc rerum statu, cum ulterior dilatio executionis voluntatis Testatoris incongrua visa fuerit, tum propter periculum decrementi, & dispersionis redituum, tum ex quo Testator non aliam concessit dilationem, quam annorum 20., & a die obitus ejusdem jam anni 86. elapsi sunt, exhibitæ fuerunt Sanctiss. Domino Nostro preces a Monialibus Visitationis S. Francisci Salesii Massæ pro applicatione hæreditatis Juliani, cum onere tamen eam integre erogandi in fundatione Monasterii sub Regula, & Instituto S. Francisci Salesii Pisciæ peragenda, & a Sanctitate Sua fuerunt preces remissæ ad hanc Sacram Congregationem, quæ litteras dedit tam Episcopo Aretino, olim Præposito, & deinde Visitatori Apostolico Piscien., quam moderno Ordinario Piscien.

Supplicationis autem, aut commutationis voluntatis fundamentum in hoc constituitur, quod impossibilis videtur erectio trium Monasteriorum, suppositaque impossibilitate, cum commutatio fieri debeat in opus magis proximum, & magis consimile, tam de jure communi, uti ponderant *Federich. de Senis consil.* 175. *vers. Sed prædicta*, *Riccius decis.* 83. *num.* 5. *par.* 2., *Sanchez lib.* 4. *consil. cap.* 2. *dub.* 6., *Rota decis.* 290. *num.* 5. *&* 9. *par.* 17. *Recent.*, quam attenta dispositione juris Concilii Tridentini, juxta *caput* 8. *sess.* 25. *de Reform.* non videtur, quod aliud opus magis proximum, & magis consimile reperiri possit eo, de quo nunc agitur, erectione videlicet Monasterii Monialium Pisciæ.

Additis potissimum sequentibus circumstantiis, quarum prima est, quod locus Pisciæ fuit a Testatore prædilectus, cum in eo natus fuerit, & cum eum primo in sua dispositione nominaverit; secunda est, quod Pius Testator se remisit quoad Institutum, & Regulam Monialium, arbitrio Ordinarii, qui suum libentissime præstat assensum Instituto S. Francisci Salesii; Tertia est, quod alii duo loci Burgi, & Bugiani jam habent sua Monasteria, & dictorum locorum Communitates jam consenserunt erectioni Monasterii Pisciæ; Quarta est, quod Eques Antonius Orsuccius, qui est unicus superstes ex his qui habent jus nominandi nonnullas Moniales, juxta legem Testatoris, in tribus Monasteriis, erectioni unius Monasterii dedit assensum, sibi in eo tantum reservando jus prædictum; Quinta tandem est, quod habito recursu a Monialibus S. Scholasticæ Bugiani pro habendo aliquo subsidio in levamen suæ paupertatis, non detrectant Moniales S. Francisci Salesii Massæ, de eo, quod forte supererit, fundato novo Monasterio, aliquid favore ipsarum, nec non aliarum Monialium Burgi contribuere, dummodo contributio non excedat summam scutorum duorum, aut trium millium.

Adeoque sub memorato fundamento dispositionis juris, necnon sub fundamento circumstantiarum mox expositarum, cum proposita fuisset instantia Monialium Visitationis S. Francisci Salesii Massæ in Congregatione, quæ habita fuit *die* 13. *Julii* 1720. eadem jussit, quod firmaretur status hæreditatis Juliani de Orsuccis juxta instructionem, quod Ordinarius Piscien. incumberet constructioni Monasterii, & Ecclesiæ Monialium, & quod eædem Moniales S. Francisci Salesii Massæ post transmissam redditionem rationis hæreditatis Juliani, supplicarent pro commutatione, & applicatione; cumque in constructione Monasterii, & Ecclesiæ visa fuerit nimis necessaria superintendentia nonnullarum Monialium Massæ, hæc eadem Sac. Congregatio die 7. *Septembris subsequentis* commisit Ordinario Piscien. ut quatuor Moniales Chorales, & unam Conversam e Monasterio Massæ ad Oppidum Pisciæ, honesto comitatu, qui sanctimoniales decet, debitisque cautelis, transferret, easque collocaret in Hospitio decenti, possibili clausura munito, & sæcularium aspectui minime obnoxio, & quod ulterius duabus ex ipsis permitteret, ut debitis itidem cautelis ad considerandam fabricam novi Monasterii aliquando accedere possent: Et in eo quod attinet ad instructionem, cujus mentio habetur in citato Sac. Congregationis rescripto, fuit in illa demandatum, quod firmaretur status hæreditarius Juliani, vel per exhibitionem Inventarii, quatenus adesset, vel per alium quemcumque possibilem modum si Inventarium confectum non fuisset. Item, quod ex libris administrationis doceretur qualis fuerit annuus reditus bonorum, & an aliqua contigerit bonorum diminutio, sive in capitali, sive in annuo reditu, & demum, quod statuta bonorum quantitate, una cum annuo reditu, doceretur de multiplico, hoc est de ejus initio, & progressu, necnon de personis, qui multiplici confectioni incubuerunt, & tandem, quod valor bonorum multiplicatorum de præsenti existens, una cum annuo præsenti reditu Sac. Congregationi notificaretur.

In horum mandatorum executionem, Ordinarius Piscien. novas dedit Sacræ Congregationi litteras, una cum documentis opportunis, & necessariis, & in eo quidem, quod attinet ad inventarium bonorum Juliani, refert idem Ordinarius fuisse quidem Balthassarem fratrem institutum a Juliano hæredem usufructuarium, cum onere propriam erogandi substantiam in constructione Monasteriorum, sed usumfructum fuisse ab eo repudiatum, & sic confecto per Executorem Testamentarium inventario tum mobilium, tum stabilium, venditisque mobilibus pretio scutorum 222. totum, & integrum hæreditatis valorem, detractis detrahendis, tunc fuisse in sc. 10774.

In eoque, quod spectat ad subsecutas bonorum diminutiones sive in capitali, sive in annuo reditu, binæ referuntur ab Ordinario diminutiones. Altera contigit anno 1664. cum enim Eques Petrus Franciscus de Orsuccis tanquam vocatus ad fideicommissum institutum a Petro Francisco seniore, immissionem obtinuisset ad duo Prædia, quæ erant in hæreditate Juliani, non solum dicta hæreditas fuit coacta ad dimittenda dictorum bonorum possessionem, sed etiam ad assignanda victori nonnulla alia bona titulo fructuum indebite perceptorum. Altera diminutio accidit circa annum 1716. Antonius quippe de Orsuccis in Curia Ecclesiastica Piscien. pro nonnullorum creditorum consecutione judicium introduxit contra hæreditatem Juliani, quæ a dicta lite non alio modo se extricavit, quam solvendo summam scutorum 3000. prævio consilio Juris peritorum tam Civitatis Florentinæ, quam Lucensis, necnon accedente beneplacito Sacræ Congregationis Episcoporum, & Regularium.

Post hæc Ordinarius prosequitur, enarrando tam confectionem multiplici, quam redditionem rationum factam ab illis, qui administrationi hæreditatis fuerunt præpositi; Julianus etenim, qui anno 1648. decessit, nulla reddita ratione administrationis, fuit post obitum condemnatus ad reintegrationem, tam pro summis non investitis, quam pro fructibus, qui ex illis percipi potuissent, & pro debiti extinctione fuerunt data insolutum nonnulla bona stabilia, nec dissimili modo actum est erga Petrum Franciscum, & erga Canonicum Paganellum, cum in redditione rationis fuerint isti condemnati ad solvendum, & solverint id, quod debebant.

Tandem, idem Ordinarius concludit, sæpius fuisse firmatum statum hæreditatis, ejusque valorem de præsenti esse in scutis 24596. nec aliquid certum de reditu adstrui posse, cum ille crescat, & decrescat juxta pretium eorum, quæ colliguntur ex Prædiis, & juxta infortunia, quæ aliquando in prædiis contingunt.

Alia plura fusius leguntur in dicta nova informatione Ordinarii. Quæritur ergo

An, & quomodo sit locus commutationi voluntatis in casu &c.

Sacra Congr. die 21. Junii 1721. respondit

Affirmative, & loco trium Monasteriorum esse erigendum unum Monasterium Pisciæ sub titulo S. Juliani quoad Ecclesiam, & quoad Monasterium sub nuncupatione Jesus, & Mariæ, & in reliquis ad D. Secretarium juxta mentem.

QUÆSTIO CLXXVI.

In Causa Veneta, die 13. *Julii* 1720.

ANNO 1563. sanctæ mem. Pius Papa IV. instante Nobili Viro Jacobo Equite Superantio apud Sedem Apostolicam, Nobilium Virorum, Ducis, & Senatus Venetiarum Oratore, concessit, ut in Collegiata, & Parochiali Ecclesia Sancti Pauli dictæ Civitatis nocte Natalis Domini celebrari posset Missa, prima noctis hora, uti colligitur ex litteris dicti Pontificis in forma Brevis expeditis, *& insuper dilectis filiis modernis, & pro tempore existentibus ipsius Ecclesiæ S. Pauli Rectori Presbytero, Clericis, & aliis Personis Ecclesiasticis, ut deinceps Missam Solemnem, aliaque Divina Officia, quæ media nocte Festivitatis Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi celebrari consueverunt, statim post primam horam noctis vigiliæ Festivitatis hujusmodi celebrare &c. absque ullo impedimento, vel prohibitione, aut conscientiæ scrupulo, sine quarumvis Ecclesiasticarum Censurarum, & pœnarum incursu, etiam Ordinarii, aut cujusvis alterius, licentia desuper minime requisita, libere, & licite valeant, eadem auctoritate, & tenore perpetuo concedimus, & indulgemus*; & in iisdem Litteris Apostolicis, idem Summus Pontifex nedum derogavit contrariis quibuscumque dispositionibus jam editis, sed etiam imposterum edendis, *nec non præsentes litteras de surreptionis &c. aut alio quovis defectu notari, vel impugnari, aut etiam per Nos, & Successores nostros Romanos Pontifices, aut Sedem prædictam revocari, suspendi, alterari, modificari, vel eis derogari nullatenus unquam posse, neque sub quibusvis similium, vel dissimilium indulgentiarum, & concessionum revocationibus, suspensionibus, &c. derogationibus, aut aliis contrariis dispositionibus, etiam per nos, nostrosque Successores, & Sedem præfatos, ac alios quomodolibet, & in quavis Causa pro tempore factis ullatenus comprehensas, sed semper ab illis exceptas, & quoties illæ emanabunt, toties in pristinum, & validissimum statum restitutas, & de novo etiam sub quacumque posteriori data per Rectorem prædictum eligenda, concessas esse, ac eisdem Ecclesiæ S. Pauli, ejusque Rectori, & aliis Christifidelibus suffragari debere decernimus. Non obstantibus quibusvis Apostolicis, ac in Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, ac Cancellariæ Apostolicæ Regulis etiam similium Indulgentiarum, & aliarum gratiarum revocatoriis editis, & edendis.*

Rector, & Presbyteri Ecclesiæ S. Pauli dicto Privilegio Missam celebrandi prima hora noctis Vigiliæ Nativitatis Domini, pacifice, & inconcusse usi sunt, & solum, paucis ab hinc annis, ab ejus usu destiterunt; cumque huic S. Congregationi supplicaverint pro facultate redeundi ad usum prædictum; & sic celebrandi Missam juxta privilegium sanct. mem. Pii IV. datæ fuerunt juxta morem litteræ ad Patriarcham Venetiarum, qui retulit exposita in facto subsistere, hoc est fuisse a dicto Pontifice concessum Breve supramemoratum, quod etiam fuit exhibitum in forma authentica & ulterius Presbyteros Indulto usos fuisse, causamque ignorari, propter quam ab ejus usu destiterint. *Certe liquet antediciæ Ecclesiæ Presbyteros eodem Indulto sic ut supra celebrandi, usos fuisse, incertum vero qua de causa temporis progressu executum non fuerit.*

Porro antiquiori relicta Disciplina, juxta quam pro sacrificio Missæ, hora tertia diebus Festis, hora sexta diebus ferialibus, hora nona diebus jejuniorum per annum, & hora Vespertina diebus Quadragesimalibus erat statuta, juxta late, & erudite recensita *per cl. mem. Card. Bonam rerum Liturgicarum lib.* 1. *cap.* 21. *per totum*, in eo quod attinet ad Jus, quod Privilegium antecessit, Textus est *in Can. Nocte Sancta de Consecrat. dist.* 1. ubi sic legitur, *Nocte Sancta Nativitatis Domini Salvatoris Missas celebrent Presbyteri, & Hymnum Angelicum in illis solemniter decantent, quoniam, & eadem Nocte ab Angelo Pastoribus nuntiatus est.* At ex hoc Textu non potest quæstio determinari, an Nocte Nativitatis Domini, Missa ante, vel post mediam noctem sit celebranda, uti perpenso dicto Textu firmat *Pasqualig. de Sacrif. novæ legis tom.* 1. *quæst.* 405. *per totam*, ubi inquit, Missam post mediam noctem esse celebrandam Nocte Nativitatis Domini ex praxi Ecclesiæ, cui tamen derogari potest, vel ex consuetudine legitime præscripta, vel ex Privilegio Apostolico. In Concilio Tridentino, quod est Privilegio posterius *in Decreto de observan. & evitan. in celebratione Missæ*, cavetur tantummodo ne Sacerdotes aliis, quam debitis horis celebrent; quocirca tota difficultas est in *Bulla* 4. *S. Pii V. Bull. tom.* 2. in qua, postquam ab eodem Pontifice fuit enarratum, quod nonnullæ Metropolitanæ, Cathedrales, & Collegiatæ Ecclesiæ a Sede Apostolica, vel ejus Legatis, aut etiam a Majori Pœnitentiario licentias obtinuerant celebrandi, & celebrare faciendi de sero, & etiam circa solis occasum, vigiliæ signanter Nativitatis, Missas, quæ media nocte, seu in Aurora ejusdem Nativitatis juxta Ritum S. R. E. essent celebrandæ, prohibuit Prælatis, & Capitulis in virtute Sanctæ Obedientiæ, & imposita pœna perpetuæ suspensionis a Divinis, *ne deinceps Missas Vespertino tempore hujusmodi licentiarum, & facultatum, aut alio quovis prætextu celebrare, vel celebrari facere præsumant*, addita derogatione quibuscumque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, consuetudinibus, & privilegiis etiam munitis derogatoriarum derogatoriis, & aliis quibuscumque clausulis, etiam si privilegia concessa fuissent intuitu Imperatoris, Regum, Regina-

ginarum, Ducum, & aliorum Principum, ut ex lectura prædictæ Bullæ colligi potest.

Discursu itaque redacto ad hanc S. Pii V. Constitutionem, ex una parte videtur, quod eadem deroget Indulto, seu Privilegio Summi Pontificis Pii Quarti, cum sit eodem posterior, & cum in eadem amplissimæ contineantur derogationes, & cum communis opinio Doctorum sit, quod omnia antecedentia privilegia celebrandi ante mediam noctem, sint in prædicta Bulla Piana revocata, *Azor. Instit. Moral. parte* 1. *lib.* 10. *cap.* 25. *quæst.* 3. ibi, *sed hæc privilegia abrogata sunt auctoritate Pii V. Francolin. de tempore Horar. Canonic. cap.* 29. *num.* 11. *&* 14. *Cardin. Brancatius in opusc. de Privileg. Cappel. Cardinal. pag.* 15. *Clericat. in suis Decis. de Sacrif. Missæ Decis.* 39. *num.* 15. *&* 16. & celebrationem ante mediam noctem sub pœna suspensionis fuisse prohibitam in Synodo Veneta, sub Cardinali Priolo, testantur *Polacus in suis Aphorismis Sacrar. Cerem. Aphor. primo num.* 4. *Pax Jordan. Elucub. divers. tom.* 1. *lib.* 4. *tit.* 1. *de Sacrif. Missæ num.* 93.

Ex alia vero parte videtur, quod Bulla Piana non derogaverit indulto, seu Privilegio, de quo nunc agitur, non solum quia non obstante dicta Bulla Piana, Privilegium ad nostra fere tempora suam habuit executionem, sed etiam quia prætermisso exemplo Cappellæ Pontificiæ, in qua nocte Nativitatis Domini, ante mediam noctem Missa celebratur, absque eo quod ullum expediatur Breve pro Missæ celebratione dicta hora facienda, uti plene testatur *Diana in edit. coord. rerum Moral. tom.* 2. *tract.* 3. *Resolut.* 12. *num.* 4. in ipsa Civitate Venetiarum nocte Nativitatis Domini ante mediam noctem Missa celebratur a Primicerio in Templo S. Marci, & Senatus Venetus, aliique qui Missam dicta hora audiunt, satisfaciunt præcepto audiendi Missam die Nativitatis Domini, uti late ostendit *Diana loco citato resolut.* 11. *per totam*; hoc ipsum fit in eadem Civitate in Ecclesiis S. Joannis, & S. Jacobi di Rialto, nec non in Ecclesia Canonicorum Lateranensium, & in Ecclesia Patrum, qui nuncupantur *Frari*, nec non in Ecclesia Monialium S. Zachariæ, uti admittit Patriarcha in sua informatione, itaut imperceptibile videatur, quod Missæ in dictis Ecclesiis hora prædicta celebrentur, & celebrari non possint in Ecclesia Collegiata, de qua nunc agitur, quæque specialissimum habet Privilegium supra memoratum.

His stantibus, quæritur

An permittendum sit, quod in Ecclesia Collegiata, & Parochiali Sancti Pauli nocte Nativitatis Domini prima noctis hora Missa celebretur, in casu.

Sacra Congr. respondit
Negative.

QUÆSTIO CLXXVII.

In Causa Fulginatensi Commutationis voluntatis die 13. *Julii* 1720.

SILVESTER Rainaldus in Testamento condito anno 1712. hæredem instituit Societatem suffragii; *con condizione espressamente apposta; che la detta Compagnia sia tenuta a costruire, e fabbricare nella Casa di esso Testatore la Chiesa Principale di detta Compagnia, nella quale si debba celebrare una Messa la settimana in suffragio di esso Testatore, e mancando i Confrati di fare la costruzione, e fabbrica di detta Chiesa nella medesima Casa di esso Testatore, dentro il termine di tre anni dalla sua morte, allora, ed in tal caso vuole, che intieramente, e senza alcuna diminuzione succeda nell' intiera sua Eredità, e Beni l' Ospizio de' Poveri Pellegrini.*

Anno 1717. Societas Suffragii hæres instituta SS. Dom. Nostro supplicavit pro commutatione voluntatis quoad locum pro Ecclesiæ constructione designatum, sed se opponentibus Confratribus Hospitii substituti, uti desumitur ex folio S. Congregationis habitæ *die* 10. *Julii* 1717. negativum prodiit responsum in Congregatione habita *die* 31. *Julii ejusdem anni.*

Post hæc, deventum fuit ad concordiam inter Societatem, & Hospitium; Confratres etenim Hospitii suum præstiterunt assensum ædificationi Ecclesiæ in loco Societati, & Superioribus bene viso, & cesserunt, & renuntiarunt substitutioni favore ejusdem Hospitii factæ in Testamento Silvestri, & e contra Societas hæres solvere promisit Hospitio scuta bis centum eroganda in solutionem pretii cujusdam Domus emptæ pro usu Peregrinorum; cumque hæc facta, & concordata fuerint sub reservatione beneplaciti, & assensus Apostolici, in præsenti disputandum proponitur dubium infra exponendum, quod respicit tam commutationem voluntatis, quam approbationem transactionis.

Quoad commutationem voluntatis, eidem ex æquitate dicitur locum esse debere, tum quia Domus Testatoris, in qua esset Ecclesia ædificanda, est parva, exigua, incapax, nec capax fieri posset, nisi emerentur aliæ adjacentes Domus, exbursatis circiter scutis 700. tum quia Domus, in qua ad tramites Testamenti esset Ecclesia ædificanda, sita est in Platea frumenti, in qua exercetur emporium animalium immundorum, & in qua erecta jam reperitur Ecclesia Societatis Mortis, quæ utpote parum distans a Domo Silvestri Testatoris, æmulationum, & dissidiorum esset origo inter utriusque Societatis Confratres, quando e contra locus designatus pro Ecclesiæ constructione est Palatiis, & Domibus Nobilioribus Civium circumdatus, nec in eo aliqua reperitur Ecclesia, & tandem quia per hanc voluntatis commutationem nec læditur jus tertii, nec Anima Testatoris patitur detrimentum, & quod etiam notatu dignum est, præviis favorabilibus informationibus, tam defuncti, quam præsentis Episcopi, Universa Civitas pro eadem instat commutatione, ut ex Testimonio Magistratus Fulginei exhibito desumi potest.

Quoad approbationem vero transactionis, ejus fundamentum constituitur in evidenti utilitate, quæ in utrumque Locum Pium derivat; Hospitium etenim se liberat a debito contracto pro Domo empta, in eam causam erogando scuta 200. quæ habet a Societate, & Societas facultatem acquirit ædificandi Ecclesiam in loco aptiori, sibique magis bene viso.

His stantibus, quæritur

An sit locus commutationi voluntatis, itaut transactio sit approbanda in casu.

Sacra Congr. respondit
Affirmative.

QUÆSTIO CLXXVIII.

In Causa Aquensi Dismembrationis, die 13. *Julii* 1720.

AQUENSES Præsules ab antiquo tempore exoptarunt, ut in Oppido Saxelli erigeretur nova Parochia, eo sub fundamento, quod Parochialis Ecclesia S. Joannis Baptistæ ab eo distat per mille passus, & ultra, itaut ad ipsam Oppidani Senes, Pueri, aliique debilitate laborantes non sine magna difficultate, & incommodo accedere possint.

Non potuit horum Præsulum intentio executioni mandari propter temporum calamitates; cumque hoc interim ab iisdem statutum fuerit, quod Fons Baptismalis, & Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum in alia reponerentur Ecclesia, ne infirmi, noctis præsertim tempore, sine Sacramentis decederent, & Oppidani Saxelli, pro suarum virium modulo constructioni novæ Ecclesiæ incubuerint, res eo tandem devenit, ut anno 1718. fuerit completa Ecclesia sub Invocatione Sanctissimæ Trinitatis, pro cujus dote nonnulli Fratres de Romagninis donationis titulo assignarunt bona ascendentia ad annuum fructum scutorum 60. & ultra Romanorum, cum conditione tamen, quod donatio suum effectum habere non deberet, nisi sequeretur erectio novæ Parochiæ in Ecclesia Sanctissimæ Trinitatis cum dismembratione a Parochiali Ecclesia S. Joannis Baptistæ, uti latius ex Instrumento donationis, a Communitate acceptatæ, desumi potest.

Porro hanc novæ Parochialis erectionem, Parochus, sive Archipresbyter S. Joannis Baptistæ prætendit non esse faciendam, tum quia post antiquiora Episcoporum decreta, Ecclesia S. Joannis Baptistæ, & altera Sanctissimæ Trinitatis, habitæ fuerunt tanquam unitæ, & Archipresbyteri de utraque fuerunt provisi a Sede Apostolica, tum quia itineris incommoditas, quæ adesse dicitur quoad Oppidanos Saxelli erga Ecclesiam S. Joannis Baptistæ, procedit etiam quoad alios, in Domibus Rusticalibus, parvisque Pagis degentes, qui novæ erigendæ Parochiali assignarentur, & tandem quia ipse in Ecclesia SS. Trinitatis retinet Coadjutorem, Oppidanis Sacramenta ministrantem, in quo rerum statu, non est locus erectioni novæ Parochiæ, cum erectio sit subsidiarium remedium, juxta firmata in his terminis *per Rot. in Decis.* 178. *par.* 19. *tom.* 2. *Recent. & in Leodien. dismembrationis prima Februarii* 1712. §. *nec in totum coram R. P. D. Falconerio, confirmata* 3. *Julii* 1713. §. *medio itaque coram R. P. D. Crispo, &* 22. *Junii* 1714. §. *præsens itaque, &* 25. *Januarii* 1715. §. *ita pariter coram R. P. D. Lancetta.*

Communitas e contra Saxelli, cui etiam adhæret Episcopus in sua informatione, contendit esse locum erectioni novæ Parochialis, cum de distantia, & de magna Populi incommoditate quoad receptionem Sacramentorum, nulla valeat esse difficultas, in quo rerum statu ad novæ Parochiæ erectionem est deveniendum, uti probat Textus *in cap. ad audientiam il primo de Eccles. ædif.* ibi *non possint Parochiani sine magna difficultate ipsam adire, & concordat Concil. Trid. sess.* 21. *cap.* 4. *de Reform.*

Haud urgente, quod indigentiæ Oppidanorum succurri potest per deputationem Coadjutoris, seu Vicecurati in Ecclesia Sanctiss. Trinitatis, qui in eadem Sacramenta administret; Deputatio etenim Coadjutoris sibi locum vindicat, quando Populus ita numerosus est, ut unus Rector non possit sufficere Ecclesiasticis Sacramentis ministrandis, secus autem, quando propter loci distantiam, vel accedendi difficultatem, Parochiani sine magno incommodo ad percipienda Sacramenta, & Divina Officia audienda ad Parochiam venire non possunt, tunc quippe ad novæ Parochiæ erectionem est deveniendum, uti satis aperte desumitur *ex allegato cap.* 4. *sess.* 21. *de Reform.*

Adeoque præter ea, quæ in postrema Congregatione dicta sunt, occasione examinandi Causam *Imolen. dismembrationis*, Sacra hæc Congregatio, justis concurrentibus causis, distantiæ videlicet, & incommoditatis percipiendi Sacramenta, censuit esse locum erectioni novæ Parochiæ, non obstante existentia Coadjutoris, & Vicecurati, seu oblatione eum retinendi in aliqua Ecclesia, ad effectum, ut ille Populo Sacramenta ministraret, uti colligitur *ex Puteolana Erectionis Parochiæ, quæ fuit proposita die* 18. *Junii* 1701., *& resoluta die* 3. *Septembris ejusdem anni, uti habetur lib.* 51. *decret., & ex Lunen. Sarzanen. erectionis Parochialis, quæ fuit proposita, & resoluta* 16. *Julii* 1712. *lib.* 62. *decret. & ex Frequentina, seu Abellinen. Erectionis Parochialis, quæ fuit proposita, & resoluta die* 27. *Maii* 1713. *uti habetur lib.* 63. *decret.*

Oppidani nihilominus novæ Parochiæ erectionem obtinere non potuerunt; quandoquidem post plures Causæ propositiones *die* 2. *Augusti* 1721. responsum fuit *non esse pro nunc locum dismembrationi Ecclesiæ Sanctissimæ Trinitatis sitæ in loco Saxelli ab altera Ecclesia Parochiali S. Joannis Baptistæ, sed Parochum pro tempore esse obligatum ad retinendum propriis sumptibus Coadjutorem ab Episcopo approbatum in altera ex Ecclesiis ab eodem Episcopo designandis.*

Binæ fuerunt difficultates in hac Causa excitatæ, prima desumpta fuit ex Mappa per manus transmissa, ex qua colligi dicebatur itineris incommoditatem sibi esse locum vindicaturam, non obstante erectione novæ Parochiæ; licet enim incommoditas cessaret quoad Oppidanos Saxelli, non cessabat tamen quoad alios in Domibus Rusticalibus, parvisque Pagis degentes, qui novæ erigendæ Parochiali assignabantur.

Altera desumpta fuit ex assignatione fratrum de Romagninis; contribuentibus quidem iisdem annua scuta 60. sed sibi reservato jure Parochum præsentandi, & imposita novo Parocho obligatione celebrandi pro se, & suis successoribus quolibet anno centum Missas, in quo rerum themate, præscindendo ab experientia, quæ ostendit, duram nimis esse pro Episcopis laicorum præsentationem ad Parochialem Ecclesiam, fratres de Romagninis non poterant considerari, nisi tanquam puri Benefactores, & sic juris nominandi incapaces, cum illud jus ex simplici beneficentia non acquiratur.

Obtenta fuit a Communitate, & Hominibus loci Saxelli nova audientia, & quæritur

An sit locus prætensæ dismembrationi Ecclesiæ Sanctissimæ Trinitatis sitæ in loco Saxelli ab altera Ecclesia Parochiali S. Joannis Baptistæ, cui reperitur unita, itaut illa erigi debeat in novam, & distinctam Parochiam, & sic standum sit, vel recedendum a decisis die 2. *Augusti* 1721. *in casu &c.*

Sacra Congr. die 15. Maii 1723. respondit
Dilata, & doceatur de libera dotis assignatione, & quoad remotionem Coadjutoris, Ordinarius procedat pro suo arbitrio, & conscientia etiam auctoritate Sac. Congregationis.

QUÆSTIO CLXXIX.

In Causa Aquilana, die 13. *Julii* 1720.

SACERDOS Joseph Fattore prætendit, quod Hyacinthus Miconus Francus primam Clericalem Tonsuram illicite receperit ab Episcopo Marsorum.

Primo quia Sacræ Congregationi Episcoporum, & Regularium, quæ Vicario Apostolico Aquilano facultatem dedit concedendi litteras dimissoriales pro Hyacinthi Ordinatione, non innotuit jus, quod idem Joseph habebat ad Beneficium in hypothesi, in qua Hyacinthus non esset Clericali Militiæ adscriptus.

Circumstantia hæc etenim, quæ Sacram Congregationem difficiliorem reddidisset in concedenda facultate, concessionem prædictam efficit obreptitiam, & subreptitiam, & sic illicitam ordinationem, quæ dependenter ab eodem facta est, ad terminos Textus *in cap. super litteris de rescriptis.*

Et multo magis, cum idem Hyacinthus suæ supplicationis fundamentum reposuerit in jure sibi ad dictum Beneficium competente, uti colligitur ex ejus supplici libello prædictæ Sac. Congregationi exhibito.

Secundo quia collatio primæ Tonsuræ facta fuit Hyacintho, prævia tantum unica denunciatione in Ecclesia Parochiali adimpleta, quando ad tramites Constitutionum Synodalium, tres denunciationes tribus diebus festivis aliquantulum interpolatis fieri debebant.

Tertio quia facultas concedendi litteras dimissoriales fuerat a Sacra Congregatione Episcoporum, & Regularium directa Vicario Apostolico Aquilano: cumque litteræ dimissoriales fuerint expeditæ ab Archidiacono Antonello Provicario, ex quo Vicarius Apostolicus aberat, & erat in Civitate Aprutina distante per vigintiquatuor milliaria a Civitate Aquilana, infertur, quod ordinatio facta in sequelam dictarum litterarum dimissorialium sit habenda pro illicita.

Haud urgente, quod Archidiaconus Antonellus fuerat oretenus electus in Provicarium a Vicario Aquilano, cum communicatione omnium facultatum, tum quia sub hac communicatione comprehendi non poterat concessio litterarum dimissorialium, utpote commissa arbitrio Vicarii Apostolici, & directa ad Collationem primæ Tonsuræ, & sic ad constituendum aliquem in Ecclesiæ Ministrum, uti probat textus *in cap. final.* §. *Is autem, ibique Gloss. in verbo ut personaliter de officio, & potest. Judicis delegati.*

Tum quia hæc esse videtur differentia inter Provicarium a Sacra Congregatione Episcoporum, & Regularium electum, & Provicarium ab ipso Vicario deputatum, quod in primo casu Provicarius exequi potest commissionem ad ipsum Vicarium directam, quod tamen facere non potest in secundo, juxta Theoricam *Decis. in cap. quoniam Abbas a num.* 78. *ad* 84. *de Officio delegati.*

Hæc sunt, quæ continentur in scriptura Sacerdotis Josephi Factoris, de juribus autem Hyacinthi nullum verbum fieri potest, cum eadem non fuerint Secretario exhibita, itaut nedum pro hac, sed pro omnibus aliis Causis contentiosis in folio describendis, idem humillime Sacræ supplicet Congregationi, ut aliquod capiatur temperamentum, seu ut debitæ mandentur executioni repetita hujus Sac. Congregationis edicta de communicandis juribus eidem Secretario tempore congruo, & antequam folium extendatur; aut enim pro folii extensione expectari debet, quod ab utraque parte scripturæ communicentur, & ab unius partis contumacia fieri potest, quod Causa nunquam in folio describatur, aut folium est extendendum exhibitis tantum juribus unius partis, & impossibile est, quod ambarum partium jura in folio referantur, & quando unius partis tantum jura in folio referuntur, altera obliviscitur suæ in exhibitione Jurium contumaciæ, & palam, licet injustissime, conqueritur, quod sua jura in folio non fuerint deducta.

Ad rem autem redeundo, quæritur.

An Hyacinthus sit licite Tonsuratus, in casu.

Sacra Congr. die 7. Septembris 1720. respondit
Negative, & prævia relaxatione Suspensionis esse capacem Beneficii.

QUÆSTIO CLXXX.

In Causa Neapolitana Sponsalium, die 13. Julii 1720.

ANNA Carminati die 18. Julii 1714. instetit coram Vicario Generali Neapolitano, ne, se inaudita, daretur facultas Joanni Baptistæ Brancaccio Matrimonium contrahendi cum alia fœmina, sub obtentu, quod secum sponsalia contraxisset per verba de futuro, introductaque coram dicto Vicario lite, idem declaravit, quod constabat de sponsalibus.

Habuit Joannes Baptista recursum ad hanc Sac. Congregationem, transmissisque ad ipsam actis, memoratus Joannes Baptista contendit non constare de sponsalibus, & quatenus constaret, se cogi non posse ad eorum implementum.

Quod autem non constet de sponsalibus, idem probare satagit, ex quo Testes de illis deponentes magnas patiuntur exceptiones in personis, & in dictis, ut ex ejus scriptura per manus circumferenda desumi potest, & signanter quia ex aliis Testibus habetur dictum Joannem Baptistam fuisse in Civitate Liburni, & in Civitate Centumcellarum, eo ipso tempore, quo a Testibus sponsalia comprobantibus asseritur ea fuisse contracta inter Annam, & Joannem Baptistam in Domo propria ejusdem Annæ, & sic in Civitate Neapolitana.

Quod vero, quatenus constaret de sponsalibus, ipse cogi non posset ad eorum implementum, Joannes Baptista ostendit, & suadere conatur, primo ex divitiarum disparitate, quæ inter se, & Annam intercedit, secundo ex ætate annorum 14. in qua constitutus erat quando a Testibus deponitur, quod sponsalia contraxit, & tertio ex contradictione sui Patris, & suorum Patruorum, ipsorumque alienatione a Matrimonio cum Anna contrahendo.

Alia plura referuntur in scriptura pro dicto Jo. Baptista Brancaccio exarata, absque eo quod aliquid referri valeat de Juribus Annæ, quæ non fuerunt Secretario exhibita. *Die 3. Augusti* 1720. disputatum fuit, an constaret de sponsalibus, & quatenus affirmative, an Joannes Baptista esset cogendus ad matrimonium contrahendum.

Quia vero agebatur de sponsalibus, quæ ex apocha non probabantur, sed ex Testibus, & ulterius quia agebatur de sponsalibus, quorum executio fieri debebat quatuor post annos, absque eo quod tempore intermedio aliquod apparuerit indicium sponsalium præcedenter, uti supponebatur, contractorum, quodque notabilius est, cum Testes de sponsalibus deponentes dicerent ea inita fuisse in Civitate Neapolitana *anno* 1713. *in Vigilia festivitatis Beatissimæ Virginis Gratiarum*, quando ex Testibus a Joanne Baptista adductis habebatur, quod ipse tempore prædicto erat in Civitate Centum Cellarum.

Hinc factum est, quod EE. PP. tunc abstinendo a resolutione secundi dubii, hoc est, an, etiam admissis sponsalibus, cogi posset Jo. Baptista ad contrahendum matrimonium, demandarunt, quod coadjuvarentur probationes, & quod Testes formiter examinarentur super negativa coarctata.

Factum fuit examen Testium prædictorum, & ex eorum dictis alitsque juribus circumferendis Jo. Baptista iterum contendit non constare de sponsalibus, & quatenus constaret, se cogi non posse ad contrahendum matrimonium cum Anna, tum propter disparitatem divitiarum, tum quia erat in ætate annorum 14. quando prætenditur quod a se fuerint contracta sponsalia, & demum quia Pater, & Patrui huic matrimonio adversantur, & licet Patris consensus non sit pro validitate matrimonii necessarius, dissensus tamen sufficere dicitur pro dissolvendis sponsalibus; cum in casu inobedientiæ, magnum in re familiari pati posset præjudicium, *juxta deducta per Cardinal. de Luca de matrim. discurs.* 8. *n.* 10. *& seqq.*

Pluries igitur proposita fuit Causa hæc super sponsalibus, quæ Anna Carminati prætendit secum fuisse contracta a Joanne Baptista Brancaccio. Prima propositio contigit in Congregatione habita *die* 3. *Augusti* 1720. & tunc fuit responsum, quod coadjuvarentur probationes, & Testes formiter examinarentur super negativa coarctata. Secunda propositio Causæ facta fuit in Congregatione habita *die* 23. *Augusti* 1721.; Et tunc disputatis sequentibus dubiis, primo videlicet, *an constet de Sponsalibus, & quatenus affirmative, secundo, an Joannes Baptista sit cogendus in casu &c.*, ad primum responsum fuit *negative*, & ad secundum *satis provisum in primo*. Tertia propositio facta est in Congregatione habita *die* 20. *Decembris* 1721. propositoque dubio, *an sit standum vel recedendum a decisis in casu &c.* Sacra Congregatio distulit resolutionem, censuitque, *repetendos esse Testes, qui deposuerunt super negativa coarctata, & Causam omnino proponendam esse in secunda Congregatione post Reges*: Proposita itaque eadem causa pro quarta vice, quæritur

An sit standum, vel recedendum a decisis die 23. *Augusti* 1721.

Sacra Congr. die 7. Februarii 1722. respondit,
In Decisis.

QUÆSTIO CLXXXI.

In Causa Gerundensi, die 24. *Augusti* 1720.

ALEXANDER Papa Tertius Treverensi scribens Archiepiscopo, uti exponit *Gonzal. in Textu mox allegando*, vel alicui Prælato Daniæ, Scandiæ, seu Norvegiæ, uti in notis ad eundem Textum inquit *Cujacius*, Triburiensi etenim Archiepiscopo, uti legitur in vulgata collectione, Epistola scripta esse non potest, cum tempore dicti Pontificis Triburium esset Villa Imperatoria prope Moguntiam, in cujus finibus littus, & portus maris non aderant, auctoritate Beati Petri, & sua concessit, ut Populi dictæ Regionis, diebus Dominicis & aliis Festis, præterquam in majoribus anni solemnitatibus, possent incumbere piscationi Alecum, si Alecia Terræ se inclinaverint, dummodo tamen post piscationem, vicinis Ecclesiis, & Christi Pauperibus competentem elargirentur eleemosynam, uti fuse habetur *in cap. licet tit. de feriis*.

Ad hujus forte concessionis imitationem Summus Pontifex Sixtus Papa Quintus ad petitiones Abbatis, & Conventus Monasterii Oppidi S. Felicis de Guixols Ordinis S. Benedicti Diœcesis Gerunden. indulsit, ut Oppidani, qui ut plurimum sunt piscatores singulis diebus Sabbati, & Vigiliis singulorum festorum, a media nocte usque ad auroram, & dictis Dominicis, aliisque festivis diebus post Missam, & meridiem piscari possent in mari, quod est proximum Oppido; impetrata tamen ab Abbate Monasterii pro tempore licentia, & dummodo Abbati, & Conventui tertia pars lucri consignaretur, eroganda in reparationem, & fabricam Ecclesiæ, & ornamenta Sacristiæ; Ecclesia etenim Monasterii est Ecclesia Parochialis, & reparatione indigebat.

Apostolica hæc indulgentia non habuit illum, qui sperabatur, effectum; Piscatores etenim, qui ex piscatione diebus festivis exercita nullum emolumentum reportarunt, ex quo, detracta tertia parte, quæ solvi debebat pro Ecclesiæ reparatione, detractisque sumptibus Navis, Retium, & aliarum rerum necessariarum, nihil fere pro illis remanebat, aut a piscatione destiterunt, aut se fraudibus illaquearunt in propriæ conscientiæ perniciem, qua de causa factum est, ut existimatum fuerit, opus esse aliud remedium parare, durante videlicet adhuc necessitate reparationis Ecclesiæ, cui usque adhuc consultum non fuit.

Ad evitandos itaque scrupulos, & zelo decoris propriæ Parochialis Ecclesiæ, Piscatores in unum convenientes, Abbati Monasterii insinuarunt, ut Sedi Apostolicæ supplicaret pro Indulti ampliatione, eo, quo sequitur modo; cumque Piscatorum preces, una cum Abbatis supplicationibus, fuerint a Sanctissimo Domino Nostro ad hanc Sacram Congregationem remissæ, scriptum fuit, juxta morem, Episcopo pro informatione, & voto, qui censuit esse petitis annuendum.

Modus autem est, primo, quod ipsis liceat piscari diebus Sabbati, & Vigiliis Festivitatum, a solis occasu usque ad mediam noctem, & in hoc nulla videtur, quod esse possit difficultas, licet enim juxta antiquiorem Ecclesiæ disciplinam dies Festi essent colendi a Vespere in Vesperam, uti habetur *in Cap. omnes tit. de feriis*, ex communi tamen consuetudine per totam Europam recepta, viginti quatuor horæ diei festivæ, quæ est colenda, computantur a dimidia nocte ad aliam dimidiam noctem, uti bene docent *Suarez de Relig. tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 31. *Ricciul. lucubr. lib. 6. cap. 9. Gonzal. in cap.* 1. *num.* 3. *in fine de feriis, Anaclet. ad eundem titulum decretalium de feriis* §. 1. *num.* 17. *&* 18.

Secundo, quod liceat ipsis piscari diebus Dominicis, & festivis mane ante missam.

Tertio, quod liceat ipsis piscari Dominicis, & Festivis diebus Vespere post Missam, exceptis tamen ab indulto piscandi mane, & Vespere, principalioribus Festivitatibus, Natalis Domini, Paschæ Resurrectionis, Pentecostes, Assumptionis Beatæ Mariæ Virginis, S. Felicis, qui est Tutelaris Villæ, & Tutelaris Parochialis Ecclesiæ, nec non die Festo S. Petri.

Quarto, quod ex omnibus istis piscationibus septima lucri pars cedat in commodum, & restaurationem Ecclesiæ, nec non supellectilium Sacristiæ.

Testatur Episcopus, quod modus hic erit utilior alio, qui fuit præscriptus in Indulto Sixtino; ultra enim septimam partem ex lucro piscationum, quæ fient diebus festivis, pars etiam septima lucri piscationis exercitæ diebus Sabbati, & Vigiliarum, a Solis occasu ad mediam noctem, Ecclesiæ beneficio applicatur, quodque notabilius est, idem Episcopus perpendit, quod per hunc novum modum fraudes evitabuntur, & Piscatores habebunt tranquillitatem conscientiæ.

Alias supponebatur, quod in Urbe adesset, qui se esset nomine Communitatum oppositurus huic instantiæ, sed ille ad Secretarium accessit, & testatus est se Procuræ mandatum ad id gerendum non habere.

Adeoque nunc quæritur

An & quomodo sit extendendum Indultum in casu &c.

Sacra Congr. respondit,
Consulendum Sanctissimo pro confirmatione Brevis cum reductione a Tertia parte ad Septimam.

QUÆSTIO CLXXXII.

In Causa Jadrensi, die 24. *Augusti* 1720.

QUIDAM Miles Italus, Vexillarius Militaris Centuriæ, stationes habebat hybernas sibi assignatas a supremo Militiæ Duce in Civitate Scardonen.; cumque, obtenta licentia, Civitatem petierit Jadren., Mulieris Jadrentinæ captus amore, matrimonium cum ipsa contrahere cogitavit, sed quia illud Domi, & non in Ecclesia contrahere intendebat, necessariam contrahendi non potuit licentiam reportare ab Archiepiscopo Jadren.

Hinc factum est, quod Miles, & Mulier discedere voluerunt, prout discesserunt a memorata Civitate Jadren., & se ad Civitatem Nonæ alteri Ordinario subjectam contulerunt, exhibitisque coram Vicario Generali probationibus super statu libero, fuerunt iidem Matrimonio juncti ab eodem Vicario, nullis tamen præmissis denunciationibus, & ab eo tempore usque in præsens cohabitarunt, tanquam Vir, & Uxor.

Habita facti notitia ab Archiepiscopo Jadren. dubitationem ipse excitavit super Matrimonii validitate, nec non super pœnis, quibus Vicarius Nonæ, qui Matrimonio præbuit assistentiam, subjectus remanserit, litterisque datis ad hanc Sacram Congregationem, quæ fuerunt consignatæ ab R. P. D. Secretario Congregationis de Propaganda Fide, Eminentiarum Vestrarum oraculum se expectare professus est, & profitetur; cumque nullus sit, qui in hac causa scribat, operæ pretium esse censui, pro muneris mei incumbentia, nonnulla hinc inde referre, ut visis videndis, adæquatum de more, & tutum ab hac Sacra Congregatione feratur judicium.

Præmisso itaque, quod controversia videtur esse decidenda ad tramites Juris Communis, nulla habita ratione Sacerdotis Cappellani Militaris Centuriæ, vel quia ex relatione transmissa ab Archiepiscopo Jadren. nulla habetur noritia, quod Centuria, de qua nunc agitur, Sacerdotem Cappellanum habuerit, vel quia quatenus habuisset, jam in hac Sacra Congregatione recepta est sententia, quod Cappellanus Castrensis, si non habeat specialem facultatem a Sede Apostolica, vel expressam licentiam ab Ordinario, non potest assistere, seu interesse Matrimoniis, quæ fiunt a Militibus, sive hi degant in Præsidiis, sive in Castris, & stationibus hybernis, aut æstivis, seu etiam sint positi in actuali expeditione, juxta resolutiones Sacræ Congregationis impressas apud *Anacletum in Jus Canonicum tom.* 4. *tit.* 3. *de Clandestina desponsatione* §. 2. *num.* 97. *apud Patrem Schiaram in additionibus ad suam Theologiam Bellicam fol.* 139. 140. *& apud Dominum Ursayam tom.* 2. *discept. parte prima num.* 59. *& seqq.*

Quocirca ad jus Commune descendendo, controversiæ cardo consistere videtur in statuendo, an Miles, de quo nunc agitur, haberi potuerit pro vago; si etenim miles non est habendus pro vago, Matrimonium erit nullum; utpote minime contractum coram proprio unius ex contrahentibus Parocho, juxta Concil. Trident. *Sess.* 24. *cap.* 1. *de Reform. Matrim.* ubi etiam decernitur pœna adversus Sacerdotem, qui non est contrahentium Parochus, & eorum assistit Matrimonio; dicitur enim eum remanere debere ipso jure suspensum, quamdiu ab Ordinario ejus Parochi, qui Matrimonio assistere debebat, seu a quo benedictio erat suscipienda, absolvatur.

In nihilum urgente circumstantia facti ab Archiepiscopo Jadren. exposita, quod Mulier videlicet in Territorio Nonæ quædam Paternarum possessionum frusta, noviter acquisita habebat, cum enim, Teste eodem Archiepiscopo, non haberet Mulier in Civitate Nonæ habitationem, aut domicilium, hinc sequitur, quod præcisa circumstantia, quod Miles esset vagus, non potuit Parochus Nonæ haberi pro proprio Mulieris Parocho, itaut semper Matrimonium nullitatis vitio laborare dicendum sit, utpote non contractum coram Parocho Sponsi, aut Sponsæ, uti prosequuntur *Barbos. de offic. & potest. Parochi par.* 2. *cap.* 21. *num.* 34. *Bonacin. de Matrimon. quæst.* 2. *puncto* 8. *num.* 1. *fuse Sanchez de Matrim. lib.* 3. *disput.* 23. ubi *num.* 7. inquit speciale esse in Sacramento ordinis, quod proprius Ordinandi Episcopus etiam dicatur ille, ex cujus Diœcesi Ordinandus trahit originem, juxta Textum *in Cap. cum nullus de tempor. Ordinat. in* 6. & quod in terminis Matrimonii, ille tantum dicitur proprius Parochus, in cujus parochia alter ex contrahentibus habet domicilium.

Secus autem se habere debebit res in hypothesi, in qua Miles Italus fuerit vagus, & haberi debeat pro vago, in hac quippe facti specie Matrimonium erit validum, & difficile admodum erit, quod ille, qui Matrimonio interfuit, alicui pœnæ remanserit subjectus; vagi etenim non habent proprium Parochum, sed quilibet Parochus est Parochus Vagorum, & Vagi contrahere possunt Matrimonium coram Parocho illius loci, in quo actu versantur, uti late probant *Sanchez de Matrim. lib.* 3. *disp.* 25. *num.* 11. *Barbos. de offic. & potest. Parochi par.* 2. *cap.* 21. *num.* 89. *Pirhing. ad lib.* 4. *decretal. tit. de Clandestin. desponsat. num.* 19. *Cabassut. in Theor. Juris Canon. lib.* 3. *cap.* 26. *n.* 4. quod procedit non solum, si uterque Conjux sit vagus, sed etiam si alter ex ipsis tantum vagus sit; sufficit quippe ad validitatem Matrimonii, quod illud contrahatur coram Parocho Sponsi, aut Sponsæ, & quando Sponsus est vagus, quilibet Parochus est ejus Parochus, uti bene ponderat *Sanchez cit. lib.* 3. *disput.* 25. *num.* 14. *&* 15. & sequitur *Barbosa in Collectaneis ad Concil. Trident. sess.* 24. *de Reform. Matrimon. cap.* 7.

Ac licet Concilium loco citato *sess. videlicet* 24. *de Reform. Matrim. c.* 7. præceperit, ne facile homines vagi ad Matrimonium contrahendum recipiantur, & quod Parochi eorum Matrimoniis non assistant, nisi præmissa diligenti inquisitione, & nisi re ad Ordinarium delata, ab eo licentiam id faciendi obtinuerint, quæ Conciliaris dispositio fuit etiam innovata in instructione Sacræ Congregationis Universalis Inquisitionis pro examine Testium, qui inducuntur pro contrahendis Matrimoniis, edita *die* 21. *Augusti* 1670. hinc tamen argumentum deduci nequit, vel ad nullitatem matrimonii, vel ad aliquam pœnam, cui remanserit subjectus ille, qui interfuit matrimonio, de quo nunc agitur, tum quia si Concilium Tridentinum *citato cap.* 7. non appposuit clausulam irritantem, in hypothesi, in qua matrimonium Vagorum fieret, non servatis iis, quæ in dicto *cap.* 7. statuta sunt, & vice versa idem Concilium clausulam irritantem appposuit *in cap.* 1. in quo decrevit matrimonium contrahi debere coram Parocho Sponsi, aut Sponsæ, signum evidentissimum hoc est, quod etiam supposita inobservantia eorum, quæ fuerunt decreta *in cap.* 7. nunquam dici poterit, quod matrimonium nullitatis vitio laboret, uti probat Textus *in cap. ex litteris il* 2. *in fine de Matrimonio contracto contra interdict. Eccles.* & bene prosequuntur *Sanchez de Matrimon. lib.* 3. *disp.* 25. *n.* 8. *Anaclet. ad titul. Decretal. de clandestina desponsat. num.* 95. tum quia ille, qui interfuit Matrimonio, de quo nunc agitur, non erat aliquis Parochus Nonæ, sed Vicarius Generalis, itaut non esset necessaria rei delatio ad Ordinarium, cum ipse tanquam Vicarius Generalis sub appellatione Ordinarii esset comprehensus, uti prosequitur *Sanchez loco citato num.* 10. & multo magis, cum idem antequam Matrimonio interesset, de statu libero utriusque Conjugis probationes receperit; in nihilum relevante, quod Matrimonium fuit contractum non præmissis denunciationibus matrimonialibus, non solum quia Sancta Synodus prudentiæ, & judicio Ordinarii remisit omissionem denunciationum in matrimoniis, uti habetur *sess.* 24. *de Reform. Matrim. cap.* 1. sed etiam quia recepta jam est in hac Sacra Congregatione sententia, quod Matrimonium est validum, licet fuerint denunciationes omis-

omissæ, *Decan. in Summa tract. de Sacram. quæst.* 3. *tit. de clandest. desponsat. num.* 3. *Pirhing. ad dict. tit. Decretal.* §. 4. *num.* 28. *Diana in edit. coordinata tom.* 2. *tract.* 6. *de Sacram. Matrim. resolut.* 62. *Rota decis.* 301. *num.* 3. *decis.* 375. *num.* 10. *par.* 11. *recent.*

Supposito, quod cardo controversiæ resideat in circumstantia, an Miles, de quo nunc agitur, fuerit vagus, nec ne, nonnulla sunt, quæ suadent, eum vagum non fuisse; vagus enim non est, qui domicilium habet, cumque Miles habere dicatur domicilium ubi meret, uti probat Textus *in l. Municeps ff. ad Municipalem*, ibi, *Miles ibi domicilium habere videtur, ubi meret, & si nihil in patria possideat*, & Miles, de quo nunc agitur, stationes haberet hybernas sibi affignatas a supremo Militiæ Duce in Diœcesi Scardonen., hinc est, quod sicuti in Diœcesi Scardonen. merebat, ita domicilium in eadem habuisse dicendum sit, cum qua re non est compatibilis indoles, & natura vagi, uti in terminis Militum argumentantur *Vanespen. in Jus Ecclesiasticum Universf. tom.* 1. *par.* 2. *tit.* 12. *num.* 14. *&* 15. *Zipeus consult. Canonica* 2. *num.* 7. *de Officio Ordinarii, & lib.* 4. *de Sponsal. consult.* 7. *num.* 2. §. *ex his, & iterum lib.* 4. *de Sponsal. responso* 3. *num.* 1. *& seqq.*

Accedit, quod ille non dicitur habere domicilium, qui proprio domicilio relicto, quærit ubi se sistat, uti probat Textus *in l. ejus* §. *Celsus ff. ad Municipalem*, ibi, *puto autem, & hoc procedere posse, si quis domicilio relicto naviget, vel iter faciat, quærens, quo se conferat, atque ubi consistat, nam hunc puto sine domicilio esse*. Non possunt hæc verificari in Milite, de quo nunc agitur, ille enim nec navigabat, nec iter faciebat, quærens, quo se conferret, quo stante, sine domicilio dici non poterat, & sic inter vagos non erat adscribendus.

Alia e contra sunt, quæ afferri possunt ad suadendum, Militem vagum fuisse, cum enim nec verum, nec quasi domicilium habitationis haberet, licet esset in stationibus hybernis sibi assignatis in Diœcesi Scardonen. & deberet semper esse paratus ad proficiscendum, quo sibi demandaretur, & per accidens esset, quod in citata Diœcesi Scardonen. moraretur, nil aliud requiritur ad plene suadendum eum fuisse vagum, & sic potuisse valide Matrimonium contrahere coram Vicario Generali Nonæ, uti docet *Anaclet. ad lib.* 4. *Decretal. tit.* 3. §. 2. *de clandestina desponsat. num.* 94. ibi, *cum enim Milites in Castris existentes, nec verum, nec quasi domicilium habitationis habeant juxta dicta num.* 86. *Tales autem re vera sunt vagi, consequens est, quod Parochus eorum proprius sit loci, in quo pro tempore existunt*; & sequitur *Pasqualig. in praxi Jejunii decis.* 190. *n.* 2. *& in quæst. selectis quæst.* 11. *n.* 5. *&* 6. ibi, *siquidem hi cum nullam habeant fixam stationem, sed debeant semper esse parati ad proficiscendum, quo jubentur, & per accidens sit, quod diu morentur, habentur pro vagis, cum nulli habeant domicilium, aut constantem sedem*. Concordant *Bertachin. voto decisivo* 145. *n.* 8. *Pignatell. consult.* 79. *n.* 34. *tom.* 5. quibus omnibus adhæret *P. Schiara in addit. ad Theolog. Bellicam difficultate* 13. *tom.* 2. *pag.* 130. *lib.* 6. *n.* 7. *& seqq. & præcipue n.* 11. ibi, *concludimus igitur, cum Milites nullam habeant fixam stationem, sed semper debeant signa sequi Militiæ, & ire quo Ducum imperium urget, & Parochus loci, ubi morantur, seu reperiuntur, sit proprius eorum Parochus, Matrimonium Militum coram quovis Parocho contractum suam habere validitatem*.

Neque his admissis urgere aliquo modo videtur Textus allegatus *in l. Municeps ff. ad Municipalem* cum cæteris auctoritatibus supra allegatis, Textus enim dicit Militem habere domicilium, ubi meret; sed id intelligitur de Milite præsidiario, non de Milite in Castris hybernis, seu stationibus degente, qualis est ille, de quo nunc agitur, uti dictum Textum interpretando, docent *Mansfeld. de Jurisdictione, & Jure Militiæ Belgicæ tract.* 1. *cap.* 6. *pag.* 68. *Villos. de servis fugitivis cap.* 20. §. 2. *num.* 46. ibi, *sed Textus noster intelligendus est de Milite, qui est destinatus perpetuo cuidam præsidio, tunc enim contrahit ibi domicilium*; & in terminis pariter Militum in præsidiis degentium loqui videntur Vanespen. & Zipeus supra citati.

Ea videlicet concurrente disparitate inter Militem degentem in stationibus hybernis, & Militem præsidiarium, quod primus animum non habet permanendi per majorem partem anni in loco, in quo stationes habet hybernas, quando secundus animum habet in præsidio ad longum tempus, vel in perpetuum permanendi; domicilium autem non acquiritur sine animo perpetuo habitandi, *juxta Textum in l. non utique in l. domicilium in l. ejus qui la seconda* §. *penultimo ff. ad municipalem*; nec quasi domicilium acquiritur, nisi concurrat animus habitandi per majorem anni partem, uti firmant *Lessius de justitia, & jure lib.* 2. *c.* 40. *dubit.* 18. *num.* 121. *Pirhing. ad lib.* 4. *Decretal. tit.* 3. *de Clandestina desponsat.* §. 3. *num.* 19., *Anaclet. ad eundem titul. Decretal.* §. 2. *num.* 60. *Sanchez de Matrim. lib.* 3. *disput.* 32. *num.* 13., *Sperell. decis.* 87. *num.* 5., *Ricc. in praxi fori Ecclesiastici resolut.* 225. *parte* 1. *num.* 2., *&* 3. *fuse, & optime Zipeus in l.* 4. *de Sponsalibus consult. Canonica* 13. *num.* 12. *& seqq.*, contrariis procedentibus in casu, in quo aliquis, derelicto primo domicilio, cum animo ad illud amplius non redeundi, se ad alium locum transfert, in hoc enim domicilium acquirere potest statim ac ibi incipit habitare animo habitandi *juxta plenam decisionem* 629. *par.* 4. *t.* 3. *Recent.*

Neque pariter majoris roboris esse videtur, quod Miles non faciebat iter, quærendo locum, in quo sisteret, itaut ideirco vagus dicendus non sit juxta allegatum *Textum in l. ejus* §. *Celsus ff. ad Municipalem*; Vagus enim dicitur ille, de quo citatus Textus loquitur, sed alia reperitur species vagorum, in quorum classe reponi potest Miles de quo nunc agitur, cum vagus non tantum sit ille, qui relicto antiquo domicilio navigat, aut iter facit, quærens ubi consistat, sed etiam ille, qui nullibi certam, & constantem sedem, & domicilium, vel quasi domicilium habet, uti ponderant *Reginal. in praxi fori Ecclesiastici lib.* 1. *num.* 64., ibi, *notandum est vagos dici eos, qui nullibi certam, ac constantem sedem, domiciliumve habent*, & concordant *Lessius de justitia & Jure lib.* 2. *cap.* 40. *de voto disput.* 18. *n.* 121. *Pignatel. consult.* 79. *n.* 34. *tomo* 5.

Præscindendo a qualitate Vagi, ponderari etiam, & examinari potest, an matrimonium contractum in Civitate Nonæ nullum dici possit, ex quo contrahentes discesserunt a Civitate Jadren. in qua matrimonium contrahere intendebant, sed renuente Archiepiscopo contrahere non potuerunt, eo saltem modo, quo contrahere exoptabant, quasi quod nullum habendum sit Matrimonium utpote in fraudem contractum.

Verum, si admittatur in Milite qualitas Vagi, & ulterius, si admittatur conclusio, quod Matrimonium factum coram quocumque Parocho sit validum, quando alter ex contrahentibus est vagus, qualitas vagi influere etiam videtur in Matrimonii validitatem, non obstante discessu a Civitate Jadren. & non obstante Matrimonii contractu in Civitate Nonæ, uti ponderat *Anaclet. ad lib.* 4. *decretal. tit.* 3. *de clandest. desponsat.* §. 2. *n.* 9. & bene argumentatur *Sanchez de Matrimon. lib.* 3. *disput.* 25. *num.* 11. ibi, *verum hæc limitatio mihi non placet, quia non est fraus dum quis utitur jure suo. Quare, si vere domicilio relicto, quamvis in fraudem proprii Parochi, facti essent vagi, possent coram quovis Parocho Matrimonium inire, sicut mutantes Parochiam in fraudem Parochi, possunt in Matrimonio copulari a Parocho novæ Parochiæ*.

His stantibus quæritur.

I. An Matrimonium contractum a Milite in Civitate Nonæ sit validum in casu &c. & quatenus affirmative, vel negative.

II. An, & quibus pœnis subjectus remanserit Sacerdos qui præsentiam, & assistentiam præstitit dicto Matrimonio in casu &c.

Sacra Congr. respondit,
Dilata, & scribatur juxta Instructionem.

QUÆSTIO CLXXXIII.

In Causa Lucæoriensi Nullitatis Matrimonii, die 7. *Septembris* 1720.

SANCTISSIMUS Dominus Noster anno 1716. dispensationem concessit, ut non obstante quarto gradu consanguinitatis, possent inter se Matrimonium contrahere Joannes Sapica, & Constantia Radziwila.

Anno sequenti 1717. contractum fuit inter eosdem Matrimonium in facie Ecclesiæ, coram Parocho, & Testibus; cumque Joannes, & Constantia non quarto tantum gradu consanguinitatis, sed tertio, & quarto mixto essent conjuncti, existimatum fuit, quod id impedire non posset executionem dispensationis, ex regula, quod gradus remotior sit attendendus, & quod trahat secum propinquiorem.

Matrimonium hoc modo contractum, fuit etiam consummatum, cum Conjuges pluribus hebdomadis cohabitaverint, sed exortis inter Conjuges, & ambarum partium Consanguineos, divitiis, nobilitate, & dignitatibus præstantissimos, diffidiis, agi cœptum est de nullitate Matri-

Matrimonii, controversiaque delata ad hanc Sacram Congregationem, ne, lite in partibus agitata, odia in perniciem publicæ quietis erumperent, bina in præsenti disputanda dubia proponuntur, quorum alterum, ut infra videri potest, respicit nullitatem Matrimonii, alterum pœnas, quibus prætenditur Joannem remansisse subjectum, & signanter inhabilitatem ad contrahendum cum quacumque alia Muliere Matrimonium.

Ducto itaque initio a primo dubio, operæ pretium est adnotare, quod Pius Papa Quartus decrevit, quod in dispensationibus Matrimonialibus non solum gradus remotioris, sed etiam propinquioris expressa mentio fieri deberet, itaut non facta mentione propinquioris, dispensatio nullius esset roboris, & momenti.

Hanc Pii Quarti Constitutionem revocavit S. Mem. Pius Quintus, qui *in sua Bulla* 13. *Bull. tom.* 2. statuit, quod in dispensationibus gradus remotior attenderetur, & traheret secum propinquiorem, & sic quod sufficeret exprimere gradum remotiorem, obtentis tamen postea super gradu propinquiori litteris Apostolicis, in quibus declaretur, non obstare reticentiam propinquioris gradus, uti colligitur ex formula harum litterarum impressa apud *Novar. in summa Bullarum Comment.* 60. *sub num. primo*.

Hæc plana sunt, & nullam videntur admittere controversiam, quocirca sola difficultas in hoc consistere videtur, an in hypothesi, in qua Executor sciens non fuisse expressum Summo Pontifici gradum propinquiorem, procedat ad Brevis executionem non petitis, nec obtentis memoratis litteris declaratoriis, an, inquam, executio hæc non tantum sit illicita, sed invalida, & sic consequenter, an Matrimonium dicto modo contractum non tantum sit illicitum, sed etiam invalidum.

Putant nonnulli Matrimonium in dictis circumstantiis contractum ad summum esse illicitum, sed non invalidum. Putant illicitum, quia, Pontificio præcepto volenti, quod novæ litteræ declaratoriæ afferantur, erat obediendum: Putant deinde esse validum, ex quo novæ litteræ declaratoriæ requiruntur ad avertendum scandalum, ne videlicet aliqui sumerent occasionem scandali, videntes non fuisse dispensatum in gradu propinquiori, licet aliunde regula juris sit, quod gradus remotior imbibit, & trahit ad se propinquiorem, uti ad rem argumentantur *Sanchez de Matrim. lib.* 8. *disput.* 24. *num.* 29. *Perez de Matrim. disput.* 46. *sect.* 5. *num.* 7. *Pontius de Matrim. lib.* 8. *cap.* 17. §. 5. *num.* 26. *&* 27.

Alii e contra censent Matrimonium nedum illicitum esse, sed invalidum; S. enim Pius Quintus in citata Bulla postquam declaravit sufficere ad valorem dispensationis, si exprimatur gradus remotior, addidit hæc alia verba, *obtentis tamen postea super propinquiori litteris declaratoriis*, quæ verba conditionem importare videntur de necessitate explanandam ante actum; & quæ actum efficit nullum, si non præcedat; & in hujus assumpti comprobationem nonnullæ litteræ Apostolicæ Urbani Octavi, & Innocentii X. afferuntur, in quibus expresse dicitur, quod quidam Ordinarii, qui litteras Apostolicas executioni dederant, in quibus, subticito gradu propinquiori, remotior tantum fuerat expressus, *nulliter, & de facto* dispensaverant, non expectatis subsequentibus litteris declaratoriis, uti, late perpensis dictis Brevibus, docet *Anaclet. in* 4. *lib. decretal. in append. de dispens. super impedimentis* §. 4. *pag.* 252. *a num.* 170. *usque ad numerum* 183. & hanc sententiam esse in praxi receptam, & in Dataria Apostolica, plene testantur *de Justis de dispens. Matrim. lib.* 2. *cap.* 3. *num.* 40. *& duobus seqq. Corrad. in praxi dispensat. lib.* 7. *pag.* 289. *&* 290.

A primo dubio ad secundum transeundo, & præsupposita facti circumstantia ab Ordinario exposita in sua informatione, quod scilicet Joannes fuit ille, qui dispensationem a Sancta Sede procuravit, & obtinuit in solo quarto gradu, non expresso tertio de industria, inscia harum omnium rerum Constantia, inhabilitas Joannis ad contrahendum cum aliis Mulieribus Matrimonium desumitur ex Can. *qui propinquam* 35. quæst. 2. & 3. ubi sic legitur, *qui propinquam sanguinis uxorem ducunt, & separantur, non licebit eis, quamdiu utrique vivunt, alias Uxores sibi in conjugio sociare, nisi ignorantia excusentur*, & firmat *Menoch. de arbitrariis casu* 502. *num.* 106. & favere dicitur stylus Datariæ, juxta quem in dispensationibus Matrimonialibus, quæ expediuntur pro incestuosis Consanguineis, apponitur semper clausula, quod alter alteri supervivens perpetuo absque spe conjugii remaneat, uti habetur *apud Corrad. in praxi dispensat. lib.* 8. *cap.* 3. *num.* 60.

Hujus inhabilitatis, quidquid nonnulli Scribentes asseruerint, mentio habetur in regestis hujus Sacræ Congregationis; concluso etenim Concilio Tridentino, institutaque hac Sacra Congregatione, Summi Pontifices pro regulandis materiis Datariæ, in quibus Sacrosanctum Concilium aliquid Juris induxerat, omnes pene supplicationes ad hanc Sacram Congregationem remittere consueverant.

Inter alias tunc remissas, quamdam supplicationem *Papien. seu Januen.* inveni, in qua actum fuit de indulgenda dispensatione cuidam Nobili Adolescenti, qui sub spe futuræ Pontificiæ dispensationis fuit a Parentibus nobilis Puellæ suæ consanguineæ inductus ad habendam rem cum ipsa, prout habuit de facto, ipsamque prægnantem effecit; manuque Clar. Mem. Cardinalis Alciati adnotatum inveni, quod fieri deberet supplicatio Sanctissimo cum narratione casus, & cum petitione, quod tolleretur inhabilitas ex eo contracta ad ducendam aliam Uxorem, & paulo post eadem manu adnotatum pariter inveni, quod poterat in casu concedi dispensatio, licet Adolescens propter incestum factus esset inhabilis ad contrahendum cum aliis.

Rursus in quadam Causa Pragen. Matrimonii, quæ fuit proposita *die* 29. *Maii* 1677. *uti habetur lib.* 29. *decretorum*, post declaratam nullitatem Matrimonii inter consanguineos contracti, & consummati, post obtentam dispensationem a non habente facultatem, & expressa causa paupertatis, quæ non habebit subsistentiam, præsupposito fuit in genere, quod ex incestuoso conjugio contracta fuisset inhabilitas ad contrahendum Matrimonium cum aliis, disputatoque dubio, an Mulier in specie facta esset inhabilis ad contrahendum Matrimonium cum aliis, & quatenus affirmative, an esset cum ea dispensandum, responsum fuit, non fuisse a Muliere contractam inhabilitatem, ex quo decepta prædictum contraxerat Matrimonium, & cum ignorantia impedimenti.

Demum in quadam Causa Salernitana Matrimonii, quæ fuit *anno* 1708. pertractata in hac Sacra Congregatione, & in qua scripsit Dominus Ursaya, uti videri potest *in disceptationibus ab ipso impressis tom.* 1. *parte* 2. *discept.* 17. postquam declaratum fuit, quod Matrimonium inter Consanguineos tertio gradu contractum nullitatis vitio laborabat, non obstante Pontificia dispensatione, ex quo hæc fuit obtenta non ante, sed post Matrimonium, uti videri potest in Resolutionibus hujus Sac. Congregationis *die* 3. *Martii* 1708. *lib.* 58. *decretorum*, propositum fuit dubium, an Alexander Vir, qui recedere intendebat a priori conjugio, esset factus inhabilis ad contrahendum cum aliis, eodemque proposito, & non resoluto in Congregatione habita *die* 22. *Septembris ejusdem anni*, die tandem 27. *Novembris subsequentis* responsum fuit pro inhabilitate in casu, de quo tunc agebatur, & post nonnullos annos habito ab eodem Alexandro Viro recursu ad hanc Sacram Congregationem pro obtinenda dispensatione ab inhabilitate contracta, allegato incontinentiæ motivo, *die* 11. *Januarii* 1710. responsum fuit negative.

De nullitate Matrimonii nulla fuit controversia inter Joannem, atque Constantiam: Scribentes etenim pro una, & alia parte libentissime admiserunt, quod concurrente dispensatione super quarto tantum consanguinitatis gradu, conjunctisque revera Joanne, & Constantia in tertio & quarto consanguinitatis gradu, clara erat nullitas matrimonii: Sed Sacra hæc Congregatio *die* 7. *Septembris* 1720. distulit resolutionem, & rescripsit *ad mentem*, & mens fuit, quod perquirerentur regesta Datariæ, ut videretur, an subsisteret opinio de nullitate Matrimonii sic contracti, juxta *Praxim*, tam antiquam, quam modernam dicti Tribunalis; ab ejus etenim auctoritate, omnes fere Scribentes moti sunt ad sustentandum, quod Matrimonium in dictis circumstantiis initum, esset nedum illicitum, sed invalidum.

Hæc, quoad primum dubium: Transeundo autem ad secundum, Scribentes pro Joanne probare conati sunt, ipsum non fuisse redditum inhabilem ad contrahendum Matrimonium cum alia muliere; tum quia non docetur, quod habuerit scientiam suæ conjunctionis cum Constantia in tertio, & quarto gradu, tum quia non est in Jure imposita pœna inhabilitatis ad alias nuptias per hoc, quod quis incestum commiserit extra figuram, vel in figura Matrimonii, *Text. in Can. de Incestis* 35. *quæst.* 3. ibi: *Sane quibus conjunctio illicita interdicitur, habebunt ineundi melioris Conjugii libertatem*; & rursus *in Can. hæc salubriter* 35. *quæst.* 8. ibi; *Qui autem, & quæ in quarto, vel in quinto gradu conjuncti inventi fuerint; separentur &c. Sane quibus conjunctio interdicitur illicita, habebunt ineundi conjugii melioris libertatem & in Can. si duo*

si duo 35. *quæst.* 6. ibi. *Si se Episcoporum judicio segregaverint, si juvenes sunt, alia Matrimonia contrahere non prohibeantur*: & contraria procedunt, quando incestuosi adeo infimul convixerint, ut alter eorum occubuerit durante adhuc incestu, ibi: *Et si alter eorum morte prævenius fuerit, alter quandiu vivit graviter pœniteat, & sine spe conjugii maneat*.

Scribentes vero pro Constantia probare conati sunt inhabilitatem Joannis ad aliud contrahendum Matrimonium, tum quia certa fuit ejusdem scientia super conjunctione in tertio, & quarto gradu, uti colligitur ex attestatione Episcopi; tum quia sic in jure, ad vindicandum crimen incestus dispositum est *Text. in cap. Transmissæ de eo, qui cognov.* ibi: *Perpetuo sine spe conjugii permanebit*; & in terminis copulæ incestuosæ in figura Matrimonii sic legitur *in Can. Propinquam* 35. *quæst.* 2. & 3. ibi: *Qui propinquam sanguinis Uxorem ducunt, & separantur, non licebit eis, quamdiu utrique vivunt, alias Uxores sibi in Conjugio sociare, nisi ignorantia excusentur*.

Allegatæ præterea fuerunt resolutiones hujus Sacræ Congregationis ad hanc sententiam corroborandam; in quadam enim Causa *Papien. seu Januen.* in qua agebatur de copula incestuosa habita in figura Matrimonii, Cardinalis Alciatus adnotavit, Virum, propter incestum esse factum inhabilem ad contrahendum cum aliis, sed eidem posse concedi dispensationem. Rursus *in quadam Causa Pragen.* 29. *Mati* 1677. dictum fuit, non fuisse a Muliere contractam ullam inhabilitatem, non obstante, quod incestuose copulata fuisset in vim dispensationis obtentæ a non habente facultatem, ex quo decepta contraxerat Matrimonium, & cum ignorantia impedimenti. Demum *in quadam Causa Salernitana Matrimonii die* 3. *Martii* 1708. resolutum fuit, Matrimonium non obstante dispensatione fuisse invalidum, & contendente Viro, se ex hoc inhabilem non evasisse ad aliud contrahendum Matrimonium, *die* 27. *Novembris ejusdem anni*, responsum fuit *pro inhabilitate*, & *die* 11. *Januarii* 1710. fuit eidem denegata dispensatio, quamvis pro ea obtinenda deduceret motivum incontinentiæ.

Bis igitur actum fuit de hac causa Lucæorien. in hac Sac. Congreg. *die videlicet* 7. *Septembris* 1720. & *die* 28. *Februarii* 1722. & licet in utraque propositione Causæ tam Scribentes pro Joanne, quam pro Constantia nullitatem admitterent Matrimonii, & punctum Controversiæ reducerent ad pœnas, quibus Joannes prætendebatur esse subjectus, ex quo Matrimonium contraxit, sciendo conjunctionem cum Constantia in tertio, & quarto; Sac. nihilominus Congregatio ex officio procedens, voluit ut de validitate, vel invaliditate Matrimonii stricte videretur. Et quia tota lis pro nullitate constituebatur in stylo Datariæ, hinc est, quod prima vice respondit, quod Datariæ Regesta perquirerentur, & secunda vice instantibus Officialibus Datariæ pro dilatione, quod Causa proponeretur *die* 28. *Mensis Martii*.

Egregii Datariæ Officiales pervolutis Regestis a tempore S. Pii V. usque ad præsens, discursum una cum Summario justificativo exararunt, & simul, & semel comprobare conati sunt, nulla semper, & invalida habita fuisse Matrimonia contracta inter conjunctos tertio, & quarto gradu, prævia dispensatione super quarto, & non obtentis litteris declaratoriis super tertio, juxta præscripta *in Bulla* 13. *S. Pii V. tom.* 2. de qua in folio Congregationis diei 28. Februarii proxime præteriti benigne reassumendo.

Quia vero, sicuti ad Egregios Datariæ Officiales pertinet Datariæ opiniones & jura tueri, sic ad meam exiguitatem spectat hujus Sacræ Congregationis, cujus sum a secretis, sententias propugnare; hinc est, quod inventa in Regestis punctuali resolutione super validitate Matrimonii in hisce terminis contracti, operæ pretium esse censui ad calcem hujus Quæstionis edere discursum, ut visis hinc inde videndis, tutum judicium proferri valeat, & simul, & semel sequentibus dubiis responderi.

I. An constet de nullitate Matrimonii, & quatenus affirmative.

II. An Princeps Joannes Sapica factus sit inhabilis ad contrahendum Matrimonium cum aliis Mulieribus in casu &c.

Sacra Congr. die 28. Martii 1722. respondit.

Ad primum negative, & Episcopus mandet, quod Conjuges continuent in separatione, donec obtinuerint litteras declaratorias. Ad secundum provisum in primo, & amplius.

De Matrimonio contracto inter Conjunctos tertio, & quarto Consanguinitatis gradibus, prævia Apostolica dispensatione super quarto, non obtentis litteris declaratoriis super tertio juxta Bullam 13. *S. Pii V. Bull. tom.* 2. *an sit nullum, vel validum*

Discursus Secretarii postea SS. D. N. Benedicti XIV.

1. Nonnulla sunt, quæ urgent pro nullitate Matrimonii. Primum est, quod illud in tantum validum existimari posset, in quantum dispensatio obtenta super gradu remotiori suffragari posset conjunctis in illo gradu, & in gradu etiam proximiori. Cum autem id de jure non subsistat *juxta text. in Cap. quod dilectio de consang. & affinit.* sequitur, de Matrimonii nullitate non esse dubitandum.

2. Secundum est quod quidquid esset juxta antiquiores Constitutiones Gregorii XI. & Clementis VI. Pius certe Papa IV. sic decrevit: *se de singulis obstaculis plene certiorari volens, quod in quibuscumque dispensationibus, quas pro Matrimonio scienter, vel ignoranter contracto, vel contrahendo in quibusvis prohibitis consanguinitatis, aut affinitatis, seu mixtis gradibus &c. a S. Sede impetrari &c. non solum de remotiori, sed etiam de proximiori, aut de proximioribus gradibus, quicumque illi fuerint, eorumque distantia specialis, & expressa mentio fieri debeat; alioquin dispensationes &c. nullius sint roboris, & momenti, & pro infectis habeantur*.

3. Verba hæc leguntur in Constitutione 37. prædicti Pii Papæ IV. in antiquiori Bullario Romano edito anno 1586., quod existit in Bibliotheca Casanatensi: quibus attentis, sicuti certa est nullitas dispensationis inter conjunctos tertio, & quarto, facta tantum mentione quarti gradus, sic a nullitate dispensationis valet illatio ad Matrimonii nullitatem.

4. Tertium est quod licet S. Pius V. *in sua Constit.* 13. *Bull. tom.* 2. derogaverit mox allegatæ Constitutioni Pii Papæ IV., & voluerit quod valeret dispensatio obtenta super quarto, nulla facta mentione tertii gradus, addidit nihilominus sequentia verba, *obtentis tamen postea super propinquiori litteris declaratoriis*, hoc est litteris, in quibus declaretur non obstare reticentiam gradus propinquioris, cumque recensita verba conditionem importent juxta punctuales, & in his terminis auctoritates infra allegandas; hinc sit censendum, esse nullum matrimonium illud, quod fuit contractum inter conjunctos tertio, & quarto, obtenta dispensatione super quarto, & non obtentis litteris declaratoriis super tertio.

5. Quartum est, quod si validum haberetur Matrimonium non obtentis litteris declaratoriis super gradu propinquiori, frustratoriæ quodammodo dictæ litteræ dici possent. Cum autem hoc non sit dicendum, nec etiam dici poterit validum esse Matrimonium inter Conjunctos tertio, & quarto, prævia dispensatione super quarto, & non obtentis litteris declaratoriis super tertio.

6. Quintum est, quod habito recursu ad Summos Pontifices Urbanum Octavum, & Innocentium Decimum a Conjugibus, qui reticito propinquiori, dispensationem expediverant super remotiori gradu, nec litteras declaratorias obtinuerant super propinquiori, fuit in litteris Apostolicis dd. Pontificum impressis *apud Anaclet. in* 4. *lib. Decretal. in Append. de dispensat. super impedimentis* §. 4. responsum, quod Ordinarii, qui dispensationem executioni dederant, nulliter, & de facto dispensaverant, quod Copula interim habita fuerat incestuosa, quod filii nati erant illegitimi, & quod erat iterum contrahendum Matrimonium in facie Ecclesiæ. Signa autem hæc sunt evidentissima, quod non obstante citata Bulla S. Pii V. subsequentes Romani Pontifices, nulla esse judicarunt Matrimonia contracta inter Conjunctos, accedente dispensatione Apostolica super gradu remotiori, & non obtentis litteris declaratoriis super propinquiori, idque adeo verum esse dignoscitur, *ut Barbosa, qui voto* 3. *lib.* 1. *per tot.* senserat pro validitate, viso brevi Urbani Octavi in fine suffragii a dicta opinione recesserit, & consimili modo se etiam gesserit Bonacina, qui licet validum de jure Matrimonium existimasset, attento nihilominus stylo Sedis Apostolicæ, sententiam amplexus est stantem pro nullitate, uti videri potest *tom.* 2. *disput.* 1. *quæst.* 2. *puncto* 5. *n.* 17. & *quæst.* 3. *puncto* 7. §. 1. *n.* 7.

7. Sextum est, quod quidquid dixerint Auctores Scholastici, qui pro validitate sensisse videntur, Auctores certe practici, ponderatis verbis Bullæ S. Pii V. *obtentis tamen postea super propinquiori litteris declaratoriis*, & pon-

ponderatis Brevibus Urbani Octavi, & Innocentii Decimi supra indicatis, constanter asseruerunt, Matrimonium esse nullum, *Clericat. decis.* 22. *de Sacramento Matrim. n.* 11. *Rota de executoribus litter. apostolicar. cap.* 11. *n.* 33. *Anaclet. in* 4. *lib. decret. in Appendice de dispensat. super impedimentis* §. 4. *pag.* 252. *a num.* 170. *usque ad num.* 183. *De Justis de dispensat. matrim. lib.* 2. *cap.* 3. *n.* 40. & *duob. seqq. Corrad. in praxi dispensat. lib.* 7. *pag.* 289. & 290. Cumque in re de qua nunc agitur, magis sit practicis, quam speculativis Auctoribus deferendum, sequitur, retinendam esse opinionem, quæ validitati Matrimonii adversatur.

8. Ultimum est quod quidquid agit Dataria Apostolica, dicitur gestum ab ipso Papa, *Teste Garzia de Benef. par.* 4. *Cap.* 2. *num.* 18. Cumque ab Egregiis Datariæ Officialibus in discursu impresso afferantur 24. exempla, ex quibus ostenditur nullitas Matrimonii, sive ignoranter, sive scienter contracti, quando propinquior gradus reticitus fuit, & inter hæc duo adsint, quæ referuntur ad tempus S. Pii V. nil clarius afferri posse videtur ad rem, de qua nunc agitur; quomodo etenim in litteris *perinde valere* in terminis Matrimonii, bona fide, & cum ignorantia gradus propinquioris contracti, prævia dispensatione super solo gradu remotiori, potuisset S. Pius V. potuissent & alii Pontifices mandare, quod Ordinarii publice indicerent nullitatem prioris Matrimonii, & quod Conjuges de novo contraherent, si præcedens Matrimonium pro valido habitum fuisset? Et rursus quomodo aliis litteris *perinde valere* in terminis Matrimonii contracti, & consummati cum scientia gradus propinquioris, prævia dispensatione super remotiore, potuissent iidem Romani Pontifices declarare, quod Ordinarii de facto dispensaverant, quod servata forma Concilii Matrimonium de novo contraheretur, quod contrahentes absolverentur ab incestu, & ab excommunicatione lata in *Clementina unica de Consanguinitate*, quod Proles declararetur illegitima, & quod propter incestum commissum, alter ex Conjugibus alteri supervivens perpetuo absque spe Conjugii remaneret, si Matrimonium contractum cum dispensatione super remotiori de jure validum fuisset?

9. Hæc sunt quæ pugnant pro nullitate Matrimonii. Nunc autem transitum faciendo ad ea, quæ favent validitati, operæ pretium est, nonnullas summatim exponere Romanorum Pontificum Gregorii videlicet IX. Gregorii XI. Clementis VI. Pii IV. & S. Pii V. Constitutiones.

10. Gregorius itaque Papa IX. *in cap. fin. de Consang. & affin.* decrevit, quod Vir, qui a stipite quarto gradu, & Mulier, quæ ex alio latere distat quinto, possunt licite matrimonialiter copulari, quia computatio fit a remotiori, itaut Vir, & Mulier distent in quinto, in quo gradu nulla est prohibitio, *juxta Text. in Cap. non debet de consang. & affinit.*

11. Constitutionis Gregorii XI. mentio fit *a Guttier. quæst. Canonic. lib.* 2. *cap.* 15. *num.* 127. & 128. & de Constitutione Clementis Sexti verba faciunt *Calderin. Cons. pri. de consang. & affinit. Fagnan. in cap. fin. num.* 15. *eodem nu. Covar. in Epitom. lib.* 4. *Decret.* 2. *p. cap.* 6. *sub num.* 12. & utraque Constitutio Gregorii XI. & Clementis VI. reassumitur a S. Pio V. *in sua Constit.* 13. *mox referenda*; omissaque Constitutione Gregorii XI. quam reperire non potui, sed quæ absque dubio concordare dicenda est cum alia Clementis VI. ut ex citata Bulla S. Pii V. desumitur; in eo quod attinet ad hanc Clementis VI. Constitutionem, sciendum est quod Clemens Papa V. dispensationem concesserat, ut Vir, & Mulier non obstante quarto gradu consanguinitatis possent ad invicem matrimonialiter copulari, Matrimonium contractum fuit, & Vir, & Mulier in eodem perstiterunt spatio annorum triginta, exortaque subinde controversia, an dispensatio valida fuisset, ex quo deprehensum fuit Virum tertio, & Mulierem quarto gradibus a communi stipite distare, Papa sic dubium resolvit: *declaramus, prædictam, & quaslibet alias dispensationes similes obtentas a Sede Apostolica, & impositorum obtinendas, omissione mentionis de distantia tertii gradus prædicti a stipite non facta in illis, & quarumvis litium dependentia occasione hujusmodi super eis nequaquam obstantibus sufficientes, & validas existere, ac robur obtinere plenariæ firmitatis, reprobantes quorumcumque opiniones contrarias, ac eas, & quoslibet processus in contrarium coram quibusvis Judicibus delegatis, vel Ordinariis habitos, inanes, & irritos decernentes*.

12. Supervenit post hæc Constitutio Pii Papæ IV. in superioribus allegata, in qua non obstantibus Constitutione. Greg. XI. & Clem. VI. voluit quod in dispensationibus specialis, & expressa mentio fieret non solum de remotiori, sed etiam de proximiori gradu, & de eorum distantia, declarando, quod in casu mentionis non factæ, dispensationes nullius essent roboris, & momenti, & pro infectis haberentur; at S. Pius V. in sua Constitutione 13. Bull. tom. 2. prævia derogatione Bullæ Pii Papæ IV. nec non facta renovatione Constitutionum Gregorii XI. & Clementis VI. & expresse protestando, *quod favere intendebat Sacramento, & libertati Matrimonii*, statuit, & ordinavit, quod excepto casu, quo Vir, & Mulier primum consanguinitatis, & affinitatis gradum attingerent, in quo Sanctitas Sua nunquam dispensare intendebat, in cæteris aliis consanguinitatis, & affinitatis gradibus *remotior attenderetur, & secum traheret propinquiorem, & ob id sufficeret remotiorem tantum gradum exprimere, obtentis tamen postea super propinquiore litteris declaratoriis juxta Gregorii, & Clementis Constitutiones, concludendo, dispensationes propter proximioris gradus hujusmodi non expressionem de subreptionis vel obreptionis vitio, seu intentionis defectu notari non posse, sed in omnibus, & per omnia suffragari perinde ac si in litteris, seu Commissionibus hujusmodi de proximiore, seu utroque gradu specialis, & expressa mentio facta fuisset*.

13. Adeoque si S. Pius V. derogavit Constitutioni Pii Papæ IV. si protestatus est se favere velle libertati Matrimonii, si excepto primo gradu, validas, & subsistentes declaravit dispensationes, in quibus facta esset sola mentio gradus remotioris: Nil clarius afferri posse videtur ad suadendum tam validitatem dispensationum, quam validitatem Matrimoniorum dependenter ab illis factorum: Nullatenus arguentibus verbis in eadem Constitutione appositis, *obtentis tamen postea super propinquiore litteris declaratoriis*; in his etenim litteris iterum admittitur validitas præcedentis dispensationis, ipsasque litteras valere dicta auctoritate decernens, uti habetur ex earum formula, impressa apud Novar. in Sum. Bull. comment. 60. in his iisdem litteris, dicitur distantiam propinquioris gradus non obstare, & perinde se habere, ac si ejus mentio in prima dispensatione facta fuisset, itaut harum litterarum introductio non alium finem habuisse dicenda sit, quam avertendi scandali, quod aliqui juris ignari sumere potuissent, videndo quod conjuncti in tertio, & quarto Matrimonium inter se contraxissent, prævia tantum dispensatione super quarto, & alias discurrendo sequeretur absurdum, quia sequeretur quod S. Pius V. non derogasset Bullæ Pii IV. sed tantum voluisset, quod pro validitate dispensationis, & Matrimonii fieri deberent in una pagina mentio gradus remotioris, & in alia gradus propinquioris, quando Pius Papa IV. decreverat quod in una, eademque pagina, hoc est in una, & eadem dispensatione pro ejus, & Matrimonii validitate utriusque gradus, propinquioris videlicet, & remotioris expressa mentio haberetur.

14. Discursus hic clarus videtur, & efficax, uti dicitur ab intrinseco, sed idem magnum ab extrinseco robur assumit a Classicorum videlicet, & Magni nominis Doctorum communi auctoritate, qui ponderata Bulla S. Pii V. validam esse censuerunt dispensationem, in qua facta fuit mentio solius gradus remotioris, etiamsi Executor notitiam propinquioris habuerit, & hoc minime obstante eam executioni mandaverit, cum ejus malitia validitati dispensationis obstare non valeat, validum etiam consequenter existimarunt Matrimonium, quamvis illud fuerit contractum, non obtentis litteris declaratoriis, quarum defectus illud ad summum illicitum, sed non invalidum reddere potest. *Sanchez de Matrim. lib.* 8. *disp.* 24. *num.* 29. *Perez de Matrim. disp.* 46. *sect.* 5. *num.* 7. *Pontius de Matrim. lib.* 8. *cap.* 17. §. 5. *num.* 26. & 27. *Petrus de Ledesma de Sacram. Matrim. in addit. ad tertiam partem quæst.* 54. *art.* 2. *pag. mihi* 419. *Enriquez in sum. lib.* 12. *de impedim. Matrim. lib.* 2. *cap.* 3. *num* 6. *in notis pag. mihi* 709. & *rursus cap.* 9. *in notis lit. z. pag. mihi* 729. *Salmanticenses in Thelog. moral. tom.* 1. *de Matrim. tract.* 9. *cap.* 14. *puncto* 4. §. 45. & 46. *pag. mihi* 260. *Hurtad. in tract. de Sacram. disp.* 26. *difficul.* 7. *per tot. Egidius de Coninch de Sacram. disp.* 33. *dub.* 6. *num.* 72. *Tamburin. de Sacram. lib.* 8. *tract.* 2. *de dispens. cap.* 9. §. 7. *per tot. Dicastil. de Sacram. tom.* 3. *tract.* 10. *de Matrim. disp.* 8. *dubit.* 9. *per tot. Aversa de Sacram. Matrim. quæst.* 19. *sect.* 5. §. 7. *pag. mihi* 622. *Basseus in flor. Theolog. pract. tom.* 2. *in verb. Matrim.* 9. *sub num.* 5. *pag. mihi* 344. *Rosignol. de Sacr. Matrim. tom.* 2. *contract.* 15. *prænot.* 23.

num. 5. *Rebell. de oblig. just.* 2. *p. lib.* 3. *quæst.* 5. *sect.* 4. *num.* 23. *pag. mihi* 333. *Leander Oper. moral. pag.* 2. *tract.* 9. *de Sac. Matr. disp.* 24. *quæst.* 40. *Fillinc. oper. mor. to.* 1. *tract.* 10. *de Sacr. Matr. pag.* 2. *cap.* 10. *num.* 328. *Giribald. de Sacr. tom.* 1. *tract.* 10. *de Matr. dub.* 8. *num.* 49. *& seqq. Ant. a Spiritu Sancto in direct. Confess. tract.* 11. *de Matrim. disp.* 8. *sect.* 7. *per tot. Gobat Theol. experimental. tract.* 9. *cap.* 22. *in Appen. pag. mihi* 1003. *num.* 620. *& seqq. Vanespen. Jur. Ecclesiast. universi tom.* 1. *pag.* 2. *tract.* 14. *cap.* 3. *num.* 17. *Cherubin. in notis ad Const.* 13. *S. Pii V. tom.* 1. *pag. mihi* 38. *Novar. in sum. Bull. comment.* 60. *num.* 2. solaque inter scribentes discrepantia est, quod nonnulli censent valere dispensationem, & validum esse Matrimonium cum expressione solius gradus remotioris, dummodo fœmina non sit illa, quæ sit propinquior stipiti, sed Vir sit propinquior stipiti, & Mulier stipitem attingat in gradu remotiori; in ea etenim facti specie cum fœmina sit quoad stipitem major Viro, & Vir per Matrimonium evadere debeat Caput Mulieris, aliquorum opinio fuit, quod propter relatam inordinationem pro validitate dispensationis, & Matrimonii, necessaria sit utriusque gradus expressio *Sotus in* 4. *dist.* 40. *quæst. unica art.* 3. *colum.* 8. *vers.* 4. *demum, & art.* 4. *col. penul. vers. & tertio. Molina de just. & jure tom.* 1. *tract.* 2. *disp.* 161. *num.* 5. *Bonacin. oper. mor. tom.* 2. *disp. pri. quæst.* 2. *puncto* 5. *num.* 16. §. *secunda est*, quando alii e contra censent, vel id ad summum procedere, si Mulier esset avita, vel Matertera, secus autem si in tertio gradu esset constituta *Sanchez de Matrim. lib.* 8. *disp.* 24. *num.* 12. & alii communius, ponderantes Bullam S. Pii V. indistincte loqui, afferunt, validam esse dispensationem, & validum Matrimonium contractum non obtentis litteris declaratoriis, & prævia dispensatione super remotiori, sive vir, sive fœmina sit stipiti propinquior, *Pontius, & Perez. Rosignol. Giribald. Aversa, locis supra citatis.*

15. Quodque notabilius est, licet ad tramites Bullæ S. Pii V. Sac. hæc Congregatio censuerit pro validitate dispensationis primum gradum esse exprimendum, uti habetur in *dubio affinitatis proposito* 19. *Septembris* 1682. *lib.* 32. *Decret. pag. mihi* 455. *quidem sequenti dubio an inter ipsos adsit impedimentum dumtaxat tertii affinitatis gradus, vel etiam primi, itaut super tertio tantum, vel potius super tertio, & primo petenda esset dispensatio*, responsum fuit: *petendam esse dispensationem facta mentione primi gradus*; in hypothesi tamen Matrimonii contracti inter Conjunctos extra primum gradum, prævia dispensatione super remotiore, & non obtentis litteris declaratoriis super propinquiori, hæc eadem Sacra Congregatio censuit validum fuisse Matrimonium, & satis esse postea obtinere declarationem super gradu propinquiori, nec opus esse post declarationem denuo contrahere, uti habetur ex sequenti resolutione edita *die* 1. *Maii anno* 1607. *lib.* 11. *Decret. pag.* 1. *a tergo*, ibi: *hujusmodi Matrimonium, nisi aliud obstiterit, esse validum, satisque fuisse obtinere postea declarationem super gradu propinquiori juxta Constit. san. mem. Pii V. hac de re editam, neque opus fuisse post declarationem hujusmodi repetere formam Concilii, vel denuo contrahere.*

16. Hisque positis, non obstant ea, quæ in contrarium fuerunt ponderata: Non obstat etenim primum, quod dispensatio obtenta super gradu remotiori, non suffragetur Conjunctis in illo gradu, & in gradu proximiori, juxta allegatum *Text. in cap. quod dilectio de consang. & affinit.* Textus etenim hic procedit attenta consuetudine loci, ibi, *consultius duximus multitudini, & observatæ consuetudini deferendum, quam aliud in dissensionem, & scandalum Populi statuendum quadam adhibita novitate*; quocirca Textus prædictus non facit ad rem, de qua nunc agitur, nec obstat dispositioni juris communis, juxta quod gradus remotior trahit ad se propinquiorem, uti adnotarunt in citato capitulo *Quod dilectio Innocentius in fine, Hostien. num.* 4. *Joan. Andreas num.* 8. *Abbas num.* 7. *Gonzal. num.* 4. *Fagnan. in cap. Vir qui, num.* 54. *de Consanguinit. & affinit. Covar. in* 4. *Decret. pag.* 2. *cap.* 6. §. 10. *num.* 12. *Sanchez de Matrim. lib.* 8. *disput.* 1. *num.* 33. *prope finem.*

17. Minus facit Bulla Pii IV. de qua, in secunda oppositione, cum ei fuerit derogatum a posteriori Bulla S. Pii V.

18. Majoris roboris non est, quod in Bulla S. Pii V. habentur hæc verba, *obtentis tamen postea super propinquiori litteris declaratoriis*, uti tertio loco dicebatur, punctus enim est, an litteræ declaratoriæ fuerint requisitæ pro validitate dispensationis, & an fuerint requisitæ, ut Matrimonium esset validum, cumque ex supra probatis S. Pius V. validam decreverit dispensationem, facta tantum mentione remotioris gradus, & litteræ declaratoriæ sint necessariæ, ut matrimonium sit licitum, non autem, ut sit validum; hinc est, nullum momentum constitui posse in verbis prædictæ Constitutionis Pianæ.

19. Consimilis generis est quod quarto loco opponebatur, frustratorias videlicet evadere in hoc rerum statu litteras declaratorias. Id quippe nullo modo subsistit; vel etenim expedita dispensatione super remotiori ante ejus executionem innotescit Ordinario, quod Vir, & Mulier sunt conjuncti propinquiori gradu, & Ordinarius debet abstinere ab executione, usquequo litteræ declaratoriæ afferantur, uti bene ponderant *Bonacina oper. moral. tom.* 2. *disput.* 1. *quæst.* 2. *puncto* 5. *num.* 17. *& quæst.* 3. *punct.* 7. §. *primo num.* 7. *Sanchez de Matrim. lib.* 8. *disput.* 24. *num.* 29. vel ante Bullæ executionem propinquitas non innotuit Ordinario, & sic sine litteris declaratoriis Matrimonium contractum fuit, & tunc statim ac notitia defertur ad Ordinarium, debet ille Conjuges separare, usquequo litteræ afferantur, uti bene ponderat *Sanchez loco citato*. Uno verbo semper est obediendum Constitutioni Pianæ, & semper expediendæ sunt litteræ declaratoriæ super propinquiori, sive Ordinarius ignoraverit, sive sciverit conjunctionem gradus proximioris, & sive Matrimonium fuerit contractum, sive non, & Ordinarius, qui non obstante notitia gradus propinquioris, non allatis litteris declaratoriis, dispensationem exequeretur, peccaret. *Tamburin. de Sacram. lib.* 8. *tract.* 2. *cap.* 9. §. 7. *num.* 6. *Clericat. Theor. Eccles. cap.* 137. *numer.* 13. quod satis est ne litteræ declaratoriæ tanquam frustratoriæ habeantur.

20. Cætera alia, quæ in contrarium ponderabantur, stylum respiciunt Datariæ, & a dicto stylo nonnulli prædicti Auctores inducti fuerunt ad sustinendam nullitatem Matrimonii contracti prævia dispensatione super remotiori, non obtentis litteris declaratoriis super propinquiori. Porro de hoc stylo loquendo, mirum est, quæ & qualia dicta sint ab aliis Auctoribus, qui sentiunt pro validitate Matrimonii. *Tambur. de Sacram. lib.* 8. *tract.* 2. *de dispensat. cap.* 9. §. 7. *sub num.* 9. facta sibi oppositione Brevis Urbani VIII. a Barbosa loco citato relati, inquit, *cum non sit credibile, Urbanum VIII.* per litteras privatas voluisse abrogare dictum generale Decretum Pii V. mihi videtur esse putandum in memoratis privatis litteris aliquem irrepsisse *errorem a ministris commissum*. Alii per aliam viam procedunt; *Gobatus* quippe *in Theolog. experimentali tract.* 9. *capit.* 22. *in append. pag. mihi* 1003. *num.* 620. *& seqq.* ait, & expressiones, quæ leguntur in Brevibus, de quibus agitur, non affirmative, sed relative fuisse expositas, quod est idem, ac dicere expressiones non ad Pontificem, sed ad Supplicantes esse referendas: *& Pater Siisius* Placentinus, & Pœnitentiarius Apostolicus in Sacrosancta Basilica Lateranensi *in suis adnotationibus manuscriptis ad Constitutionem Innocentii Papæ XII. super facultatibus majoris Pœnitentiarii pag. mihi* 737. *num.* 38. *inquit: ad Stylum autem Curiæ respondetur, ipsum quidem facere jus, sed non quando est contra ipsum jus. Stylus autem in subjecta materia, quod Matrimonium sit nullum, nisi in dispensatione exprimatur gradus proximior, nec facit jus, nec observari potest, eo quod adversaretur eidem motui proprio Pii V. relato. Consequenter neque non obtentis litteris declaratoriis super eodem gradu, inferri debet nullum esse Matrimonium, si fuerit contractum vigore dispensationis obtentæ, cum tales litteræ solum dentur ad evitanda dubia, & scandala, quæ oriri possent in Populo.*

21. At quidquid sit de hisce responsionibus, & prævia protestatione debiti obsequii erga stylum Datariæ, sustineri posse videtur, primo, quod nonnulla, quæ pro eodem deducuntur, non faciunt ad rem, secundo quod aliqua concordant cum his, quæ in superioribus dicta sunt; tertio, quod alia pugnare videntur pro validitate Matrimonii, ultimo, nihil in contrarium adducitur, quod directe percutiat controversiam, de qua nunc agitur.

22. Quod autem nonnulla, quæ afferuntur, non faciant ad rem, patet, quia ex suffragio in contrarium allegato clar. mem. Card. de Carpineo non aliud infertur, nisi quod Episcopi habentes a Sede Apostolica facultatem dispensandi in tertio, vel quarto non possunt dispensare in secundo, vel tertio, non obstante Bulla S. Pii V. Bulla quippe exigit litteras declaratorias, & litteræ declaratoriæ a Sede Apostolica sunt impe-

impetrandæ, quod utique nec impugnatur, nec impugnari potest.

23. Quod item aliqua concordent cum his, quæ in superioribus dicta sunt, facile demonstratur, & talia sunt omnia documenta, ex quibus eruitur, quod exhibita Ordinario dispensatione super remotiori, & constito coram eodem de conjunctione etiam in gradu propinquiori; Pontifices dixerunt, dispensationem non fuisse subreptitiam, & sic Oratores esse dispensandos, ut Matrimonium contrahere possent, servata forma Concilii, prævia tamen declaratione ejusdem non obstare conjunctionem in gradu propinquiori; quid enim quæso ex hisce documentis argui valet, nisi quod, constito ante Matrimonium de conjunctione in gradu propinquiori, expediendæ sunt litteræ declaratoriæ, si non fuerunt una cum dispensatione expeditæ, quod utique admittitur, & est admittendum?

24. Rursus quod aliqua pugnent pro validitate Matrimonii, ponitur in claris, plura etenim, & plura tam antiqua, quam moderna a Dataria allata sunt exempla, in quibus post contractum Matrimonium prævia dispensatione super remotiori, reticito propinquiori, non fuit Oratoribus demandatum, ut Matrimonium inter se publice, servata forma Concilii, de novo contraherent, vel saltem, quod consensum renovarent, sed tantum, *quod in Matrimonio sic contracto libere, & licite remanere possent*; probant etenim hæc documenta Matrimonium fuisse habitum pro illicito, sed non pro invalido, si etenim invalidum fuisset, novus consensus fuisset necessarius, & fuisset præscriptus, sive ambo contrahentes ignorassent conjunctionem in propinquiori gradu, sive alter ignorasset, & alter sciviset, uti late probat *Claudius la Croix in Theolog. moral. tom.* 2. *lib.* 6. *part.* 3. *num.* 812. *& seqq. pag. mihi* 44.

25. Absque eo quod quidquam referat responsio ingeniose de more in discursu pro Dataria excitata, quod renovatio Consensus non requiritur in dispensationibus quæ fiunt in radice Matrimonii; scio quippe Summum Pontificem posse dispensare in radice Matrimonii, & revocare impedimentum dirimens Matrimonium, & simul, & semel abrogare legem Ecclesiasticam, quæ dictum statuit impedimentum, faciendo ut dispensatio retrotrahatur ad initium Matrimonii, & sic quod proles quoad omnes effectus legitima sit, & habeatur, juxta late deducta *in decis.* 1121. *coram Seraphin. in decis.* 19. *coram Ludovis. in decis.* 174. *post secundum volumen Consilior. Favinac.* Scio quoque controversum esse inter Doctores, an in hac dispensatione super radice Matrimonii novus requiratur consensus, uti videri potest apud *Sanchez de Matrim. lib.* 8. *disput.* 8. *num.* 25. & veriorem esse opinionem, quod nulla consensus renovatio in hisce circumstantiis sit necessaria, uti late probat *Rota dec.* 455. *num.* 11. *part.* 1. *recent.* At punctus est, an in relatis exemplis dici queat, Summum Pontificem dispensasse in radice Matrimonii, dispensatio hæc quippe prodest filiis natis, quoad omnes effectus spirituales, & quoad omnes effectus civiles directe in terris temporali Jurisdictioni Romani Pontificis subjectis, & indirecte in reliquo terrarum Orbe: *juxta celebre responsum Innoc. III. in cap. per Venerabilem, qui filii sint legitimi*: Cumque certum sit dispensationes has non nisi urgentibus gravissimis causis, & quidem raro concedi consuevisse a Summis Pontificibus, *Barbos. voto dec.* 27. *num.* 31. *lib.* 2. *Diana in edit. Coord. tom.* 3. *tract. prim. resolut.* 87. *num.* 6. sicuti imperceptibile est quod in tot exemplis relatis, in quibus non fuit præscripta renovatio consensus: *nec adhibitæ fuerunt formulæ, quæ adhibentur in dispensationibus in radice Matrimonii*, voluerint in dicta radice Pontifices dispensare, sic clarum est, ipsos nihil aliud facere voluisse, quam dispensare in Matrimonnio contracto prævia dispensatione super remotiori, & non obtentis litteris declaratoriis super propinquiori, exclusaque renovatione consensus, indicare voluisse, Matrimonium fuisse illicite, sed non invalide contractum.

26. Denique, quod nihil in contrarium adducatur directe percutiens controversiam, de qua nunc agitur, clarissime dignoscitur, in omnibus quippe exemplis, in quibus Sum. Pontifices absolverunt a pœnis incestus, prolem legitimam declararunt, & præscripserunt consensus renovationem, servata forma Concilii, Oratores supplicabant pro dispensatione, & sic se promptos ostendebant ad permanendum in Matrimonio, itaut mirum non sit, si supplicantibus iisdem pro absolutione a Censuris, pro legitimatione prolis, Summi Pontifices petitis ad abundantiam indulgendo, & absolverint a Censuris, & prolem legitimam declaraverint, & renovationem consensus præscripserint. At ab his argumentum deduci non potest ad declarationem nullitatis Matrimonii, ad hunc etenim effectum ostendendum esset, quod contrahentibus a Matrimonio recedere volentibus, & libertatem transeundi ad alia vota postulantibus Sedes Apostolica facultatem concessisset: cumque tale documentum non afferatur, sequitur non doceri de documento, quod faciat ad rem, & directe percutiat controversiam, de qua nunc agitur.

27. Exemplum esse potest in dispensationibus, quæ petentibus indulgentur ad cautelam, vel super irregularitatibus, vel super Censuris; quemadmodum enim ab hisce dispensationibus non valet argumentum ad incursum in irregularitatem, vel in Censuram, etiam in casu consimili, & vallato omnibus circumstantiis, quæ adfuerunt in casibus, in quibus dictæ dispensationes concessæ sunt, *quando formiter est disputandum an fuerit incursa irregularitas, vel Censura*, sic a verbis summorum Pontificum nullitatem Matrimonii supponentibus in hypothesi, in qua Oratores supplicabant, & prompti erant ad permanendum in matrimonio, non valet illatio ad positivam Matrimonii nullitatem, *quando formaliter super eadem quæstio instituitur.*

Atque hæc dicta sint sub Censura &c. salvo semper &c.

Post maturum igitur Causæ examen, responsum fuit *die* 28. *Martii* 1722. *non constare de nullitate Matrimonii, & quod Episcopus Conjugibus mandaret, ut continuarent in separatione, donec obtinerent litteras declaratorias, nempe Dispensationem suffragari, non obstante reticentia propinquioris Gradus.*

Moras nectente Joanne super expeditione litterarum, & Uxori alimenta non subministrante, Sacra hæc Congregatio querelas Constantiæ remisit ad Ordinarium, ut super utroque puncto procederet etiam auctoritate ipsius Sacræ Congregationis, relaxatoque per Ordinarium Mandato Executivo, & relaxatis ob non paritionem Censuris, deventum tandem fuit ad expeditionem litterarum, & novus a dicto Joanne habitus est recursus pro absolutione cum reincidentia, quæ eidem primo concessa fuit, & etiam subinde pluries prorogata, sed cum clausula *non retardata interim subministratione alimentorum*: Cumque alimenta numquam præstita fuerint sub obtentu Dotis non solutæ, necessarium tandem fuit devenire ad subscriptionem dubiorum, quæ ad calcem Restrictus referentur. Ordinarius alimenta taxavit in duobus millibus imperialibus annuis.

Quæritur igitur

I. An Comes Sapieka teneatur ad alimenta præstanda Principissæ Constantiæ Radzivillæ, & quatenus affirmative.

II. In qua summa illa debeantur.

Et responsum, fuit *dilata, & scribatur juxta Instructionem.*

Porro in executionem hujus rescripti datæ fuerunt litteræ tum ad Nuntium Apostolicum, tum ad Episcopum Lucæorien. in quibus dictum fuit, ut totis viribus curarent Conjugum reconciliationem, atque cohabitationem, & quod quatenus id obtineri non posset, referrent super quantitate Dotis Principissæ, quis sit ejus debitor, a quo bona pro dote assignata possideantur, & an adfuerint sævitiæ Mariti erga Uxorem.

Supervenerunt responsiones, & causa reproponitur. Unde quæritur.

I. An Comes Sapieka teneatur ad alimenta præstanda Principissæ Constantiæ Radzivillæ, & quatenus affirmative.

II. In qua summa illa debeantur.

Sacra Congr. die 17. Aprilis 1728. respondit.

Præfigatur a Domino Nuncio terminus ipsi bene visus tum Comiti pro recipienda Uxore una cum Dote, tum Principissæ pro accedendo una cum Dote, & cohabitando cum Viro, terminisque elapsis, certioretur de resultantibus.

QUÆSTIO CLXXXIV.

In Causa Cremonensi Collegiatæ, die 7. *Septembris* 1720.

QUATUOR Portionarii Parochi Ecclesiæ SS. Firmi, & Rustici Oppidi Caravaggi Diœcesis Cremonen. contendunt erectionem Ecclesiæ Parochialis SS. Firmi, & Rustici in Collegiatam nullatenus sustineri, cum facta fuerit auctoritate Ordinaria, quæ ad dictum effectum non sufficit, cum Apostolica requiratur, ut enim cætera prætereantur, disputato in hac Sac. Congregatione in quadam Causa Catanien. Erectionis Collegiatæ *prima Septembris* 1681. dubio, *an erectio Collegiatæ facta*

per Episcopum in actu visitationis in Ecclesia S. Antonii Oppidi S. Philippi de Argiro sustineretur, responsum fuit *negative*, cum aliis resolutionibus, & auctoritatibus collectis *apud R. P. D. Petram ad Constit. Apostolicas tomo 3. pag. 69.*

Absque eo quod urgere valeat, quod juxta antiquiorem opinionem, poterant Ordinarii devenire ad erectionem Ecclesiarum Collegiatarum, & quod ab hac opinione non est recedendum, quando agitur de Collegiatis erectis tempore quo prædicta opinio vigebat, *juxta decis.* 1084. *coram Emerix Juniore*, quandoquidem Ordinarius Cremonensis devenit ad erectionem Collegiatæ *die* 19. *Decembris* 1617. reservato expresse Beneplacito Apostolico, & cum clausula *nec aliaş aliter, nec alio modo*, quæ reservatio cessare facit propositam exceptionem.

Minusque refragante præsumptione obtenti deinde Apostolici Beneplaciti, quia Cardinalis Camporeus Episcopus Cremonæ *anno* 1637. terminum præfixit ad reportandum Apostolicum Beneplacitum, & præsumptio, quæ de jure communi pro Apostolico Beneplacito derivabat ex lapsu triginta, aut sexaginta annorum, sublata dicitur ex Constitutione Urbani VIII. edita *anno* 1641. quæ est *la* 159. *Bull. tom.*4. & quam per Compendium refert *Fagnan. in cap. Consuetudine n.* 60. *& seqq. de consuetudinibus*, in qua Constitutione centenaria tantummodo præservatur, uti habetur apud *Adden. ad Pansil. decis.* 153. *n.* 14.

Et quia Eminentissimus Dominus Cardinalis Imperialis, dum Legati de Latere munere fungebatur apud Cæsaream Majestatem, insignem declaravit dictam Collegiatam, respondetur a Portionariis, id non officere, ex quo non potest dici Insignis Collegiata, quæ non fuit legitime erecta.

His stantibus, quæritur

An sustineatur Erectio Collegiatæ SS. Firmi, & Rustici in Oppido Caravaggi Cremonen. Diœcesis in casu &c.

Sacra Congr. respondit,
Affirmative.

QUÆSTIO CLXXXV.

In Causa Lugdunensi Nullitatis Professionis, die 7. *Septembris* 1720.

FRATER Bruno Arnaux professionem Regularem emisit *die* 6. *Octobris* 1693. inter Carthusianos in Monasterio Montis Merulæ Diœcesis Lugdunen. cumque ab eodem subinde aufugisset, & recursum habuisset ad bon. mem. Illustrissimum Caracciolum Nuntium olim Apostolicum apud Helvetios, fuit ejus intercessione obtentum Breve a Sacra Pœnitentiaria, in quo fuit illi data facultas transeundi ad Religionem Canonicorum Regul. S. Augustini in Monasterio S. Mauritii apud Valesios. Prædictum Breve non habuit executionem; benevolum siquidem Receptum Orator invenire non potuit, tum propter ingravescentem ætatem, tum propter morbos, quibus affligitur, in quo rerum statu cum supplex accesserit ad Illustrissimum Firraum, qui nunc apud Helvetios Nuntium agit Sedis Apostolicæ, fuit ex ejus mandato confectus processus ab Officiali Bisuntino super prætensione nullitatis professionis a Fratre Brunone emissæ, uti dictum est, inter Carthusianos; non potuit enim fieri processus coram Ordinario, ex quo tutus non patet accessus memorato Fratri Brunoni in Gallias. Fuerunt in processu examinati Testes, deponentes de vi, & metu cadente, uti prætenditur, in constantem virum, ad effectum extorquendi professionem Religiosam, & inter Testes adest etiam Pater ipsius Fratris Brunonis, qui refert se dictum metum incussisse. Contenditur præterea professionis ratificationem ex actibus subsecutis nullatenus induci posse, ex quo gesta fuerunt, vivente Patre, & sic durante causa metus. Circumfertur scriptura per manus, & sic quæritur

An constet de nullitate professionis in casu &c.

Sacra Congr. respondit,
Negative.

QUÆSTIO CLXXXVI.

In Causa Turonensi, die 7. *Septembris* 1720.

MARIA Cardenoine Diœcesis Turonen. Matrimonium in facie Ecclesiæ contraxit cum Nobili Viro Michaele Despoi, pluribusque annis cum ipso cohabitavit, & liberos ex eo habuit, qui adhuc sunt in humanis.

Post lapsum nonnullorum annorum, Michael ingressus est Religionem Patrum Minimorum, expletoque novitiatu, professionem in ipsa emisit Regularem *die* 8. *Novembris* 1717. facto a Maria, quæ in sæculo remansit, voto simplicis Castitatis, Cumque eadem Sanctissimo Domino Nostro supplicaverit pro Viro vindicando, sub obtentu, quod est in juvenili ætate constituta, itaut continere non valeat, & quod invita, & reluctans fuit adducta ad consentiendum ingressui Viri in Religionem, & ad emittendum prædictum simplex votum Castitatis, fuerunt a Sanctitate Sua preces remissæ ad hanc Sacram Congregationem.

Fuit juxta morem exquisita informatio Procuratoris Generalis, qui retulit, primo sibi constare, Mulierem semper fuisse alienam a capto per ejus Virum consilio, secundo eam per injurias, & imperiosa verba fuisse adductam ad consentiendum, & ad emittendum simplex votum Castitatis, tertio eam esse in tali ætate constitutam, ut periculum incontinentiæ non sit exclusum, quarto Michaelem Virum professionem emisisse in Religione Minorum, in qua expleverat novitiatum, ne inconstans videretur, ut idem postea expresse confessus est, ultimo tandem expedire, ut ad suam redeat Uxorem, & ad onera Matrimonialia, & ad filiorum educationem, prævia tamen declaratione nullitatis professionis ab eodem emissæ.

Ad hoc, ut superstite adhuc Uxore, Maritus ingredi valeat Religionem, & in ea valide profiteri, requiritur, ut Mulier consentiat, & quod & ipsa Religionem ingrediatur, si est juvenis, vel si non caret periculo incontinentiæ, aut quod perpetuum continentiæ votum in sæculo emittat in manibus Ordinarii, si est senex, & extra periculum incontinentiæ, uti habetur in sacris Canonibus sub titulo *de conversione Conjugatorum*, & juxta resolutionem hujus Sacræ Congregationis *in Conversanen. dispensationis* 16. *Martii* 1675. *lib.* 29. *Decret.* & quando Mulier manens in sæculo emisit votum simplex continentiæ, sive deinde sit senex, & non suspecta de incontinentia, sive sit juvenis, & suspecta, non habet facultatem revocandi Virum a Monasterio; in dicto enim casu professio a Viro emissa valida est, uti probat Textus *in cap.* 1. *de conversione Conjugatorum*, ibidemque adnotavit *Fagnan. num.* 2. & late prosequuntur *Sanchez de Matrim. lib.* 7. *disput.* 33. *num.* 9. *Perez de Matrim. disput.* 58. *sect.* 4. *num.* 9. *Anaclet. ad citatum titulum decretalium de conversione Conjugatorum num.* 24. *Pirhing ad eundem titulum decretal.* §. 2. *num.* 13.

Adeoque solum Mariæ præsidium reponendum videtur in extorto ab ipsa consensu, & in voto simplici continentiæ eodem modo ab ipsa, uti dicitur emisso; si enim extorta fuerit per Virum ab Uxore licentia profitendi in Religione malis artibus, & per metum injustum professio sic emissa nulla est, & professus tenetur ad Uxorem redire, uti probat Textus *in cap. accedens de conversione Conjugatorum*, & in tantum *in cap. veniens eodem titulo*, Uxor quæ captiose, & dolose fuerat inducta ad suum assensum præstandum repellitur a viro vindicando, in quantum post ingressum viri in Monasterium, adulterium cum alio commiserat, uti bene ponderat *Abbas in dicto cap. veniens num.* 4. *de conversf. Conjugatorum*, & late prosequitur *Pirhing loco cit.* §. 4. *num.* 22. *& seqq.*

His stantibus, quæritur

An, & quomodo sit petitioni Mariæ annuendum.

Sacra Congr. respondit,
Dilata, & fiant probationes super metu.

QUÆSTIO CLXXXVII.

In Causa Neapolitana Matrimonii, die 1. *Octobris* 1720.

GERARDUS Brancaccius, qui Teresiam Brancacciam sibi fuisse in Uxorem a Carolo ejusdem Patre prædestinatam asserit in ultimo ipsius vitæ termino, quique ulterius asserit inter se, & prædictam Teresiam fuisse sponsalia contracta, contendit non esse in facto probatum, quod fuerit ab ipsa Teresia Matrimonium contractum cum Mathia Alexandro Miroballo, & quod quatenus constaret in facto prædictum Matrimonium fuisse contractum, non constaret tamen, quod fuerit in forma valida contractum, instando, quod Teresia, quæ, uti notum est EE. VV. est de præsenti in Monasterio S. Claræ, ad alium Monasterium transferatur, timet enim ne a Monialibus Monasterii Sanctæ Claræ seducta, iterum inducatur ad contrahendum in forma valida Matrimonium, quod in præteritum in forma invalida contraxit, quando nedum a jure positivo, sed a jure naturali descendit libertas in contrahendo Matrimonio.

Quoad monumenta facti, & momenta rationum, quæ assistere possunt, aut Gerardo contendenti nullitatem Matrimonii, aut Mathiæ ejus validitatem sustinenti, debebunt EE. VV. sua consueta benignitate habere Secretarium pro excusato, si a prædictarum rerum abstinet expositione; pro parte etenim Mathiæ, ad quem pertinet onus probandi, nullum documentum fuit in Secretaria exhibitum, nec factum cum Summario, contra edictum hujus Sacræ Congregationis impressum in parvo Bullario sanctæ memoriæ Innocentii XII. pag. 244. ita ut Causa non fuisset ab eodem Secretario in folio descripta, nisi præcessisset imperium EE. VV. & nisi periculum fuisset in mora.

Porro id solum, quod exponi potest, quodque ex supplicibus libellis huic Sacræ Congregationi sæpius exhibitis super collocatione Teresiæ in uno potius, quam in alio Monasterio Civitatis Neapolitanæ, deduci potest, est, quod Matrimonium, quod ab ipsa dicitur contractum cum Mathia coram Parocho Braciliani Diœcesis Salernitanæ per Procuratorem a se constitutum, fuit Matrimonium contractum inter impuberes, cum Teresia esset in ætate annorum undecim, & mensium duorum, vel trium, & Mathias esset in ætate annorum tresdecim, & novem mensium, quando in fœmina pro contrahendo Matrimonio necessaria est ætas annorum duodecim, uti habetur *in cap. Continebatur de desponsat. Impuberum*, & quando in Viro necessaria est ætas annorum quatuordecim, uti habetur *in cap. Attestationes*, *& in cap. Ex litteris eodem titulo*, itaut ætas prædicta tam in viro, quam in fœmina debeat esse completa, uti colligitur ex allegatis juribus, & ad summum valeat Matrimonium, si ultima dies anni duodecimi in fœmina, & decimiquarti in viro sit incepta, juxta late firmata per *Sanchez de Matrim. lib.* 7. *disput.* 104. *num.* 2. *&* 3. nisi tamen impuberes talis essent indolis, ut in illis malitia suppleret ætatem, uti definitur *in cap. de illis il secondo*, *in cap. Puberes*, *& in cap. finali de desponsat. Impuberum*, & bene explicat *Divus Thomas in* 4. *sententiar. dist.* 36. *quæst. unica art.* 5. ibi: *Matrimonium cum fiat per modum contractus, subjacere dispositioni legis positivæ, unde secundum jura determinatum esse, ut ante illud tempus discretionis, quo uterque possit de matrimonio sufficienter deliberare, & debitum sibi invicem reddere, matrimonia non contrahantur, & aliter facta dirimantur, hoc autem tempus, ut in pluribus esse in masculis in quartodecimo anno, & in fœmina in duodecimo. Sed quia præcepta juris positivi sequuntur id, quod est in pluribus, idcirco matrimonium valide contrahi, si aliquis ad perfectionem debitam ante tempus prædictum perveniat, itaut vigor naturæ, & rationis defectum ætatis suppleat.*

Quæritur itaque, an casus, de quo nunc agitur, sit in terminis regulæ, vel limitationis, & sic decernere dignabuntur

I. An constet de Matrimonio, & quatenus affirmative.
II. An constet de ejus validitate, vel nullitate in casu.

Sacra Congr. respondit
Dilata, & fiat processus coram Nuntio, juxta Institutionem, & ad mentem.

QUÆSTIO CLXXXVIII.

In Causa Vercellensi Residentiæ, die 1. *Octobris* 1720.

EXtat in Cathedrali Ecclesia Vercellen. Collegium duodecim Beneficiatorum, qui continuo tenentur Ecclesiæ inservire cum cantu Gregoriano in diebus ferialibus, & cum figurato in festivis, & solemnibus.

Ad titulum horum Beneficiorum, ob penuriam Presbyterorum, qui musicam callerent, fuerunt alias ad Sacros Ordines promoti Joannes Baptista Baracca, & Joannes Baptista Bonadellus, qui paulo post, Ecclesia derelicta, ad alias se contulerunt regiones; primus enim, post lustratam sine habitu Clericali totam pene Italiam, a biennio, & ultra Venetiis residens, Theatris publicis operas suas locavit, & alter post præstitam anno 1695. similem operam in Theatro Laudæ, ab inde citra Patavii moratus est.

Ad consulendum detrimento servitii Ecclesiæ, & ad occurrendum scandalo publico, Capitulum Cathedralis Ecclesiæ Vercellen. declarari supplicavit, quod dicti absentes ex causa omnino illicita, atque Ordini Sacerdotali injuriosa pœnas incurrissent privationis Beneficiorum, propositisque in hac Sacra Congregatione *die* 15. *Decembris* 1696. binis sequentibus dubiis; Primo: *An esset locus privationi Beneficiorum in casu &c. & quatenus negative &c.* Secundo: *An, & qua pœna esset procedendum contra hujusmodi Beneficiatos?* Responsum fuit, *esse locum privationi ad formam Sacri Concilii, & Sacrorum Canonum.*

Ab anno 1696. usque in præsens multi alii casus contigerunt, in quibus Beneficiati se ab Ecclesiæ servitio fecerunt absentes; cumque a Capitulo novæ preces fuerint huic Sacræ Congregationi exhibitæ, in quibus petebatur, quod ad coercendam hanc Beneficiatorum absentiam, adversus absentes statim procedi posset ad pœnam privationis, utpote adversus ipsos ipso jure in Statuto impositam, nisi causa absentiæ fuisset a Capitulo approbata, dictum fuit, quod Causa proponeretur in folio, citatis dictis Beneficiatis.

Porro Beneficiati Cathedralis Ecclesiæ Vercellen. ultro admittunt, quod procedatur adversus absentes, sed ad formam Concilii, & Sacrorum Canonum, juxta ea, quæ fuerunt resoluta ab hac Sacra Congregatione *die* 15. *Decembris* 1696. uti supra dictum fuit.

Absque eo quod vindicare valeat locum adversus absentes pœna privationis ipso jure inflicta, uti contenditur a Capitulo; tum quia Sacrum Concilium Tridentinum *sess.* 24. *cap.* 12. *de Reform.* præscripsit, quid in primo anno, quid in secundo, & quid in tertio absentiæ fieri debeat, quæ trium annorum dilatio pœnæ privationis ipso jure incurrendæ adversatur, tum quia Statutum, ex quo hæc pœna desumitur, non fuit a Sede Apostolica confirmatum, nec fuit unquam usu receptum, nec Beneficiati eidem subjecti dici possunt, ex quo facultas Canonicis concessa in erectione Collegii Beneficiatorum auctoritatem importat Ordinationes, & Statuta faciendi, quibus essent Beneficiati subjecti, sed in his, quæ directionem Chori, & Divinorum Officiorum celebrationem respiciunt.

Capitulum e contra præmittit, quod in tantum ab hac Sacra Congregatione *die* 15. *Decembris* 1696. resolutum fuit, quod adversus Beneficiatos absentes non procederetur ad privationem Beneficiorum absolute, & simpliciter, sed ad tramites tantum Sac. Concilii Tridentini, & Sacrorum Canonum, in quantum non fuit Sac. Congregat. expositum, quod in Statuto inflicta erat Beneficiatis pœna privationis ipso jure in casu absentiæ sine causa a Capitulo approbanda, asserendo, quod si prædicta Statuti circumstantia fuisset exposita, Sacra Congregatio respondisset, quod procederetur adversus absentes ad formam Statuti, simili modo quo, cum in materia residentiæ Canonicorum Vercellensium, Episcopus decrevisset eam esse peragendam ad formam Sacri Concilii Tridentini, & non consuetudinis, & Statutorum, Sacra Congregatio *die* 2. *Augusti* 1670. cui antiqua consuetudo, una cum Statutis fuit exposita, respondit: *Consuetudinem esse servandam ad formam Statutorum.*

Hoc præmisso, Capitulum subdit debere esse locum privationi ipso jure adversus absentes, nisi absentiæ causa fuerit a se approbata, cum id fuerit præscriptum in Statuto, condito anno 1586. & cum in Erectione Collegii Beneficiatorum, secuta anno 1581. fuerit ipsis demandatum in Bulla Apostolica, quod parerent Constitutionibus, Ordinationibus, & Statutis tam factis, quam faciendis ab ipso Capitulo.

Nec Canonici putant id Sacro Concilio Tridentino adversuri, tum quia valent Statuta circa privationem ipso jure ob non residentiam, juxta *Abbatem in cap. Quoniam* §. *Porro num.* 11. *ut lite non contestata*, & multo magis, quando expectatio triennalis tantum abest, quod absentes coerceat, quod, experientia Teste, constat, nihil ad dictum effectum prodesse; Tum quia Conciliaris dispositio, quæ procedit in Canonicis, & Beneficiatis, non videtur applicabilis hypothesi præsenti, in qua agitur de Beneficiatis Musicis, ex quorum absentia contingit, quod Ecclesia careat musica; Musica etenim, seu Cantus figuratus ex pluribus vocibus componitur, & si aliquæ desunt, musica haberi non potest; & tandem quia Statutum adeo laudabile esse videtur, ut Apostoli-

stolicam mereatur confirmationem, pro qua obtinenda Capitulum enixe supplicat.

Quæritur ergo

An, & quomodo sit procedendum adversus Beneficiatos non residentes in casu &c.

Sacra Congr. respondit

Procedendum adversus non residentes ad tramites Concilii Tridentini, & quoad Beneficiatos in Theatris canentes Ordinarius nomine Sac. Congregationis imponat pœnam privationis eisdem.

QUÆSTIO CLXXXIX.

In Causa Oriolensi Canonicatus Pœnitentiarii, die 1. Octobris 1720.

POST multas lites inter Episcopum, & Canonicos Oriolen. in Sacra Rota antiquo tempore discussas, super jure conferendi Dignitates, Canonicatus, & alia Beneficia Ecclesiæ Cathedralis, anno tandem 1588. deventum fuit ad transactionem, quæ fuit etiam a Summo Pontifice Sixto Quinto confirmata, & in ea conventum fuit, quod Dignitates, Canonicatus, & alia Beneficia dictæ Ecclesiæ alternative conferrentur, prima nempe vice ab Episcopo, & secunda a Canonicis, & Capitulo, exceptis tamen duobus Canonicatibus, Pœnitentiario videlicet, & Prædicatorio ad noviter conversos, primi etenim reservata fuit collatio ad formam Concilii plenariæ Episcopi dispositioni, & secundi, plenariæ dispositioni Capituli.

Anno 1622. san. mem. Gregorius XV. instantibus Philippo IV. Hispaniarum Rege, & omnibus Regnorum Hispaniæ Capitulis, per viam Constitutionis, & expresse derogando dispositioni Conciliorum Generalium, & signanter Tridentini super absoluta pertinentia ad Episcopos conferendi Canonicatus Pœnitentiarios, decrevit, quod in omnibus Hispaniarum Ecclesiis collatio Canonicatus Pœnitentiarii unitim spectaret ad Episcopos, & Capitulum, propositis nempe in singulis vacationibus edictis, & examine peracto, & prælectis magis habilibus, & idoneis, qui tales habiti essent judicio Episcoporum, & Capitulorum.

Ex hac Constitutione Pontificia, nova exorta est controversia inter Episcopum, & Capitulum Oriolen. asseruit etenim Episcopus servandam esse, non obstante Gregoriana Constitutione, transactionem uti consonam Tridentino, & a Sixto Quinto confirmatam, & e contra Capitulum excepit, transactionem fuisse a posteriori Pontificia Constitutione sublatam; cumque Canonicatus Pœnitentiarius vacasset anno 1659. & tunc Sedes Episcopalis esset Pastore viduata, facta fuit a Capitulo collatio Canonicatus, sed sequuta anno 1686. altera ejusdem Canonicatus vacatione, facta fuit ab Episcopo collatio; cumque tunc Capitulum protestationem emisisset, quod per dictam collationem nullum jus acquisitum Episcopo intelligeretur, communi calculo conventum fuit, ut pro futuris vacationibus sensus exquireretur hujus Sacræ Congregationis circa modum, & jus conferendi Canonicatum Pœnitentiarium, Partesque promiserunt se ab oraculo hujus Sacræ Congregationis non esse discessuras.

In hujus promissionis executionem subscriptum fuit dubium ad calcem hujus restrictus referendum, & circumfertur scriptura, in qua, præmisso nullam adesse posse dubitationem circa observantiam Bullæ Gregorianæ, cum ad ejus tramites pluries Rota de collatione Canonicatuum Pœnitentiariorum tulerit judicium, uti habetur *in decis.* 26. *num.* 53. *coram Cerro*, *& in decis.* 77. *decis.* 104. *decis.* 134. *decis.* 177. *coram Emerix Seniore*, *& decis.* 755. *coram Emerix Juniore*, nec non circa comprehensionem Ecclesiæ Oriolensis, ex quo Constitutio lata fuit pro omnibus Ecclesiis Regnorum Hispaniæ, juxta *discursum* 29. *n.* 4. *Card. de Luca de benef.* dicitur fuisse transactioni a dicta Constitutione derogatum; si enim Constitutio derogavit Concilio Tridentino, cujus dispositioni transactio est uniformis, & ulterius, si eadem Constitutio derogavit Statutis, Ordinationibus Ecclesiarum licet juramento vallatis, & auctoritate Apostolica roboratis, nec non consuetudinibus, & ceteris aliis quibuscunque in contrarium facientibus, derogasse etiam dicenda est transactioni, licet a Sixto Papa Quinto confirmatæ.

His stantibus, quæritur

An in futuris vacationibus Canonicatus Pœnitentiarii Ecclesiæ Cathedralis Oriolen. servanda sit Constitutio san. mem. Gregorii XV. emanat. nonis Novembris 1622. quoad Concursum, & electionem faciendam junctim ab Episcopo, & Capitulo, vel potius obstet Concordia anni 1588. super alternativa inter Episcopum, & Capitulum confirmata in forma specifica de anno 1590. sub san. mem. Sixto V. per litteras Apostolicas in forma Rationi congruit, expeditas sub san. mem. Gregorio XIII.

Sacra Congr. die 16. Novembris 1720. respondit

Ad primam dubii partem affirmative; Ad secundam negative.

QUÆSTIO CXC.

In Causa Coloniensi, die 16. Novembris 1720.

ARCHIEPISCOPUS, & Elector Coloniæ in quodam suo edicto, quod publicavit *die* 26. *Maii* 1715. nonnullos Casus reservavit, seu magis apte loquendo, declarationem fecit nonnullorum Casuum, qui in sua Archidiœceli erant reservati, & inter cætera addidit, *& quoniam in postrema Synodo hujus Archidiœcesis exceptio confessionis complicis sub pœna suspensionis ipso facto incurrenda dumtaxat, & absque ulteriori reservatione prohibita est, & viciniores Archidiœceses illud peccatum reservatis annumerant; Nos pro hac Archidiœcesi nostra jam dictum Synodale decretum interpretando, moderando, eidemque addendo, statuimus complicem criminis carnalis externi mortaliter peccaminosi, extra mortis periculum a Confessario complici ab eodem peccato carnali sacramentaliter absolvi non posse jurisdictione cuilibet tali, quoad hoc, licet in approbationibus hucusque expeditis concessa fuerit, a tempore harum publicationis per nos prorsus adempta*; cumque Regulares prætendant se habere facultatem absolvendi a prædictis Casibus reservatis, & Regulares Confessarii Monialium sibi subjectarum contendant se esse a dictis reservationibus exemptos, & se per consequens easdem Moniales absolvere posse, prædictus Archiepiscopus, & Elector Sanctissimo Domino Nostro supplicavit pro declaratione, quod Regulares absolvere nequeant a Casibus in sua Diœcesi reservatis, & quod ab iisdem Casibus Confessarii Regulares Monialium eas absolvere non possint, licet ab Ordinarii Jurisdictione exemptas, & sibi subjectas.

Quoad Fratres Prædicatores, & Minores, Constitutiones adsunt Benedicti Undecimi, & Clementis Quinti, in quibus iisdem prohibetur absolvere a Casibus Episcopo reservatis, uti habetur *in cap.* 1. *de Privilegiis inter Extravag. commun, & in Clementina Dudum* §. *Per hujusmodi, ibique glossa in verbo concessa tit. de Sepulturis, & in Clementina Religiosi* §. *Quibus de Privileg. & Excess. Privileg.*

Concilium ipsum Tridentinum *sess.* 14. *cap.* 7. *de Pœnitentia* postquam pluribus firmavit potestatem Ordinariorum in Casibus reservandis, excepto mortis articulo, inquit, quod extra dictum articulum Sacerdotes nihil possunt in Casibus reservatis, sed quod debent pœnitentibus persuadere, ut ad Superiores, & legitimos Judices pro beneficio absolutionis accedant. Cumque Regulares sub obtentu suorum Privilegiorum, quorum confirmationem post Concilium Tridentinum obtinuerant, affererent se potiri facultate absolvendi a Casibus Episcopo reservatis, Sacra Congregatio Episcoporum, & Regularium, accedente Summi Pontificis Clementis Octavi auctoritate, *anno* 1601. *& anno* 1602. declaravit eosdem dicta non potiri facultate, derogando omnibus Constitutionibus, & Privilegiis, quæ in contrarium facere possent; Et hæc Decreta fuerunt *anno* 1617. ab eadem Congregatione, annuente Paulo Papa Quinto, confirmata, una cum declaratione, quod sicuti non poterant Regulares absolvere a Casibus Episcopo reservatis, sic nec possent a Censuris Episcopo pariter reservatis absolvere, uti seriem horum Decretorum per extensum referendo, prosequitur *Donat. rer. Regul. tom.* 2. *tract.* 11. *quæst.* 17.

In primo Decreto edito *anno* 1601. juxta ea, quæ in superioribus dicta sunt, mentio facta fuerat Regularium *per universam Italiam, & extra Urbem degentium*, excitataque proinde controversia, an sub dictis Decretis comprehensi dici deberent Regulares *extra Italiam degentes*, eadem Congregatio Episcoporum, & Regularium *die* 17. *Novembris* 1628. annuente Summo Pontifice Urbano Octavo, recensita decreta innovavit, exprimendo Regulares *tam intra, quam extra Italiam degentes*, uti colligi potest ex Decreto impresso apud *Pac. Jordan. lucubrat. tom.* 1. *lib.* 3. *tit.* 4. *de Sacram. Pœnitent. num.* 10. Cohærenter ad tot repetita decreta datæ fuerunt ab eadem Sacra Congregatione Episcoporum, & Regularium *die* 10. *Decembris* 1647. litteræ ad Archiepiscopum Neapolitanum, post rem Summo Pontifici Innocentio X. relatam, uti habetur ex dictis litteris impressis apud *Laurent. de Franchis de controvers. inter Episcopos, & Regulares num.* 1461. quodque notabilius est inter Propositiones damnatas die 24. Septemb. 1665. a Summo Pontifice Alexandro VII. hæc habetur: *Mendicantes possunt absolvere a Casibus Episcopo reservatis non obtenta ad id Episcoporum facultate*: & concordat Constitutio Clementis X. *edita anno* 1670. quæ est septima inter illas hujus Pontificis §. 6. *& 7. Bull. tom.* 6. ubi additur, quod habentes facultatem absolvendi ab omnibus casibus Sedi Apostolicæ reservatis, non ideo absolvere possunt a casibus, qui sunt Episcopo reservati, & relative ad hanc Constitutionem prodierunt Resolutiones hujus Sacræ Congregationis *in Andrien.* 29. *Novemb.* 1710. *lib.* 60. *Decretorum, & in eadem* 24. *Januarii* 1711. *lib.* 61. *Decretorum.*

Transeundo ad Moniales, & earum Confessarios; si Moniales sunt subjectæ Episcopo, nonnulli censent ipsas non esse sub casuum reservatione comprehensas, nisi fuerint specialiter nominatæ, *Cespedes de exempt. Regul. cap.* 23. *dub.* 357. *num.* 2. *& 3.* At alii magis communiter volunt Moniales Episcopo subjectas esse comprehensas in Casibus, & Censuris, quas Ordinarius sibi generaliter reservavit, *Donat. in Praxi rer. Regul. tom.* 4. *tract.* 13. *quæst.* 34. *Pellizzar. de Monialibus cap.* 10. *sect.* 1. *subsect.* 2. *sub num.* 49. *Clericat. decis.* 41. *sub num.* 13. *de Pœnitentia*. Si Moniales vero sunt exemptæ ab Ordinario, sed immediate subjectæ Sedi Apostolicæ, tunc quia earum Monasteria gubernanda sunt ab Episcopis tanquam Delegatis Sedis Apostolicæ *juxta sess.* 25. *cap.* 3. *de Regularibus*, eædem utique remanebunt subjectæ casibus ab Episcopo reservatis, dictorumque casuum absolutio, vel ab Episcopo, vel a Confessario facultatem habente a reservatis absolvendi videtur, quod debeat obtinere, uti prosequitur *Clericat. decis.* 42. *num.* 6. *de pœnitentia*. Quod si Moniales sunt ab Ordinario exemptæ, & non immediate subjectæ Sedi Apostolicæ, sed Prælatis Regularibus, licet Confessarii quomodocunque exempti, tam Ordinarii, quam Extraordinarii excipere non possint confessiones Monialium suæ Religioni subjectarum, nisi prius fuerint ab Episcopo approbati, *juxta Constit.* 18. *Gregorii XV. Bull.* §. 5. *tom.* 4. sequens tamen quoad casuum reservatorum absolutionem sibi videtur distinctio locum posse vindicare; Aut agitur de casibus reservatis ab ipsis Superioribus Regularibus ad terminos Decreti Clementis Octavi *post Constitutionem* 26. *inter illas Urbani Octavi Bullar. tom.* 4. Cumque ejus sit absolvere, cujus est ligare, non possunt Monialium Confessarii absolvere, nisi obtenta a Prælatis Regularibus facultate, uti late ostendunt *Lezana tom.* 5. *ad Maremagnum Minorum num.* 113. *& 114. Clericat. in allegata decis.* 42. *sub num.* 6. *de pœnitentia*. Aut agitur de casibus ab Episcopo reservatis, sed non in ordine ad easdem Moniales, cumque in præsenti sermo sit de Monialibus ipsis Regularibus subjectis, possunt eædem absolvi per suos Confessarios a casibus Episcopo modo prædicto reservatis, uti prosequitur *Pellizzar. in Manual. Regul. tom.* 1. *tract.* 6. *cap.* 2. *num.* 112. aut demum agitur de casibus ab Episcopo specialiter reservatis, quod Moniales, & in materia spectante ad jurisdictionem delegatam sibi in Monasteriis Monialium licet exemptis competentem, vel in sequelam *sess.* 25. *cap.* 5. *de Regular. & Monial.* vel in sequelam Bullæ allegatæ Gregorii XV. *quæ est* 18. *Bull. tom.* 4. & in hac facti specie nequeunt Confessarii easdem absolvere, nisi habita ab Episcopo facultate, *Cespedes de exempt. Regular. cap.* 23. *dub.* 357. *num.* 4. *Pellizzar. de Monial. cap.* 10. *sect.* 1. *subsect.* 2. *num.* 48. *Clericat. decis.* 42. *sub num.* 6. *de pœnitent. Donat. in praxi rer. Regul. tom.* 4. *tract.* 13. *quæst.* 33. *per totam*.

Hæc sunt, quæ ad hujus Instantiæ, quæ proponitur, declarationem, & in qua nullus scribit, potui in obsequium Eminentissimorum Patrum colligere; Adeoque quæritur

I. An Confessarii Regulares possint Sæculares extra mortis periculum absolvere a casibus Ordinario reservatis in casu &c.

II. An Confessarii Monialium exemptarum, & Prælatis Regularium subjectarum possint easdem etiam extra mortis periculum absolvere a casibus Episcopo reservatis in casu &c.

III. An supposito edicto supra recensito Confessarius Regularis extra mortis periculum absolvere possit Sæcularem complicem criminis carnalis externi mortaliter peccaminosi secum commissi in casu &c.

IV. An supposito pariter eodem edicto Confessarius Regularis Monialium exemptarum absolvere possit Monialem complicem criminis carnalis externi mortaliter peccaminosi secum commissi in casu &c.

Sacra Congr. respondit

Ad Primum negative. Ad Secundum affirmative, præterquam quoad Casus, quos Episcopus sibi reservaverit in materia clare spectante ad Jurisdictionem delegatam. Ad Tertium negative. Ad Quartum affirmative, quatenus non sit violata Clausura.

QUÆSTIO CXCI.

In Causa Taurinensi Matrimonii, die 16. Novembris 1720.

ANNO 1696. Joseph Castagnerius Miles in Terra Demontii Taurinen. Diœcesis, dum Milites Pedemontani, vulgo *Focilieri*, in eadem permanebant, matrimonium per verba de præsenti contraxit cum Constantia Borella coram Patre Hieronymo ex familia Minorum Observantium exercitus Cappellano.

Per annum circiter Conjuges insimul cohabitarunt, sed cum Joseph Militaria subinde signa sequutus, ab Uxore diverterit, ad Civitatem tandem rediit Taurini anno 1713. in qua cum Constantiam invenisset, ipsam in jus vocavit in Curia Archiepiscopali, prætendendo matrimonii nullitatem.

Joseph itaque formiter, præviisque interrogatoriis examinatus, confessus est se anno 1695. matrimonium cum Constantia contraxisse, & cum eadem habitasse per annum, sed matrimonium esse nullum, utpote contractum coram Religioso Cappellano Exercitus, qui facultatem non habebat ex se matrimonio interessendi, quique licentiam a Parocho ad dictum effectum non reportaverat, & e contra Constantia excepit matrimonium fuisse quidem contractum coram Cappellano Exercitus, sed eum a suo Parocho Terræ Demontii facultatem obtinuisse.

Hæc in Curia Archiepiscopali Taurinensi fuerunt allegata anno 1713. Cumque a dicto tempore usque ad annum 1719. nullum amplius fuerit motum verbum de matrimonii nullitate, controversia anno 1719. coram Vicario Capitulari fuit iterum excitata, & ad sequentes probationes deventum est.

Ad effectum suadendi nullam interfuisse Parochi licentiam, fuerunt a Josepho productæ attestationes Vicarii primum, & Secretarii Mensæ Archidiaconalis, qui, pervolutis scripturis, deponit non reperiri facultatem datam a Parocho Terræ Demontii Patri Hieronymo, ut matrimonio, de quo nunc agitur, assisteret, Parochi insuper viventis ejusdem Terræ Demontii, qui recognitis libris Parochialibus, inquit, matrimonium non esse in illis adnotatum, Fratris demum Caroli Francisci Superioris Patrum Cappuccinorum, qui inquit se perlegisse scripturas sui Conventus, in cujus Ecclesia fuit celebratum matrimonium, nec non alias a Patre Hieronymo relictas, nec ex illis ullam resultare matrimonii mentionem.

Ex quibus infert Joseph de nullitate matrimonii non esse dubitandum, cum Cappellani Castrenses, citra facultatem Sedis Apostolicæ, aut Parochi, vel Ordinarii licentiam, matrimoniis nequeant interesse, juxta Resolutiones hujus Sacræ Congregationis impressas *apud Patrem Schiavam in addit. ad suam Theologiam Bellicam fol.* 139. *& fol.* 140.

Ut vero Constantia interventum licentiæ Parochi suaderet, plerosque Testes formiter examinari curavit, utpote bene conscia, matrimonium posse ex Testibus probari, licet illud non fuerit a Parocho in libris Parochialibus descriptum, & Parochi licentiam per æquipollentes probationes, & per Testes posse demonstrari, *juxta decis.* 301. *num.* 5. *par.* 11. *recent. & juxta decis.* 451. *& 471. coram Emerix Juniore*.

Hinc deveniendo ad Testes a Constantia productos, primus, qui est ejusdem Frater, deponit, se ab Antonio Patre, & ab aliis audivisse fuisse a Parocho datam Religioso licentiam assistendi matrimonio. Secundus, qui est pariter ejusdem Frater, de eadem licentia præbet testimonium, addendo, quod a communi Genitore fuit Parocho oblata quædam portio casei, & butiri pro dicta licentia obtinenda. Tertius eandem refert cum memorata circumstantia concessionem licentiæ, & subdit se fuisse præsentem uni ex denunciationibus Matrimonii, quæ facta fuit in Ecclesia. Quartus inquit, se propriis auribus primam audivisse denunciationem, & tunc in sua domo publi-

publice dictum fuisse, quod licentia fuerat Religioso a Parocho data. Quintus ait, se matrimonio in Ecclesia contracto interfuisse, & aliquod temporis intervallum præteriisse ante accessum ad Ecclesiam, ex quo Pater Constantiæ Parochum adivit, ut ab eo licentiam impetraret; & sextus, qui erat Miles una cum Joseph, inquit se ipsum audivisse proprio ore narrantem, quod matrimonium fuerat coram Cappellano Exercitus contractum, sed prævia Parochi licentia.

Præter sex Testes, de quibus hucusque fermo habitus est, alii quinque fuerunt sub variis interrogatoriis instante Constantia examinati. Primus autem refert, Patrem Hieronymum aliis interfuisse Matrimoniis, asserendo se habuisse a Parocho licentiam. Tertius ait, Parochum consuevisse Religiosos admittere ad præstandam matrimoniis assistentiam. Quartus testatur se fuisse præsentem quando Cappellanus postulavit a Parocho facultatem interessendi alteri matrimonio, quod fuit contractum inter Jacobum Pronum, & quendam Mulierem exteram. Alii duo afferunt se credere non posse, ut Cappellanus voluerit sine debita Parochi licentia matrimonio interesse, & primus, secundus, tertius, & quartus testimonium reddunt, publicatum fuisse matrimonium in Terra Demontii statim ac contractum fuit, & Parochum nullatenus reclamasse.

Et ex his simul junctis Constantia concludit non esse de licentia dubitandum.

Hæc sunt, quæ continentur in actis a Vicario Capitulari transmissis, quæ operæ pretium esse censui summatim exponere, cum nullus sit, qui in Causa scribat, Vir etenim, & Mulier paupertate laborant, & Mulier personaliter accessit ad Urbem pro obtinenda declaratione validitatis sui matrimonii.

Adeoque nunc quæritur

An constet de validitate matrimonii inter Joseph, & Constantiam contracti in casu &c.

Sacra Congr. respondit
Non constare de nullitate Matrimonii.

QUÆSTIO CXCII.

In Causa Romana Indulti, die 16. Novembris 1720.

EMINENTISSIMUS Dominus Cardinalis Marescottus anno 1717. translationem fecit pensionis, quæ sibi fuerat in majori summa reservata, favore Galeatii Tursi pro quantitate scutorum 30. annuorum; cumque subinde prædictus Galeatius fuerit a Sanctissimo Domino Nostro adscriptus inter Equites levis armaturæ, & ulterius cogitaverit de contrahendo matrimonio, indultum anno 1718. obtinuit retinendi prædictam pensionem, etiamsi Castra sequeretur, & non incederet in habitu, & tonsura, & matrimonium contraheret cum qualibet muliere etiam vidua.

In Indulto mox memorato non fuit facta mentio, quod Galeatius, tempore intermedio, hoc est a translatione pensionis ad ejusdem Indulti concessionem fuerat adscriptus inter Equites levis armaturæ; cumque Galeatius, uti Vir probus, se abstinuerit ab exactione pensionis, & Sanctissimo Domino Nostro supplicaverit pro concessione Brevis declaratorii, & quatenus opus esset, pro gratia *perinde valere*, & a Sanctitate Sua fuerint preces remissæ ad hanc Sacram Congregationem, fuerunt eædem alias perlectæ inter simplices restrictus, & emanavit responsum, *quod Causa proponeretur in folio.*

Ad tramites hujus responsi, subscripta fuerunt dubia infra recensenda; cumque tres sint dubiorum partes, an scilicet officium Equitis levis armaturæ obstet retentioni pensionis Ecclesiasticæ, an in hypothesi, in qua obstet Indultum jam obtentum suffragetur Galeatio, & an denique in omnem durissimum casum esse valeat locus gratiæ *perinde valere*, de unaquaque parte opus est brevem habere sermonem.

Quoad primam itaque contendit Galeatius, quod officium Equitis levis armaturæ non obstet retentioni pensionis Ecclesiasticæ, quidquid enim sit, an regula generalis adstruens incompatibilitatem inter Militiam, & Clericatum, & sic inter Militiam, & pensionem Ecclesiasticam, non obstante quod Miles se in sævis non exercuerit, & licet non fuerit monitus, procedat in Militibus tantum Principum sæcularium, vel etiam se extendat ad Milites Summi Pontificis, qua in re negative respondet *Cardinalis de Luca de pensionibus disc. 46. num. 8. & seqq.* & affirmativam sustinet opinionem *Rocca disputationum Juris cap. 191. n. 25. & seqq.* quam etiam amplexa est *Rota decis. 69. dec. 216. coram Card. Celso, & in earum confirmatoria 1. Julii 1665. coram bon. mem. Albergato, & novissime in Perusina Pensionis 11. Maii 1716. per totam coram R. P. D. de Herrera.*

Aliud tamen subditur esse dicendum in terminis Equitum levis armaturæ, qui non sunt instituti ad pugnandum, sed ad simplicem custodiam Corporis Pontificii, quique idcirco in litteris patentalibus appellantur: *Gentiluomini delle Guardie di Nostro Signore.*

Exemplo deducto ab Officio Capitis Regionis Urbis Romæ, quod non est incompatibile cum Clericatu, nec cum pensionibus Ecclesiasticis, ex quo dictum Officium versatur circa custodiam Civitatis, nec est institutum ad bellandum, uti habetur *in decis. 13. post Constantin. ad Statutum Urbis, & in ejus confirmatoria 12. Februarii 1694. §. finali coram bon. mem. Pio.*

Absque eo quod quidquam referat, quod Sacra hæc Congregatio anno 1693. dispensationem consuluerit esse bon. mem. Jacobo Sorbolongo dandam, ut Pensiones retinere posset cum Officio Vexilliferi Equitum levis armaturæ Summi Pontificis, quo Sacræ Congregationis rescripto *Rota in allegata Perusina Pensionis coram R. P. D. de Herrera*, usa est ad effectum suadendi incompatibilitatem Clericatus Beneficii, & Pensionis cum quacunque Militia, etiamsi illa sit Militia Summi Pontificis, cum hæc responsio referatur ad petitionem Sorbolonghi; qui instantiam promovit pro dispensatione, & insistere noluit juris dispositioni.

Transeundo ad secundam partem, contendit Galeatius, quod Indultum obtentum sibi suffragetur ad effectum retinendi Pensionem; si etenim Indultum obtentum respicit statum veræ, & propriæ Militiæ, nec non statum conjugalem, ex verosimili utique concedentis intentione comprehendere dicendum est casum, de quo nunc agitur, impropriæ videlicet Militiæ, & multo magis cum fuerit concessum paulo post obtentum Officium Equitis levis armaturæ, & in specie pro retinenda Pensione ad sui favorem translata ab Eminentiss. Card. Marescotto.

Haud urgente, quod non fuit Summo Pontifici Indultum concedenti expositum, quod per adscriptionem inter Equites levis armaturæ Pentio remanserat extincta, hinc inferendo, quod Indultum suffragari non potest, quandoquidem ex adductis a Scribentibus pro Galeatio, tunc extinctio Pensionis adtusse dici posset quando clarum esset, & extra quamcunque ambagem, quod status Equitis levis armaturæ esset incompatibilis cum Clericatu, & cum Beneficio, seu Pensione, secus autem, quoties, prout hic, casus ad minus est dubitabilis, & subjacet disputationibus; in hoc quippe rerum statu ad effectum inducendi Pensionis extinctionem, trina monitio fuisset necessaria, *juxta decis. 279. num. 3. & seqq. par. 16. recent. & in Romana Pensionis 8. Junii 1685. coram bon. mem. Rondinino.*

Ultima superest pars, juxta quam Galeatius in omnem durissimum casum supplicat pro gratia *perinde valere*, tum quia nullus adfuit dolus, quando Summo Pontifici preces exhibuit pro Indulto, & adscriptionis inter Equites levis armaturæ mentionem non fecit. Tum quia si Indultum Sorbolonghi restrictum ad statum conjugalem, fuit ampliatum ad statum Vexilliferi inter Equites levis armaturæ, non obstante quod ille plures terminos Pensionum exegisset, a fortiori videtur esse debere locum extensioni Indulti, de quo nunc agitur, utpote comprehendenti non solum statum conjugalem, sed etiam statum veræ, & propriæ Militiæ, & multo magis cum Galeatius terminos Pensionum hactenus ob reverentiam non exegerit, nec eidem ulla lis fuerit mota a Beneficiato.

Delata ad Sacram Congregationem hac controversia, propositisque duobus sequentibus dubiis.

I. An Officium custodiæ Corporis Pontificis Equitum Levis Armaturæ obstet retentioni pensionis, & quatenus affirmative.

II. An Indultum suffragetur Galeatio, vel potius sit locus sanatoriæ seu gratiæ perinde valere in casu &c. Responsum fuit *die 7. Decemb. 1720.* ad primum *affirmative*, & ad secundum *negative.*

Impetrata a Galeatio nova audientia, propositoque in Congregatione, habita *die 31. Maii anni 1721.* consueto dubio, *an sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.* responsum fuit *ad primum, in decisis, & ad secundum, prævio recessu a decisis, esse locum sanatoriæ*, & momentum repositum fuit in hoc, quod licet pacifica hodie sit opinio, quod per assumptionem Militiæ etiam Summi Pontificis vacet ipso jure pensio, absque

absque ulla monitione, juxta laudatas auctoritates, non est tamen adeo clarum in jure, quod id, quod ex dictis admissum fuit in vera Militia Summi Pontificis, ampliari debeat ad Equites Levis Armaturæ, qui non sunt instituti ad pugnandum, sed ad simplicem custodiam Corporis Pontificii; quique idcirco appellantur: *Gentiluomini delle Guardie di Nostro Signore*, in quo rerum themate, sicuti pro inducenda vacatione pensionis monitio erat necessaria, *juxta decis. 279. num. 3. & seqq. part. 16. recent. & in Romana Pensionis 8. Junii 1685. coram bon. mem. Rondinino*, sic statim ac monitio fuit omissa, extranei remanent termini extinctionis pensionis, ita ut via aperta remaneat sanatoriæ, vel gratiæ *perinde valere.*

In nihilum urgente hujus Sac. Congregationis resolutione, quod Officium videlicet custodiæ Corporis Pontificis Equitum Levis Armaturæ obstet retentioni pensionis; vel etenim vis fit in resolutione edita *anno 1693.* in qua data fuit Jacobo Sorbolongo, Vexillifero Equitum Levis Armaturæ, retentio pensionis Ecclesiasticæ, & in eo casu, cum Sorbolongus exorasset pro dispensatione, responsum Sac. Congregationis se habuit relative ad petitionem absque ullo examine dispositionis Juris; Vel vis constituitur in resolutionibus hujus Sacræ Congregationis supra relatis, & editis in hac Causa in responsionibus ad primum dubium, & hæ, cum vel sint inductivæ novi juris, vel saltem declarativæ juris dubii, oculos retro habere non possunt, sed legem statuent pro casibus futuris.

Hæc sunt, quæ fuerunt docte ponderata in ultima Congregatione habita *die 31. Maii 1721.* Cumque Episcopus Volaterranus petierit, & obtinuerit novam audientiam, quæritur

An sit standum in primo, vel in secundo loco decisis in casu &c.

Sacra Congr. die 20. Decembris 1721. respondit,
Standum in secundo loco decisis, & amplius.

QUÆSTIO CXCIII.

In Causa Ulyssiponensi Occidentalis Confraternitatis, die 7. Decembris 1720.

IN Ecclesia Patrum Dominicanorum Civitatis Ulyssiponen. Occidentalis licet ab antiquo tempore erecta reperiretur Confraternitas SS. Rosarii; circa annum nihilominus 1715. erecta fuit in Ecclesia Sanctæ Mariæ Conceptionis sita in via nova nuncupata *Dos ferros*, ejusdem Civitatis Ulyssiponen. Occidentalis, alia Confraternitas Sanctissimi Rosarii, obtenta facultate a piæ, & semper recolendæ memoriæ Patre Antonio Chloche Ordinis Magistro; cumque Rector Ecclesiæ Beatæ Mariæ Conceptionis de erectionis validitate dubitaverit, & SS. Domino Nostro supplicaverit pro revalidatione, *supplicat humillime Sanctitati Vestræ*, verba sunt supplicis libelli, *quatenus prædictam Confraternitatem revalidare dignetur, eique indulgentiarum fruitionem de speciali gratia impertiri dignetur*, instantiæ examen fuit ad hanc Sacram Congregationem remissum, datisque pro informatione litteris ad Patriarcham, ejusque habita informatione, cum instantia fuisset proposita in Congregatione habita *die 14. Februarii 1719.* rescriptum fuit, quod *audiretur Confraternitas antiqua.*

Contendit autem Confraternitas erecta in Ecclesia Parochiali Sanctissimæ Conceptionis esse debere locum revalidationi, primo quia agitur de Confraternitate jam erecta, magna cum pompa, & magna cum solemnitate, itaut non sine scandalo proferri posset Decretum de ejus abolitione. Secundo quia si quid obstare potest revalidationi, nihil aliud est, quam Constitutio Clementis Octavi 115. §. 2. *Bullar. tom. 3.* in qua demandatur, quod una tantum Confraternitas, seu Congregatio ejusdem Instituti in unaquaque Civitate erigatur; Constitutionem hanc autem afferitur non obstare, cum in eadem Civitate Ulyssiponensi plures adsint Confraternitates ejusdem Instituti, & cum Civitas sit amplissima, & magno Populi numero referta, quibus concurrentibus circumstantiis, non obstante Bulla Clementina, dicitur esse posse in una, & eadem Civitate duas ejusdem Instituti Confraternitates; juxta tradita per Cardinal. de Luca *de Præeminentiis disc. 10. num. 12.* Tertio quia gratia revalidationis in consimilibus terminis jam admissa fuit ab hac Sacra Congregatione *in Valentina Societatis SS. Rosarii 2. Augusti 1687.* uti habetur apud *Monacell. in formul. tom. 4. pag. 5. n. 1.*

Excipit e contra Confraternitas Sanctissimi Rosarii erecta in Ecclesia Patrum Dominicanorum, non esse locum revalidationi etiam per viam gratiæ, cum hæc revalidatio sibi sit præjudicialis, & suum jus sit undequaque clarum, utpote fundatum in allegata Constitutione 115. Clementis Octavi, in cujus sequelam, quando in una Civitate erecta est unius Instituti Confraternitas, alia ejusdem Instituti erigi non potest, uti late ad ornatum dictæ Constitutionis firmant *Capic. Lat. decis. 169. a num. 43. Lezana in consil. impress. tom. 2. Oper. moral. verb. Confraternitas num. 28. usque ad finem, Mavant. responsi. 3. per totum tom. 1.* & cohærenter ad hæc, cum exorta fuisset *in quadam causa Neapolitana* controversia inter Confraternitatem Sanctissimi Rosarii erectam in Ecclesia Patrum Conventalium S. Francisci Casalis Portici, & aliam Confraternitatem ejusdem Sanctissimi Rosarii erectam in Ecclesia Parochiali, re delata ad hanc Sacram Congregationem eadem *die 13. Februarii 1683.* distulit resolutionem, ut videret, an Confraternitas noviter erecta in Ecclesia Patrum Conventualium naturam, & indolem haberet veræ Confraternitatis, vel potius dicenda esset cœtus piorum Virorum, & piarum Mulierum infimul conventientium ad recitandum Rosarium, compertoque, quod fuerat erecta anno 1687. accedentibus litteris patentalibus Patris Generalis Ordinis Prædicatorum, non obstante quod alia Confraternitas in Ecclesia Parochiali jam erecta reperiretur usque de anno 1628. repropposita causa *die 17. Julii 1683.* responsum fuit, posteriorem erectionem factam in Ecclesia Minorum Conventualium non sustineri.

Neque, his positis, Confraternitas erecta in Ecclesia Patrum Dominicanorum putat obesse posse ea, quæ in contrarium ab alia Confraternitate afferuntur; In eo enim, quod attinet ad scandalum dicitur, vel illud non adesse, vel esse contemnendum, tum quia posterioris destructio Confraternitatis a Summi Pontificis clara, & aperta Constitutione descendit, tum quia nemo est, qui non videat, non a piæ memoriæ Patre Generali, nec ab Ordine Dominicano, sed a simplici Religioso ejusdem Ordinis insubsistentem processisse erectionem novæ Confraternitatis; ad eum etenim, uti deputatum ad exequendas litteras Patris Generalis inspicere, & examinare pertinebat, an in nova erectione, quæ fieri debebat, servatis servandis, concurrerent, nec ne conditiones a Bulla Clementina præscriptæ: In eoque, quod spectat ad magnitudinem Civitatis Ulyssiponen., subditur Bullam Clementis Octavi non distinguere inter magnas, & parvas Civitates, quinimmo magnas expresse comprehendere, cum Romam ipsam comprehendat; Absque eo quod quidquam faciat vel assertum Cardinalis de Luca loco citato, vel consuetudo Civitatis Ulyssiponensis, in qua erectæ dicuntur plures Confraternitates ejusdem Instituti, quandoquidem in casu, in quo scripsit Cardinalis de Luca, Sacrorum Rituum Congregatio nihil aliud respondit, nisi quod Confraternitas Sanctissimi Rosarii non erat erigenda auctoritate Ordinaria, sed auctoritate Patris Generalis Ordinis Prædicatorum, quæ res nihil habet commune cum re, de qua nunc agitur, & quatenus existentia plurium Confraternitatum ejusdem Instituti in eadem Civitate Ulyssiponensi, in facto sit verificata, in Jure sustinetur eam non obesse, tum ob contrarietatem Bullæ Clementinæ, tum quia non constat, an memoratæ Confraternitates habeant veram naturam, & indolem Confraternitatum, & an fuerint erectæ ante, vel post dictam Constitutionem.

Superest resolutio *in Causa Valentina Societatis SS. Rosarii 2. Augusti 1687.* in qua Sacra Congregatio censuit posteriorem Confraternitatem esse tolerandam; & quoad Indulgentias agendum esse cum Sanctissimo, dicitur enim eam non esse applicabilem, primo quia agebatur de duabus Confraternitatibus erectis in binis Ecclesiis Patrum Dominicanorum, quæ distabant inter se bis mille tercentum, & quatuor passibus, uti colligitur ex folio Congregationis, quando hic, & nunc non agitur de binis Confraternitatibus erectis in binis Ecclesiis Patrum Dominicanorum, & una Ecclesia distat ab alia passibus mille octocentum sexaginta, & uno; secundo quia in causa Valentina secunda Confraternitas ab antiquiori tempore fuerat erecta; erecta siquidem fuerat *anno 1619.* quando Confraternitas, de qua nunc agitur, fuit erecta *anno 1715.* & instantia pro abolitione in causa Valentina fuit proposita *anno 1697.* & oppositio contra revalidationem Confraternitatis, de qua nunc agitur, fuit proposita *anno 1719.* & tertio tandem, quia in causa

fa Valentina Procurator Generalis Ordinis preces obtulit pro validatione secundæ Confraternitatis, quæ circumstantia in casu non concurrit.

His stantibus, quæritur

An sit locus gratiæ super revalidatione Confraternitatis SS. Rosarii factæ in Ecclesia Parochiali S. Mariæ Conceptionis, una cum concessione Indulgentiarum in casu &c.

Sacr. Congr. respondit,
Pro Gratia revalidationis, juxta modum, & quoad indulgentias agendum esse cum Sanctissimo.

QUÆSTIO CXCIV.

In Causa Tarentina Archipresbyteratus, die 7. Decembris 1720.

OCCASIONE vacationis Archipresbyteratus Collegiatæ Terræ Martinæ, qui habet annexam Curam Animarum, & cujus tanquam primæ Dignitatis Collatio pertinet ad Datariam, indictus fuit de more Concursus ab Ordinario ad effectum, eum, ut moris est, transmittendi ad eandem Datariam.

Januarius Ratticus se Concursui obtulit, sed non fuit ab Ordinario ad concurrendum admissus, idemque ad Sedem Apostolicam appellavit, & ejus appellatio præsentata dicitur re integra, & antequam fieret Concursus; cumque in Concursu subinde facto fuerit approbatus Isidorus Chirullus cum solita attestatione de magis digno, appositum fuit in Dataria, ne ei fieret colllatio Archipresbyteratus, *nihil transeat*, suspensaque, & retardata Signatura supplicationis, causa ab Eminentissimo Prodatario fuit ad hanc Sac. Congregationem remissa.

Contendit Ratticus, nullum fuisse Concursum, & se idcirco esse admittendum ad concurrendum, cum habeat omnes qualitates latius in sua Scriptura, & Summario enumeratas pro obtinendo Archipresbyteratu, & cum nullatenus subsistat asserta diffamatio concubinatus cum quadam fœmina, itaut fuerit ipse injuste a Concursu repulsus.

Jura hinc inde circumferuntur. Unde quæritur

I. An constet de nullitate Concursus, & quatenus affirmative.

II. An Ratticus sit ad Concursum admittendus.

Sacra Congr. respondit,
Ad Primum negative, & amplius. Ad secundum satis provisum in primo,

QUÆSTIO CXCV.

In Causa Feltrensi Jubilationis, die 11. Januarii 1721.

NULLUS in Jure Canonico Textus reperitur, qui statuat, quod Canonici, sive Beneficiati, qui spatio annorum quadraginta continuo, & laudabiliter Ecclesiæ inservierint, frui debeant exemptione a choro, & ulterius admitti ad participationem fructuum, & distributionum, uti bene ponderat *Navarr. consilio* 12. *lib.* 3. *de Clericis non Residentibus*.

Porro id, quod non solum a Canone inductum, fuit a consuetudine introductum, itaut passim Canonicis, & Beneficiatis indultum jubilationis concedatur, docto de laudabili, & continuato servitio spatio annorum quadraginta, exemplo deducto, aut a Collegio Levitarum Legis Mosaicæ, in quo illi, qui inservierant a vigesimo quinto anno ad quinquagesimum, a servitio tanquam emeriti eximebantur, uti legitur *in numer. cap.* 8. aut a Lege civili, quæ vacationem Militibus a muneribus, dummodo veterani essent, liberaliter concessit, uti habetur *in L. a muneribus 6. ff. de vacat. & excusat. munerum, & in L. prima C. de veteranis lib.* 12. itaut quidquid scripserint nonnulli non bene informati de praxi hujus Sacræ Congregationis, qui ultra laudabile, & quadragenarium servitium senectutem, aut ægritudinem necessarias esse reputarunt ad effectum, de quo agitur, Sacra hæc Congregatio passim jubilationis largiatur Indulta, etiamsi deficiat circumstantia senectutis, aut ægritudinis.

Ad hujus praxis tramites, post continuatum spatio quadraginta, & octo annorum suæ Cathedrali Ecclesiæ servitium, Aloysius Zenus Canonicus Feltrensis supplicavit pro jubilationis indulto, & ad exuberantiam, suam ætatem annos octuaginta excedentem, suasque corporis ægritudines allegavit; cumque major Capituli pars huic se opposuerit petitioni, operæ pretium fuit instantiam in folio proponere, & dubium subscribere infra referendum.

Capituli fundamenta consistunt, primo in defectu ægritudinis Canonici Zeni, secundo in potestate, quam ipse habet petendi Coadjutorem, qui suo nomine Choro interfit, tertio in longæva, & immemorabili consuetudine, juxta quam, pervolutis regestis, nullum fuit exemplum inventum jubilationis concessæ Canonicis hujus Ecclesiæ, ultimo tandem in numero Canonicorum, sunt etenim duodecim, qui varias habent incumbentias, in quarum sequelam, sicuti Choro interesse non possunt, sic sæpe fit, ut Chorus Canonicis careat.

Adversus hæc, Canonicus excipit Zenus de suo continuato ultra quadraginta annos, & laudabili servitio nullam moveri quæstionem, & sic se omnibus requisitis potiri pro obtinenda jubilatione, & in eo quod attinet, vel ad defectum exempli, quod jubilatio fuerit concessa Canonicis hujus Ecclesiæ Cathedralis, vel ad numerum, & occupationes aliorum Canonicorum, subdit, bene potuisse Canonicos prædecessores abstinere a petenda jubilatione, & simul, & semel se posse pro eadem instare, cum materia jubilationis sit facultativa, præterquam quod, ut defectus exempli obstare posset, docendum esset, quod aliqui Canonici continuo, & laudabiliter inserviissent per quadraginta annos Ecclesiæ Cathedrali, pro jubilatione ulterius exorassent, & fuissent a Sacra Congregatione rejecti, concludendo non parvum, sed sufficientem esse numerum duodecim Canonicorum, & eosdem bene suis muneribus vacare posse, & simul choro interesse.

In Congregatione habita *die* 17. *Decembris* 1718. fuerunt disputata, & resoluta nonnulla dubia generalia jubilationum, inter quæ cum tertium esset sequentibus verbis conceptum, *an indulgenda sit jubilatio illis, qui inservierunt spatio annorum quadraginta, non obstante parvo numero aliorum, qui remanent addicti Ecclesiæ servitio, & quis sit parvus numerus inservientium in casu, & ad effectum de quo agitur*, & huic dubio responsum fuit, *dandam esse resolutionem in casibus particularibus*.

His stantibus, quæritur

An sit concedenda jubilatio in casu &c.

Sacra Congreg. respondit,
Affirmative, & amplius.

QUÆSTIO CXCVI.

In Causa Romana nullitatis Professionis, die 11. Januarii 1721.

SOROR Maria Constantia Pallavicina, quæ Professionem Regularem emisit in Monasterio S. Bernardini de Urbe, alias in hac Sacra Congregatione instetit pro declaratione nullitatis prædictæ Professionis tanquam emissæ propter vim, & metum sibi illatum a bon. mem. Marchione Maria Nicolao Pallavicino, cujus erat filia illegitima; cumque hæc instantia proposita fuisset in Congregatione habita *die* 16. *Martii* 1720. in cujus folio benigne reassumendo relata fuerunt fundamenta, quæ hinc inde pro nullitate, & respective validitate professionis afferebantur, nulla fuit capta resolutio, sed dictum fuit *dilata, & examinentur Testes formiter juxta instructionem*, & instructio fuit, quod extrajudicialiter audirentur R. P. D. Cervinus, & R. P. D. de Vico, & quod formiter examinarentur Pater de Matthæis, quidam de Marchis, nonnullæ Moniales, Dominus Jacobatius Fiscalis Urbis, & ejus Uxor.

In executionem hujus rescripti, formiter examinati fuerunt Pater de Matthæis, de Marchis, & Moniales. Illustrissimi pariter Domini Cervinus, & de Vico scriptis aperuerunt quidquid ad eorum notitiam devenerat, & eorum epistolæ fuerunt transmissæ per manus EE. VV. & Dominus Jacobatius Fiscalis dixit superfluum futurum esse, tam suum, quam suæ Uxoris examen, cum nihil ad rem faciens deponere valerent. Causaque iterum proposita *die* 3. *Augusti* 1720. rescriptum fuit, *quod proponeretur in prima etiam unica*, & in Congregatione habita *die* 24. *ejusdem mensis* iterum rescriptum fuit *dilata, & ad mentem*, & mens fuit, ut interrogarentur extrajudicialiter R. P. D. de Calcagninis, & Dominus Jacobatius Fiscalis, & quod ejus Uxor formiter examinaretur.

Fuit extrajudicialiter interrogatus R. P. D. de Calcagninis, qui respondit in scriptis, & ejus epistola transmissa fuit ad Eminentias Vestras. Fuit quoque extrajudicialiter interrogatus Dominus Jacobatius Fiscalis, qui respondit se nullam habere notitiam, quæ nullitatem, vel validitatem respiceret Professionis. Ejus Uxor fuit formiter interrogata, ejusque examine ab Informantibus exhibito, propositaque Causa *die* 1. *Octobris* 1720. disputatoque dubio, *an constet de nullitate Professionis in casu &c.* responsum fuit *affirmative*.

Pro validitate Professionis Moniales Monasterii S. Bernardini, & Maria Hieronyma Arnalda steterant in judicio, sed cum post rescriptum editum ab hac Sacra Congregatione *die* 1. *Octobris*, & supra relatum, fuerit a Monasterio emissa solemnis renunciatio liti, & causæ, accedente etiam approbatione Eminentissimi Urbis Vicarii, exorta est controversia, an post dictam renunciationem tanquam emissam ab eo, qui principale habebat interesse, posset Maria Arnalda litem prosequi, & instare pro nova audientia. Delata autem ad me tanquam hujus Sacræ Congregationis Secretarium hac controversia, protestatus sum me esse in sensu, quod nova audientia denegari non posset, sed cum optime novissem Defensores Sororis Mariæ Constantiæ esse adituros ad hanc Sacram Congregationem, instantiam ad eam remisi, propositoque in Congregatione habita *die* 16. *Novembris anni* 1720. dubio super nova audientia concedenda, aut deneganda, rescriptum fuit *pro nova audientia, & quod Causa omnino proponeretur in prima post Reges, etiam unica*.

Ad tramites ergo hujus rescripti, in præsenti disputandum proponitur dubium.

An sit standum, vel recedendum a decisis die 1. *Octobris* 1720.

Sacra Congr. respondit
In Decisis, & amplius.

QUÆSTIO CXCVII.

In Causa Firmana Legatorum die 11. *Januarii* 1721.

ANNO 1627. Podamia Marinangeli reliquit Patribus S. Francisci Minoris Observantiæ Murri Vallium suam domum, cum onere trium Officiorum singulis annis, & anno 1634. domus vendita fuit a Syndico Apostolico pretio scutorum 50. quæ fuerunt erogata in emptionem Tunicarum, & aliarum rerum usualium, & oneris obligatio fuit adnotata in libris Conventus, ne ejus memoria periret.

Anno quoque 1627. Franciscus Bullus reliquit iisdem Fratribus quatuor annuos florenos solvendos a Bernardina sua hærede, cum onere quatuor Officiorum pro anima sua; cumque Bernardina unica vice tradiderit Fratribus vinum valoris scutorum 25. universalem, & plenariam quietantiam reportavit, & sæpe memorati Fratres se & suos successores in perpetuum obligarunt ad celebrationem dictorum quatuor Officiorum.

Anno 1614. Bradamantes Tancredi huic eidem Conventui reliquit scuta 90. cum onere duorum Officiorum quolibet anno, demandata Syndico Apostolico administratione nedum sortis, sed etiam fructuum, & anno 1618. capitale hoc fuit erogatum in emptionem cujusdam petii Terræ, quod est in clausuram redactum.

Anno 1677. Ludovica Moretti legavit Syndico pro tempore hujus Conventus scuta 50. quæ erant in Censu investita, ut cum fructibus annuatim reparari posset laqueare Ecclesiæ, onere Fratribus injuncto celebrandi tot Missas ad ratam fructuum, ad rationem unius julii pro qualibet.

Ab hisce quatuor legatis oritur præsentis disputationis occasio, an scilicet Religiosi S. Francisci Minoris Observantiæ teneantur, vel non teneantur adimplere onera Missarum relicta a Podamia, & a Francisco. Rursus, an retinere valeant petium Terræ emptum cum pecuniis Bradamantis, & ad quæ onera teneantur, & an pariter retinere valeant legatum relictum a Ludovica, uti colligitur ex tenore dubiorum infra referendo,

Quoad legata annua hisce Fratribus relicta, adjecto onere celebrationis Missarum, certum videtur esse, eos non esse similium legatorum capaces, juxta resolutiones editas in particulari Congregatione tempore Urbani VIII. relatas *apud Fagnan. in cap. nimis prava, & signanter num.* 49. *& num.* 53. *de excessibus Prælatorum*.

Et multo magis, quando, prout hic, legatum fuit Fratribus relictum cum onere Missarum, ad differentiam casus, in quo gravati fuissent hæredes ad faciendum celebrare a dictis Fratribus Missas, in quibus terminis procedunt resolutiones hujus Sacræ Congregationis *in Aprutina Legati* 29. *Februarii* 1677. *in Isernien. Legati* 10. *Junii* 1684. *& in Brundusina Adimplementi* 26. *Augusti* 1719.

Et cum his theoricis procedendo, videtur Fratres S. Francisci esse absolvendos ab onere Missarum relictarum tam a Podamia, quam a Francisco, & eo fortius, cum ultra incapacitatem, in ordine ad prædicta Legata, adsit circumstantia, quod Legatorum capitalia jam fuerunt distracta, & in usus quotidianos Fratrum conversa.

Transeundo ad Legatum Bradamantis, idem videtur de eo ferendum esse judicium, ac de aliis mox memoratis, cum hoc etiam Legatum sit annuum cum onere celebrationis Missarum, cujus, uti dictum est, Fratres sunt incapaces. At cum hujus Legati capitale fuerit impensum in emptionem cujusdam petii Terræ sylvatæ, quæ modo est redacta in clausuram, quæ sylva intra clausuram non adversatur, sed consona est ipsorum Constitutionibus, *juxta Textum in Clementina Exivi de verborum significatione*, Fratrum intentio in hoc consistit, non ut se eximant in totum ab onere hujus Legati, cujus commodum pedibus calcant, sed ut reductionem consequantur arbitrio EE. VV. ex quo petium Terræ incultum penitus remanet, itaut in eo existant nonnullæ tantum arbores infructiferæ.

Tandem, loquendo de Legato relicto a Ludovica Moretta, videtur, quod Fratres possint esse ejusdem capaces, cum valeat Legatum annui reditus factum fabricæ, Sacristiæ, vel Ecclesiæ horum Fratrum, dummodo non adsit excessus in quantitate, & dummodo ea non a Fratribus, sed a Syndico dumtaxat Apostolico exigantur, juxta Resolutiones Congregationis tempore Urbani Octavi *apud Fagnan. in cap. nimis prava num.* 48. *& 52. de excessibus Prælatorum*, & solus, qui superest in hoc Legato scrupulus, in hoc consistit, quod illud non est simplex, sed cum onere celebrationis Missarum, & Fratres juxta dicta sunt incapaces annuorum Legatorum, quæ fiunt cum onere prædicto.

Instantia hæc fuit proposita *die* 3. *Septembris* 1718. inter summaria precum, & dictum fuit, quod describeretur in folio. Tunc autem nonnulli ex EE. PP. dixerunt sibi durum videri, quod Fratres suas contemnant Constitutiones, quando agitur de recipiendis Legatis, & de illis in commoditatem propriam convertendis, & quod easdem Constitutiones laudare velint, & magnificare, quando agitur de se eximendo ab oneribus, quæ fuerunt a Testatoribus imposita, & ab ipsis acceptata. Alii vero dixerunt non potuisse a Fratribus prima potissimum duo Legata acceptari, nec Fratres potuisse eorum proprietatem vendere, & in suos usus convertere, sed hæc non fuisse a Fratribus, qui modo instant peracta, sed a suis Prædecessoribus, quorum factum non debet successoribus præjudicare.

His stantibus, quæritur

I. An Religiosi S. Francisci Minovis Observantiæ Murri Vallium sint absolvendi ab onere Missarum pro Legatis relictis a qq. Podamia Marinangeli, & Francisco Bullio.

II. An liceat dictis Religiosis retinere petium Terræ emptum cum pecuniis legatis a quondam Bradamante Tancredi, & ad quæ onera ipsi teneantur.

III. An eisdem liceat retinere legatum a quondam Ludovica Moretti.

Sacra Congr. die 31. Maii 1721. respondit
Ad Primum Affirmative, & certiorentur Ministri Fabricæ, & ad D. Secretarium, qui insinuet Patribus ut faciant Commemorationem aliquando in anno pro Animabus Defunctorum Benefactorum. Ad Secundum affirmative injuncto onere duarum Missarum cantatarum quolibet anno, facto tamen verbo cum Sanctissimo. Ad tertium iterum proponatur.

In hac igitur Congregatione fuerunt resoluta prima duo hujusce Causæ dubia, quæ pertinebant ad legata relicta a Podamia Marinangeli, a Francisco Bullio, & a Bradamante Tancredi; cumque nulla fuerit capta resolutio quoad legatum relictum a Ludovica Moretti, remanet, ut de hoc in Congregatione rursus pertractetur.

Quo circa præmisso, quod dicta Ludovica Moretti *die* 18. *Junii* 1677. sequentibus verbis disposuit, *item per salute dell' anima sua lascia, e comanda, che subito seguita la sua morte senza alcuna contradizione degli Eredi, possa il Sindico pro tempore del Convento di S. Francesco di Morro di Valle, & abbia ad entrare in possesso delli scudi cinquanta, che tengono a censo Francesco del Cucale, e suo fratello, acciò li frutti di esso abbino a servire perpe-*

perpetuis futuris temporibus, per la fabbrica della Chiesa, e principalmente per il Cappellone, e Cupola dell' Altare maggiore, che possa il detto Sig. Sindico farlo rivedere ogni anno, e provvederlo del bisognevole, ed i Religiosi del detto Convento siano tenuti ogni anno celebrare nel giorno della sua morte, e ne' giorni seguenti un Officio per l' Anima sua nell' Altare privilegiato della SS. Croce con tutti i Religiosi del Convento, e ne' giorni seguenti, fino che si compisca il numero delle Messe, che entrano ne' frutti di essi cinquanta scudi; Præmissoque ulterius, quod sicuti usque adhuc semper fructus fuerunt in dictam causam applicati, sic usque adhuc a Fratribus continuata fuit Missarum celebratio, aliqua sunt, quæ urgent contra retentionem hujusmodi legati, quæ prætenditur a Religiosis Conventus S. Francisci Murri Vallium, qui sunt ex Minoribus Observantibus, & alia sunt, quæ favent retentioni prædicti legati.

Initio itaque ducto ab his, quæ urgent contra retentionem legati, facit primo, quod in prædicto legato continetur onus perpetuum Missarum, & Fratres sunt hujusmodi legati incapaces, juxta decretum Congregationis a san. mem. Urbano Octavo horum fratrum negotiis præpositæ, quod est impressum apud *Fagnan.* dictæ Congregationis Secretarium in *cap. nimis prava n.* 49. *&* *num.* 53. *de excessibus Prælatorum*; in articulo etenim dictæ Congregationi proposito habentur hæc verba, *an Fratres Minores tam de familia, quam Reformati sint capaces legatorum annuorum, quæ fiunt, adjecto onere celebrationis Missarum*, & huic articulo sic responsum fuit, *Fratres Minores tam de familia, quam ex Reformatione nullatenus esse capaces Legatorum annuorum, quæ fiunt adjecto onere celebrationis Missarum*.

Facit secundo, quod in terminis legati census relicti Altari sito in Ecclesia Patrum Reformatorum, cum conditione, ut Syndicus pro tempore Conventus medietatem fructuum erogaret pro manutentione Cappellæ, & aliam medietatem pro celebratione Missarum a Fratribus facienda, necnon in terminis donationis bonorum factæ Syndico Conventus, cum pacto, quod venderentur, & ex eis constitueretur capitale certam annuam summam reddens, convertendam partim in ornatum Cappellæ, partim in emptionem lanæ pro indumentis Fratrum, & partim in celebrationem Missarum a Fratribus explendam, & tandem in terminis legati ducatorum 300. cum onere reparationis Ecclesiæ, & nonnullarum Missarum, fuit ab hac Sac. Congregatione jam resolutum, Fratres S. Francisci Minoris Observantiæ non esse horum legatorum capaces, uti videri potest *in Marianen. Piarum dispositionum 6. Julii 1709. lib. 59. Decretorum pag.* 225. quæ resolutio fuit confirmata *die* 15. *Novembris* 1710. uti habetur *lib.* 60. *Decret. pag.* 410. & concordat resolutio *in Caputaquen. Legatorum die* 28. *Novembris* 1711. *lib.* 71. *Decret. pag.* 550.

Facit tertio, quod quatenus hæc omnia cessarent, ex alio tamen capite semper aliquid est in legato, de quo nunc agitur, quod ejus retentioni adversatur; Posito quippe, quod fructus census relicti debeant erogari in fabricæ reparationem, & quod usque adhuc in dictam causam fuerint erogati, Missarum onus non habet fundum fructiferum, qui in oneribus perpetuis Missarum adeo est necessarius, ut in decretis generalibus Urbani Octavi de celebrat. Missarum decernatur, quod si Ecclesiis, Capitulis, Collegiis, Hospitalibus, pecunia, aut mobilia relinquantur cum onere perpetuo Missarum celebrandarum, pecunia relicta debeat deponi penes ædem Sacram, & mobilia relicta vendi debeant, & consimile fieri depositum investiendum subinde in bonis immobilibus fructiferis, cum expressa, & individua mentione oneris, quod illis reperitur annexum, quemadmodum legitur in citatis decretis §. *Præterea*.

Hæc sunt, quæ urgent contra retentionem legati. Nunc autem transitum faciendo ad ea, quæ favent retentioni, facit primo, quod versamur in legato modicæ quantitatis relicto pro fabrica, & per Syndicum administrando, uti colligitur ex verbis supra recensitis, in quo rerum themate de Fratrum capacitate non videtur esse dubitandum, juxta resolutionem Congregationis tempore Urbani Octavi, de qua *apud Fagnan. loco citato num.* 49. *&* 52. cum enim articulus eidem Congregationi propositus, esset hic, qui sequitur, *primo an valeat legatum annui reditus factum fabricæ, Sacristiæ, vel Ecclesiæ Fratrum Minorum tam de familia, quam ex Reformatione*, & secundo *an liceat Fratribus hujusmodi legata in judicio exigere per eorum Procuratores, vel Syndicos Apostolicos*, sic a Congregatione responsum est, *Ad primum, valere legatum annui reditus factum Sacristiæ, vel fabricæ Ecclesiæ, vel Conventus Fratrum Minorum tam de Familia, quam de Reformatione, nisi adsit excessus in quantitate*, ad secundum, *nec per seipsos, nec per alios licere Fratribus in judicio exigere hujusmodi legata, sed Syndico Apostolico dumtaxat*.

Facit secundo, quod in tantum Fratres Minores tam de Familia, quam Reformati non sunt capaces oneris perpetui Missarum, in quantum non sunt capaces annuorum legatorum, & in tantum annuorum legatorum non sunt capaces, in quantum victum, & vestitum debet illis incerta mendicitas præbere *ad terminos Textus in cap. Religionum de Religiosis domibus in* 6. Quocirca si juxta citatam Congregationis declarationem Fratres sunt capaces legati annui reditus pro fabrica Ecclesiæ, dummodo illud ab ipsis non exigatur, sed a Syndico Apostolico, & ulterius si non obstante annuo legato pro fabrica Ecclesiæ, Fratres ab incerto pendent quoad victum, & vestitum, & ipsorum arctissima paupertas in suo robore permanet, hinc fit, quod sicuti Fratres sunt omnino capaces legatorum, quæ concernunt decorem suarum Ecclesiarum, & certum usum cultus Divini, uti late probant *Barbosa Juris Eccles. Univers. lib.* 3. *cap.* 27. *num.* 80. *Adden. ad Burat. decis.* 756. *num.* 22. *Rota coram Merlino decis.* 406. *num.* 72. *Et coram Emerix junior. decis.* 1219. *num.* 1. *& seqq. & decis.* 1326. *num.* 1. sic & capaces censendi erunt eorundem legatorum, non obstante quod illis annexum sit perpetuum onus Missarum, & cohærenter ad hæc, *die* 2. *Novembris* 1641. fuit a Congregatione fabricæ S. Petri resolutum, Fratres hos esse capaces legati situs pro Viridario, quod eis fuit relictum cum onere unius Missæ qualibet hebdomada, juxta epistolam dictæ Congregationis impressam *apud Piton. discept. Eccles. par.* 1. *discept.* 2. *num.* 142. *& apud Matthæucc. in Officiali Curiæ cap.* 30. *sub num.* 15. *& apud eundem in Schola paupertatis tit.* 3. *consil.* 1. §. 10. *num.* 82. concordatque hujus Sacræ Congregationis responsum in hac eadem causa in proxime præterita Sessione *ad secundum dubium*; non nisi quia Fratres sunt capaces legati situs pro Viridario annexo Clausuræ *juxta Clem. Exivi de Verbor. signific.* & in fortioribus, in terminis videlicet legati relicti cum onere, ut certa portio panis, & vini emeretur pro servitio Infirmorum de Ara Cæli, & cum onere Fratribus imposito celebrandi *Missas* 200. quolibet anno, quod Fratres consimilis legati sint capaces, fuit ab hac Sacra Congregatione resolutum *in Romana Legati* 2. *Decembris* 1673. *lib.* 28. *Decret. pag.* 299. procedentibus contrariis, vel quando ageretur de conspicuo, & magnæ quantitatis legato, cujus etiam pars erat eroganda pro Fratrum indumentis, ut in *Marianen. piarum dispositionum supra citata*, vel quando ageretur de legato dictis Fratribus relicto, & ab illis administrando, nulla facta Syndici mentione, qui videntur esse termini allegatæ in contrarium resolutionis *in Caputaquen. Legatorum anni* 1711.

Facit ultimo, quod onus perpetuum Missarum in casu præsenti non videtur esse sine fundo fructifero, agitur enim de pecunia in censibus investita, quæ quolibet anno suos reddit fructus; parum urgente, quod fructus erogantur in fabricam, cum Fratres eleemosynas quærere deberent pro dicta facienda reparatione, novumque non sit, ut Religiosi se obligent ad celebrationem Missarum pro annua quantitate, quæ in eorum victu non erogatur, sed erogatur in aliqua re, cujus refectio, & manutentio ad ipsorum pertinet Conventum.

Hæc sunt, quæ pro utraque parte afferri possunt.

In Congregatione igitur habita hac *die* 21. *Junii* 1721. actum fuit, an Religiosi prædicti Conventus S. Francisci Murri Vallium, qui sunt ex Minoribus Observantibus esset capaces dicti legati, & licet fuerint hinc inde deducta jura tum pro capacitate videlicet, tum pro incapacitate dictorum Fratrum, nulla tamen fuit capta resolutio, sed dictum est, quod audirentur Patres Religionis.

In hujus rescripti executionem fuit a me transmissa particula legati ad Fratrem Augustinum Matthæuccium Ordinis Minorum Observantium, qui *anno* 1716. opus edidit super hac materia, cujus titulus est *Schola Paupertatis*, & ille post particulam expensam, & examinatam, censuit Fratres esse dicti legati incapaces, tum quia ad tramites legati, si aliquid superesset post Ecclesiæ restaurationem, & quod plus est, si aliquibus annis non adesset ulla necessitas erogandi fructus pro fabrica Ecclesiæ, Fratres Conventus Murri Vallium essent in illis circumstantiis tuti de Missarum celebrandarum eleemosyna, quod adversatur Regulæ, quæ exposcit, ut pendeant ab incerto, ut eleemosynam tantum manualem Missarum recipiant, & ut sint incapaces annuorum legatorum, quæ fiunt adjecto onere celebrationis Missarum, juxta Resolutiones Congregationis specialiter ab Urbano Octavo deputatæ *apud Fagnan. in cap. Nimis prava num.* 49. *& numer.* 53. *de excessibus Prælatorum*.

Tum quia, ad tramites pariter prædicti legati, dominium, & possessio census debent esse penes Syndicum, idque obstare dicitur puritati Regulæ, cum in mox allegatis resolutionibus sub Urbano Octavo habeantur hæc verba: *inhibemus autem ne Syndicus in sua persona hujusmodi annuos reditus percipiat distribuendos ipsis Fratribus*, & S. Congregatio R. Fabricæ in Æsina Legati 26. *Novembris* 1692. censuerit, Franciscanos Observantes, qui retinere prætendebant stabilia nomine Syndici, esse dictæ retentionis incapaces, quæ resolutio licet loquatur de stabilibus, extendenda nihilominus est etiam ad census, & annuos reditus, cum & hi veniant appellatione stabilium, & immobilium, juxta *Textum in Clementina exivi* §. *Cumque annui reditus de verborum significatione*, quæ omnia a dicto Fratre Augustino Matthæuccio nedum dicta sunt in suffragio ad me transmisso, sed etiam ab ipso edita fuerunt *in citata Schola Paupertatis tit.* 3. *consil.* 3. *num.* 4. *& seqq.*

Fuit etiam a me transmissa particula legati ad Patrem de Monte Fortino ex Familia Minorum Observantium Reformatorum, & hic pariter censuit, Fratres Conventus Murri Vallium esse legati incapaces, ex quo dominium census fuit ad Syndicum translatum, concluditque Fratres Minores profitentes Regulam S. Francisci, juxta declarationes Nicolai Tertii, & Clementis Quinti, esse incapaces legatorum, in quibus iidem, aut ipsorum Syndicus vocantur ad jus legati acquirendum, non vero quoties hæredi, aut alteri demandatur, ut Fratribus persolvat aliquam eleemosynam, modo immoderata non sit; ejus quippe elargiendi potestas semper manet apud hæredem, quem dare nolentem Fratres in judicio cogere non possunt.

His stantibus, quæritur

An Religiosis S. Francisci Minoris Observantiæ Murri Vallium liceat retinere Legatum relictum a quondam Ludovica Moretti in casu &c.

Sacra Congr. die 2. Octobris 1721. respondit,
Negative, & Syndicum teneri Censum dimittere, sed Patres posse recipere fructus ab Hæredibus per modum Eleemosynæ.

QUÆSTIO CXCVIII.

In Causa Mediolanensi, seu Comensi Reductionis Onerum, die 11. *Januarii* 1721.

ALOYSIUS Panizza, qui divitias non sane exiguas suis Militaribus stipendiis comparaverat, dum adhuc esset in humanis, & aliqua pietatis opera fieri vellet, devenit ad stipulationem diversorum instrumentorum cum Loco Pio charitatis Civitatis Mediolani, quem etiam instituit subinde hæredem.

Quinam sint contractus, & quænam sint onera, unicuique contractui annexa, non est operæ pretium de illis in hoc folio habere sermonem, cum sufficiat se habere relative ad quoddam folium, quod exhibetur ab informantibus, quodque fuit efformatum, juxta instructionem ab hac Sacra Congregatione transmissam, a Canonico Bazzetta, Viro sane probo, & in juris prudentia satis versato, qui causa cognita citatis, & auditis Partibus, & perlustratis omnibus instrumentis, cæterisque aliis ad causam facientibus, illud composuit, atque transmisit.

Capitalia ab Aloysio Panizza relicta, & multo magis eorum reditus tractu temporis diminutionem passi sunt; cumque pro Onerum reductione habitus fuerit a Deputatis Loci Pii charitatis Civitatis Mediolanen. recursus ad hanc Sacram Congregationem, & Eminentissimus Archiepiscopus Mediolanen., requisitus pro informatione, & voto, censuerit esse locum reductioni, proposita fuerunt in Congregatione habita *die* 8. *Augusti* 1711. sequentia dubia.

I. An sit locus minorationi annuæ summæ persolvendæ pro adimplemento piorum operum, & in qua quantitate in casu &c. & quatenus affirmative.

II. An, & quæ pia opera per Benefactorem destinata, sint moderanda, seu abolenda in casu: & responsum fuit, quod *firmaretur status juxta instructionem Eminentissimi Præsulis*.

Summa instructionis fuit, ut firmaretur distinctus status capitalium singulis Oneribus separatim assignatorum per Panizzam Institutorem operum piorum, cum expressione quantitatis fructuum cujuscumque capitalis, injuncta ulterius redditione rationis omnium bonorum hæreditariorum dicti Panizzæ; cumque in hujus rescripti executionem fuerit efformata relatio Canonici Bazzettæ, de qua supra habitus est sermo, & ad novam Causæ propositionem deventum fuerit in Congregatione, quæ habita est *die* 8. *Augusti* 1716., nulla fuit capta resolutio, sed totum negotium remissum est ad Eminentissimum Ptolomæum, ut dignaretur rem perpendere, & votum suum aperire.

Fuit res ab Eminentia Sua sedulo de more perpensa, ipsaque ulterius dignata est suum votum aperire, quod exhibetur impressum.

In voto autem refertur, primo, quod facta Partibus communicatione difficultatum, quæ occurrebant tam in facto, quam in jure, eædem satius esse duxerunt ad honestam devenire concordiam; secundo, quod in concordia a Partibus delineata, & quæ ad Partes exhibetur, conservantur, & retinentur legata relicta pro celebratione Missarum, juxta praxim hujus Sac. Congregationis, quæ in concursu reductionum, reducenda prius censet alia Onera, quam Onera Missarum, juxta regulam, de qua *Fagnan. in cap. ex parte num.* 34. *&* 39. *de constitutionibus*; tertio, quod alius modus reductionis est excogitabilis, in quo tamen admittenda est ex parte reductio Missarum, necnon divini cultus diminutio in assistentia chori. Modus hic fusius exponitur in citato suffragio Eminentissimi Ptolomæi; cumque tam Canonici, & communitas, quam Locus Pius Mediolani supplicent pro approbatione concordiæ in sæpe citato voto relatæ, quæritur

An, & quæ concordia sit approbanda in casu &c.

Sacra Congr. die 8. Februarii 1721. respondit,
Scribatur Eminentissimo Archiepiscopo juxta Instructionem.

QUÆSTIO CXCIX.

In Causa Tranensi Confirmationis Concordiæ, die 11. *Januarii* 1721.

JOSEPH Marullo in ultimo cum quo decessit testamento, condito de anno 1698. hæredem suum usufructuarium in omnibus bonis tam stabilibus, quam mobilibus instituit Patrem Jo. Baptistam Marullum Baccalaureum Ordinis S. Augustini suum fratrem, & proprietarium fecit hæredem Franciscum Marullum Equitem Hierosolymitanum, ea conditione, ut post mortem Baccalaurei ex bonis relictis erigi deberet Commenda pro Equitibus Hierosolymitanis Familiæ Marullo, mortuoque Josepho consolidata fuit proprietas cum usufructu in sequelam renunciationis usufructus factæ a Patre Jo. Baptista hærede usufructuario.

Ex hoc Josephi Testamento binæ derivarunt acerrimæ lites, altera cum Monasterio S. Claræ Civitatis Baruli, altera cum capitulo Ecclesiæ Collegiatæ S. Sepulchri ejusdem Civitatis.

Lis cum Monasterio S. Claræ ortum habuit ex sequenti facti specie: Julia quippe Chirichetta Josephi Testatoris Mater usque de anno 1644. donaverat Carolo Marullo etiam filio suo, ut ad Sacros Ordines promoveri posset, Vineam cum Turre, ac Cripta, gravatam annuo censu redimibili carolenorum sexdecim, & Cauponam obnoxiam annuo emphyteutico censui ducatorum sex cum dimidio favore capituli Ecclesiæ Nazarenæ, addendo, quod secuto obitu Caroli, bona prædicta pro æquali portione devolverentur ad alios suos filios, Josephum scilicet Testatorem, & Liviam, quæ tunc in Monasterio S. Claræ educationis causa reperiebatur, cumque, mortuo Carolo, memorata Julia de anno 1667. Cauponam supra recensitam Josepho pro suo Patrimonio assignasset, nulla facta mentione Liviæ, quæ jam a biennio in dicto Monasterio professionem emiserat, hinc factum est quod anno 1694. Monasterium S. Claræ ex persona Liviæ Monialis in eodem Professæ, licet defunctæ, in judicium vocavit Equitem Franciscum Marullum Josephi hæredem pro vindicanda medietate bonorum comprehensorum in donatione Liviæ facta, uti dictum est, anno 1644.

Lis vero cum capitulo Collegiatæ Sancti Sepulchri derivavit ex facto ipsius Josephi Testatoris; ipse quippe anno 1685., & sic longe ante conditum Testamentum, de quo supra, uti factum anno 1698. inter vivos, & irrevocabiliter solemni stipulato Instrumento, donavit capitulo Collegiatæ Sancti Sepulchri tam Diversorium, quam

quam Vineam, reservato sibi, quoad usque viveret, usufructu, & ulterius statuto, quod omnia bona sua mobilia in auro, argento, aliisque rebus consistentia post suum obitum distribuerentur tribus Puellis orphanis per Antonium Lombardi Vicarium Collegiatæ Sancti Sepulchri donationi præsentem, & quod pretium vini, & doliorum erogaretur juxta præceptum illi oretenus insinuatum; & in hujus sequelam donationis fuit a Capitulo introductum judicium immissionis ad bona in donatione comprehensa, non obstante, quod Joseph Testator in Testamento condito anno 1698. sub obtentu, quod sibi aliquot ante dies innotuisset a nonnullis circumferri, quod omnia bona sua anno 1685. inter vivos donasset Clero, & Capitulo Sancti Sepulchri, protestatus fuisset, quod donatio fuerat nulla, & invalida, utpote a se facta, dum gravi oppressus infirmitate sensibus erat destitutus, & mente alienatus.

Ab hac factorum serie, quæ tot sibi invicem repugnantes actus complectitur, tam Monasterium, quam Capitulum ad eum sensum inducti sunt, ut existimaverint sibi satius esse ad transactionem devenire cum Equite Francisco Marullo; cumque ad eam deventum fuerit, reservato Beneplacito Apostolico, & pro ejus confirmatione juxta morem recursus habitus fuisset ad hanc Sacram Congregationem, ipsa *die* 8. *Julii* 1713. rescripsit, *quod exhiberetur minuta concordiæ*, exhibitaque minuta concordiæ *die* 18. *Novembris ejusdem anni*, rescripsit, *Eminentissimo Pico, qui dignetur Sacram Congregationem reddere instructam, & votum suum aperire, audita Religione Hierosolymitana*; cumque Eminentia Sua munus sibi commissum strenue adimpleverit, & suffragium, quod circumfertur, exaraverit, in quo tenor concordiæ, una cum dubitationibus, quæ excitari possent, & responsionibus adeo plene, & luculenter exponitur, ut actum agere viderer, si aut tenorem concordiæ, aut animadversiones circa ipsam in præsenti folio insererem, nihil aliud superest, quam quod decernatur

An concordiæ sint confirmandæ in casu &c.

Sacra Congr. die 8. Februarii 1721. respondit,

Esse confirmandas juxta votum Eminentissimi Relatoris, & deveniatur ab Equite Marullo ad erectionem Commendæ.

QUÆSTIO CC.

In Causa Parisiensi Dispensationis, die 25. Januarii 1721.

INSIGNIS Sacrorum Canonum Doctor, & in Romana Curia per multum temporis spatium laudabiliter versatus, Martinus Navarrus testatur Summos Pontifices sæpe cum Diaconibus dispensasse, ut matrimonium contrahere possent, quemadmodum colligitur ex ejus *consil.* 37. *num.* 12. *lib.* 3. ibi --- *frequentissime Summi Pontifices dispensaverunt super Voto solemnizato per susceptionem Subdiaconatus, & Diaconatus in Hispania præsertim, ubi etiam nos cognovimus dispensatos, & in Italia, ut frequenter audivimus*, quod ipsum repetit *sequenti consilio* 38. *num.* 11. & concordat, nonnulla referens exempla *Card. de Laurea in quart. sent. tom.* 3. *disp.* 9. *art.* 9. §. 5. *num.* 204. nec dissentit *P. Maurus in Theologia to.* 3. *lib.* 13. *pag.* 289. *num.* 16. ibi --- *Pontifex sæpe dispensavit, ut Sacerdotes, & Diaconi ducerent Uxores, non enim dispensat in Jure divino observandi votum, sed relaxat votum factum per voluntatem hominis, itaut amplius non obligent*; E contra autem *Card. Albitius in suo tractatu de inconstantia in fide cap.* 36. *n.* 134. hæc habet, *ego tempore mei Assessoratus vidi plures Summos Pontifices dispensasse, ut qui erat in Ordine Subdiaconatus, posset contrahere matrimonium, in Diaconatu constitutos fere nunquam, in Sacerdotio nunquam dispensatos, multo minus in Episcopatu.*

At quidquid sit de his, quando constat Ordines Sacros fuisse receptos per vim, & metum cadentem in constantem Virum, circumstantia hæc dispensationem efficit absque dubio faciliorem, adeoque quidquid sit de disputatione, quæ fit inter Doctores, an sicuti recipiens Ordinem Sacrum per coactionem non absolutam, sed conditionalem, non præcisam, sed causativam, vere recipit characterem, ita etiam teneatur ad continentiam, ex quo votum continentiæ est Sacro Ordini annexum, uti videri potest *in prima, & secunda decis. coram Cæsare de Grassis tit. de his, quæ vi, metusve causa fiunt*, hoc unum certum esse videtur, quod metus, licet conditionalis præstat Pontifici justam causam dispensandi a Voto continentiæ, quod est Sacro Ordini annexum, uti habetur in citata *decis. prima in fine* ibi --- *ideo Domini magis securum esse existimabant, quod iste Franciscus impetraret dispensationem omnino a Papa, & dicebant, quod hujusmodi metus præstat justam causam, illam concedendi*, & cohærenter ad hæc, quando in hac Sac. Congregatione non fuit comprobatus metus, eadem Sanctissimo consilium præstitit abstinendi a dispensatione, uti contigit *in Hispalen. nullitatis Ordinis* 25. *Martii*, & 2. *Maii* 1716. & e contra consilium præstitit pro dispensatione quando sufficientes allatæ fuerunt metus probationes, uti contigit *in Ipren. Dispensationis* 16. *Decembris* 1719. Haud urgente, quod hæc exempla procedunt in terminis Subdiaconorum, & non Diaconorum, cum in utroque casu eadem militet ratio, quod scilicet votum continentiæ non est de substantia Ordinis, sed illi accidentaliter annexum ex statuto Ecclesiæ, itaut ad sui essentiam requirat liberam voluntatem, qua cessante non obligat, uti recedendo a binis præcedentibus decisionibus, firmavit *Rota decis.* 870. *num.* 1. & 2. *coram Emerix juniore.*

Per hanc semitam procedendo, Carolus de Coetlogon Vir nobilitate conspicuus, cujusque Familia inter Britanniæ antiquiores adscripta, consanguinitatis, & affinitatis vinculo conjuncta est cum Illustrioribus Regni Franciæ Familiis, Sanctissimo Domino Nostro exposuit, se per vim, & metum a Patre incussum, Subdiaconatum, & Diaconatum recepisse, enixe supplicando pro dispensatione super voto continentiæ, & a Sanctitate Sua preces fuerunt remissæ ad hanc Sacram Congregationem.

Ad probationem autem metus descendendo, Carolus inquit se eam fecisse eo modo quo fieri potest, juxta praxim Galliarum, & hisce potissimum turbulentissimis temporibus, affertque epistolam Sanctitati Suæ scriptam ab Eminentissimo Domino Cardinale de Bissi, quæ in Summario exhibetur, & in qua, præter cætera in ipsa legenda, continentur hæc, quæ sequuntur.

Dicit Eminentia Sua in citata epistola, primo se audivisse Patrem de Tournemine Religiosum Societatis Jesu, & Sanctitati Suæ bene cognitum, Carolique Oratoris nepotem, qui asseruit sibi constare, Marchionem de Coetlogon suum magnum Avunculum violentæ admodum naturæ minatum fuisse Carolo filio exhæredationem, ni Sacros Ordines Subdiaconatus, & Diaconatus suscepisset, eumque utpote spatio sex annorum Ordines recipere recusantem spoliasse annuo reditu duarum millium centum, & amplius librarum Turonensium ipsi assignatarum, & Carolum denique manifesta semper indicia dedisse suæ aversionis a Sacrorum Ordinum susceptione, uti fusius legitur in citata epistola.

Refert secundo, se audivisse Ludovicam de Coetlogon Caroli Patruelem, quæ, post redditam attestationem de violenta memorati Patris natura, addidit notorium toti Familiæ fuisse, Oratorem per vim, & metum sibi a Patre incussum, fuisse Sacris Ordinibus initiatum, Patremque voluisse, ut ille a Seminario S. Sulpitii exiret, ex quo Superiores, qui ejus aversum animum bene noverant, nolebant, quod ad Ordines Sacros promoveretur.

Refert tertio, se audivisse Sacerdotem Laurentium de la Garde Cæremoniarum Magistrum in Parochia, & Seminario S. Sulpitii, virum tum ætate, tum moribus gravem, quique a Patre electus fuit, ut filii curam haberet, & eum induceret ad statum Ecclesiasticum, dictumque Sacerdotem narrasse se pluries Patri notificasse, quod filius nolebat Ordinibus Sacris initiari, & quod ad eos vocatus non erat, quodque Pater obduratus respondit ad se, & non ad alios pertinere judicium ferre de vocatione filii sui, addendo Carolum aliquando noluisse suum nomen inscribi in Albo Ordinandorum, nec se eum unquam vidisse Subdiaconalia, aut Diaconalia munera exercentem, quæ circumstantia fuit etiam exposita a Ludovica secunda Teste.

Refert quarto se audivisse Joannem Sourdrille Civem Parisiensem, qui per multum temporis spatium Cellerarii Officium exercuit in domo Marchionis de Coetlogon, qui inquit ab eo fuisse Carolum filium bis e domo ejectum, & pluries percussum propter aversionem, quam habebat a statu Ecclesiastico, & a Sacris Ordinibus, fuisse ulterius a Patre spoliatum annuo reditu duarum mille centum, & tringinta quinque librarum, itaut Carolo ad miseriam redacto, ipse pietate motus nummos pro substentatione aliquando subministraverit.

Refert denique se audivisse Parochum S. Sulpitii Languet de Gergis, Pastorem maximopere commendabilem, tum propter zelum animarum, tum propter eximiam venerationem, quam erga Apostolicam Sedem profitetur, qui

qui dixit, se suis litteris Sanctissimo Domino Nostro exposuisse, quod Carolus invito animo fuerat Sacris Ordinibus initiatus.

Præter epistolam memoratam Eminentissimi Domini Card. de Bissi, affertur epistola Patris de Tournemine scripta Sanctissimo Domino Nostro, una cum testimonio relati Parochi S. Sulpitii, in quibus invitus Caroli animus, Patris durities, ejusque malæ artes, ut filius Sacros Ordines reciperet, exponuntur.

Quibus proinde concurrentibus, quæritur

An sit locus dispensationi super voto continentiæ in casu &c.

Sacra Congr. respondit

Dilata, & coadjuventur probationes juxta instructionem.

vide infra f. 136.

QUÆSTIO CCI.

In Causa Montis Falisci, die 25. Januarii 1721.

IN ultimo, cum quo decessit testamento condito *anno* 1628. Lucia Portici de Valentano Diœcesis Montis Falisci hæredem instituit Sacerdotem Fiditium Cardarelli, eumque gravavit onere quo ad usque viveret celebrandi quatuor Missas quolibet mense, secutoque ejus obitu, demandavit, ut ex omnibus suis bonis erigeretur Beneficium cum onere perpetuæ celebrationis quatuor pariter Missarum quolibet mense pro anima sua, suæque Matris, & suorum Cognatorum.

Anno 1632. Fiditius hæres comparuit in Curia Episcopali Montis Falisci, & exposuit, se nolle expectare ultimum vitæ spiritum, & sic se in honorem Sanctissimæ Trinitatis erigere velle perpetuum Ecclesiasticum Beneficium de dictis bonis hæreditariis; cumque juxta ea, quæ fuerant a Lucia demandata, quatuor tantum Missæ essent quolibet mense celebrandæ, uti supra dictum est, ipse addidit onus alterius Missæ qualibet hebdomada pro anima sua, & suorum, necnon onus quoque imposuit Beneficiato personalis residentiæ in Ecclesia Majori Valentani, & servitii in Divinis in eadem Ecclesia, prout Archipresbyter, & Canonici ejusdem residere, & interesse tenentur, & Episcopus Beneficium erexit, Canonicatum nuncupatum cum oneribus a Fiditio expressis, & ad ejus nominationem instituit Clericum Joannem Naldium.

Clericus hic, aliique duo in Beneficio successores onera imposita in erectione impleverunt; at *anno* 1718. delato Beneficio ad Clericum Ferdinandum Scaglionum, cum hic recursum habuisset ad hanc Sacram Congregationem, exorando pro declaratione, se non teneri ad residentiam, nec ad Missas a Fiditio superadditas, sed tantum ad quatuor Missas a Lucia ordinatas, juxta morem scriptum fuit Ordinario pro informatione.

Retulit Ordinarius exposita in facto subsistere, sed Canonicos Collegiatæ asserere, quod attenta longæva observantia octuaginta octo, & amplius annorum, nequeat Ecclesia servitio, nec anima Fundatoris Missarum suffragiis fraudari, propositaque instantia inter summaria precum *die prima Octobris* 1720. rescriptum fuit, quod præfigeretur terminus Canonicis ad sua jura deducenda in Sacra Congregatione.

Præfixus fuit Canonicis terminus, cumque juxta dubium infra referendum, disputari modo contingat, an, & ad quæ onera teneatur Orator, ipse contendit se non teneri ad onus residentiæ; nec ad celebrationem aliarum Missarum præter eas, quæ fuerunt a Lucia demandatæ.

Fundamentum in hoc consistit, quod Beneficium fuit erectum ex bonis tantum hæreditariis Luciæ; cumque ipsa quatuor tantum ordinaverit Missas quolibet mense, & in Beneficii erectione non meminerit, nec locuta sit de onere residentiæ, non erat in facultate Fiditii, qui nihil de suo contribuebat, onera superaddere præter ea, quæ fuerunt a Fundatrice expressa, ut in terminis Episcopi, quod nova onera imponere nequeat Beneficiis, respondit hæc Sac. Congreg. *in una Montis Falisci* 1604. *lib.* 10. *decretorum, & in una BiteKen.* 1608. *lib.* 11. *decretorum*, & quod similiter id vetitum sit Patronis, hoc est, quod nequeant hi onera non expressa in fundatione superaddere, respondit hæc Sac. Congregat. *in una Tudertina* 12. *Martii* 1718. *& in una Florentina eadem die, & eodem anno lib.* 68. *decretorum.*

Multoque magis, cum non agatur de pingui Beneficio, sed de Beneficio non excedente annua sc. 46.

Absque eo quod obstare valeat præterita observantia, quandoquidem de ea curandum esset, si non constaret de clara intentione Luciæ, vel si non constaret, quod Fiditius bona tantum Luciæ pro Beneficii erectione assignasset.

Proposita fuit hæc Causa in Congregatione. Nulla tunc fuit capta resolutio; cumque reproposita fuerit in subsequenti Congregatione habita *die* 8. *Februarii* 1721. responsum fuit propter scissuram suffragiorum, quod iterum proponeretur; licet etenim Lucia Portici hæredem instituerit Sacerdotem Fiditium Cardarelli, eumque gravaverit onere, quoad usque viveret, celebrandi quatuor Missas quolibet mense, ejusque obitu secuto, demandaverit, ut ex omnibus suis bonis erigeretur Beneficium cum onere perpetuæ celebrationis quatuor Missarum quolibet mense, visum nihilominus fuit nonnullis, quod Fiditius, qui adhuc vivens devenit ad erectionem Beneficii, potuerit Beneficiato imponere onus residentiæ, & multo magis cum hoc novum onus fuerit approbatum ab Ordinario, & ab *anno* 1632. usque ad *annum* 1718. fuerit executioni mandatum, *juxta decis.* 1240. *num.* 4. *coram Emerix Juniore*, quod ipsum dictum fuit etiam procedere in ordine ad aliud onus duarum aliarum Missarum ab ipso superadditarum, tum ex identitate rationis, tum quia, cum Fiditius haberet facultatem præsentandi ad novum Beneficium quamlibet personam sibi benevisam, & sic incertum de incertis, potuit etiam uti hæres Luciæ, & executor ejus voluntatis, novum primo præsentato onus imponere.

Hæc sunt, quæ fuerunt in præterita Congregatione docte de more proposita.

Adeoque nunc quæritur

An, & ad quæ onera Clericus Ferdinandus Scaglionus teneatur in casu &c.

Sacra Congr. die 31. Maii 1721 respondit

Clericum Ferdinandum Scaglionum teneri ad onera tantum præscripta a Testatrice.

QUÆSTIO CCII.

In Causa Viennensi Nullitatis Professionis, die 25. Januarii 1721.

PATER Gabriel in sæculo Joannes David, natus est *die* 29. *Martii* 1683. & in Ordine Eremitarum S. Augustini fuit inter Novitios admissus *die* 16. *Septembris* 1697. & Regularem professionem emisit *die* 29. *Septembris subsequentis anni* 1698. & in præsenti instat pro restitutione in integrum adversus lapsum quinquennii a die professionis decursi.

Petitionis momentum constituitur *in cap.* 15. *sess.* 25. *de reg. & Monial.* ubi decernitur, quod in quacunque Religione professio non fiat ante decimum sextum annum expletum, & quod professio antea facta sit nulla, nullamque inducat obligationem.

Et quia memoratus P. Gabriel videt sibi opponi posse tacitam professionem, seu ratificationem, ex quo, post emissam professionem, actus explevit Professis congruentes, & quod juxta praxim in annuis exercitiis, magnisque solemnitatibus vota renovavit, vel saltem renovasse credi debet, juxta informationem Superioris localis, quem Episcopus Viennensis audivit in compilatione processus.

Hinc est, quod in eo, quod attinet ad tacitam professionem, seu ratificationem ex actibus desumptam, respondet non dari tacitam professionem, seu ratificationem, quoties, prout hic, concurrit justa, & probabilis ignorantia nullitatis suæ præcedentis professionis, de qua probabili ignorantia dicit non esse dubitandum, cum Superior in sua informatione dicat esse verisimile, quod fides Baptismatis non fuerit requisita, ne ejus Mater subjiceretur expensis, quæ erant necessariæ, ut dicta fides a Civitate Venetiarum, in qua ipse natus erat, haberetur, *juxta famigeratam decisionem* 952. *per tot. & signanter num.* 3. *& seqq. & ejus confirmatoria* 983. *coram Emerix jun.*

Et in eo, quod spectat ad renovationem votorum, subdit, de ea non esse curandum, ad effectum de quo agitur, quatenus etiam in facto subsisteret, cum hæc sit cæremonia devotionem redolens, & pietatem, sed quæ non impedit, quin de nullitate professionis dici possit, juxta resolutiones hujus S. Congreg. relatas *apud D. Ursayam par.* 1. *discept.* 1. *num.* 57. & 58. *tom.* 1.

Proposita instantia pro obtinenda restitutione in integrum, & ea non resoluta, fuit iterum de eadem reactum in Congregatione habita *die* 8. *Februarii subsequentis*, & responsum fuit, *ex hactenus deductis non esse locum restitutioni in integrum.*

Momentum fuit repositum in tacita professione, seu ratificatione desumpta ex actibus ab ipso factis per tantum temporis spatium, & licet concurrente probabili ignorantia nullitatis professionis emissæ, re mature in Auditorio Rotæ discussa, resolutum fuerit, nec tacitam professionem, nec ratificationem sibi locum vindicare posse, ut in terminis Religiosi, qui natus erat *die* 7. *Martii* 1663. & in libro Baptismatum per errorem fuerat descriptus

tan-

tanquam natus *anno* 1662. quique sub ea justa credulitate legitimæ ætatis professionem emiserat, quod concurrente probabili ætatis ignorantia, & consequenter ignorantia nullitatis professionis non potuerit ex actibus subsequenter gestis induci tacita professio, vel antecedentis professionis ratificatio, insequendo resolutiones hujus Sac. Congregationis firmavit eadem *Rota decis.* 952. *& decis.* 983. *coram Emerix Juniore*, hæc tamen, & similia visa sunt non prodesse intentioni Oratoris; cum simplex allegatio ignorantiæ ætatis, & sic nullitatis Professionis non excludat tacitam Professionem, seu ratificationem ex actibus subsecutis derivantem, nisi prædicta ignorantia circumstantiis, conjecturis, validisque adminiculis munita sit, uti videre est in citata *decis.* 952. *sub n.* 23. *coram Emerix Juniore*, quæ omnia in præsenti hypothesi Sac. Congregationi in præterita propositione visa sunt non fuisse justificata.

Ut itaque Pater Gabriel impleat ea, quæ in præteritis deficere dicta sunt, in sua scriptura per manus circumferenda, ponderandum proponit, primo, quod ipse natus est in Civitate Venetiarum, secundo, quod in infantili ætate constitutus Viennam in Austria petiit, ubi deinde professionem emisit, tertio, quod non fuerunt petitæ litteræ baptismales, quando professus est, quarto demum, quod semper permansit in Civitate Viennæ usque ad annum circiter 1718. quo tempore, cum accesserit ad Civitatem Venetiarum, illa occasione vidit fidem Baptismatis, & errorem agnovit, & statim reclamare cœpit, & hæc omnia simul juncta asserit satis esse pro suadenda probabili ignorantia, tum ætatis, tum nullitatis Professionis, itaut exclusa remaneat tacita professio, seu ratificatio.

Quibus stantibus, quæritur

An sit standum, vel recedendum a decisis.

Sacra Congr. die 13. Septembris 1721. respondit,
In Decisis.

QUÆSTIO CCIII.

In Causa Caputaquensi, seu Neapolitana Ordinationis, die 25. *Januarii* 1721.

FRANCISCUS dello Schiavo oriundus ex Terra S. Joannis Diœcesis Caputaquen., natusque in Civitate Neapolis, occasione, qua Cæsar suus Pater in ea commorabatur, & in qua etiam hodie commoratur, cupiens prima Clericali Tonsura initiari, petiit, sed obtinere non potuit a Curia Archiepiscopali litteras testimoniales ut primam Tonsuram recipere posset ab Episcopo Caputaquen., in cujus Diœcesi Pater habebat, & habet bona, & solvebat, & solvit onera; cumque in Congregatione habita *die* 20. *Septembris* 1715. ejus instantia fuisset proposita inter summaria precum, Sac. Congregatio habitis relationibus, tam Eminentissimi Archiepiscopi Neapolitani, quam Episcopi Caputaquen., censuit Ordinationem spectare ad prædictum Eminentissimum Archiepiscopum Neapolitanum, impetrataque subinde nova audientia, una cum descriptione in folio, modo quæritur, an sit standum, vel recedendum a decisis.

Eminentissimus Archiepiscopus Neapolitanus in sua informatione tunc transmissa, sensit Ordinationem ad se spectare, non obstante, quod Francisci Genitor in dicto Oppido S. Joannis natus fuerit; contraxit etenim matrimonium in Civitate Neapolitana, & ab eo tempore usque in præsens domum, & Familiam in eadem Civitate retinuit, itaut applicabilis sit dispositio *Bullæ* 44. *Joan. mem. Innoc. XII.* §. 13. ubi decernitur, quod si Pater in alieno loco, ubi ejus filius natus est, tamdiu, ac eo animo permanserit, ut inibi vere domicilium de jure contraxerit, tunc non origo Patris, sed domicilium per Patrem legitime contractum pro ordinatione filii attendi debeat.

Adversus hæc excipit Franciscus dello Schiavo, Cæsarem Patrem nedum natum fuisse in Oppido S. Joannis, sed semper in eodem retinuisse domum apertam, in dicto Oppido plura stabilia possidere, persolvisse, & persolvere onera, & suffragium dedisse in electione Syndici, & aliorum Officialium, accessisse ulterius ad Civitatem Neapolitanam, ut cuidam liti suæ assisteret; in quo rerum themate, cum sua nativitas in Civitate Neapolitana fuerit accidentalis, concludit, suam ordinationem pertinere ad Episcopum Caputaquen., etiam procedendo *cum allegata Bulla Innocen. XII.* quæ §. 11. decernit attendendam esse veram, & naturalem originem Patris, quando filius in alia Civitate natus est ex accidenti, & sic quando in ea Pater domicilium de Jure non contraxit.

Nec Franciscus sibi putat obesse posse longam Patris permanentiam in Civitate Neapolitana, quia, pro contrahendo domicilio, non sufficit habitatio decennalis, sed requiritur transportatio majoris partis bonorum, una cum juramento, in quo declararetur animus perpetuo permanendi in loco, uti cavetur *in sæpe citata Bulla* §. 14. quando nec transportatio majoris partis bonorum in casu est verificata, nec animus adfuit Patris contrahendi domicilium, & tam a se, quam a suo Patre jam emissum est juramentum de voluntate redeundi ad Oppidum S. Joannis.

His stantibus, quæritur

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

Sacra Congr. die 8. Februarii 1721. respondit,
Recedendum a decisis, & ordinationem spectare ad Episcopum Caputaquen. cum litteris Testimonialibus Eminentissimi Archiepiscopi Neapolitani.

QUÆSTIO CCIV.

In Causa Hydruntina Matrimonii, die 25. *Januarii* 1721.

CUM rumor increbuisset, quod Catharina Arcudi de Terra S. Petri in Galatina Diœcesis Hydruntinæ stuprum passa fuisset a Clerico Antonio Lobello ipsi in secundo consanguinitatis gradu conjuncto, memoratus Clericus Antonius, ne quid adversi pateretur, se transtulit ad Conventum Patrum Cappuccinorum ejusdem Terræ, & ad aliud subinde transivit consugium.

Pater, Frater, cæterique Catharinæ consanguinei, ut matrimonium inter ipsam, & Clericum Antonium sequeretur, ad Neapolitanum Proregem recursum habuerunt, & ab eodem obtinuerunt, quod Thomas Lobellus Antonii Pater carceribus manciparetur in Regio Castro Gallipolis, & quod deinde a Castro Gallipolitano ad aliud Pescariæ in Aprutio transportaretur, quodque Matri, & Sorori germanæ Antonii, domus pro careere assignaretur, & quod demum alter ejusdem Frater Clericali licet militiæ adscriptus in Castro Brundusino carceratus remaneret, arreptoque ab altero ex fratribus Catharinæ itinere ad Urbem, exhibitoque Sanctissimo Domino Nostro tam nomine Catharinæ, quam nomine Antonii supplici libello pro gratia dispensationis super secundo gradu, ob copulam secutam, post expeditam gratiam, ipsamque pro executione commissam bon. mem. Archiepiscopo Hydruntino, fuit ab eo data Parocho licentia assistendi matrimonio, matrimonioque contracto *die* 19. *Novemb. anno* 1714. in Ecclesia Patrum Reformatorum Terræ Galatinæ, cum omnibus debitis solemnitatibus, Joannes Thomas Clerici Antonii Pater fuit illico e carceribus liberatus, nullaque interposita mora Antonius a Patria discessit, nec ad eam unquam reversus est, uti desumitur ex informatione Vicarii Capitularis ad hanc Sac. Congregationem transmissa.

Matrimonium hoc Antonius prætendit nullitate laborare, utpote contractum per vim, & metum cadentem in constantem virum, metumque constituit in supra recensita facti serie, in carcerationibus videlicet proprii Parentis, aliorumque sibi conjunctorum, & ad propriæ aversionis comprobationem, nec non ad ostendendum, quod ad contractum matrimonii devenit, ut se, suosque a vexationibus liberaret, Testes exhibet Religiosos, quibus suam ante matrimonium patefecit voluntatem, nec non protestationem a se emissam coram P. Guardiano Cappuccinorum, aliisque Sacerdotibus *die* 7. *Octob.* 1714. in qua inquit, quod si unquam, aut per verba de futuro, aut per verba de præsenti in facie Ecclesiæ matrimonium cum Catharina esset contracturus, illud contractum intelligi deberet non libero, sed coacto consensu, & ad effectum prædictum suam liberandi domum ab excessivis molestiis. Pro eodem assumpto affert supplices libellos a se Sacris Congregationibus porrectos, in quorum altero ante contractum matrimonium exaggeravit nomen suum fuisse dolose, & citra suam intentionem appositum in precibus, in quibus Sanctissimo Domino Nostro supplicatum fuit pro obtinenda dispensatione in secundo gradu ob copulam secutam. Ponderandum denique proponit suum immediatum a Patria discessum, ab Ordinario in sua Relatione, & a Testibus comprobatum, & quia bene novit sibi a Catharina esse opponendam declarationem, in qua confessus est se cum ea rem habuisse sub spe futuri matrimonii, inquit, declarationem eodem defectu laborare, quo laborat matrimonium, cum eam emiserit, ut Joannem Thomam Genitorem, qui in Castro detinebatur, liberaret, juxta revocationem declarationis a se subinde factam.

Fuerunt hæc omnia bene ponderata, & examinata in hac Congregatione, sed cum EE. PP. punctum Causæ consultere arbitrati fuerint in probatione stupri, quod ab Antonio Lobello commissum dicebatur cum Catharina, quodque commissum credi non poterat nisi sub expressa fide matrimonii, ex quo agebatur de honesta Puella, quæque ortum ducebat a Familia principaliori inter eas S. Petri in Galatina, quasi quod, concurrente qualitate stupri, matrimonium nullum dici non posset, licet fuisset meticulose contractum, *juxta late deducta per Raynal. tom.* 2. *observ. crim. cap.* 23. §. 4. *num.* 66. *& seqq. & præsertim num.* 71. *& aliis sequentibus*, hinc factum est, quod in hac Congregatione nulla fuit super validitate, vel invaliditate matrimonii capta resolutio, sed tantummodo dictum est, quod coadjuvarentur probationes juxta instructionem.

Descendendo ad instructionem, cum præcipua probatio stupri desumeretur ex attestationibus extrajudicialibus cujusdam Sacerdotis Dulcii, nec non Joannis Græci Pharmacopolæ, qui confessionem quandam extrajudicialem Antonii de stupro commisso enarrabant, fuit in instructione demandatum, quod Vicarius Capitularis Hydruntinus utrumque ex dictis Testibus examini formali subjiceret, & quatenus Joannes renuisset examini se subjicere, procederet adversus ipsum ad censuras; cumque habita fuerit notitia, quod aderat in Urbe Vir Ecclesiasticus qualibet exceptione major, qui totam seriem petitæ, & obtentæ dispensationis sciebat, & signanter, an eadem fuerit petita etiam de consensu Antonii, & ejus Genitorum, fuit mihi demandatum, ut eum extrajudicialiter audirem, & ejus sensum Sac. Congregationi oretenus patefacerem, prout alias paulo ante factum fuerat in alia Causa Nullitatis Professionis Monialis Pallavicinæ.

Cohærenter ad hæc, fuerunt datæ litteræ ad Vicarium Capitularem Hydruntinum, qui commissum munus adimplevit. Propofita igitur hac Causa iterum in Congregatione habita *die* 23. *Augusti* 1721. cumque tunc non fuerit resoluta, proposito in sequenti Congregatione habita *die* 13. *Septembris ejusdem anni* dubio, *an Matrimonium sit validum in casu &c.* responsum fuit *affirmative*. Impetrataque ab Antonio Lobello nova audientia, quæsitum fuit

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

Sacra Congr. die 21. Novembris 1722. respondit
In decisis & amplius.

QUÆSTIO CCV.

In Causa Nullius, seu Farfensi Reaptationis Ecclesiæ, die 8. *Februarii* 1721.

ECCLESIA Parochialis Sancti Petri in Penna, quæ est sita in Civitate Firmi, & quæ uti membrum Abbatiæ Farfensis, subjecta est jurisdictioni Eminentissimi Abbatis, reparatione indiget, & restauratione, tam in tecto, quam in aliis partibus; cumque Beneficia existentia in Ecclesia Parochiali S. Salvatoris, quæ erat etiam membrum Abbatiæ, quæque auctoritate Apostolica fuit concessa Patribus Societatis Jesu, fuerint translata ad prædictam Ecclesiam S. Petri una cum suis titulis, juribus, oneribus, & honoribus, instante Promotore Fiscali, Visitator ad restaurationem condemnavit Parochum, aliosque Beneficiatos habentes sua Beneficia in dicta Ecclesia, ad ratam, & proportionem redituum, reque delata ad hanc Sacram Congregationem, eadem *die* 11. *Septembris* 1717. negotium remisit ad Eminentissimum Abbatem, qui provideret, & procederet, prout de jure.

Non potuit Eminentissimus Abbas opportune cogere Beneficiatos ad necessariam reaptationem, cum iidem sint extra Diœcesim Farfensem, habitoque idcirco iterato recursu ad hanc Sac. Congregationem, disputandum proponitur dubium infra referendum.

Quod Parochus, cæterique habentes Beneficia in Ecclesia Parochiali, adstringi debeant ad ejus reaptationem, probari dicitur *ex cap.* 7. *sess.* 21. *de Reformatione*, ubi statuitur, quod Parochiales Ecclesiæ instaurari debeant ex fructibus, & proventibus ad illas quomodocunque pertinentibus, qui, si non fuerint sufficientes, instaurationis expensam esse suppeditandam a Patronis, & aliis, qui fructus percipiunt, provenientes ex dictis Ecclesiis, & in illorum defectum cogendos esse Parochianos.

Quod pariter huic oneri subjecti sint Beneficiati, licet eorum Beneficia fuerint fundata in alia Ecclesia, dummodo translata sint ad eam, quæ indiget reparatione, resolutum fuit ab hac Sacra Congregatione *die* 24. *Martii* 1657. *in quadam Causa Narnien. lib.* 20. *Decretor. pag.* 197. cum enim secundum dubium in dicta Causa disputatum sequentibus verbis esset conceptum, *an possit Episcopus in actu visitationis Beneficiatos condemnare quacunque Ecclesiastica dignitate præfulgeant, & etiam Palatinorum privilegiis gaudeant, ad resarciendam Ecclesiam, in quam transferuntur tituli, quatenus restauratione indigeat, nec non ad erigendum Altare in dicta Ecclesia*: responsum fuit *ad secundum, Rectores Beneficiorum, etiam in quacunque dignitate constitutos, teneri, post translationem sequutam, ad futuram restaurationem Ecclesiarum, ad quas Beneficia fuerunt translata.*

His stantibus, quæritur

An, & a quibus sit contribuendum in reaptatione Ecclesiæ Parochialis S. Petri in Penna Firmanæ Diœcesis in casu &c.

Sacra Congr. respondit
Esse contribuendum a Parocho, & Beneficiatis ad ratam redituum, & amplius.

QUÆSTIO CCVI.

In Causa Romana, seu Januensi Legati, die 8. *Februarii* 1721.

AB anno 1704. usque ad annum 1719. Sacra hæc Congregatio fuit semper in sensu, quod Justiniani Chienses essent admittendi ad participationem Legati Marchionis Vincentii Justiniani, constito tamen de eorum paupertate, nec non de descendentia a Justinianis Civitatis Januensis, uti colligi potest ex resolutionibus hujus ejusdem Sacræ Congregationis bene notis.

E contra Auditorium Rotæ fuit semper in sensu, quod in puncto Juris, & citra subsidium gratiæ, non possent Justiniani Chienses admitti ad participationem dicti Legati, uti desumitur *ex decis.* 778. 805. 897. *coram Emerix Juniore, & ex Januen. Legati* 5. *Maii* 1698. *coram clar. mem. Cardinali La Tremoille, & rursus ex decis.* 1064. *coram eodem Emerix Juniore*, quæ fuit confirmata *die* 7. *Junii* 1712. *coram Eminentissimo Scotto, &* 22. *Novembris* 1715. *coram Reverendissimo Archiepiscopo Ravennatensi.*

Ad tollendam hanc opinionum contrarietatem circa unum idemque Testamentum, Sanctissimus Dominus Noster operæ pretium esse censuit Congregationem particularem deputare EE. DD. Tanarii, Corradini Præfecti hujus Sacræ Congregationis, Paracciani, nec non RR. PP. DD. Marefuschi, Lancettæ, Cerri, Herreræ, Corii, & mei Secretarii hujus Sac. Congr. & dictæ Congr. particularis, habitaque Congregatione in ædibus Eminentissimi Tanarii *die* 13. *Septembris* 1720. communi omnium suffragio, prævaluit Sententia hujus Sacræ Congregationis, & responsum fuit, *Justinianos Chienses non commorantes in Insula Chiensi, & probantes suam descendentiam a Familia Justinianorum Januæ, mediante descriptione, vel propria, vel alicujus ex Progenitoribus in Libro Aureo Reipublicæ, esse admittendos ad participationem Legati Marchionis Vincentii*, & ad tramites hujus resolutionis expedita fuit Sententia.

Procedendo juxta sensum dictæ Sententiæ, Thomas, & Marietta Conjuges de Justinianis, qui binas habent filias, quæ educantur in Monasterio S. Laurentii in Pennna, humiliter instant pro aliqua assignatione ex legato Marchionis Vincentii, quæ tam pro suis, quam pro filiarum alimentis sufficiat.

Petitionis fundamentum constituitur in paupertate, in sua mora extra Insulam Chiensem, & in sua descendentia a Familia Justinianorum Januæ, mediante descriptione in libro Aureo Reipublicæ aliquorum ex suis Progenitoribus.

Pro hoc assumpto comprobando, in eo quod attinet ad Thomam, cum ipse sit Frater Xaverii, & Pater Francisci, & Pantaleonis, si ab hac Sacra Congregatione *die* 3. *Septembris* 1718. fuerunt ex legato Marchionis Vincentii assignata Xaverio scuta octo menstrua, & Francisco, & Pantaleoni ultra necessarias expensas pro ingressu in Seminarium Montis Falisci, quæ fuerunt taxatæ in scutis 140. resolutum fuit, quod subministrarentur scuta 72. annua pro quolibet, probationes, quæ tunc allatæ fuerunt, & admissæ pro Xaverio Fratre, & pro Francisco & Pantaleone ejus Nepotibus, videtur, quod suffragari debeant Thomæ, qui est Frater Xaverii, & Pa-

ter Francisci & Pantaleonis. In eoque quod spectat ad Marietram, de suæ descendentiæ probatione, dicitur non esse dubitandum, cum Pater suus, & suus germanus Frater sint in libro Aureo Reipublicæ descripti, & cum ipsa sit in tertio consanguinitatis gradu conjuncta cum Thoma Marito, itaut Matrimonium prævia dispensatione Apostolica fuerit contractum, concludendo, quod si Thomas, & Marietta sunt de uno, eodemque stipite, certa etiam & bene probata dicenda est descendentia tam unius, quam alterius in casu, & ad effectum de quo agitur.

E contra nomine Familiæ Justinianæ Januensis supplex exhibetur libellus, in quo non impugnatur, Mariettam descendere ex linea admissa ad nobilitatem Januensem, sed contenditur consimilem descendentiam non esse probatam in ordine ad lineam Thomæ, & quia tam scriptis, quam voce Domini de dicta familia Januensi fuerunt traducti, ex quo ad libitum, & sine ponderatione requisitorum, distributionem facerent legati Marchionis Vincentii, in citato supplici libello exoratur, ut sumatur informatio ab Eminentissimo Archiepiscopo Januensi de numero, & statu Personarum, inter quas facta fuit, & fit distributio, & ulterius insinuatur, primo, quod annuus fructus multiplici, deductis deducendis, ascendit ad scut. 2611. 54. secundo, quod Justiniani Chiensis sunt numero quatuordecim, & sic quod ipsi fruuntur scutis annuis 1556. habita ratione scutorum 10. quolibet mense pro unoquoque, tertio, quod detractis scutis 100. quæ ad Insulam Chiensem, juxta præceptum Marchionis Testatoris, transmittuntur, remanent pro Justinianis Januensibus scuta 737. 4. Cumque hi Justiniani Januenses sint septuaginta quatuor, infertur, quod ad unumquemque ex ipsis deferuntur scuta 9. 96. quolibet anno, quando unusquisque ex Justinianis Chiensibus quolibet mense recipit scuta 10. circiter.

His stantibus, quæritur

An, & quæ summa subministranda sit ex Legato Marchionis Vincentii Justiniani in casu &c. & ad effectum &c.

Sacra Congr. die 31. Maii 1721. respondit

Dilata, & scribatur Eminentissimo Archiepiscopo juxta Instructionem, & deputentur ab Eminentissimo Præfecto Ratiocinatores pro Revisione multiplici, & iterum consignentur Thomæ scut. 60. in causam declarandam.

Porro instructio, transmissa ad Eminentissimum Archiepiscopum Januen. ad hæc sequentia capita fuit reducta, ut ipse videlicet informare dignaretur circa numerum Justinianorum, qui in Civitate Januensi de legato Marchionis Vincentii participant. Item circa eorum qualitatem, an scilicet revera sint pauperes, & quo paupertatis genere, & demum circa modum, quo fit distributio, an fiat nempe pro unaquaque Familia, vel singulis personis Familiarum. Supervenit informatio Eminentissimi Archiepiscopi, quæ juxta rescriptum editum *die* 23. *Augusti* 1721. debet in Summario scribentium exhiberi, quocirca quæritur

I. An, & quæ summa subministranda sit ex legato Marchionis Vincentii, Thomæ, & Mariettæ de Justinianis in casu &c.

II. An Apollonia Justiniana sit admittenda ad participationem legati bon. mem. Marchionis Vincentii Justiniani, & quatenus affirmative, pro qua summa in casu &c.

Sacra Congr. die 7. Februarii 1722. respondit

Ad primum, subministrandam esse summam scut. 15. quolibet Mense tam pro Thoma, & Marietta, quam pro filiabus, ad secundum subministrandam esse summam scutorum sex pro quolibet mense.

QUÆSTIO CCVII.

In Causa Ariminensi Matrimonii, die 8. Martii 1721.

HELENA Zoill, quæ Matrimonium per verba de præsenti contraxit cum Daniele Giupponi *anno* 1713. eum deinde in jus vocavit, contendendo Matrimonium fuisse nullum propter impedimentum impediens, & dirimens, impotentiæ videlicet perpetuæ prædicti Danielis.

Tota facti series fuit exposita in folio Congregationis habitæ *die* 16. *Martii* 1720. quod poterit benigne reassumi. Tunc autem fuit disputatum dubium, *an constet de validitate matrimonii, sive potius sit locus dissolutioni illius in casu*, & hæc Sacra Congr. *distulit resolutionem, censuitque faciendum esse experimentum triennalis cohabitationis, vel alterius brevioris temporis, arbitrio ejusdem Sac. Congregationis, & ad mentem*, & mens fuit, *quod antecedenter fieret a Daniele experimentum medicamentorum propositorum a Domino de Paulis, & quod probatio medicamentorum adhibitorum exhiberetur Sac. Congregationi, ut deinde determinaretur tempus cohabitationis.*

In hujus rescripti executionem Daniel peregit ea, quæ D. de Paulis censuit esse peragenda juxta documenta in Secretaria exhibita, quæque in Summario referuntur.

Adeoque nunc quæritur

I. An constet de validitate Matrimonii, seu potius sit locus illius dissolutioni in casu &c. & quatenus negative.

II. An sit locus cohabitationi triennali vel alterius brevioris temporis in casu &c.

Sacra Congr. respondit

Ad Primum, Dilata. Ad secundum affirmative pro tempore S. Congregationi bene viso.

QUÆSTIO CCVIII.

In Causa Fulginatensi, die 31. Maii 1721.

INTER cæteras Constitutiones, quæ factæ dicuntur pro Ecclesia Cathedrali Fulginaten. a quodam Legato de Latere anno 1485. hæc habetur, *che li Canonici di detta Chiesa possano servire in Coro all'ore canoniche uno per l'altro nel giorno che non sono obbligati a servire per se, e così è stato sempre osservato.*

Anno 1587. excitata fuit controversia, an statutum prædictum licet antiqua observantia vallatum, adversaretur Sac. Concil. Trident. *sess.* 23. *cap.* 12. *de reform.* & Sac. hæc Congregatio censuit permittendum esse Canonicis, *ut se invicem substituere possent, dummodo, qui substituitur, eo die non teneatur ad servitium.*

Contendit in præsenti Promotor Fiscalis, quod hæc facultas Canonicorum sese invicem substituendi non habet locum, quando substituentes absunt a Civitate, & ejus Suburbiis, & e contra Canonici contendunt in sequelam præsertim immemorabilis facultatem sese invicem substituendi procedere etiam in hypothesi, in qua substituentes absint ab Urbe, & ejus Suburbiis.

Pluries in Sac. Congregatione actum fuit de facultate Canonicorum sese invicem substituendi, *in Alatrina* videlicet *die* 24. *Martii* 1612. *tom.* 11. *decret. pag.* 112. ibi -- *Sac. Congreg. respondit ad primum, eos tantum, qui in Civitate, ubi est Cathedralis, vel in ejus Suburbiis sunt præsentes, non autem alios posse substituere. Ad secundum, causam non requiri ad substituendum. Quod vero monuit Congregatio, ut Episcopo cordi sit, ne Canonici ea substituendi facultate abutantur, eo respexit, ne substitutiones hujusmodi sint nimium frequentes, quod Episcopi erit arbitrio. Ad quartum, absentes in Castro Diœcesis non posse substituere.*

Rursus Sac. hæc Congregatio *in Callien.* 29. *Julii* 1628. *lib.* 13. *decret. pag.* 490. *& in Leirien.* 7. *Septembris* 1630. *lib.* 14. *decret. pag.* 336. declaravit posse Canonicos ad invicem se substituere, dummodo non substituantur ii, qui eodem prorsus tempore addicti sunt servitio Ecclesiæ, & Episcopum curare debere, ne Canonici hac facultate substituendi abutantur.

Die quoque 21. *Februarii* 1682. Canonici Tiburtini, supposita consuetudine sese invicem substituendi, quando substituentes a Civitate, vel a Suburbiis non sunt absentes, & quando illi, qui substituuntur, non sunt addicti servitio Ecclesiæ, supplicarunt pro facultate substituendi etiam in casu, quo ad S. Domum Lauretanam, vel ad Urbem, nec non cætera loca per viginti milliaria circum circa se conferrent, & responsum fuit *negative*.

Tandem *in Causa Ferentina Juris substituendi* 17. *Novembris* 1685. cum Episcopus reprobasset in actu visitationis modum inserviendi per Substitutum, & Capitulum reclamasset, allegando antiquum decretum Capitulare editum *die* 1. *Januarii* 1621. Sac. Congregatio respondit prædictam resolutionem Capitularem, nec non decretum ab Episcopo editum reduci debere ad formam resolutionum Sacræ Congregationis editarum *in Alatrina, Callien. & Leirien. supra allegatis* uti videre est *lib.* 35. *decret. pag.* 454.

His stantibus, quæritur

An Canonici, & Capitulares Ecclesiæ Cathedralis Fulginaten. absentes a Civitate, ejusque Suburbiis possint sese invicem substituere in servitio Chori, in casu &c.

Sacra Congr. respondit

Negative.

QUÆ-

QUÆSTIO CCIX.

In Causa Romana Expeditionis Litterarum Apostolicarum, die 31. Maii 1721.

SANCTISSIMUS Dominus Noster *anno* 1719. contulit Georgio Enrico Kroch Beneficiatum S. Petri, imposita pensione scut. 130. nominatoque ad ratam scut. 50. dictæ pensionis Desiderio Albano in eadem Basilica Vaticana Beneficiato.

Signata supplicatione, cum memoratus Clericus Desiderius Albanus expedire deberet litteras Apostolicas, & pro expeditione, aliisque suis indigentiis indigeret pecunia, receptis scut. 190. transtulit jus exigendi pensionem in Fratres de Barigionis, apposito pacto redimendi quandocunque in duabus vicibus, factaque ex memorata sum. ma scut. 190. relaxatione scut. 50. in manibus memoratorum Fratrum de Barigionis pro facienda expeditione litterarum Apostolicarum.

Antequam facta esset expeditio litterarum Apostolicarum, cessit dies primi termini pensionis, cumque Barigioni Cessionarii insteterint pro ejus solutione, & decreti relaxationem obtinuerint adversus Enricum ejus debitorem, & scuta vigintiquinque exegerint pro primo termino, accedente etiam quadam familiari epistola Titularis, his exorta est super extinctione pensionis, quæ ab Auditore Sanctitatis Suæ fuit ad hanc Sac. Congregationem remissa.

De annullatione pensionis, si probetur exacta ante litterarum expeditionem, non videtur esse dubitandum; juxta late firmata per *Adden. ad Ludovis. decis.* 440. & concordat *Lotter. de re benef. lib.* 1. *quæst.* 37. *num.* 6. *& segg.* ubi refert decreta Gregorii XIII. Sixti V. & Clementis Octavi.

At difficultas, quæ urget in casu præsenti est, quod exactio non fuit facta a Titulari, sed ab ejus Cessionariis, & quod Titularis in Instrumento cessionis non solum meminit necessitatis expediendi litteras Apostolicas, sed ulterius reliquit in manibus dictorum Cessionariorum pecuniam ad dictum effectum necessariam.

Absque eo quod quidquam faciat recensita epistola familiaris, cum eadem sit relativa ad instrumentum cessionis.

Jura hinc inde circumferuntur; quocirca quæritur

An litteræ Apostolicæ reservationis pensionis sint exequendæ, & quatenus negative, an sit locus revalidatoriæ in casu &c.

Sacra Congr. die 21. Junii 1721. respondit

Ad primam partem Dubii affirmative, & amplius, & ad secundam satis provisum in prima.

QUÆSTIO CCX.

In Causa Ferentina Matrimonii, die 21. Junii 1721.

JOANNES Antonius Cardonus contendit matrimonium a se contractum cum Clarice Pisona *die* 14. *Junii* 1709. nullitate laborare, tum quia contractum fuisse dicit per vim, & metum sibi a Patre, & fratribus Claricis incussum, tum quia contractum fuit per Procuratorem, revocato ante matrimonium tacite, & expresse mandato Procuræ, quod satis est ad matrimonii nullitatem, etiamsi notitia revocationis mandati ad Procuratorem non devenerit, juxta Textum *in Capit. finali de Procuratoribus in* 6. & tandem quia in mandato Procuræ dictum fuerat, quod matrimonium contrahi deberet *juxta ritum S. Romanæ Ecclesiæ*, quo minime obstante, contractum fuit sine consuetis denuntiationibus a Sac. Concilio Tridentino præscriptis.

Excipit e contra Clarix Pisona, matrimonium esse validum, & rite, & recte fuisse contractum, non solum quia in Relatione Vicarii Apostolici Ferentini enunciatur epistola ab eodem Cardono scripta paulo post matrimonium contractum, in qua Claricem agnoscit in suam legitimam Uxorem, sed etiam quia ex relatione moderni Episcopi dictæ Civitatis habetur, quod Cardonus Claricem ad copulam induxit, & prægnantem reddidit, & deinde se transtulit ad Civitatem Setinam, ubi a consanguineis Mulieris inventus, inductus fuit ad faciendum mandatum Procuræ.

Absque eo quod mandato Procuræ objici valeat, vel quod factum fuerit per vim, & metum, vel quod fuerit revocatum, cum hæc omnia innitantur testimonio nonnullorum, & signanter cujusdam Sacerdotis Armidori, qui tanquam falsarius fuit ad Triremes damnatus.

Spreta pariter inobservantia mandati procuræ, circa omissionem denunciationum, quia etsi in mandato procuræ fuisset expresse, & litteraliter dictum, quod matrimonium contraheretur præmissis denunciationibus, matrimonium nihilominus est validum, si contrahatur iisdem omissis, quia quando exprimitur in commissione forma juris communis eo modo quo jure communi inest, non inducitur nova forma, sed tantum expressa censetur admonitio, ut jus commune servetur, ut in puncto *Sanchez de matrim. lib.* 2. *disputat.* 11. *quæst. prima num.* 18.

His stantibus, quæritur

An matrimonium sit nullum in casu &c.

Sacra Congr. die 12. Julii 1721. respondit

Non constare de nullitate Matrimonii.

QUÆSTIO CCXI.

In Causa Astensi Officii Fabricerii, die 21. Junii 1721.

ANNO præterito 1720. Canonicus Goria electus fuit ad officium Fabricerii pro futuro biennio, & cum decem & octo essent in Capitulo Canonici suffragium præstantes, undecim fuerunt pro dicta electione, & septem contra eandem electionem.

Putat Canonicus Goria hanc electionem non sustineri, vel ad minus se esse excusandum ab acceptatione officii, & Capitulum ad novam electionem procedere debere, tum quia pro eodem officio Fabricerii fuit etiam propositus Canonicus Ramellus, cumque ejus electioni in Fabricerium decem suffragia fuerint favorabilia, & septem fuerint contraria, unumque defecerit, (Capitulum etenim, uti dictum est, ex decem, & octo Canonicis erat compositum) hinc est, quod nec una, nec altera electio valida dici potest; ex deficientia quippe dicti suffragii neuter ex electis dici potest, quod habuerit majorem partem suffragiorum, tum quia decem ab hinc annis Canonicus Goria obtinuit a Sanctissimo Domino Nostro gratiam Coadjutoriæ, quæ fuit collata Canonico Cappellino, in quo rerum statu, si ipse est exemptus ab assistentia Divinis Officiis, exemptus a fortiori dici debet ab aliis canonicalibus officiis, & signanter ab illo Fabricerii, quod curam, atque laborem exposcit.

Capitulum e contra sustinet validitatem electionis, & impugnat exemptionem, quam Canonicus Goria sibi asserit ratione Coadjutoriæ, tum quia non obstante Coadjutoria, alii Canonici officia consimilia acceptarunt, & exercuerunt, tum quia Canonicus Goria, ad effectum lucrandi distributiones tam tempore hyberno, quam tempore æstivo servitium præstat Ecclesiæ, & adeo prospera fruitur valetudine, ut sæpius in laboriosa venatione se exerceat, præterquamquod Officium Fabricerii corporalem laborem non exigit, sed intellectualem superintendentiam.

Jura hinc inde circumferuntur; quocirca quæritur

I. An electio ad Officium Fabricerii in personam D. Canonici Goria sustineatur in casu, & quatenus affirmative.

II. An Canonicus Goria sit excusandus ab acceptatione dicti Officii in casu, & quatenus negative.

III. An exercere teneatur per se ipsum, vel illud exercere valeat per suum Coadjutorem, aut alium ex Beneficiatis ejusdem Cathedralis ab ipso substituendum in casu &c.

Sacra Congr. die 2. Octobris 1721. respondit,

Ad Primum Affirmative. Ad secundum negative. Ad tertium negative quoad primam partem, affirmative ad secundam, negative ad tertiam.

QUÆSTIO CCXII.

In Causa Camerinensi Legatorum, die 21. Junii 1721.

PETRUS Gentilis Berardi in suo, cum quo decessit Testamento condito *die* 23. *Augusti* 1672. suam hæredem universalem instituit Eufrasiam Uxorem, a qua in suis infirmitatibus, quas passus fuerat, & quas se passurum timebat, non modicam exegerat servitutem, & assistentiam, & inter cætera onera Uxori injuncta, adest illud, quod sequitur, item *ordina, e comanda, che l'infrascritta sua Erede sia tenuta, & obligata*

gata fare ogni anno l'offizio nella Festa di S. Pietro nella detta Chiesa, e Cappella, con quel numero di Messe, che potrà avere in detto giorno di S. Pietro.

Mortuo Petro Gentile Berardo, Eufrasia transivit ad secunda vota cum Carolo Picinino, quem subinde hæredem suum instituit, & sequentibus oneribus gravavit, *Item lascia un offizio l'anno di dieci Messe per l'anima sua durante la vita del Signor Carlo nella sopradetta Chiesa di S. Francesco de' Minori Conventuali. Item lascia un offizio l'anno di dieci Messe per l'anima del Sig. Pier Gentile Berardi da farsi nella sopradetta Chiesa di S. Francesco de' Minori Conventuali.*

Defuncto Carolo Picinino, nec non subinde defuncto Vincentio ejus Filio, universa bona devenerunt in Bernardinam Picininam Caroli filiam, quæ cum habuisset recursum ad hanc Sacram Congregationem, exquirendo, an prædicta legata essent, nec ne perpetua, scriptum fuit juxta morem Episcopo Camerinen. pro informatione, & voto.

Episcopus respondit, quod præter Legatum ab Eufrasia relictum, & restrictum ad vitam Caroli Picinini, *durante la vita del Signore Carlo*, cætera sibi videbantur perpetua, tum quia Testatores pingue patrimonium reliquerunt, licet illud hodie sit diminutum, tum quia ex testamentis desumitur, quod quando Testatores voluerunt, quod aliqua Missarum legata essent temporanea, id expressis verbis dixerunt, quasi quod hinc inferatur, quod quando non dixerunt, noluerunt, quod legata essent perpetua, & Episcopus tandem in sua informatione monuit citandos esse tam Patres Congregationis S. Philippi, quam Patres Minores Conventuales Fabriani, in quorum Ecclesiis Missæ sunt celebrandæ.

Post receptam Episcopi informationem, proposita fuit *die 11. Maii* 1720. instantia hæc inter summaria precum, & dictum fuit, quod *proponeretur in folio, citatis partibus*, expeditisque juxta morem citationibus, quæritur in præsenti, an legata prædicta sint perpetua, vel temporanea.

Maria Bernardina contendit, quod Legatum relictum a Petro Gentili Berardo non sit perpetuum, sed quod fuerit restrictum ad vitam Eufrasiæ Uxoris, licet enim in eodem habeantur hæc verba *ogn' anno*, cum legatum tamen sit restrictum ad infrascriptum hæredem, quod est idem ac dicere ad Eufrasiam, *che l'infrascritta sua Erede sia tenuta, e obligata far ogni anno l'uffizio nella Festa &c. con quel numero di Messe, che potrà avere*, restrictio prædicta excludit perpetuitatem.

Contendit quoque Maria Bernardina, quod Legatum relictum ab Eufrasia pro anima Petri Gentilis fuerit restrictum ad vitam Caroli secundi Viri, quia licet restrictio expresse non fuerit appposita, virtualiter tamen in testamento continetur, tum quia Legatum pro Anima Petri Gentilis est immediate continuativum, & connexum per particulam *item* cum præcedenti Legato, quod litteraliter est restrictum ad vitam Caroli *durante la vita del Sig. Carlo*, tum quia primum legatum litteraliter restrictum ad vitam Caroli est pro anima ipsius Testatricis *per l'Anima sua*, quo stante, ne dicatur ipsam magis dilexisse animam sui primi Viri, quam propriam, dicendum erit, quod secundum legatum factum pro anima primi viri non excedat vitam Caroli secundi Viri.

His stantibus, quæritur

I. An Legatum Petri Gentilis sit perpetuum in casu.

II. An Legatum Eufrasiæ sit perpetuum in casu.

Sacra Congr. die 12. Julii 1721. respondit

Ad primum negative. Ad secundum legatum pro Anima Eufrasiæ esse temporale, & perpetuum pro anima Petri Gentilis.

QUÆSTIO CCXIII.

In Causa Parisiensi Dispensationis, die 12. Julii 1721.

CAROLUS de Coetlogon Vir nobilitate conspicuus, pta cujusque familia inter Britanniæ antiquiores adscritu, consanguinitatis, & affinitatis vinculo conjuncta est mm Illustrioribus Regni Franciæ Familiis, fel. rec. Clementi Papæ XI. supplicavit pro dispensatione super voto continentiæ annexo Subdiaconatui, & Diaconatui a se per vim, & metum a Marchione Patre incussum receptis, & a Sanctitate Sua fuerunt preces remissæ ad hanc Sac. Congregationem.

Pro suadendo metu, & quidem prout oportet, cum qualitate, quod fuerit metus cadens in constantem virum, fuit allata a Carolo Oratore epistola ad eundem Summum Pontificem scripta ab Eminentissimo D. Cardinali de Bissì, in qua idem testabatur, se plures Testes audivisse de dicto metu deponentes;

Patrem videlicet de Tournemine Religiosum Societatis Jesu, & Caroli Oratoris nepotem, qui asseruerat sibi constare, Marchionem de Coetlogon suum magnum Avunculum, & Oratoris Patrem violentæ admodum naturæ virum, minatum fuisse Carolo filio exhæredationem, nisi Sacros Ordines Subdiaconatus, & Diaconatus suscepisset, eumque utpote spatio sex annorum Ordines recipere recusantem spoliasse annuo reditu duarum millium centum, & amplius librarum Turonensium ipsi assignatarum, & Carolum denique manifesta semper indicia dedisse suæ aversionis a Sacrorum Ordinum susceptione;

Ludovicam de Coetlogon Caroli Patruelem, quæ, post redditam attestationem de violenta memorati Patris natura, addidit notorium toti familiæ fuisse, Oratorem per vim, & metum sibi a Patre incussum, fuisse Sacris Ordinibus initiatum; Patremque voluisse, ut ille e Seminario S. Sulpitii exiret, quia Superiores, qui ejus aversum animum bene noverant, nolebant, quod ad Sacros Ordines promoveretur;

Sacerdotem Laurentium de la Garde Cæremoniarum Magistrum in Parochia, & Seminario S. Sulpitii, Virum tum ætate, tum moribus gravem, qui a Patre electus, ut filii curam haberet, & eum induceret ad statum Ecclesiasticum, narravit, se pluries Patri notificasse, quod filius nolebat Ordinibus Sacris initiari, & quod ad eos vocatus non erat, quodque Pater obduratus respondit, ad se, & non ad alios pertinere judicium ferre de vocatione filii sui, addendo Carolum aliquando noluisse suum nomen inscribi in Albo ordinandorum, nec se unquam eum vidisse Subdiaconalia, aut Diaconalia officia exercentem;

Joannem Sourdrille Civem Parisiensem, qui per multum temporis spatium exercuit Cellerarii munus in domo Marchionis de Coetlogon, quique inquit ab eo fuisse Carolum filium bis e domo ejectum, & pluries percussum propter aversionem, quam habebat a statu Ecclesiastico, & a Sacris Ordinibus, fuisse ulterius a dicto Patre spoliatum annuo reditu duarum mille centum, & triginta quinque librarum, itaut Carolo ad miseriam redacto, ipse pietate motus, nummos pro subsentatione aliquando subministraverit. Parochum denique S. Sulpitii Languet de Gergis Pastorem maximopere commendabilem tum propter zelum animarum, tum propter eximiam venerationem, quam erga Apostolicam Sedem profitetur, qui dixit se suis litteris Sanctitati Suæ exposuisse, quod Carolus invito animo fuerat Sacris Ordinibus initiatus.

Hæc sunt, quæ continebantur in epistola Eminentissimi D. Cardinalis de Bissì, cumque præter eam Carolus attulisset epistolam Patris de Tournemine Summo Pontifici scriptam, nec non testimonium Parochi S. Sulpitii, qui prædicta omnia summatim confirmabant, & ulterius testabantur de pecunia a Patre filio subministrata, ut ipsum ad receptionem Sacrorum Ordinum sollicitaret, proposita fuit *die 25. Januarii* 1721. instantia Oratoris super dispensatione, sed nullum prodiit responsum approbativum, vel reprobativum, cum dictum fuerit *dilata, & coadjuventur probationes juxta instructionem.*

Descendendo ad instructionem, fuit illa transmissa ad Eminentissimum D. Cardinalem de Bissì, & in ea fuit dictum, primo, quod quia metus constituebatur in timore incusso exhæredationis, in sublatione assignamenti, in verberibus, & in ejectione e domo paterna, de quibus omnibus testabantur tantummodo Testes singulares, Eminentia Sua curaret, ut super unoquoque capite Testes contestes deponerent, & quod ulterius sublatio assignamenti coadjuvaretur ex documentis, & partitis ædis publicæ.

Secundo, quod ignorabatur præcisum tempus obitus Marchionis Patris, & quod idcirco necessarium erat, ut illud Sacræ Congregationi notificaretur.

Tertio, quod liquido non constabat, an minæ Oratori illatæ præcesserint tantum receptionem Subdiaconatus, an vero fuerint repetitæ inter Subdiaconatum, & Diaconatum, in quo rerum statu opportunum admodum erat pro Causæ resolutione, ut minarum tempus statueretur.

Quarto, quod de oblata a Patre pecunia filio, & ab ipso recepta, sicuti ignorabatur, an præcesserit omnium Sacrorum Ordinum susceptionem, vel potius fuerit intermedia inter Subdiaconatum, & Diaconatum, sic congruum omnino erat, ut tota hæc series facti fideliter exponeretur.

Ultimo tandem insinuatum fuit, quod Testium depositiones in scriptis reducerentur, & juramento confirmarentur, tam loquendo de Testibus, quorum meminit Eminentissimus Cardinalis in prima epistola, quam de aliis, quos ad primorum confirmationem afferri contingeret.

Receptis, una cum instructione litteris hujusce Sacræ Congregationis, Eminentissimus D. Cardinalis de Bissì manum statim admovit, ut quæsitis satisfaceret, & adimplenda adimpleret; novam etenim transmisit epistolam una cum documentis, quæ parari potuerunt.

Ad primum itaque instructionis caput dicitur in secunda epistola, moraliter esse impossibile plures reperire testes super eodem facto, seu super eodem actu, cum agatur de factis non palam, sed intra domus penetralia secutis, sed videri, quod sufficiant Testes singulares singularitate adminiculativa, utpote tendentes ad eundem finem per diversa media, juxta ea, quæ plene habentur, in celebri quæstione de Testibus singularibus impressa *post Aphorismos Inquisitorum editos ab Antonio de Sousa*, nec pariter possibile esse coadjuvare ex documentis, & partitis ædis publicæ sublationem assignamenti, cum in vim Regii diplomatis editi *anno* 1713. antiqui contractus fuerint suppressi, & de medio sublati, itaut ad rem, de qua agitur, suffragari posse videatur quoddam excerptum, quod transmittitur, ex inventario confecto post obitum Caroli Patris, ex quo colligitur tres contractus sub nomine filii, & in ejus favorem initos, post septem annos fuisse Genitori retrocessos.

Ad secundum instructionis caput dicitur in eadem Epistola, Caroli Patrem mortuum fuisse *anno* 1712. uti etiam desumitur ex fide Parochi, sed tanti temporis acquiescentiam non videri, quod obsit Oratori, primo quia notorium est, quod ille statim post obitum Patris exuit habitum Clericalem, secundo quia bini jam sunt anni elapsi, ex quo promovit instantiam pro dispensatione, & demum quia habita ab Expeditore notitia expensæ ascensuræ ad non exiguam nummorum quantitatem pro dispensatione obtinenda, coactus fuit petitionem ad tempora opportuniora differre.

Ad tertium dicitur minas Subdiaconatum præcessisse, & fuisse ante Diaconatum repetitas, cum Pater de Tournemine, in suo, quod transmittitur, jurato testimonio, referat, Patrem comminatum fuisse filio exhæredationem, ni Sacros Subdiaconatus, & Diaconatus Ordines suscepisset; additque Informans in sua Scriptura non esse de hoc dubitandum, cum Patris intentio ex dicto alterius Testis desumpta in eum finem collimaret, ut filius ad Sacerdotium, & deinde ad Episcopatum ascenderet.

Ad quartum dicitur fuisse a Patre ante Subdiaconatum oblatam filio, & post Subdiaconatum ipsi solutam summam viginti trium millium librarum, quæ non fuit donum, sed restitutio partis contractuum ei antea subductorum, & rursus fuisse eidem filio a Patre promissas ante Diaconatum, sed nunquam solutas alias viginti mille libras.

Transmissæ ulterius fuerunt a sæpe memorato D. Cardinali Bissì receptæ, & juratæ Testium depositiones, quæ videri possunt in Summario Scripturæ, ex quibus omnibus quidquid sit, an frequentia adsint exempla dispensationum quoad Diaconos, qua in re affirmative respondet *Navarrus consil.* 37. *num.* 12. *& consil.* 38. *num.* 11. *lib.* 3. & negative respondet *Card. Albitius de inconstantia in fide cap.* 36. *num.* 34. Orator sperat se voti compotem fieri posse, ex quo votum continentiæ sicuti ex statuto Ecclesiæ est dictis Sacris Ordinibus annexum, sic ad sui essentiam exposcit liberam voluntatem, qua cessante, licet character imprimatur, votum tamen continentiæ Ordinibus annexum non est obligatorium, juxta bene firmata per *Rotam decis.* 870. *num.* 1. *&* 2. *coram Emerix Jun.*

Quocirca quæritur

An sit locus dispensationi super voto continentiæ in casu &c.

Sacra Congr. respondit,

Affirmative.

QUÆSTIO CCXIV.

In Causa Auximana, seu Camerinensi Jurisdictionis, die 12. Julii 1721.

EPISCOPUS Camerinen. *die* 30. *Octobris proxime præteriti* se contulit ad tres Ecclesias S. Sergii, S. Mariæ *dell'Ospedaletto*, & S. Angeli in Cryptis, easque visitavit, & nonnulla, occasione visitationis, edidit decreta.

Promotor Fiscalis Curiæ Episcopalis Auximi prætendit hæc fieri non potuisse, ex quo Ecclesiæ S. Mariæ *dell'Ospedaletto*, & S. Sergii sitæ sunt in sua Diœcesi Auximana, & in eo quod attinet ad situationem, eam probare contendit, primo quia Parochia S. Helenæ Villæ Avenalis, una cum toto suo Territorio est de Diœcesi Auximana, cumque Ecclesiæ *S. Mariæ dell'Ospedaletto, & S. Sergii* sitæ dicantur intra limites dictæ Parochiæ, infert, has easdem Ecclesias esse de pertinentiis Episcopatus Auximani; secundo quia, tam una, quam alia Ecclesia fuerunt ab Episcopis Auximanis pluries visitatæ, & hæ visitationes dicuntur præferri debere aliis visitationibus factis ab Episcopis Camerinensibus, cum illæ, & non hæ habeant juris assistentiam.

Prætendit quoque idem Promotor Fiscalis Curiæ Episcopalis Auximanæ, quod Parochus Ecclesiæ Parochialis S. Helenæ Villæ Avenalis functiones consecutas peragere possit *in Ecclesia S. Angeli Cryptarum*, & quod pro hisce peragendis functionibus non requiratur licentia Episcopi Camerinensis, seu Parochi loci Paterni, qui est subditus dicto Episcopo Camerinensi.

Hujusce prætensionis fundamentum a dicto Promotore Fiscali constituitur tum in subjectione Ecclesiæ S. Angeli Cryptarum erga Ecclesiam S. Helenæ, ut ex pluribus actibus colligi dicit, tum in observantia, seu consuetudine, juxta quam Parochi S. Helenæ functiones exercuerunt in prædicta Ecclesia S. Angeli, & quidem a tempore, cujus initii non exstat memoria, quando ad rem de qua agitur, & etiam admissa subjectione Ecclesiæ S. Angeli non Ecclesiæ Parochiali Avenali, sed Ecclesiæ Parochiali loci Paterni, quæ est in Diœcesi Camerinen. sufficeret quadragenaria, ut in terminis Ecclesiarum inter se contendentium, aut super pertinentia decimarum, aut super finibus, probat *Textus in cap. ad Aures de præscriptionibus*, ibi — *vtæ fraternitati tenore præsentium innotescat, quod de jure melior est conditio possidentis, quia quadragenalis præscriptio omnem prorsus actionem excludit*, & confirmat *Textus in cap. quia indicante eodem titulo*, ibi — *quadraginta tantum annorum præscriptione utrique parti servata.*

Quæritur itaque

I. An Ecclesiæ S. Mariæ dell'Ospedaletto, & S. Sergii sint in, & de Diœcesi Auximana, seu potius in Diœcesi Camerinensi.

II. An saltem Episcopus Camerinensis possit illas visitare, quatenus sint in Diœcesi Auximana: & quatenus sint in Diœcesi Camerinensi, possit illas visitare Episcopus Auximanus.

III. An, & quas functiones peragere possit Parochus Ecclesiæ Parochialis Avenalis in Ecclesia S. Angeli Cryptarum.

IV. An pro dictis functionibus peragendis requiratur licentia Episcopi Camerinensis, seu Parochi loci Paterni, in casu &c.

Cum autem nulla nunc fuerit capta resolutio, sed responsum, ut hinc inde coadjuvarentur probationes, & delegatus fuerit Episcopus S. Severini pro recipiendis probationibus hinc inde afferendis, ejus potissimum opera deventum fuit ad concordiam, reservato Apostolico Beneplacito, pro quo obtinendo supplices preces exhibentur tum ab Eminentissimo Ordinario Auximano, tum ab Episcopo Camerinensi.

Tenor concordiæ est hic, qui sequitur; quoad Ecclesiam S. Sergii conventum fuit, quod eadem teneatur sub libera, & absoluta auctoritate Episcopi Auximani pro tempore; validiores etenim urgebant rationes pro situatione hujus Ecclesiæ in Diœcesi Auximana, & plures erant actus jurisdictionales ab Episcopis Auximanis exerciti in eadem comparative ad alios factos ab Episcopis Camerinensibus.

Quoad Ecclesiam S. Mariæ *dell'Ospedaletto*, cum pro hujus situatione in Diœcesi Camerinensi validiores pugnarent rationes, & plures essent actus jurisdictionales, exerciti ab Episcopis Camerinensibus comparative ad alios factos ab Episcopis Auximanis, conventum fuit, quod remaneret sub libera dispositione, & auctoritate Episcopi Camerinen. pro tempore.

Addita declaratione, quod nihil innovatum censeatur tum

tum quoad administrationem Sacramentorum, tum quoad exactionem Decimarum, & demum quoad omnes alios actus huc usque pacifice exercitos in Domibus, & familiis, quæ sitæ sunt in viciniis dictarum Ecclesiarum, itaut, sicuti ante concordiam Curia Auximana, & Plebanus Avenalis nonnullos actus exercebant in Domibus, & familiis sitis, uti dictum est, in Viciniis dictarum Ecclesiarum, & consimiles actus exercebantur a Curia Camerini, & Parocho Paterni in aliis personis, & Domibus sitis in iisdem viciniis, sic in posterum iidem omnino actus fieri valeant, partesque remaneant in eadem possessione, in qua de præsenti reperiuntur.

Quoad Ecclesiam S. Angeli Cryptarum, cum eadem citra controversiam sita sit in Diœcesi Camerinensi, conventum fuit, quod omnino pertinere debeat ad jurisdictionem Episcopi Camerinensis pro tempore.

Et quia Plebanus, & Confraternitas Avenalis, etsi pertinentes ad Diœcesim Auximanam prætendebant se vigore immemorabilis posse nonnullas functiones exercere in memorata Ecclesia S. Angeli Cryptarum absque necessitate petendi licentiam ab Episcopo Camerinen. & in probatione dictæ immemorabilis nonnullæ aderant difficultates, conventum fuit primo, quod sicuti Confraternitati liberum est ab Ecclesia discedere, sic liberum esse debeat Episcopo Camerinen. eam a dicta Ecclesia dimittere.

Secundo quod persistente Confraternitate in Ecclesia S. Angeli, nec ulla facta ejus dimissione ab Episcopo Camerinen. concedatur ab Ordinario Camerinen. pro tempore quolibet sexennio facultas Confraternitati, & Parocho Avenalis, seu alteri Cappellano, & Sacerdoti exercendi in Ecclesia S. Angeli omnes illas functiones, quæ usque adhuc exercitæ sunt in eadem, comprehensa etiam inter has functiones illa prædicationis de more faciendæ Dominica Passionis, nec non facultate, tam quoad Plebanum Avenalis, quam quoad ejus Cappellanum excipiendi Confessiones Sacramentales in dicta Ecclesia, prævia tamen approbatione Episcopi Auximani pro tempore.

Tertio, quod etiam durante sexennio, permissum esse debeat Episcopo Camerinen. suo arbitrio Confraternitatem ab Ecclesia S. Angeli dimittere, sicuti durante sexennio, ex suo arbitrio licitum est Confraternitati a sæpe memorata Ecclesia discedere.

Ultimo quod si occasione functionum a Confraternitate peragendarum in Ecclesia, ultra Parochum Avenalis, & ejus Cappellanum alii Sacerdotes a Confratribus invitentur, cæteris præferatur Parochus Paterni, cui Ecclesia subdita est.

Hæc sunt Concordiæ capita, quæritur itaque

An concordia sit confirmanda in casu &c.

Sacra Congr. die 5. Decembris 1722. respondit,
Pro approbatione Concordiæ.

QUÆSTIO CCXV.

In Causa Romana Cappellaniæ, 2. Julii 1721.

BON. mem. Abbas Joseph Panziroli in suis postremis Tabulis Cappellaniam erexit in Altari Majori Ecclesiæ Beatæ Mariæ Virginis in Campitelli sequentibus verbis — *item per opera pia, e dopo la morte della Sig. Cintia come sopra, e non altrimenti, erige, fa, instituisce un' altra Cappellania nell' altar Maggiore della B. Vergine nella Chiesa di S. Maria in Campitelli con il peso di celebrare, o far celebrare in d. Altare una Messa quotidiana perpetua, nella qual Cappellania da cominciare come sopra, adesso per allora nomina il Sig. Domenico Roncalli con il d. peso di celebrare, o far celebrare in detto altare una Messa quotidiana fin tanto, che viverà, e di dare sei scudi l' anno a i Padri di detta Chiesa per l' incomodi, & utensili; Dopo la morte del detto Sig. Roncalli la detta Cappellania vuole che vada alla d. Chiesa, e Padri di S. Maria in Campitelli con il detto peso di celebrare in detto altare una Messa quotidiana perpetua come sopra.*

Dominicus Roncalli d. Cappellaniam obtinuit, cumque *anno* 1719. matrimonium contraxerit, fueritque excitata difficultas, an in statu conjugali dictam Cappellaniam retinere posset, vel potius esset factus locus substitutioni Patrum S. Mariæ in Campitelli, auditus fuit de more Eminentissimus Urbis Vicarius, qui censuit dictam Cappellaniam esse simpliciter laicalem, nec Beneficium Ecclesiasticum dici posse, sed pium relictum, & memoriam Missarum, cujus proinde Dominicus capax judicandus est etiam in statu conjugali, & præcipue quia in erectione, & institutione non intervenit auctoritas Ordinarii, juxta regulam *Textus in cap. ad hæc de Religiosis domibus.*

Quocirca quæritur

An Cappellania, de qua agitur, sit laicalis, sive potius Ecclesiastica in casu &c.

Sacr. Congr. respondit,
Affirmative quoad primam, & negative quoad secundam partem.

QUÆSTIO CCXVI.

In Causa Compsana Aggregationis, die 12. Julii 1721.

SACERDOS Angelus Laurenziellus exponit, quod in Ecclesia S. Mariæ de Serris Terræ Pescopagani Diœcesis Compsanæ, septem adsunt Presbyteri, qui dicuntur Participantes, & quod alii eidem Ecclesiæ inserviunt absque eo quod de reditibus participent, sola spe contenti subingrediendi in numerum Participantium, quando aliquis ex Participantibus decedit, & idcirco conqueritur, quod vacante per obitum Laurentii de Resse uno horum septem Participantium loco, fuerit ille aliis collatus, & non sibi, cui, juxta ordinem antianitatis debebatur; utque assumptum suum probet, affert dicta Testium super antiqua consuetudine conferendi portiones vacantes senioribus, affert ipsas collationes factas Presbyteris, ut senioribus, & quia præter requisitum antianitatis, prætenditur, quod admittendi debeant pollere peritia cantus Gregoriani, & ulterius, quod debeant esse approbati pro excipiendis confessionibus, inquit hæc in facto non subsistere, cum necessitas cantus Gregoriani desumatur ex quadam dispositione Synodali, quæ non habuit effectum, & idoneitas pro excipiendis confessionibus non fuerit in aliis, qui sunt admissi, requisita.

Excipit e contra Promotor Fiscalis Curiæ Archiepiscopalis Compsanæ solam antiquitatem, seu præcedentiam in admissione non sufficere, sed ulterius requiri peritiam in cantu Gregoriano, & approbationem ad confessiones, itaut antiquiores, cæteris paribus præferantur, sed nullatenus anteponantur aliis prædictas habentibus qualitates juxta Constit. Synodales *anni* 1647. & *anni* 1658.

Constitutionibus Synodalibus addit observantiam, & Populi necessitatem, tum quia nonnulli Testes referunt seniores fuisse junioribus postpositos, ex quo juniores habiti fuerunt magis idonei, tum quia Ecclesia S. Mariæ est Curata, & animæ circiter 1700. sub eadem degunt, itaut cum quatuor tantum *ex Presbyteris inservientibus, comprehenso etiam Parocho*, facultatem habeant confitendi, & Parochus sollicitudinem habere debeat etiam Ecclesiarum suæ Ecclesiæ Matrici subjectarum, & alter ex Sacerdotibus Confessariis sit admodum senex, quemadmodum ex his unusquisque facili negotio deprehendere poterit Ecclesiam idoneis operariis indigere, sic poterit unusquisque sibimet suadere juniores aptos ad confessiones excipiendas esse præponendos senioribus dicta qualitate non pollentibus.

Addit Archiepiscopus in sua informatione antiquam, & laudabilem disciplinam præferendi juniores magis aptos senioribus minus aptis, vel ineptis, damnum sensisse in contemptum Synodalium Constitutionum, tempore Sedis vacantis, & sic tempore administrationis Vicarii Capitularis, qui, aliis accedentibus demeritis, fuit ab officio depositus.

Quocirca quæritur

I. An Sacerdotes Civitatis, & Diœcesis Compsanæ admittendi ad participationem Parochialem, præter requisitum antianitatis debeant habere alia requisita Synodalia in casu &c. & quatenus affirmative.

II. An Sacerdotes inservientes Ecclesiæ de Serris admittendi sint in locum Sacerdotis participantis defuncti juxta ordinem antianitatis in casu &c.

Sacra Congr. die 2. Augusti 1721. respondit,
Ad primum dilata, & præfigatur a Promotore Fiscali terminus omnibus interesse habentibus ad sua jura reducenda in Sac. Congregatione.
Ad secundum dilata, & communicentur jura, ac conadjuventur probationes.

QUÆ-

QUÆSTIO CCXVII.

In Causa Mexicana, die 12. Julii 1721.

BACCALAUREUS Ferdinandus Lorente Mexicanus in quatuor Minoribus Ordinibus constitutus, cum staturam palmorum quinque, ac duorum tertiorum alterius palmi cannæ Romanæ non excedat, huic Sacræ Congregationi supplicavit pro dispensatione, ut ascendere posset ad Sacros Ordines, timuit enim se esse irregularem ob staturæ defectum, & Sacra hæc Congregatio *die* 2. *Octobris* 1717. instantiam remisit ad Ordinarium, ut ipse procederet prout de jure.

Promotor Fiscalis Curiæ Archiepiscopalis Mexicanæ se opposuit tum voce, tum scriptis, acriterque sustinuit, Ferdinandum esse irregularem propter staturæ defectum, & sic eidem non esse dandam facultatem ascendendi ad Sacros Ordines, in tantum etenim fuit ei permissum, ut Minores Ordines reciperet, in quantum, quando eos recepit, erat in tali ætate constitutus, ut probabiliter credi posset ejus staturam esse augendam.

Audita instantia Promotoris Fiscalis, Archiepiscopus pro suæ conscientiæ directione binos Theologos interrogare voluit, alterum e Societate Jesu, alterum Presbyterum Sæcularem. Primus adhæsit opinioni Promotoris Fiscalis, secundus in oppositam ivit Sententiam, censuitque Ferdinandum non esse irregularem, cumque Archiepiscopus, visis videndis, & consideratis considerandis, fuerit in sensu, quod Orator ascendere non posset ad Sacros Ordines, & in suo Decreto dixerit, nullum eidem obstare impedimentum *præter illud staturæ*, uti colligitur ex actis ad hanc Sacram Congregationem remissis, & Orator humillime instet, ut facultas ascendendi ad Sacros Ordines, quæ sibi fuit *ex solo staturæ defectu* negata ab Archiepiscopo, indulgeatur ab hac S. Congregatione, quæritur, an petitis sit annuendum.

Facit pro facultate, quod homines staturæ parvæ non sunt irregulares juxta firmata *per Leandrum Oper. Moral. tom.* 5. *tract. primo disput.* 4. *quæst.* 67. & prætermissis pluribus exemplis Sancti videlicet Pauli Apostoli, quem S. Joannes Chrysostomus appellat Tricubitalem, S. Hieronymi, qui parvæ dicitur fuisse staturæ, S. Antonini, qui propter staturæ pusillitatem dictum nomen obtinuit cum Antonius in Baptismate fusset appellatus, juxta erudite collecta *apud Theophilum Raynundum tom.* 13. *in Opere cui titulus Laus brevitatis pag. mihi* 485. celebre est illud, quod legitur *in Historia Societatis Jesu par.* 5. *lib.* 24. *num.* 12. *pag.* 782. de Petro Spiga Calaritano, qui primus e Sardinia in Societatem venit *anno* 1551. cum enim in eam admitti postularet, & Patres Belgæ, apud quos litteris operam Lovanii dederat, deterriti ejus exigua præter modum statura mensuram homuncionis misissent ad S. Ignatium, censuit ille Petrum esse admittendum, admissus statim Sacerdotio initiatus est, cum aliquantum ætate processisset.

Facit vero contra facultatem ascendendi ad Sacros ordines, quod in jure nihil præcise statutum est, quoad hunc corporis defectum, & solum datur pro regula generali, quod defectus ille causat irregularitatem, qui impedit congruum Ordinis exercitium, aut qui notabilem deformitatem, & sic horrorem, vel risum affert, *Barbos. de potestate Episcopi par.* 2. *allegat.* 42. *num.* 53. *Majol. de irregul. lib. primo cap.* 13. *num.* 8. *Gibalin. eodem tractatu cap.* 3. *confect.* 5. *Pirhing. ad lib.* 1. *Decretal. tit.* 20. *de corpore vitiatis num.* 8. *Layman in Theolog. Moral. lib.* 1. *tract.* 5. *par.* 5. *cap.* 7. §. *finali*, & quod judicium, an defectus impediat, aut ordinis exercitium, aut risum, vel horrorem afferat, pertinet ad Ordinarium, uti prosequuntur Auctores mox allegati, quibus adhæret *Anaclet. ad tit. decretal. de Corpore vitiatis quæst.* 3. *numer.* 20. itaut incongruum omnino videri posset, quod Episcopi judicium, viso homine, aliisque ponderatis circumstantiis, staturæ scilicet aliorum hominum, & altitudinis Altarium, interpositum, ab hac Sac. Congregatione, quæ hominem non videt, nec sub oculis haber recensitas circumstantias, in præsenti retractaretur.

His stantibus, quæritur

An precibus sit annuendum in casu &c.

Sacra Congr. respondit,
Arbitrio Archiepiscopi.

QUÆSTIO CCXVIII.

In Causa Camerinensi Renunciationis, die 12. Julii 1721.

INTER cæteros a jure antiquo inductos modos tacite profitendi in aliqua Religione, ille est, quando Novitius aliquis constitutus in ætate discretionis, Novitiorum habitum in Religione per annum portaverit, nisi tamen habitus in colore, scissura, vel forma se distinctum patenter exhibeat ab habitu Professorum, uti cavetur *in Clementina eos qui de Regularibus;* Et quidquid sit de aliis modis, ex quibus tacita de jure antiquiori inducebatur professio, ille, qui modo expositus est, adhuc perseverare dicitur post Concilium Tridentinum, licet enim illud *Sess.* 25. *de Regul. cap.* 15. statuerit, non posse fieri professionem in quacumque Religione tam Virorum, quam Mulierum ante completum decimum sextum annum, & nisi sit elapsus annus novitiatus, hinc tamen non infertur sublatam fuisse a Tridentino supra memoratam tacitam professionem, sed eam sic esse modificatam, ut non valeat nisi completo anno decimo sexto quo ad ætatem, & completo anno uno quoad Novitiatum, uti bene ponderant *Azor. instit. Moral. tom.* 1. *lib.* 12. *cap.* 4. *quæst.* 6. *Pellizzar. in Manual. Regul. tom.* 1. *tract.* 3. *cap.* 1. *num.* 6. *Donat. in Praxi Regul. tom.* 2. *tract.* 10. *quæst.* 23. Et sola, quæ remanet quo ad hunc punctum difficultas, est, quod nonnulli Doctores ultra annum Novitiatus, ultra ætatem ad minus annorum sexdecim, pro tacita professione expofcunt annalem ulteriorem gestationem habitus nullam admittentis distinctionem inter Novitios, & Professos, quando alii hanc ulteriorem annalem habitus gestationem excludunt, tacitamque contendunt inductam professionem, statim ac elapsus est annus Novitiatus, & completa est ætas annorum sexdecim, uti plene videri potest *apud Passerin. de Stat. hominum tom.* 3. *quæst.* 189. *art.* 10. *inspect.* 6. *num.* 279.

At quidquid sit de hac controversia, eadem omnino cessare videtur in Ordine Fratrum Prædicatorum; in hoc etenim Præclarissimo Ordine, cum indistinctus sit habitus Novitiorum ab habitu Professorum, non solum sibi vindicat locum ea tacita professio, de qua supra habitus est sermo, uti late probat *Festus in Summ. Constitutionum, declarationum, & Ordinum cap.* 35. sed etiam inducta censetur tacita professio in ipso temporis momento, in quo, absoluto Novitiatus anno, Novitius annum complet ætatis suæ decimum sextum, uti legitur *in Gloss. ad Caput* 15. *Constitutionum dist. prima pag.* 104. *juxta Romanam impressionem anni* 1609. quæ Glossa habet vim legis in Ordine, & est in praxi recepta, *teste Passerino loco citato num.* 290. Nec mirum, quia in iisdem Constitutionibus *cap.* 14. *de Novitiis dist.* 1. *num.* 10. *pag.* 99. præscribitur, ut, decurrente anno probationis, constitutoque Novitio in ætate ad minus annorum decem, & quinque, Prælatus eidem terminum præfigat ad liberandum, an profiteri velit, cum protestatione, quod statim elapso termino sibi taxato, nisi vel ab ipso, vel a Religione contradictum fuerit, factus est casus tacitæ professionis obligantis ad tria vota Paupertatis, Castitatis, & Obedientiæ, etiamsi expressa, & solemnis professio non emittatur.

Ad tramites Constitutionum, quas præter allegatos auctores, graviores Ordinis Prædicatorum Patres a me interrogati, dixerunt esse in viridi observantia, cum Margarita Victoria Purarelli ingressa esset Monasterium Monialium Ordinis Prædicatorum S. Catharinæ a Senis Civitatis Camerini, & inter Novitias esset admissa, antequam expiraret ultimus bimestris Novitiatus, Frater Thomas Guidottus Confessarius, & Vicarius Monasterii eam coram Priorissa, & Monialibus discretis interrogavit, an staret in proposito ducendi vitam Sanctimonialium in Monasterio, monuitque, quod, elapso ultimo dicto bimestri, nisi contrariam suam explicasset voluntatem, adstricta remanebat ad tria Vota Regularia in sequelam tacitæ professionis, & acceptata a Margarita Victoria protestatione tacitæ professionis, post nonnullos alios dies idem Pater Confessarius, & Vicarius eidem notificavit, quod antequam haberetur pro tacite professa, poterat devenire ad actum renunciationis omnium suorum bonorum, & jurium favore Conjunctorum, cum reservatione annui livelli pro suis indigentiis Religiosis.

Actum fuit, decurrente bimestri, inter Urbanum Purarellum Patrem, & Margaritam Victoriam filiam de reservatione livelli; cumque inter se concordare non potuerint,

sint, & sic nulla emissa fuerit a Margarita renunciatio, post dictos duos menses elapsos, Urbanus instetit pro renunciatione; cumque eidem fuisset responsum, non esse amplius locum renunciationi quia factus erat jam cassus tacitæ professionis, fuerunt ab eo exhibitæ preces huic Sac. Congregationi, ut ejus auctoritate petitam consequi posset renunciationem, cumque, juxta morem, scriptum fuisset Episcopo pro Informatione, exposuit ille, transmissisque documentis, recensitam facti seriem confirmavit, & in præsenti quæritur, an petitis sit annuendum.

Margarita coram Episcopo protestata est, se esse vere professam, sed se summopere exoptare renunciationem facere posse, ne perpetuum habeat cum Patre, & Consanguineis diffidium. Urbanus Pater ait, se sempre credidisse, quod expressa professio esset a Filia emittenda, & sic præter suam intentionem, & sub bona fide elapsum fuisse terminum duorum mensium. Addit tacitam professionem sibi posse vindicare locum in Fratribus S. Dominici, sed non in Sororibus, cum in Constitutionibus Sororum *cap.* 16. sola fiat mentio expressæ professionis, quod ipsum habetur, *in Rubrica speciali de modo, & ordine recipiendi Fratres, & Sorores de pœnitentia S. Dominici ad habitum, uti habetur pag.* 15. *& pag.* 52. *post Constitutiones Fratrum Ordinis Prædicatorum Romæ impressas anno* 1690. & multo magis cum in professione Mulierum, ad differentiam professionis Virorum, jus exposcat scripturam a Profitente subscriptam, aut saltem signatam, uti habetur *in Can. Vidua* 20. *quæst.* 1. *& in Can. omnes fœminæ* 27. *quæst.* 1. & docent *Gratian. discept.* 640. *num.* 4. *&* 5. *Sanchez in decal. lib.* 5. *cap.* 3. *num.* 5. *tom.* 2. *Tondut. Resol. Benef. lib.* 1. *cap.* 24. *num.* 11. Cumque in Monasteriis Monialium Tertii Ordinis, & signanter in illo Camerini, de quo nunc agitur, Novitiæ deferant velum album, & Professæ velum nigrum, ut ex attestationibus transmissis desumitur, insert Urbanus non esse unum, & eundem habitum Novitiarum, & Professarum, & sic in Monialibus non posse dari tacitam professionem, quæ non est applicabilis, nisi quando unus & idem est apparenter habitus Novitiarum, & Professarum. Interrogati Patres graviores Ordinis hic in Urbe, testantur de consuetudine tacitæ professionis tam quoad Fratres, quam quoad Moniales etiam Tertii Ordinis, non obstante differentia veli albi a velo nigro, in vim præsertim protestationis, & monitionis, quæ ante terminum Novitiatus fit iisdem Monialibus, & ulterius subdunt, quod possent aperiri Monasteria Monialium sui Ordinis, si tacitæ professiones dicto modo factæ declararentur nullæ.

His præmissis quæritur

An Margarita Victoria sit admittenda ad renunciationem in casu &c.

Sacra Congr. die 2. Augusti 1721. respondit
Affirmative.

QUÆSTIO CCXIX.

In Causa Pistoriensi, & Pratensi, die 2. *Augusti* 1721.

PISTORIUM, seu Pistoriensis Civitas, cujus habetur mentio *apud Comicum Plautum in Captivis*, fuit inter primas Civitates Hetruriæ, quæ Christianam Fidem susceperunt a Romulo Hetruscorum Apostolo, itaut dubitandum non sit, quod a primis usque temporibus Episcopos non habuerit, licet propter Bella, & incendia, Episcoporum Pistoriensium prima memoria referatur *ad annum* 600. *reparatæ salutis*.

Nonnullæ, quæ superfuerunt in Italia Longobardorum reliquiæ in quendam Collem fecesserunt, cui nomen erat *Favellum*, sed cum tractu temporis dicti Collis habitatores hujusce sedis pertæsi in Planitiem descendissent, & Pratum coemissent, circa initium sæculi undecimi, Oppidum in eo extruxerunt, quod *Pratum* denominatum est, uti testantur *Ricardaccius*, *Malespinius*, *Villanius*, *Scipio Ammiratus*, aliique rerum Florentinarum Scriptores.

In hoc Oppido circa pariter sæculum undecimum erecta fuit Insignis Ecclesia Collegiata, cui præerat Præpositus, & hujusce Collegiatæ Dignitas tanta fuit apud veteres Canonistas, ut quoties afferre deberent exemplum alicujus Insignis Collegiatæ, Pratensem commemorare consueverint, uti videri potest *apud Joannem Andream in cap. quamvis de Præbendis in sexto, & apud Felin. in cap. in nostra num.* 40. *& in cap. significante num.* 1. *de rescriptis, & in cap. cum accessissent de Constitutionibus*.

Actum fuit usque *ab anno* 1409. de Oppido in Civitatem, & de Collegiata in Cathedralem erigendis, & a Republica Florentina preces Alexandro Quinto exhibitæ fuerunt, & Pontifex, qui tunc Pisis morabatur, cum tota Curia Pratum adiit, ibique mansit per aliquot dies, & Pratensem Ecclesiam sua præsentia illustravit, sed cum propter immaturam ejus mortem, & subsecutas temporum vicissitudines, negotium perfici non potuerit, fuit illud tandem absolutum tempore Innocentii Decimi Summi Pontificis. Cum etenim Pratenses Præpositi tam vigore Privilegiorum, quam in sequelam antiquissimæ consuetudinis, jurisdictionem Ordinariam, & quasi Episcopalem exercerent, & Episcopi Pistoriense id eis non licere contenderent, re ad dictum Pontificem delata per Carolum Mediceum S. R. E. Cardinalem, & Episcopum Ostiensem, & Veliternensem, Sacrique Collegii Decanum, & exorante Ferdinando Secundo Magno Hetruriæ Duce, post rem mature in Congregatione rebus Consistorialibus præposita discussam, edita est *anno* 1553. Bulla in qua Pratensis Ecclesia in Cathedralem erecta est, eademque Pistoriensi æque principaliter unita, itaut unus, & idem Episcopus utramque regere, & gubernare deberet, uti latius ex tenore Bullæ *apud Ughellium in Italia Sacra tom.* 3. *ultimæ editionis anni* 1718. *pag.* 326. impressæ colligi potest.

In Bulla Innocentiana fuerunt statuti fines Diœcesis Pratensis, habentur enim in dicta Bulla hæc verba, quæ fuerunt ab Ughellio omissa, utpote qui Bullam non integram, sed abbreviatam exhibet, *necnon eidem Ecclesiæ Praten. sic in Cathedralem erectæ, pro Civitate, & Diœcesi ipsum Oppidum Prati, Homines, Habitatores, & Incolas pro Populo, & Vassallos pro Vassallis, & pro Capitulo, & Clero, Capitulum, & Clerum suppressæ Collegiatæ Ecclesiæ hujusmodi dicta auctoritate concedimus, & assignamus*; sed cum his minime obstantibus, nonnullæ inter Capitula Pistoriense, & Pratense exortæ fuerint controversiæ, tam circa limites Diœcesis Pratensis, quam circa Ecclesiam S. Mariæ de Pietate Patrum Carmelitarum Discalceatorum, & alia quædam Oratoria, necnon circa tres Parochiales Ecclesias, quæ sunt in Civitate Prati, licet earum Cura Parochialis sese extendat per notabile spatium trium milliariorum extra eandem Civitatem, ad amputandas quascunque dissensiones dicta Capitula operæ pretium esse existimarunt compromissum facere in persona Episcopi Pistoriensis, & Pratensis, intercedente etiam auctoritate hujus S. Congregationis, quæ *die* 8. *Martii* 1719. compromissum approbavit, ea tamen superaddita conditione, quod minuta Laudi ante promulgationem transmitteretur, ut de ejus justitia judicium ferri posset.

Paruit mandatis Episcopus, & in Laudo ab eodem transmisso censuit primo totum Territorium extra ambitum murorum Civitatis Praten. usque ad Flumen Bisentii esse de Diœcesi Pistorien. exclusis etiam Suburbiis Pratensibus. Censuit secundo Oratorium S. Rocchi extra Portam Florentinam memoratæ Civitatis Praten. pertinere ad omnimodam jurisdictionem ejusdem Diœcesis Pratensis, cum sit unitum Societati Peregrini intra Civitatem existenti, Collationemque Beneficii S. Hieronymi, utpote usque *de anno* 1647. ad Cathedralem Pratensem translati, ad Jus Pratense spectare. Censuit tertio nullum jus competere Ecclesiæ Pistoriensi super exigua parte Territorii existentis ultra Flumen Bisentii, ubi sita est Ecclesia S. Mariæ de Pietate, cum locus hic situs sit extra limites Diœcesis Pistoriensis. Censuit denique quarto ad Ordinarium Praten. privative quoad Pistorien. spectare jurisdictionem super Parochos trium Parochialium Civitatis Prati habentes populum in Diœcesi Pistoriensi, & ad eum pertinere illorum approbationem, institutionem, & punitionem, quatenus in exercitio Curæ Animarum deliquerint, remanente de cætero eodem populo, exceptis iis, quæ pertinent ad Curam Animarum, sub jurisdictione Ordinarii Pistoriensis.

Fundamentum Laudi, in eo quod attinet ad restrictionem Diœcesis Pratensis intra muros Civitatis, exclusis etiam Suburbiis, non constituitur in recitatis verbis Bullæ Innocentianæ, nec in dispositione Juris; de jure etenim est, quod Suburbia veniant sub appellatione Civitatis, itaut, ut cætera prætereantur, exprobrante Casaubono claræ memoriæ Cardinalem Baronium dicen-

dicentem, Christum natum esse in Suburbiis Bethlemiticis, quasi quod id expresse adversetur Evangelio, quod ait Christum natum in Bethlem, apte respondeatur Christum dici posse natum in Suburbiis Bethlemiticis, cum appellatione Bethlem veniant ejus Suburbia. Fundamentum itaque stat in immediata, & continuata observantia, juxta quam regulantur etiam cæteræ partes Laudi, & ea, quæ respicit subjectionem Populi existentis in Diœcesi Pistoriensi, sed subjectis Parochiis existentibus in Civitate Prati, præcipue innititur suffragio pro veritate exarato a claræ memoriæ Cardinali Sperellio, dum Advocati munere fungebatur in Urbe.

Nunc autem nulla fuit capta resolutio, sed rescriptum fuit *ad Dominum Secretarium juxta mentem*, & mens fuit, quod licet Laudum ab Episcopo prolatum bonis rationibus innixum esse videretur, & signanter cum editum fuisset juxta normam insinuatam in suffragio pro veritate exarato a clar. mem. Card. Sperellio, dum Advocati munere fungebatur in Urbe, necessarium nihilominus visum fuit, quod ante Laudi approbationem, nonnulla explanarentur; cum etenim ad tramites suffragii mox memorati Card. Sperelli, Episcopus in Laudo prolato censuerit ad Ordinarium Pratensem, privative quoad Pistoriensem spectare jurisdictionem super Parochos trium Parochialium Civitatis Prati habentes Populum in Diœcesi Pistoriensi, & ad eum pertinere illorum approbationem, institutionem, & punitionem, quatenus in exercitio Curæ Animarum deliquissent, remanente de cætero eodem Populo, exceptis iis, quæ pertinent ad Curam Animarum, sub jurisdictionem Ordinarii Pistoriensis, ad præcavendas futuras lites, operæ pretium existimatum fuit, ante Laudi approbationem, perpendere, ad quem ex dictis Ordinariis, hoc est, an ad Pratensem, vel ad Pistoriensem, pertineat examen quoad status liberos eorum Parochianorum, qui degunt extra Civitatem, & qui subduntur Parochiis in Civitate existentibus, ad quem pariter ex ipsis Ordinariis pertineat executio dispensationum matrimonialium, cognitio de matrimonialibus causis, judicandi facultas in causis dependentibus a Cura Animarum, aut a Jure Parochiali, puta si ageretur de puniendis Concubinariis, vel de quarta funerali, & consimilibus rebus.

Ut autem mens S. Congregationis plene adimpleretur, novas dedi litteras Episcopo, qui fuit in sensu, quod omnia supra recensita pertinere deberent ad Episcopum Pistoriensem, hujusque assertionis bina possunt esse fundamenta. Alterum est, quod in sæpe citato suffragio clar. mem. Card. Sperelli dictum quidem fuit, quod Parochi existentes in Civitate Prati, seu Parochialem Ecclesiam in dicta Civitate habentes, poterant suam jurisdictionem exercere in Parochianos suæ Parochiæ subjectos, non obstante, quod degant extra Civitatem Prati, non nisi quia Innocentius Papa X., qui Oppidum Prati in Civitatem, & Collegiatam in Cathedralem erexit, quique novæ Cathedrali pro Civitate, & Diœcesi assignavit Oppidum Prati, nulum voluit asserre præjudicium Parochis, quin ipsi suam jurisdictionem possent exercere in Parochianos, quamvis extra Mœnia Prati degentes; dictum ulterius fuit in eodem suffragio, quod Episcopus Pratensis poterat jus suum in dictos Parochianos extra Civitatem degentes exercere in his, quæ pertinent ad exercitium Curæ Parochialis, sed eodem contextu dictum est, quod exceptis pertinentibus ad Curam Animarum, Populus degens extra Mœnia, tanquam de Pistoriensi Diœcesi, in delictis, & in actis judicialibus, subjectus esse debebat Episcopo Pistoriensi; quo stante, si jus Episcopi Pratensis est ad Curam Animarum restrictum, & ulterius si jus Episcopi Pistoriensis exercitium respicit jurisdictionis, ad Episcopum Pratensem spectare debebit Parochorum approbatio, institutio, & punitio, si in exercitio Curæ Animarum delinquant, uti dictum fuit in Laudo ab Episcopo prolato, & de juribus Episcopi Pistoriensis esse debebit examinare status liberos, exequi dispensationes matrimoniales, cognoscere de matrimoniis, judicare in Causis, in quibus opus est punire Concubinarios, aut de quarta Parochiali ferre judicium, cum omnia hæc ad jurisdictionem Episcopalem, sive voluntariam, sive contentiosam sint referenda, quæ jurisdictio non ab alio, quam ab Episcopo Pistoriensi in dictos Parochianos exerceri potest, utpote in sua Diœcesi manentes.

Alterum fundamentum est, quod Episcopus in sua nova epistola, cum a me fuisset interrogatus, ad quem juxta observantiam spectaret ordinatio Clericorum degentium in illa parte Parochiarum, quæ est extra Civitatem Pratensem, respondit observantiam stare pro Episcopo Pistoriensi, in quo rerum statu applicabilis videtur dispositio *Textus in cap. nullus de Parochiis*, ibi *nullus Episcopus alterius Parochianum judicare præsumat. Nam qui eum ordinare non potuit, nec judicare potest*. Probat hic Textus ad eum spectare facultatem exercendi potestatem jurisdictionis, ad quem spectat facultas exercendi potestatem Ordinis, uti adnotavit *Fagnanus num.* 2., & in eodem Textu Papa argumentatur a minori ad majus, quasi dicere voluerit, si Episcopus non potest ordinare, licet ordo sit voluntariæ jurisdictionis, multo minus poterit judicare, cum judicium referatur ad jurisdictionem contentiosam, uti adnotavit *Abbas in dicto Textu num.* 2. & prosequitur *Pirhing. ad lib.* 3. *decretalium tit.* 29. *de Parochiis* §. 4. *num.* 15. quocirca si Episcopus Pratensis non potest ordinare Clericos in dictis locis degentes, & eorum ordinatio est de juribus Episcopi Pistoriensis, ejusdem Episcopi Pistoriensis esse debebit etiam facultas actus prædictos exercendi, utpote, ut plurimum referibiles ad jurisdictionem contentiosam.

Cum autem in Congregatione habita *die* 2. *Octobris* 1721. propositum fuisset sequens dubium, *An, & quomodo Laudum sit approbandum in casu*, Sacra Congregatio Laudum approbavit, & quoad declarationem prædictorum actuum rescriplit, quod haberetur recursus in casibus particularibus, concordatisque in sequelam hujus rescripti quinque dubiis, quæ ad calcem referuntur, Capitulum Pistoriense prætendit, exercitium actuum in dictis dubiis comprehensorum pertinere ad Episcopum Pistoriensem, & Capitulum Pratense asserit, illud spectare ad Episcopum Pratensem.

Fundamentum Capituli Pistoriensis consistit in hoc, quod Territorium, in quo degit Populus subjectus Parochis degentibus in Civitate Pratensi, est de Diœcesi Pistoriensi, cum Diœcesis Pratensis restringatur ad muros Civitatis, & Populus, de quo nunc agitur, sit extra dictos muros, quo facti principio admisso, infert, actus omnes, de quibus in dubiis, fieri debere a Curia Pistoriensi, cum ad Jurisdictionem, & Dignitatem Episcopalem pertineant, nec unquam referri possint ad lineam illorum actuum, qui principaliter diriguntur ad Curam Animarum, & Sacramentorum administrationem, quique soli in Laudo jam approbato sunt reservati Episcopo Pratensi.

E contra Capitulum Pratense sustinet, actus, de quibus in dubiis, a Curia Pratensi esse explicandos, eo præcipue sub obtentu, quod sicuti reservatum est Episcopo Pratensi jus approbandi, & instituendi Parochos, eosdemque puniendi, quoties delinquunt in administratione Curæ Animarum, & sicuti Episcopo Pratensi reservata sunt ea, quæ Curam Animarum respiciunt, & Sacramentorum administrationem, quoad Populum subjectum Parochiis in Civitate existentibus, licet extra muros Civitatis habitantem, sic etiam Curiæ Pratensi censenda erit reservata explicatio actuum, de quibus in dubiis, utpote virtualiter comprehensorum sub Animarum Cura, & Sacramentorum administratione, & facultate Parochos puniendi in dictis rebus delinquentes.

Jura circumferuntur, quocirca quæritur

I. An examen Testium, executio Dispensationum, & reliqua, quæ concernunt Causas Matrimoniales quoad loca, & personas, de quibus agitur, spectent privative ad Curiam Episcopalem Pistorien. vel Praten. in casu &c.

II. An Causæ super Quarta funeralium, & Decimarum quoad eadem loca, & Personas spectent ad Curiam Episcopalem Pistorien. sive potius Praten.

III. An Causæ super punitione Concubinariorum, & delinquentium in rebus Fidei & similium, prout etiam super illorum excommunicatione, & respective reconciliatione quoad eadem loca, & Personas spectent privative ad Curiam Pistorien. sive potius Praten.

IV. An approbatio Confessariorum pro audiendis confessionibus in prædictis locis, de quibus agitur, spectet ad Episcopum uti Episcopum Pistoriensem, sive potius Praten.

V. An Ordinatio Clericorum in prædictis locis spectet ad Episcopum, uti Episcopum Pistorien. vel potius uti Episcopum Praten.

Sacr. Congr. die 9. Junii 1725. respondit
Reproponatur Causa super approbatione Laudi.

QUÆSTIO CCXX.

In Causa Leodiensi Professionis, die 2. Augusti 1721.

SUMMUS Pontifex Clemens Octavus *die* 12. *Martii* 1596. sancivit, ut Ordinum Regularium Superiores a receptione quorumcumque Novitiorum sive ad habitum, sive ad professionem omnino abstinerent, nisi fierent in Conventibus Apostolica auctoritate in unaquaque Provincia designandis, & *die* 20. *mensis Junii* 1599. decrevit, ne extra d. Conventus Novitii assumerent habitum, aut professionem emitterent sub obtentu etiam cujuscumque licentiæ impetratæ, vel impetrandæ, nisi de eadem constaret per litteras Apostolicas in forma Brevis, imposita ultra alias pœnas nullitatis pœna tam quoad receptionem, quam quoad professionem, quæ contra decreti tenorem fierent, & secuta deinde Conventuum designatione, memoratus Pontifex *die* 19. *Maii* 1602. addidit, quod Novitii ad habitum recipi non possent, nisi fuissent approbati, aut a Congregatione Reformationis Apostolicæ, aut a locorum Ordinariis, uti latius videri potest *in Constit.* 83. *d. Clementis Octavi Bull. tom.* 3.

Fuerunt hæc decreta confirmata a Summo Pontifice Urbano Octavo, qui justis nihilominus de causis, Regulares absolvit a Novitiorum approbatione, quæ ad tramites decretorum Clementis Octavi, uti dictum est, fieri debebat a Congregatione Reformationis Apostolicæ, vel ab Ordinariis, uti legi potest in ejusdem Urbani *Constitutione* 28. §. 2. *Bull. tom.* 5. idemque Pontifex, qui relatam ediderat Constitutionem *die* 19. *Martii* 1603., operæ pretium esse censuit *die* 2. *Aprilis* 1631. novam legem facere, in qua voluit, quod Religiosi illi, qui ad habitum Regularem canonice admissi, annum probationis fecerant in Monasteriis ad id non designatis, & professionem subinde emiserant, admitterentur ad novam prefessionem, servatis aliis servandis, emittendam, sed absque novo probationis anno, uti habetur *Constit.* 1406. *Bull. tom.* 5., & ad occurrendum motibus, qui poterant in Religionibus occurrere, occasione receptionis Novitiorum, & professionis per eos emissæ in Conventibus non designatis, de consilio hujusce Sac. Congregationis, declaravit, quod allegantes nullitatem receptionis, & professionis ex causa mox recensita, non possent super hac nullitate quoquo modo audiri, elapso quinquennio, & reclamare volentes infra quinquennium, tam ipsi quam Superiores, tenerentur coram hac Sac. Congregatione jura sua deducere, quodque exeuntes, inconsulta hac Sac. Congregatione, punirentur tanquam Apostatæ, & Superiores, qui eos modo prædicto ejicerent, incurrerent suspensionem a Divinis, privationem vocis activæ, & passivæ, aliasque pœnas, quæ videri possunt *in decreto ad calcem allegatæ Constitutionis* 146. *impresso*.

Ad tramites decretorum tum Clementis Octavi, tum Urbani Octavi, Frater Ludovicus Bertrandus de Lairesse, qui, post expletum Novitiatum, admissum fuit *die* 2. *Octobris* 1715. ad professionem inter Donatos, sive Oblatos Ordinis Prædicatorum in Conventu Leodiensi, recursum habuit intra quinquennium ad hanc Sac. Congregationem, instando pro declaratione nullitatis suæ professionis, utpote emissæ in Monasterio ad id non designato, cumque juxta morem *die* 24. *Decembris* 1718. mandatum fuisset Officiali Leodiensi, ut processum conficeret, audito Superiore Locali, novam Frater Ludovicus viam ingressus est; felicis quippe recordationis Clementi Papæ Undecimo supplicavit, ut stante sua intra quinquennium reclamatione, committeret per Breve Apostolicum Officiali Leodiensi, & Superiori Conventus declarationem nullitatis Professionis, quam per Testes, & alias legitimas probationes obtulit se demonstraturum.

Post obtentum Breve, exhibitus fuit huic Sac. Congregationi supplex libellus nomine ejusdem Fratris Ludovici, in quo revoluto pallio, petebatur declaratio validitatis professionis, eodemque remisso ad Procuratorem Generalem Ordinis Prædicatorum pro voto, cum hoc interim Officialis Leodiensis, & Superior Conventus conjunctim procedentes, in vim Brevis supra memorati, sententiam protulissent de nullitate professionis, & in ejus sequelam, non obstante appellatione a Genitore Fratris Ludovici Bertrandi interposita, fuisset idem habitu spoliatus, & ad Paternam domum transmissus, novæ preces porrectæ fuerunt huic Sac. Congregationi, ut ipsa demandare dignaretur, quod Frater Ludovicus iterum indueret habitum Regularem; & constitueretur in aliquo Conventu Civitatis Leodien., ibidem alendus sumptibus Conventus Ordinis S. Dominici Civitatis Leodien.

Concurrente hac facti ambage, quæ ortum habebat ex contrariis ejusdem Fratris Ludovici Bertrandi, sive ejus nomine exhibitis supplicationibus, ut ejus vera intentio certo sciri posset, ipse tanquam Secretarius hujus Sac. Congregationis, necessarium existimavi præcipere quod exhiberetur libellus a Fratre Ludovico Bertrando subscriptus, prævia recognitione characteris; cumque novus supplex libellus a Fratre Ludovico subscriptus, una cum recognitione characteris supervenerit, in quo pro suæ conscientiæ serenitate idem exorat, ut declaretur, an sit valida, nec ne professio a se emissa, & quæ in sententia Leodiensi declarata est nulla, & ulterius Procurator Generalis Ordinis suam transmiserit informationem, quæritur in præsenti, an constet, nec ne de professionis validitate.

In informatione Procuratoris Generalis dicitur professionem esse nullam, utpote emissam contra formam decretorum Clementis Octavi, in Conventu videlicet ad id non designato, nec esse locum ejus renovationi juxta Bullam Urbani Octavi, tum quia prædictus Frater fuit simoniace ad professionem admissus, prævia videlicet pecuniarum solutione, tum quia Novitiatum non explevit, sicuti explere debebat, explevit enim absque Magistro, & cum plena libertate in toto Conventu.

Excipit e contra Scribens pro Fratre Ludovico professionem esse validam, utpote emissam post expletum debitis modis annum Novitiatus, nec eam nullam dici posse, vel ratione decretorum Clementis Octavi, vel propter Statuta Ordinis, licet emissam in Conventu ad id non designato, quia Statuta Ordinis non magis late patent, quam decreta Clementis, & decreta hæc sunt litteraliter restricta *ad Italiam, & Insulas adjacentes*, & in eo, quod attinet ad simoniam, subdit, professionem ex ea non irritari, uti probat *Textus in c. quoniam, & cap. veniens de simonia*, ubi receptus per Simoniam in Monasterium, damnatur ad serviendum Domino in alio Monasterio in habitu Monastico, quod non fieret, si taliter professus Monachus non remansisset, ut bene probat *Abbas in citato cap. veniens sub num.* 4.

Hæc quo ad validitatem professionis, quia vero Scribens pro Fratre Ludovico ulterius instat pro restitutione florenor. 3000. ante Professionem solutorum, ponderanda est Constitutio Urbani IV. *quæ est inter extravagantes communes, & incipit sane tit. de Simonia*, ubi gratiose conceditur retineri pecuniam pro ingressu Monasterii solutam, si fuerit applicata ad communem usum Monasterii, sed cum *in dicta extravaganti* habeantur hæc verba *hac vice dumtaxat*, examinandum est, an sibi vindicet locum dispositio alterius *Textus in Cap. Veniens de Simonia*, ubi Abbas, & Monachi condemnantur ad restituendam pecuniam Presbytero, qui eam exbursaverat, ut Monachus fieret, quæ restitutio tamen sic intelligitur, ut non fiat in gratiam Profitentis, ut ipse videlicet eam retinere possit, sed ut fiat in gratiam Monasterii ad quod transfertur, ne illi videlicet sit onerosus, uti late prosequitur *Pirhing. ad lib.* 5. *decretal. tit. de Simon. sect.* 3. §. 4. *n.* 63. & in tantum *in allegato capitulo veniens* demandaretur restitutio pecuniæ eidem Presbytero, in quantum ille solverat, sed professionem adhuc non emiserat, uti ponderat *Gibalin. de Simon. quæst.* 23. *consect.* 11. *n.* 5.

Cum nunc nulla fuerit capta resolutio, sed dictum ut scriberetur tam Nuntio Apostolico Coloniæ, quam Internuntio Bruxellen. ut informarent de praxi, & consuetudine Patriæ Leodiensis circa professiones, quæ emittuntur in Conventibus ad id non designatis, datæ fuerunt litteræ in executionem mandatorum Sac. Congregationis.

Fuit a Nuntio Coloniensi transmissa attestatio Patrum Conventus Ordinis S. Dominici, in qua dicitur pro validitate professionis oportere, ut per annum integrum Novitiatus expleatur in aliquo Conventu per Superiores Majores ad id designato.

Internuntius Bruxellensis in sua informatione narrat, quoad Clericos in Leodiensi Provincia observari in ordine Dominicano, quod Novitiatum expleant in Conventibus ad id designatis sub pœna nullitatis, rem autem secus se habere quoad laicos, & quoad oblatos.

His stantibus, quæritur

I. An constet de validitate professionis in casu &c. & quatenus negative.

II. An sit locus restitutioni dotis solutæ pro ingressu Religionis in casu &c.

Sacra Congr. die 13. Junii 1722. respondit

Ad Primum affirmative, & amplius. Ad Secundum Dilata.

QUÆ-

QUÆSTIO CCXXI.

In Causa Cremonensi Erectionis Collegiatæ, die 2. Augusti 1721.

CONSILIUM Generale Oppidi Casalis Majoris siti in Diœcesi Cremonensi Provinciæ Mediolanen. nec non Universus Populus totius districtus, & Executores Testamentarii Nobilis Matronæ Claudiæ Elisabeth Maltraversi, quæ suum legavit Patrimonium pro opere pio mox exponendo, supplices preces exhibuerunt felic. record. Clementi Papæ XI., ut Ecclesia Parochialis sub titulo Sancti Stephani post obitum Archipresbyteri, qui modo in ea exercet curam animarum, erigeretur in Collegiatam, componendam ex uno Archipresbytero, qui deberet esse Caput, & prima Dignitas, & ex decem Canonicis, quorum unus deberet esse Theologus, & secunda Dignitas, & insuper ex duobus Clericis, & Campanario; cumque a Sanctitate Sua fuissent preces remissæ ad hanc Sacram Congregationem, scriptum fuit, juxta morem, Episcopo, qui censuit non esse annuendum petitis; cumque subsequenter negotii cognitio fuerit commissa Eminentissimo Domino Cardinali Zondadari, & Eminentia Sua adhæserit Sententiæ Episcopi, instantibus Communitate Casalis Majoris, & Executoribus Testamentariis supra memoratis, in plena Congregatione proponitur dubium ad calcem hujus restrictus referendum.

Eminentissimus Zondadari in suo per manus circumferendo suffragio libenter admittit Oppidum Casalis Majoris Cremonen. Diœcesis esse insigne, atque conspicuum, sed subdit non esse locum erectioni Collegiatæ, primo quia in calculo Dotis numerantur scuta 270. quæ debent dismembrari ex Mensa Archipresbyterali ad constituendas binas Præbendas Canonicales, & totidem Mansionarias, cum talis dismembratio sit remedium extraordinarium, exorbitans, & odiosum, & multo magis, cum hic, & nunc in Ecclesia S. Stephani, ultra Archipresbyterum, & Cappellanos Curatos, alii vigintiquatuor adsint Beneficiati, qui juxta Concilium Provinciale Mediolanense, tenentur eidem inservire in divinis, singulis diebus festis. Secundo quia cum Testatores de Maltraversiis nullum tempus erectioni Collegiatæ præscripserint, sed erectionem reliquerint pleno arbitrio Executorum, quibus demandarunt, ut hoc interim fructus hæreditatis multiplicarentur, dilatio temporis avertere poterit supra expositam dismembrationem redituum Archipresbyteratus, eoque fortius cum erectio Collegiatæ petatur nunc pro tunc, secuta videlicet morte Archipresbyteri. Tertio quia Testatores de Maltraversiis, quibus optime innotescebat amplitudo redituum Archipresbyteri, voluerunt, quod ex fructibus suæ hæreditatis eidem assignarentur *libræ* 1000. pro quotidianis distributionibus; itaut semper incalescat assumptum de non admittenda dismembratione redituum Archipresbyteratus; cumque memorati Testatores ulterius demandaverint, quod reditus omnes applicarentur, & converterentur in distributiones quotidianas percipiendas a Canonicis, qui ab aliis Patronis sunt præsentandi, hoc tamen super addito, quod Canonicatus nuncuparentur *de Maltraversiis*, continetur in hac re quædam inordinata voluntas, quæ obstat erectioni Collegiatæ. Quarto quia in hac erectione Collegiatæ, nonnulla Beneficia fundata in aliis Ecclesiis in Canonicatus erigi debent, quod non solum adversatur voluntati Fundatorum, sed etiam præjudicium affert vigintiquatuor Beneficiatis, qui modo sunt in Ecclesia S. Stephani, & qui aliis subsequenter admittendis præferri de jure deberent.

Excipiunt e contra scribentes pro Consilio, & Communitate Casalis Majoris, & pro Executoribus Testamentariis esse locum gratiæ Erectionis Collegiatæ, cum Oppidum sit Insigne, & Dos sit maximopere congrua. Deinde prosequendo examen exceptionum propositarum in luculento suffragio Eminentissimi Zondadari, in eo quod attinet ad primum punctum, dicunt non deesse exempla erectionum Collegiatarum etiam cum dismembratione Mensæ Archipresbyteralis, nec hanc esse dismembrationem Sacris Canonibus exosam, tum quia fit pro augmento cultus Divini, tum quia est pedisequa mutationi status Ecclesiæ, in eoque quod spectat ad secundum punctum, ajunt, in operibus piis adimplendis non esse indulgendum dilationibus, & moræ, & signanter, cum, ultra Testatores de Maltraversiis alii pii Testatores, aliique adsint Fideles, qui legata fecerunt, absque indulto cujuscumque dilationis. Demum, loquendo, de difficultatibus excitatis ex relicto eorum de Maltraversiis, prætendunt, easdem in facto non subsistere, nec esse novum, quod in erectionibus Collegiatæ uniantur Beneficia de Jurepatronatus existentia in aliis Ecclesiis, accedente, prout hic, consensu Patronorum, & quia in allegato suffragio dicitur Ecclesiam S. Stephani ultra Archipresbyterum, & Vicarios adjutores in cura habere vigintiquatuor simplices Beneficiatos, qui eidem inserviunt in Divinis: respondetur aliud esse, quod Ecclesiæ inserviatur a simplicibus Beneficiatis, qui ab Episcopis non coguntur ad Residentiam, & raro interveniunt functionibus Ecclesiasticis, aliud vero, quod eidem inserviatur a Collegio, & Clero in statu Collegiatæ.

Quocirca quæritur

An, & quomodo sit signanda supplicatio in casu &c.

Sacra Congr. die 23. Augusti respondit

Dilata, & examinetur coram Eminentissimo Præfecto modus, quo Collegiata possit erigi, & coram eodem Eminentissimo Præfecto interim reddatur ratio ab Administratoribus de hæreditate Maltraversia.

QUÆSTIO CCXXII.

In Causa Ratisbonensi Vicariæ, die 2. Augusti 1721.

CUM Abbas, & Monachi Cœnobii in Waldassen. Ordinis Cistercienses felicis recordationis Clementi Papæ XI. expostuissent, quod Apostolica intercedente auctoritate Bonifacii IX. & Sixti IV. nonnullæ suo Monasterio fuerant unitæ Parochiales Ecclesiæ præsertim *in Tursenreut, Benthel Wondreb, Falkembergh* cum expressa facultate eas moderandi per Monachos ad nutum amovibiles, seu per Sacerdotes sæculares, & quod Consistorium Episcopale Ecclesiæ Ratisbonensis in controversiam revocabat facultatem præficiendi Monachos curæ animarum, & eos pro animi sententia removendi, fuerunt a Sanctitate Sua preces remissæ ad hanc Sac. Congregationem.

Scriptum fuit juxta morem pro informatione Ordinario Ratisbonensi, & ille in suis litteris unionem dictarum Ecclesiarum Parochialium adnisit, Sed addidit ab immemorabili tempore fuisse ad eas ab Abbatibus præsentatos tanquam Vicarios perpetuos, Sacerdotes sæculares, qui ordinaria auctoritate fuerunt instituti, nec unquam retroactis temporibus fuisse Ecclesias a Monachis ad nutum amovibilibus gubernatas.

Habita Ratisbonensi informatione, in Congregatione *die* 28. *Julii* 1713. tria dubia fuerunt disputata.

I. An Vicarii deputandi ab Abbate Monasterii Vualdassen. Parochiis de quibus agitur, sint deputandi perpetui, seu potius temporanei, & quatenus affirmative quo ad secundam partem.

II. An sit liberum Abbati deputare in prædictos Vicarios temporaneos, etiam Monachos sui Monasterii in casu &c.

III. An sit locus ædificationi Domus Priovalis in Civitate Tursenreut in casu &c. & hisce dubiis responsum fuit modo, qui sequitur, *ad primum negative quo ad primam, & affirmative quo ad secundam partem, ad secundum affirmative, ad tertium, instantiam remisit ad Sacram Congregationem Episcoporum, & Regularium.*

Terminata memorata controversia inter Abbatem, & Monachos, & Consistorium Episcopale Ratisbonense, alia exorta est controversia inter Abbatem, & Joannem Baptistam Parochum *in Tursenreut*; cum enim prædicta Parochiali vacante *anno* 1693. fuisset Joannes Baptista ad eam ab Abbate præsentatus, & ipse fuisset ab Ordinario institutus, nulla facta mentione amovibilitatis, in sequelam resolutionum hujus Sac. Congregationis, quæ juxta prædicta prodierunt *die* 28. *Julii* 1713. & in quibus statutum fuit liberum esse Abbati deputare Vicarios temporaneos, etiam Monachos sui Monasterii, in nonnullis Parochiis, & signanter in illa, de qua nunc agitur, Abbas in animum induxit removere Joannem Baptistam, & Monachum deputare pro regione Parochiæ, & e contra Joannes Baptista huic se opposuit, & opponit prætensioni, sustinendo se a Parochia removeri non posse, licet in casu vacationis admiserit, & admittat habere Abbatem facultatem deputandi Religiosum, eumque præficiendi Parochiali *in Tursenreut*.

Fundamenta Joannis Baptistæ, quæ latius in suis scripturis legi possunt, consistunt potissimum in his, quæ sequuntur, primo in sua nominatione, & institutione; quæ secutæ sunt longe ante resolutiones hujus Sac. Con-

gregationis, itaut nullum ex eis quo ad se præjudicium valeat derivare; vel quia editæ sunt, se inaudito, vel quia loquuntur *de Vicariis deputandis, & non de deputatis*; secundo, in ultimo statu, qui in Beneficialibus maximopere attenditur, juxta vulgatum Textum *in cap. Consultationibus de Jurepatronatus*; juxta etenim ultimum statum præsentatio, & institutio factæ sunt in personis sæcularibus absque qualitate amovibilitatis; tertio in defectu causæ, propter quam amoveri possit, cum aliud sit Vicarium esse temporaneum, & non perpetuum, aliud vero esse amovibilem ad nutum, & sine causa; Absque eo quod pro causa allegari possit ædificatio Domus Prioralis, tum quia non est in jure scriptum, quod Parochus ex dicta causa licet temporaneus possit amoveri, tum quia punctus hic reædificationis Domus Prioralis fuit ab hac Sacra Congregatione remissus ad alteram, super negociis Episcoporum, & Regularium, uti ex responsionibus ad dubia proposita *anno* 1713. supra relatis desumi potest.

Excipit e contra Abbas sibi licere deputare in Vicarium Parochiæ Monachum sui Monasterii, & simul, & semel Joannem Baptistam removere, & fundamenta, quæ pro sua militant prætensione, consistunt in sequentibus, uti latius ex suis scripturis colligi potest; primum est, quod in allegata resolutione hujus Sac. Congregationis admissa fuit, & canonizata qualitas unionis Parochialium Monasterio, quod sit videlicet plenaria, subjectiva, & titulorum extinctiva, in quo rerum statu infertur, nedum Abbatem posse in posterum Monachos deputare in temporaneos Vicarios, sed etiam posse removere Presbyteros sæculares jam ad Parochiales admissos, & multo magis, cum instantia pro remotione fuerit proposita in Curia Episcopali, & in hac Sac. Congregatione, & ejusdem facta fuerit mentio in Relatione Ordinarii; Secundum est, quod quatenus non fuisset jus removendi deductum in hac Sac. Congregatione, nec illud virtualiter fuisset in præterita resolutione comprehensum, cum ex Bullis tamen unionum deprehendatur unionem Parochialium Monasterio factam, esse *plenariam, subjectivam, & uti dicitur ad Mensam*, removendi facultas statim sibi videtur locum vindicare, ad terminos præsertim *Bullæ 47. S. Pii V.* §. 5. *Bullar. tom.* 2. nec enim huic Bullæ derogatum fuit *in posteriori Constitutione 9. Gregorii XIII.* quæ eam reduxit ad terminos Juris Communis, & Concilii Tridentini, cum Gregorius subsequenter declaraverit Pianam Constitutionem in suo robore permanere debere, dummodo cum Fratre, seu Religioso Vicario ad nutum amovibili, & Deputato ad regimen Parochiæ extra Claustra alius Regularis Socius superaddatur, *Teste Gonzal. ad Regul. Cancell. gloss.* 5. §. 3. *num.* 79. Tertium est, quod Joannes Baptista fuit ad Parochialem nominatus, seu præsentatus sub expressione, quod Parochia pleno jure erat incorporata Monasterio, & quod a primo fundationis exordio usque ad ultimas Bellorum injurias fuerat a Religiosis administrata; cumque in eadem provisione reservatum fuerit jus in futurum, ex hoc plura inferuntur, alterum, quod, in sequelam juris reservati, potest Joannes Baptista removeri. alterum, quod supposita unione plenaria, & subjectiva, Vicarii sunt amovibiles ad nutum, & absque causa, nec ultimum statum prodesse posse; Quartum denique fundamentum consistit in hoc, quod quatenus causa pro remotione requireretur, eadem non deficit; consistit siquidem in reædificatione Domus Prioralis, quæ causa si fuit deducta in hac Sacra Congregatione *anno* 1713. antequam Joannes Baptista esset in Judicio, & antequam innotescceret ejus renitentia circa dimissionem Parochiæ, manifesta hinc deduci dicitur consequentia causam prædictam non fuisse pro eo removendo, & supplantando adinventam.

His stantibus, quæritur

An liceat Abbati de Waldassen. deputare in Vicarium Vicariæ in Turfenreut Monachum sui Monasterii, & respective removere modernum Vicarium in casu &c.

Sacr. Congr. die 23. Augusti respondit,
Non esse locum remotioni in casu &c.

QUÆSTIO CCXXIII.

In Causa Elborensi Dubiorum, die 2. Augusti 1721.

PROPRIUS Episcopus ad effectum ordinationis est ille, de cujus Diœcesi est is, qui ad Ordines promoveri desiderat oriundus, seu in cujus Diœcesi Beneficium obtinet Ecclesiasticum, vel habet, licet alibi natus fuerit, Domicilium in eadem, uti habetur *in cap. Cum nullus de temporibus Ordinat. in 6.*

Ad tramites hujus Textus, juxta receptiorem Doctorum opinionem, satis erat quodcumque Beneficium, licet tenue, & tenuissimum, cum & hoc veniat appellatione Beneficii, uti *post Navarrum, Azorium, Garziam, & alios* firmat *Passerin. in citato capitulo Cum nullus quæst.* 1. *art.* 3. *num.* 55. *&* 56. *de tempor. Ordinat. in 6.*

At san. mem. Innocentius XII. in sua celebri Constit. quæ incipit *Speculatores, & quæ est* 44. *in suo parvo Bullario*, statuit, quod ad effectum subjectionis pro ordinibus recipiendis, Beneficium ejus debeat esse talis reditus, ut ad congruam vitæ substentationem juxta Taxam Synodalem, sive ea deficiente, juxta morem Regionis pro promovendis ad Sacros Ordines, detractis oneribus, per se sufficiat, sublata quacumque facultate supplendi, quod deficeret ad fructus ejusdem Beneficii, cum adjectione Patrimonii etiam pinguis, quod ipse Ordinandus in eadem, seu alia quavis Diœcesi obtineret.

Hæc plana sunt, & inconcussa. Id autem, quod excitavit difficultatem Episcopo Patarensi Suffraganeo, seu Auxiliatore Episcopatus Elborensis, cujusque resolutio ab hac Sac. exquiritur Congregatione, est, an ut satisfactum dici possit Bullæ *Speculatores*, quæ in terminis Ordinationis, uti dictum est, exposcit Beneficium talis reditus, ut ad congruam sufficiat substentationem, satis sit, quod aliquis habeat Coadjutoriam Canonicatus cum futura successione, & cum assignatione congruæ, cujus ope ali possit, usque quo per obitum Coadjuti Canonicatum, ejusque reditus acquirat.

Pro parte affirmativa facit, quod licet quis non possit ad Sacrum Ordinem promoveri ad titulum Coadjutoriæ etiam cum futura successione, id tamen fallit, quando, hoc interim, Coadjuto fuit assignata congrua portio; in hoc enim rerum statu ille, qui sic ordinatur, dicitur ordinari ad titulum Pensionis, ut in puncto firmant *Garzias de Benef. tom.* 1. *parte* 2. *cap.* 5. *numero* 132. *Pirhing. ad lib.* 1. *Decretalium tit.* 11. *de tempor. Ordinat. sect.* 1. §. 4. *num.* 69. *Castropal. Oper. Moral. tom.* 4. *&* 5. *tract.* 27. *disput. unica puncto* 10. *num.* 5. *Barbosa Juris Eccles. Universi lib.* 3. *cap.* 10. *num.* 80. *Ventrigl. in praxi rerum Eccles. parte* 2. *annot.* 13. §. *unico num.* 37.

Titulusque Pensionis Ecclesiasticæ est titulus sufficiens, ut quis possit Sacros Ordines recipere, uti habetur, *sess.* 21. *de Reform. cap.* 2.

Additur, quod idem Concilium Tridentinum *sess.* 23. *cap.* 9. statuit, quod Episcopus familiarem suum non subditum ordinare non possit, nisi per triennium secum fuerit commoratus, & Beneficium statim re ipsa illi conferat; cumque disputato in hac Sacra Congregatione articulo, an pro ordinatione Familiaris sufficeret, si Episcopus illi non Beneficium, sed Pensionem conferret, & affirmative fuerit responsum, uti habetur apud *Fagnan. in cap. ad Audientiam il secondo num.* 137. *de Rescriptis*.

Hinc infertur, quod sicuti in ordinatione Familiaris, in qua Concilium exposcit Beneficium, Pensio est titulus pro ordinatione sufficiens, hoc ipsum dicendum sit in terminis Bullæ *Speculatores*, quæ licet ad effectum subjectionis velit, quod Clericus habeat Beneficium cum qualitatibus supra recentitis, Pensionem tamen non respuat, qualis a Doctoribus supra citatis dicitur illa, quæ sub nomine congruæ portionis assignatur Coadjutori cum futura successione usquequo Canonicatum obtineat.

Pro parte vero negativa facit, quod in terminis Juris Communis, juxta quod, uti supra dictum est, proprius Episcopus ad effectum ordinationis ille est, in cujus Diœcesi Ordinandus obtinet Beneficium, proprius Episcopus ad eumdem effectum non dicitur ille, in cujus Diœcesi Ordinandus habet Pensionem, cum Pensio sive detur in stipendium, sive detur in titulum, nunquam veniat appellatione Beneficii, uti probat *Textus in cap. quamvis il primo de Præbendis in 6.* & confirmat *Textus in cap ad audientiam de Rescriptis*, & in terminis, de quibus agitur, late probat *Riccius in Praxi rerum Eccles. par.* 1. *de Sacramento Ordinis resolut.* 273.

Adeoque si quis non efficitur subditus ratione Pensionis in terminis Juris Communis, multo minus subditus pro ordinatione effici poterit in terminis Bullæ *Speculatores*, quæ ex supradictis, est restrictiva Juris Communis.

Item, juxta sæpe memoratam Bullam *Speculatores* non potest Episcopus alienæ Diœcesis subditum familiarem suum ad Minores, aut Sacros Ordines promovere, nisi

nisi ultra triennale servitium eidem conferat Beneficium sufficiens pro vitæ substentatione. Disputato autem in hac Sacra Congregatione articulo *die* 27. *Julii* 1697. in quadam Tricaricen. Ordinationis, *an, stante novissima Constitutione Speculatores, possit Episcopus Familiarem triennalem ad titulum Patrimonii promovere ad Sacros Ordines ob necessitatem, vel utilitatem Ecclesiæ, nullo collato Ecclesiastico Beneficio*, Sacra hæc Congregatio *negative* respondit, uti habetur *lib.* 47. *Decret. fol.* 331. & id quod in casu Patrimonii fuit ibi resolutum a Sacra Congregatione extenditur etiam ad titulum Pensionis, ita ut post Bullam *Speculatores* supra citatam, antiquæ resolutiones nullum amplius sibi vindicent locum, *Teste Monacell. in formul. parte* 1. *tit.* 3. *formula* 17. *num.* 1. *&* 2.

Quocirca si pro ordinatione Familiaris respuitur Pensio post Bullam *Speculatores*, & Beneficium est necessarium, non absimile ferendum erit judicium in terminis ejus, qui subditus evadit ratione Beneficii, cum in utraque parte Bulla *Speculatores* mentionem faciat Beneficii pro congrua substentatione sufficientis.

Ultra dubium, de quo usque adhuc habitus est sermo, succedit alterius dubii discussio, an in hypothesi, in qua ad tramites Bullæ *Speculatores*, subditus non efficiatur ille, qui habet Coadjutoriam cum futura successione, & congruæ assignatione, subditus tamen evadat ratione Domicilii, quasi quod habita possessione Coadjutoriæ perpetuæ animum demonstraverit perpetuo inhabitandi.

Porro affirmativa responsio suadetur, in quo Bulla *Speculatores* ad rem, de qua agitur, acquisitionis Domicilii, exposcit animum patefactum perpetuo habitandi. Negativa autem sententia comprobatur, quia distincti sunt tituli subjectionis, originis videlicet, Beneficii, & Domicilii, titulusque Coadjutoriæ referendus videtur non ad Domicilium, sed ad Beneficium.

Ultimum superest dubium discussioni propositum ab eodem Episcopo Patarensi Suffraganeo, sive Auxiliatore Episcopatus Elborensis, & est, an ipse teneatur inquirere circa illos, qui sibi ab Ordinario, seu a Capitulo dimittuntur ordinandi, an habeant requisita Bullæ *Speculatores*; Sede enim vacante Capitulum intra annum a die vacationis concedit Dimissorias Arctatis, uti habetur *Sess.* 7. *cap.* 8. *de reformat.*

Juxta idem Concilium *sess.* 23. *cap.* 3. *de Reform.* Episcopi, qui subditos suos dimittunt Ordinandos ad alium Episcopum, debent eos dimittere probatos, & examinatos, & cohærenter ad hæc invaluit opinio, quod Episcopus, cui facta est commissio, non tenetur inquirere, an dimissi sint idonei, & an habeant sufficientem titulum pro ordinatione, uti habetur apud *Fagnan. in cap. cum secundum num.* 52. *de Præbendis, & Dignit.*, licet inquirere possit, si velit, juxta resolutionem hujus Sac. Congregationis *in una Nullius* 16. *Januarii* 1595. *lib.* 7. *Decret. pag.* 80. *a tergo*, ubi proposito dubio, *an Episcopus ordinans alienos subditos sæculares cum dimissoriis proprii Episcopi, asserentis eos examinatos fuisse, & idoneos repertos, teneatur hujusmodi attestationi deferre, vel etiam possit eosdem Ordinandos examinare*, responsum fuit, *posse Episcopum Ordinantem, si voluerit, attestationi proprii Episcopi deferre, sed non teneri*: & concordat alia resolutio super dubio ordinationis edita *die* 17. *Januarii* 1693. *lib.* 43. *Decret. pag.* 71.

His stantibus, quæritur

I. An Coadjutor cujusdam Canonicatus cum futura successione, & assignata congrua, alias externus, eo ipso dici possit subjectus Capitulo Elboren. ad effectum suscipiendi Ordines, absque alia dimissoria Episcopi suæ Originis.

II. An supradicta Coadjutoria sufficiat saltem, ut talis Coadjutor dicatur habere Domicilium requisitum a Constitutione san. mem. Innocentii XII. incipien. Speculatores, *ad effectum suscipiendi Ordines, ex eo quod, ex possessione talis Coadjutoriæ perpetuæ, videtur sufficienter demonstratus animus perpetuo permanendi.*

III. An idem Episcopus Auxiliaris teneatur inquirere, utrum circa illos, qui sibi ab Ordinario, seu Capitulo proponuntur, seu dimittuntur ordinandi, satisfactum sit supradictæ Constitutioni Speculatores, non obstante quod ipsi, non competat habilitare, & expedire Ordinandos, sed Provisori Capituli, a quo non in genere, sed expresse personæ habiles & expeditæ proponuntur.

Sacra Congr. die 23. Augusti 1721. respondit.
Ad Primum affirmative. Ad Secundum satis provisum in Primo. Ad Tertium non teneri inquirere, sed posse, & debere, justa subsistente causa, se abstinere ab ordinatione.

QUÆSTIO CCXXIV.

In Causa Cavensi, seu Caputaquensi Jurisdictionis, die 2. Augusti 1721.

CUM ex antiqua donatione, quam Ascletinus Comes Pollæ, & Sigillarda ejus Uxor fecerant anno 1086. favore Monasterii Cavensis Ordinis Cassinensis, de Ecclesia, & Casali S. Petri extra memoratum Castrum Pollæ, una cum omnibus Terris, & Vassallis ad dictum Casale pertinentibus, nec non ex subsecutis indultis Urbani II. & Alexandri III. Abbas Monasterii Sanctissimæ Trinitatis Cavæ sibi jus, & jurisdictionem asseruisset in Ecclesia Parochiali sub invocatione pariter Sanctissimæ Trinitatis intra Castrum Pollæ, adversus Episcopum Caputaquen. cui dictum Castrum est in spiritualibus subjectum, nec suæ intentioni Abbas præjudicium ullum illatum fuisse prætenderet, ex quo Populus, & Clerus Ecclesiæ S. Petri extra memoratum Castrum Pollæ ob aeris intemperiem, & Latronum incursiones *usque ab anno* 1517. se contulerat ad habitandum intra Castrum, & ibi Parochialem Ecclesiam sub invocatione Sanctissimæ Trinitatis ædificaverat, ex quo nova hæc Ecclesia assumpserat, & retinuerat primævam exemptionem, & alia privilegia, quæ antiquæ competebant Ecclesiæ, controversiæ cognitio delata fuit ad A. C. Areoltum, qui *anno* 1622. sententiam protulit, in qua dixit Ecclesiam Sanctissimæ Trinitatis cum sua Parochia spectare, & pertinere ad Abbatem pro tempore Monasterii Caven. neque ullo modo licere Episcopo Caputaquen. actus jurisdictionis exercere in dicta Ecclesia, Parochia, & Parochianis, ejusque consequenter Vicarium male se gessisse, excommunicando nonnullos homines memoratæ Parochiæ, & hæc sententia Auditoris Cameræ fuit *anno* 1672. utraque parte informante, confirmata in Tribunali Rotæ, uti videri potest *in decis.* 97. *cor. Emer. Jun.*

Anno præterito 1720. quædam contigit rixa inter Sacerdotem Joannem Turi subditum Abbati Cavensi, utpote Parochianum Ecclesiæ Sanctissimæ Trinitatis, & Subdiaconum Dominicum Bofanum subditum Episcopo Caputaquensi, & cum in prædicta rixa Bofanus nonnulla vulnera recepisset, Episcopus processum confecit adversus Percussorem, quem etiam denuntiavit excommunicatum, & Abbate Cavensi contendente prædicta omnia gesta fuisse in contemptum suæ jurisdictionis, nec habere subsistentiam, utpote facta a non habente auctoritatem, disputatur in præsenti, an Censuræ sustineantur; hujus enim Articuli cognitio fuit ad hanc Sacram Congregationem remissa ab Auditore Sanctissimi.

Fundamentum Abbatis consistit in exemptione Percussoris a jurisdictione Episcopi, itaut licet delictum secutum dici possit in loco subjecto Episcopo, cognitio tamen delicti, & animadversio in delinquentem non ad Episcopum, sed ad se omnino spectare debuerit.

Fundamentum e contra Episcopi residet in hoc, quod Presbyter Joannes percussit Subdiaconum in loco, qui dicitur *lo Vigillito*, qui est absque dubio suæ jurisdictioni subjectus, & in hoc rerum themate ipse contendit se bene potuisse adversus delinquentem procedere, non obstante, quod ejus Persona a sua jurisdictione exempta sit, & subjecta Abbatis jurisdictioni.

Juxta celebrem Decretalem Innocentii IV. *in cap. volentes de privilegiis in 6.* innovatam a Concilio Trident. *sess.* 7. *cap.* 14. *de Reform.* quando agitur de exemptione locali, vel de exemptione mixta, quæ est concessa personis propter locum, cognitio delicti extra locum commissi spectat ad Ordinarium, cui locus subjectus est, secus autem se habet res quando exemptio est personalis, cum in hoc casu cognitio delicti extra locum commissi non ad Ordinarium loci, sed ad Judicem exempti pertineat, & cum hoc sensu processit hæc Sac. Congregatio *in Firmana Jurisdictionis*, quæ licet *die* 13. *Aprilis* 1720. fuerit resoluta contra Archiepiscopum Firmanum, & favore Abbatiæ Farfensis, uti refertur a Scribente pro Abbate Monasterii Cavensi, *die nihilominus* 3. *Augusti* 1720. recessum fuit a decisis, & dictum, quod cognitio delicti non ad Ordinarium Farfensem, sed ad Archiepiscopum spectabat Firmanum.

His stantibus, quæritur

An Censuræ sustineantur in casu &c.

Sacra Congr. die 23. Augusti 1721. respondit
Censuras esse nullas, & Episcopus procedat ex Integro.

QUÆ-

QUÆSTIO CCXXV.

In Causa Tauvinensi Matrimonii, die 23. Augusti 1721.

BARONISSA Susanna Rovara de Ternavas Vidua relicta Baronis Dominici Blancardi, ex quo plures suscepit liberos, post trigesimum viduitatis annum exactum, licet constituta in ætate annorum 70. matrimonium contraxit cum Equite Fabritio Cacherano constituto in ætate annorum 34. & in præsenti contendit matrimonium esse nullum, & quatenus validum esset, locum saltem debere esse divortio, & separationi tori.

Quoad nullitatem matrimonii, ea ex duobus capitibus potissimum desumitur ex quo videlicet contractum fuisse dicitur ex importunis suasionibus, & suggestionibus, & ulterius ex impotentia prædicti Equitis Fabritii, quæ ad tramites Sacr. Canonum, quando fuit a contrahente ignorata dirimit matrimonium, *juxta Text. in cap. qui sedem, & in cap. ex litteris de frigidis, & maleficiatis*, ad differentiam casus, quando videlicet matrimonium fuisset contractum cum scientia impotentiæ, Ecclesia quippe Romana non consuevit in hac facti contingentia Conjuges separare, *juxta Textum in cap. consultationi eodem titulo.*

Quoad divortium deinde, & separationem tori fundamentum a Baronissa reponitur in dissensionibus tam judicialibus, quam extrajudicialibus, quæ inter se, & Equitem Fabritium vigent, *juxta firmata per Rotam decis. 13. ad ornatum Card. de Luca tit. de matrim.*

Prætendit e contra Fabritius, nec matrimonium esse nullum, nec esse locum divortio, & separationi tori; Et in eo quidem, quod attinet ad nullitatem, dicit, non subsistere assertas importunas suggestiones, cum mulier pluries explicaverit animum suum, & desiderium secum contrahendi matrimonium, munera receperit, lætabunda accesserit ad contrahendum, & matrimonium in facie Ecclesiæ coram Parocho, & Testibus contraxerit post tres dies elapsos, postquam sponsalia fecerat per publicum, & solemne Instrumentum, & in eo, quod spectat ad relatam impotentiam, exhibet ipse peritiam Physicorum, & Chirurgorum, qui consideratis sui corporis partibus, de idoneitate ad consummandum matrimonium tulerunt testimonium, itaut a cæteris præscindendo, si evidenter non constat de impotentia, subintret lex de triennali cohabitatione antequam esse possit locus dissolutioni matrimonii, *juxta Textum in cap. laudabilem de frigidis, & maleficiis.*

Et post hæc Fabritius transitum faciendo ad divortium, & tori separationem, ait, amaritudines inter se, & Baronissam exortas, causam, & originem habuisse ab accusatione impotentiæ, quæ in dedecus, & utriusque derisionem vergebat, addendo nullas intercessisse sævitias, propter quas esse valeat locus divortio, & separationi tori, cum *juxta celebre Consilium Baldi 176. lib. 1.* si maritus moderate, & ex causa verberet Uxorem, uti dicatur jure suo, si atrociter, & immoderate id faciat, locus sit divortio, & separationi tori, si res eo redacta sit, ut ne quidem oblata per Virum fidejussione, Uxor illi possit tuto committi, in quibus terminis procedit *Text. in c. litteras de restitut. spoliat.* cum aliis quos cumulat *Sperell. decis. 139. per tot.*

His stantibus, quæritur

I. An constet de nullitate matrimonii, & quatenus negative.

II. An sit locus divortio, & separationi tori in casu &c.

Sacr. Congr. respondit,
Ad Primum negative. Ad secundum negative quoad primam partem, & affirmative quoad secundam usquequo aliter demandetur ab hac Sac. Congregatione, & amplius.

QUÆSTIO CCXXVI.

In Causa Ravennatensi matrimonii, die 23. Augusti 1721.

DIE 29. Septembris 1714. facta fuit in Ecclesia Parochiali S. Barbaræ Civitatis Ravennæ denunciatio matrimonii contrahendi inter Marcum Antonium de Laurentiis, & Felicem de Sanctis; cumque die sequenti coram Vicario Generali Curiæ Archiepiscopalis comparuisset Joannes Gerardus Cappellanus dictæ Ecclesiæ, qui retulit sibi fuisse denunciatum impedimentum impediens, & dirimens matrimonium, copulam videlicet habitam a Marco Antonio cum Diana sorore prædictæ Felicis, demandatum fuit, quod supersederetur in aliis publicationibus, seu denunciationibus matrimonii, sed hoc minime obstante, & nihil pariter attentis depositionibus Testium examinatorum pro dicti impedimenti verificatione, dum Parochus Ecclesiæ S. Barbaræ erat in domo propria, vocatus fuit ex improviso, ipsoque portam suæ domus aperiente, tam Marcus Antonius, quam Felix, ipso frustra reclamante, mutuum protulere consensum coram eo, & Testibus, & matrimonium per verba de præsenti contraxerunt, Causaque super matrimonii nullitate suum habente progressum, *die 15. Junii anno 1715.* prolatum fuit ab Archiepiscopo Ravennatensi decretum, in quo dictum est, quod constabat de legitimo impedimento matrimonii clandestini secuti inter Marcum Antonium, & Felicem, & eosdem esse segregandos; transmissisque ad utrumque consuetis præceptis de non conversando, delataque Causa ad hanc Sac. Congregationem, disputatur in præsenti, an constet de validitate matrimonii, uti desumitur ex dubio ad calcem hujus restrictus referendo.

Porro, præmissa juris propositione, quod antiquum jus Canonicum juxta quod sicuti affinitas ex copula licita descendens ad quartum gradum extendebatur, & extenditur, uti habetur *in cap. non debet de consanguin. & affinit.* ad eundem quartum gradum extendebatur etiam si ex copula illicita descenderet, *uti colligitur ex cap. discretionem de eo, qui cognovit*, correctum fuit, & immutatum a S. Concilio Tridentino, quod affinitatis impedimentum ex fornicatione, copulaque illicita contractum ad primum, & secundum gradum restrinxit, uti legitur *sess. 24. de reform. matrim. cap. 4.* quod ipsum habetur *in constit. 14. S. Pii Quinti Bull. tom. 2.*

Hujusce Causæ pondus unice residet in videndo, an copula Marci Antonii cum Diana probata sit, nec ne sufficienter ad effectum de quo agitur; si etenim probata erit, matrimonium cum Felice contractum non erit validum, & validum e contra erit, si copula cum Diana non erit probata, juxta casum alias in hac Sac. Congregatione disputatum *in Baren. Matrimonii 9. Aprilis 1701.*

Ad probationes itaque descendendo, copula probatur primo ex epistola Patris Pauli Fortunati e Cotignola Ordinis Minorum Observantium S. Francisci, nec non ex ejus subsecuto examine formali, in quo retulit ad se accessisse tam Petram Matrem, quam Felicem, & Dianam sorores, & respective filias, sibique manifestasse, quod Marcus Antonius cum utraque rem habuerat, exquirendo consilium de eo, quod fieri debebat in dicta facti contingentia, seque respondisse, nullum aliud adesse remedium pro contrahendo matrimonio cum Felice, quæ erat gravida, quam obtinere dispensationem Apostolicam, dictumque hujus Religiosi coadjuvatur ex Testibus referentibus se eum vidisse pluries alloquentem Petram Matrem, & Dianam, & Felicem, licet non audiverint verba loquentium.

Secundo copula probatur ex aliis pluribus Testibus deponentibus se publice audivisse, quod Marcus Antonius binas constupraverat sorores.

Tertio ex confugio habito ad locos immunes, tam a Marco Antonio, quam a Felice, & a Diana, ad finem, uti creditur se subtrahendi a pœnis incestus.

Quarto ex transportatione ab Ecclesia SS. Annunciatæ ad Terram Bagna-Cavalli, trasportatione inquam Dianæ facta a dicto Marco Antonio.

Ultimo ex depositionibus Sebastiani, & Mariæ ejus Uxoris, qui occasione accessus Petræ Matris, Felicis, & Dianæ, nec non Marci Antonii ad Villam Campiani, dicunt, se Felicem, Dianam, & Marcum Antonium pluries vidisse in eodem cubiculo habitantes, & dormientes, nec non ab eadem Diana audivisse, quod si Marcus Antonius contrahere volebat matrimonium, illud secum, & non cum alia fœmina contrahere debebat, ex quo sui corporis dominus fuerat.

Quæ omnia prætendi potest sufficere ad probationem impedimenti; licet enim urgentiores requirantur impedimenti probationes, quando agitur de Matrimonio contracto ad differentiam casus, in quo ageretur de matrimonio contrahendo, uti habetur *in c. de illo, & in c. super eo, de eo, qui cognovit consanguineam*, cum tamen copula sit difficilis probationis *juxta glos. in cap. litteris verb. ut credebant de præsumptionibus*, non solum præsumptiones, & Testium depositiones conjungi debent, sed ulterius non videntur rejiciendi Testes, licet aliquas paterentur exceptiones, ad probandam quippe consanguinitatem, aut aliquod publicum impedimentum, Testes debent esse omni exceptione majores, at secus se habet

res,

res, quando agitur de probando impedimento principium habente clandestinum, *juxta consilium 389. Ferretti.*

Adversus hæc a Marco Antonio, & Felice nonnulla opponuntur, quæ latius videri possunt in scriptura per manus circumferenda, cujus major vis ad capita sequentia reducitur.

Primum est, quod Frater Paulus arcta dicitur fuisse amicitia conjunctus cum Thoma Patre Marci Antonii, itaut sicuti Pater matrimonio adversabatur, sic ex amicitia inter eum, & Fratrem Paulum intercedente, Fratris Pauli depositio remaneat omnino debilitata.

Secundum est, quod Diana, & Marcus Antonius jurarunt se nunquam infimul carnale habuisse commercium, & hoc juramentum, licet emissum post Decretum Curiæ Archiepiscopalis, prætenditur esse advertendum, cum antea illud emittere non potuerint, ex quo non habebant notitiam testimonii redditi a Fratre Paulo, & ab aliis.

Tertium est, quod Sebastianus, & Maria ejus uxor, nec non nonnulli alii Testes, qui fuerunt in processu examinati, quique de confessione extrajudiciali Dianæ deposuerunt, & respective de aliis actibus coadjuvantibus attestationem Fratris Pauli, extrajudiciales quasdam fecerunt attestationes, quæ in Summario exhibentur, in quibus asseruerunt, vel Notarium non scripsisse ea, quæ dixerunt, vel se tædio Carceris, & ex Notarii, seu Cancellarii suggestionibus ea retulisse, quæ in processu scripta sunt, licet veritati adversentur.

In quo rerum themate, operæ pretium erit perpendere, an magis credendum sit Notario, quam Testibus, *ad terminos Textus in cap. ad audientiam §. Nos igitur de præscriptionibus*, cum aliis late deductis *per Farinacc. quæst. 108. part 3.* & an vel simpliciter rejiciendæ sint extrajudiciales istæ subsequentes attestationes, vel potius demandari debeat, quod afferantur probationes super concussionibus Notarii, seu Cancellarii, super quibus nullum hucusque indicium allatum est. Hæc autem omnia operæ pretium esse censui exponere, ut tutum super Causa ferri possit judicium, & ut omnia innotescant, cum nullus sit, qui pro Fisco, & Promotore Fiscali Curiæ Archiepiscopalis Ravennatensis compareat; singulisque animadversis, quæritur

An constet de validitate matrimonii in casu &c.

Sacra Congr. die 13. Septembris 1721. respondit
Non constare de nullitate Matrimonii.

QUÆSTIO CCXXVII.

In Causa Theatina Matrimonii, die 23. Augusti 1721.

NICOLAUS de Vito *anno 1705.* uti Procurator constitutus a Francisco Cotogno suscepit in Sacro Baptismali Fonte Antoniam de Benedicto. Cum autem matrimonium cum ipsa modo contrahere velit, & Ordinarius eidem licentiam concedere nolit, sub obtentu impedimenti cognationis spiritualis, habito a Nicolao recursu ad hanc Sacram Congregationem, dictum fuit *die 12. Julii 1721.* quod ejus instantia proponeretur in folio.

Tres sunt in hoc proposito Doctorum opiniones. Prima asserit in hac facti specie cognationem spiritualem non contrahi, nec a mandante, quia non tangit Baptizandum, nec a Procuratore, quia nomine proprio Baptizatum non suscipit. *Navar. consil. 6. lib. 4. tit. de cognatione spirituali*, ubi dicit hanc opinionem in puncto Juris esse veriorem, & eam tanquam probabilem tuentur *Leander de Sacram. tom. 1. tract. 2. disput. 7. quæst. 22. Dicastillo de Sacram. tom. 1. tract. 2. disput. 2. dub. 5. num. 56. Diana in edit. coord. tom. 1. tract. 1. resolut. 96. num. 4.* Secunda sustinet cognationem spiritualem non a mandante, sed a Procuratore contrahi propter contactum, uti argumentatur *Covar. in secunda parte Epitomes quarti libri Decretalium cap. 6. §. 4. num. 6.* Tertia, quæ communior esse videtur, docet, cognationem spiritualem a mandante, non a Procuratore contrahi, qui enim per alium facit per se ipsum facere videtur, uti ad rem cæteris allegatis profequuntur *Layman tom. 2. lib. 5. tract. 10. part. 4. cap. 8. num. 4. & 5. Sanchez de matrim. lib. 7. disput. 59. num. 12. Perez de matrim. disput. 29. sect. 7. per totam, Barbos. ad caput 2. sess. 24. de reform. matrim. num. 26. Bonacin. oper. moral. tom. 1. quæst. 3. punct. 5. proposit. 3. §. 2. num. 34. R. P. D. Petra ad Constit. Apostolicas tom. 2. in comment. ad Constit. 5. Honorii Tertii sect. 2. num. 12. pag. 442.* & hanc sententiam amplexa est Sacra hæc Congregatio *in una Nullius 15. Martii 1631. lib. 14. Decret. pag. 398.* ubi sic legitur: *Sacra &c. censuit Procuratorem, qui nomine alterius suscepit, vel ad confirmationem tenuit, non contrahere cognationem sibi, sed mandanti*, quam Sacræ hujus Congregationis resolutionem in facti contingentia, & in praxi esse recipiendam, firmarunt Doctores, & signanter *Cabassut. in Theor. & praxi Juris Canonici lib. 3. cap. 22. numer. 11. Clericat. decis. 23. de Sacram. matrim. num. 8. Analect. ad titulum Decretal. de cognat. spirit. num. 23.*

His stantibus, quæritur

An impedimentum cognationis spiritualis obstet Nicolao quominus matrimonium contrahere valeat cum Antonia de Benedicto in casu &c.

Sacra Congr. die 13. Septembris 1721. respondit
Negative.

QUÆSTIO CCXXVIII.

In Dubio Visitationis, die 13. Septembris 1721.

VICARIUS Capitularis Scardonæ quæsivit a Sac. Congregatione de Propaganda Fide, an sibi permissum esset facere visitationem Civitatis, & Diœcesis, necnon visitationem personalem Capitularium; cumque examen dubii fuerit a dicta Sac. Congregatione ad hanc remissum, operæ pretium est de prædicto dubio in præsenti habere sermonem.

De visitatione Civitatis, & Diœcesis ab Episcopo facienda, plura pluribus in locis Sacri Concilii Tridentini facile videri possunt. At in eo, quod attinet ad visitationem Capituli ab eodem Episcopo faciendam, prædictum Concilium *Sess. 6. cap. 4. de Ref.* decrevit, quod Capitula Cathedralium, & aliarum Ecclesiarum, & eorum Personæ nullis exemptionibus, aut consuetudinibus se tueri possint, quominus a suis Episcopis, per seipsos solos, vel illis, quibus sibi videbitur adjunctis, juxta Canonicas sanctiones, toties quoties opus fuerit, visitari, corrigi, & emendari possint, & valeant; cumque olim dubitatum fuisset, an in visitatione Capituli suæ Cathedralis teneretur Episcopus sibi adjungere aliquos Canonicos, ad terminos *Text. in cap. ut juxta de offic. Ordinarii*, & Rota affirmative respondisset, re delata ad hanc Sacram Congregationem, eadem censuit Episcopum in visitatione Capituli non teneri assumere aliquos ex Canonicis, sed posse visitare, vel per seipsum solum, vel aliis adjunctis, etiam extra Capitulum, & resolutio fuit a Summo Pontifice Gregorio XIII. confirmata, uti fuse habetur apud *Fagnan. in c. ut juxta a n. 37. usque ad finem de Offic. Ordinarii, & in cap. cum Venerabilis n. 5. & seqq. de censibus.*

Allegata Conciliaris dispositio edita fuit sub Paulo Tertio, novumque confirmationis robur obtinuit sub Pio Quarto, uti habetur *Sess. 25. cap. 6. de Ref.*, ubi additur, quod si Episcopus extra visitationem adversus aliquem ex Canonicis procedere velit, teneatur id facere cum duobus adjunctis ex gremio Capituli, nisi forte ageretur de delictis, depositionem, aut degradationem requirentibus, & in quibus de fuga timeretur, tunc enim Episcopus tam ad Personalem detentionem, quam ad summariam informationem procedere potest etiam sine adjunctis, uti colligitur *ex allegato cap. 6.* quod tamen juxta resolutiones hujus Sac. Congregationis sibi vindicat locum tantummodo in Capitulis exemptis *Barbos. ad cap. 6. sess. 25. num. 3. de reform. & de Canonicis cap. 28. num. 2. Tondut. quæst. benef. tom. 1. cap. 61. num. 2. Solorzan. de jure Indiarum tom. 2. lib. 3. cap. 14. num. 66. Rota decis. 743. part. 1. diverf. decis. 321. par. 2. diverf. & in Giennen. Adjunctorum 13. Februarii 1702. coram bon. mem. Molines, quæ est decis. 13. in Mantissa ad Card. de Luca tom. 1. lib. 3.*

Ab Episcopo transitum faciendo ad Capitulum Sede vacante, cum illud succedat in jurisdictione, uti habetur in *cap. his qui, & cap. Cum olim de majoritate, & obedientia*, dicunt Doctores posse ab illo visitationem Civitatis & Diœcesis expleri, *Altaser. in vindic. Eccl. Jurisd. lib. 8. cap. 16. in fine, Marescott. variar. resolut. lib. 2. cap. 15. num. 14. & seqq. Novar. in Summa Bull. comment. 38. num. 6. par. 1. Rota decis. 346. num. 2. & 3. par. 1. rec. & decis. 84. alias 85. coram Merlin.* dummodo tamen elapsus sit annus a die ultimæ visitationis ab Episcopo factæ, uti insequendo resolutiones hujus Sac. Congregationis *in Limana 10. Maii, & in Pampilonen. 3. Februarii, & 10. Decembris anni 1629.* docent *Barbos. jurisd. Eccles. Univers. lib. 1. cap. 32. num. 71. Novar. in Summ. Bull. part. 2. comment. 32.*

num. 5.

num. 5. *Ventrigl. in praxi rerum Eccles. par.* 2. *annot.* 15. §. 1. *num.* 5. *Ventrigl. in praxi rerum Eccles. par.* 2. *annot.* 15. §. 1. *num.* 21. Cumque Concilium Tridentinum *Seff.* 24. *cap.* 16. *de Reform.* decreverit, quod Episcopo mortuo Capitulum deveniat ad electionem Vicarii, itaut sublata fuerit dispositio Juris Communis, quo attento, poterat capitulum mortuo Episcopo non devenire ad electionem Vicarii, sed per seipsum jurisdictionem exercere, uti ponderat *Fagnan. in cap. his qui num.* 66. *& seqq. de majoritate, & obedientia*, ea, quæ dicta sunt de facultate Capituli quoad visitationem Civitatis, & Diœcesis, sibi debent vindicare locum in Vicario Capitulari, ut in terminis visitationis Diœcesis resolutum fuit ab hac S. Congregat. *in Salernitana anno* 1589. *pag.* 81. *lib.* 6. *decret. in Asculana Visitationis* 8. *Maii* 1683. *& in Ostunen.* 28. *Julii* 1708. *lib.* 53. *decret. pag.* 266. ubi proposito dubio *An, & quando Vicarius Capitularis possit visitare*, rescriptum fuit *affirmative post lapsum anni*, & ab hac eadem Sac. Congregatione statuti fuerunt fines, intra quos Vicarii Capitulares deberent se continere in exactione procurationis ipsis debitæ occasione visitationis, uti habetur *in Elnen.* 28. *Maii* 1648. *lib.* 18. *decret. p.* 464.

Hæc quoad visitationem Civitatis, & Diœcesis; quoad visitationem vero Capituli, & quoad visitationem personalem Capitularium, excellentior hæc & magis fructuosa dicitur visitatione locali, & reali, uti plene habetur apud *Restam in directorio visitationis, & apud Crispinum in sua visitatione Pastorali par.* 3. cum hæc respiciat vitam, & mores Capitularium, & de eadem sermonem facere videtur *Rota in allegata decis.* 84. *seu* 85. *coram Merlin.* in qua postquam docuit Capitulum Sede vacante posse visitare Civitatem, & Diœcesim, & omnia ejus membra, inquit, visitationem nedum consistere in accessu ad unamquamque Ecclesiam, sed in perquisitione, & reformatione morum, tam Cleri, quam Populi; & quoad punctum procedendi adversus Canonicos, cum, vel sine adjunctis, Sac. hæc Congregatio resolvit, debere Vicarium Capitularem procedere cum adjunctis, si Episcopus id facere consueverat, secus autem si hoc ab Episcopo non fiebat, uti habetur apud *Garz. de benef. par.* 5. *cap.* 7. *num.* 23. & bene prosequuntur *Barb. ad cap.* 6. *sess.* 25. *de ref. num.* 14. *Gallemart. ad cap.* 16. *sess.* 24. §. *Dubitatum fuit, Stroz. de offic. Vicarii lib.* 2. *quæst.* 145. *Ludovicus a Saravia in tract. de adjunctis impresso post Frances de Eccles. Cathed. edit. Venetæ anni* 1698. *quæst.* 17. *num.* 35.

Nonnulli facultatem visitandi in Capitulo, seu Vicario Capitulari censent in praxi admittendam, si Ecclesia non sit de proximo providenda, *Barbos. ad Concil. cap.* 3. *num.* 8. *sess.* 24. *de ref. Marchet. in praxi Vicar. Capit. part.* 1. *tit.* 18. *num.* 3. Cumque id ut plurimum pendeat a voluntate Summi Pontificis, Sac. hæc Congregatio aliquando respondit agendum esse cum eodem antequam aliquid decernatur, uti resolutum fuit die 17. Octobris 1600. quærebatur enim *An Capitulum Sede vacante possit visitare Civitatem, & Diœcesim, & visum fuit Illustrissimis Patribus non expedire, ut Capitulum habeat hujusmodi facultatem, quæ ei forte competit juxta graviorem Doctorum opinionem, ideo antequam aliquid decernatur agendum esse cum Sanctissimo.*

His positis, quæritur

I. An Vicarius Capitularis Scardonen. facere possit visitationem Civitatis, & Diœcesis.

II. An facere possit visitationem personalem Capitularium in casu &c.

Sacra Congr. respondit

Ad Primum, & secundum affirmative, dummodo elapsus sit annus a die ultimæ Visitationis factæ ab Ordinario.

QUÆSTIO CCXXIX.

In Causa Romana Legati, die 13. *Septembris* 1721.

ANTONIUS Maria Lancianus *die* 26. *Januarii anno* 1715. hæredem sibi scriplit Philippum Maruffum, & inter cætera disposuit *per l'anima mia, e remissione de' mei peccati, voglio, & ordino, che nella detta Chiesa*, fermo est de Ecclesia Sacrorum Stigmatum, *si celebrino ogni anno, con i frutti di dieci luoghi di Monte, cioè cinque di S. Pietro seconda erezione, e cinque Restorato terza erezione, tante Messe, quante vi entreranno a ragione d'un giulio l'una, detratti scudi tre l'anno per la Sacristia della detta Chiesa, per i paramenti, ed altri utensili per le dette Messe, e le solite mancie, incaricando al mio erede di far voltare detti luoghi di monte in faccia della mia eredità con il detto peso, e colla riserva de' frutti a suo favore, per erogarli come sopra.*

Die 23. *mensis Decembris ejusdem anni* Antonius Maria tres ex dictis locis Montium Sancti Petri resignavit, & *die* 2. *Januarii anni* 1716. deposuit in Sacro Monte Pietatis scuta 357. provenientia ex pretio locorum Montium alienatorum, *& die* 23. *ejusdem mensis, & anni*, ex hac vita decessit.

Secuto Testatoris obitu, sola septem Loca Montium in ejus hæreditate reperta sunt; cumque Philippus Maruffus hæres contendat Missas esse celebrandas ex fructibus dictorum septem locorum Montium, nec se ad ullam suppletionem teneri, fuit ejus instantia de more remissa ad Eminentissimum Cardinalem Archiconfraternitatis Sacrorum Stigmatum Protectorem, qui censuit eam esse rejiciendam.

Porro nonnulla sunt, quæ suadent Philippum esse obligatum ad supplendum, nec eum propriæ satisfacere obligationi, si Missas celebrare faciat ex fructibus septem tantummodo locorum Montium; & primo quidem, quia licet ex alienatione voluntaria rei legatæ ad differentiam alienationis necessariæ, legatum extinguatur, aut minuatur, juxta *Textum in l. rem legatam, & in l. Legatum* §. *Pater ff. de adimendis Legatis*, dicta tamen regula non procedit in Legatis piis, sed tantum in legatis prophanis, cum in legatis piis, propter animæ favorem, ex alienatione rei legatæ nec extinguatur, nec minuatur legatum, *Jason. in l. qui post Testamentum culum.* 3. *C. de Legatis, Tiraquell. de privilegiis causæ piæ privil.* 41. *Genuen. pract. Eccles. quæst.* 267. *Amostaz. de causis piis lib. primo cap.* 13. *num.* 41. *Pasqualig. de Sacrificio novæ legis quæst.* 110. *per totam*.

Secundo quia quatenus admitteretur, quod legatum etiam pium extingueretur, aut minueretur ex alienatione rei legatæ, id nihilominus non esset aptabile terminis nostris, in quibus Testator vendidit quidem loca montium, sed pretium deposuit in Monte Pietatis. Depositum hoc etenim pretii ostendit eum a priori voluntate non recessisse, & sic totum, & integrum legatum deberi, licet aliqua portio legati fuerit alienata, uti probat apertus *Textus in l. fideicommissa* §. *si Rem suam ff. de Legatis* 3. ibi *cum tamen quidem nomen debitoris exegisset, & pro deposito pecuniam habuisset; putavi fideicommissi petitionem superesse*: & in puncto, quod ex distractione reditus super communi Florentiæ non censeatur revocatum legatum Filio relictum, ex quo Pater pretium deposuerat in Banco, firmat *Alexander consil.* 156. *libro* 7.

Alia e contra sunt, quæ suadent Philippum non esse obligatum ad supplendum, & ipsum propriæ satisfacere obligationi, si Missas celebrare faciat ex reditibus septem tantummodo locorum Montium, vel quia juxta veriorem, & receptiorem Sententiam, ex alienatione voluntaria rei legatæ, pium etiam legatum extinguitur, aut imminuitur, *Mantic. de conjecturis ultimarum voluntatum lib.* 12. *tit.* 6. *num.* 5. *Menoc. de præsumpt. lib.* 4. *præsumpt.* 167. *n.* 15. *& seqq. Ciarlin. controvers. forens. lib.* 1. *cap.* 69. *n.* 25. *& seqq.*

Absque eo quod quidquam relevet exposita circumstantia, quod Testator videlicet pretium deposuit, illa quippe procedit in themate, in quo Testator pretium recepit, quod recusare non potuit, secus autem, quoties prout hic, in tantum pretium recepit, in quantum nullo impellente vendere voluit loca Montium, uti desumitur ex allegato *Textu in l. fidei commissa* §. *Si rem suam ff. de Legatis* 3. ubi licet pro legati perseverantia momentum constituatur in depolito a Testatore facto, quemadmodum legitur in verbis supra recensitis, immediate tamen subditur, quod Testator non sponte sua, sed impellente Creditore pretium receperat, *maxime quia non ipse exegerat, sed debitor ultro pecuniam obtulerat, quam offerente ipso non potuit non accipere*.

Vel quia derelicta quæstione, an ex alienatione rei legatæ extinguatur, vel imminuatur legatum, cum hic & nunc non agatur de decem locis Montium legatis, & controversia redacta ad terminos legati Missarum adimplendi ex fructibus decem locorum Montium, quorum tria fuerunt a Testatore alienata, non videtur, quod unquam hæres teneri possit ad supplendum, tum quia in una, eademque oratione Testator, tam loca Montium, quam onus Missarum complexus est, in quibus circumstantiis Loca Montium stare dicuntur taxative, non demonstrative, *Roman. in singul.* 430. *Mantic. de conjecturis lib.* 12. *tit.* 6. *num.* 24. *&* 25. *Menoc. de præscript. lib.* 4. *præsump.* 147. *num.* 48. *& seqq. Castil. controv. juris lib.* 4. *cap.* 54. *num.* 20. *& seqq. Rota decis.* 456. *num.* 34. *& seqq.*

& seqq. coram Merlino; tum quia Testator non incœpit ab onere, sed a summa, ex quo sequitur loca Montium non stare demonstrative, sed taxative, juxta celebre Votum Domini de Vecchiis olim Secretarii hujus Sac. Congregationis impressus *apud Crispin. in sua visitatione pastorali parte* 2. §. 18. *num.* 6. quod Sacra Congregatio in facti contingentia semper secuta est; admissoque quod loca Montium stent non demonstrative, sed taxative, cessat quæcumque obligatio hæredis ad supplendum.

His positis, quæritur

An Missæ in futurum celebrandæ sint cum fructibus tantummodo septem locorum Montium, vel potius esse debeat locus supplemento.

Sacra Congr. die 2. Octobris 1721. respondit,

Ad primum dubii partem negative. Ad secundam affirmative, & amplius.

QUÆSTIO CCXXX.

In Causa Meletensi, die 13. *Septembris* 1721.

GREGORIUS Falcettus Parochus Ecclesiæ S. Joannis Baptistæ Terræ Melicucciæ, quæ subest Religioni Hierosolymitanæ, & quæ sita est intra limites Diœcesis Mileten. huic sacræ Congregationi exposuit, quod in sequelam cujusdam transactionis initæ anno 1588. tam fructus, & reditus ad suam Parochialem pertinentes, quam alii spectantes ad Beneficia, S. Petri, Beatissimæ Virginis Consolationis, & S. Leonardi exiguntur a quadam Persona specialiter deputata, detractisque nonnullis detrahendis, dividuntur inter dictos Beneficiatos, & Communitatem Presbyterorum dictæ Terræ, itaut ipse congruam non habeat, supplicavitque pro declaratione nullitatis supra recensitæ conventionis, vel ad minus pro libertate ab eadem recedendi, & sic vindicandi fructus omnes, & proventus ad suam Parochialem Ecclesiam spectantes, cum protestatione adimplendi omnia, quæ officii sunt Parochialis, & juxta morem Sacra Congregatio jussit, quod scriberetur Episcopo pro informatione, & voto.

Scriptum fuit Episcopo, qui retulit, quod sub obtentu antiquioris cujusdam consuetudinis, inita fuit anno 1588. quædam conventio, in qua tam Parochus, quam alii tres Beneficiati assensum præstiterunt, quod suorum Beneficiorum fructus exigerentur a Procuratore eligendo, & dividerentur cum cæteris Sacerdotibus Terræ, qui tunc erant quindecim, quique ulterius assumpserunt in se onus celebrandi tres Missas qualibet hebdomada, providendi Ecclesias, in quibus Beneficia sita sunt, de omnibus necessariis, & administrandi Sacramenta Baptismi, Viatici, & Extremæ Unctionis, præter alia, quæ in ipsa conventione legi possunt.

Addit Episcopus scandala oriri ex hac conventione, cum Sacramenta ut plurimum administrentur a Sacerdotibus imperitis, qui id sibi arrogant, nulla præcedente approbatione, nec ullo per consequens examine præcedente; cumque singulis annis memorata administratio sub hasta ponatur, & deferatur ad Sacerdotem, qui se offert eam minori assumere mercede, præter execrabilem hunc operandi modum, ut plurimum ex hoc facto derivare, quod Sacerdos careus facultate excipiendi confessiones, deferat Viaticum, & teneatur secum ducere Sacerdotem, qui sit approbatus ad excipiendas Confessiones, ut in citata Episcopi Relatione fusius legi potest.

Hæc sunt, quæ in Relatione Ordinarii continentur. Nunc deveniendo ad jura, quæ uni, & alteri parti affluere possunt, pro eo, quod datum est conjicere ex documentis Presbyterorum Terræ Melicucciæ mihi consignatis, ipsorum fundamenta desumi valent, primo, ex quo si participant de reditibus, & proventibus Parochiæ, & aliorum trium Beneficiorum, oneribus etiam gravantur administrationis scilicet Sacramentorum Baptismi, Viatici, & Extremæ Unctionis, confectionis librorum Parochialium, interessentiæ funeralibus defunctorum, & servitii Ecclesiæ singulis Dominicis, & diebus festivis, ultra salarium ducatorum 19. solvendum Sacristiæ, & alias expensas subeundas, a quibus Parochus nedum est immunis, sed etiam ducatis annuis 10. fruitur, ultra coæqualem portionem, quam habet cum aliis Terræ Sacerdotibus.

Secundo, ex antiquissima consuetudine, cum in conventione inita anno 1588. afferatur, quod anteactis temporibus fructus Beneficiorum communicabantur cum Presbyteris Terræ. Item ex modo relata transactione, quæ propter lapsum centum annorum præsumi valet Apostolico Beneplacito roborata, cum Bulla Urbani Octavi, de qua apud *Fagnan. in cap. Consuetudines num.* 45. *de consuetud.* tollat præsumptionem Beneplaciti Apostolici resultantem ex lapsu triginta, vel sexaginta annorum, sed Centenariam præservet, *Adden. ad Pamphil. decis.* 153. *sub num.* 14. & cum juxta veriorem sententiam satis sit, quod Centenaria elapsa sit ante motam litem, *Pacion. de Locato cap.* 14. §. 11. *num.* 3. *&* 4. *Rocca disput. Juris cap.* 59. *num.* 9. *& seqq. Gales. in Comment. ad Constit. Urbanam n.* 308. *Rota decis.* 328. *sub num.* 5. *part.* 17. *& decis.* 33. *num.* 11. *parte* 18. *recent.* & in *Nepesina devolutionis* 22. *Aprilis* 1695. §. *Etenim coram clar. mem. Cardinali Thaurusio*, quibus omnibus superadditur, quod Urbanus Papa Octavus Statuta Cleri hujusce Terræ suis litteris Apostolicis confirmavit *die* 7. *Martii anno Pontificatus* 7.

Parochus e contra in sua scriptura per manus circumferenda innititur primo dispositioni Juris, quæ fructus, & emolumenta Parochiæ ad ipsum Parochum defert privative quo ad alios; secundo inquit, transactionem anni 1588. sibi non obstare, tum quia fuit inita sine causa, & sine solemnitatibus, tum quia est litteraliter restricta ad vitam transigentium; tertio ponderat scandala, & inconvenientia supra memorata; quarto sustinet suæ intentioni non obesse Urbanam confirmationem, cum ea non respiciat conventionem, de qua nunc agitur, sed confirmet in forma communi, & non in forma specifica Statuta Cleri, & in eadem adsit clausula: *Dummodo licita sint, & honesta, & non repugnent Sacris Canonibus, & decretis Concilii Tridentini, & Apostolicis Constitutionibus*, & ultimo affert dispositionem Sacri Concilii Tridentini *Sess.* 24. *cap.* 13. *de Reform.* ubi Sancta Synodus Episcopis mandat, ut distincto Populo in certas Parochias, unicuique suum perpetuum, & peculiarem Parochum assignent, a quo solo licite Sacramenta suscipiant, non obstantibus quibuscumque privilegiis, & consuetudinibus etiam immemorabilibus.

His stantibus, quæritur

I. An Conventio inita anno 1588. *valida sit, & obligatoria Parochi Terræ Melicucciæ in casu, & quatenus affirmative.*

II. An eidem Parocho licitum sit ab eadem resilire.

Sacra Congr. die 2. Octobris 1721. respondit

Ad primum negative. Ad secundum satis provisum in primo, & amplius.

QUÆSTIO CCXXXI.

In Causa Fundana Applicationis Missarum, die 13. *Septembris* 1721.

IN Oppido Vallisciursæ tres extant Parochiales Ecclesiæ, prima S. Martini, quæ habet Archipresbyterum, & duos Canonicos nuncupatos, seccunda S. Angeli, quæ habet Parochum, & duos pariter Canonicos nuncupatos, tertia S. Mariæ, quæ pariter Parochum, & duos alios habet Canonicos, & omnes hi diebus festivis in altera ex dictis Ecclesiis per Turnum conveniunt ad canendam Missam, & unusquisque iisdem diebus festivis Missam Parochialem applicat pro Populo.

Diebus vero ferialibus tam Parochi, quam Canonici in altera ex Ecclesiis per Turnum Missam celebrant juxta antiquam consuetudinem, & in ordine ad hanc Missam, quæ diebus ferialibus modo prædicto celebratur, orta est controversia, an eadem esset pro Populo applicanda; cumque de hac re actum esset in visitatione facta ab Episcopo *anno* 1707. Episcopus censuit ex rationibus coram se deductis non adesse dictam obligationem, delataque subinde controversia ad Sacram Congregationem Episcoporum, & Regularium, fuit ejus cognitio a dicta Congregatione remissa ad hanc Sacram Congregationem, in cujus remissionis sequelam disputanda proponuntur dubia ad calcem hujusce restrictus referenda.

Multæ ab hac S. Congregatione statutæ sunt regulæ quoad applicationem Missarum, & in eo quidem quod attinet ad Parochos, pluries resolutum fuit eosdem teneri Missam pro Populo applicare singulis diebus festis, licet congruam non habeant, & resolutiones fuerunt confirmatæ a san. mem. Innocentio XII. in suis litteris Apostolicis in forma Brevis expeditis *die* 24. *Aprilis* 1699. & impressis apud *Clericat. discord.* 29. *de Benef. sub n.* 43.

Quoad Missam Conventualem, eadem in Cathedralibus, & Collegiatis Ecclesiis singulis diebus est applicanda pro

da pro Benefactoribus, ad terminos *Textus in cap. Creaturæ de celebr. Miss.* & ad terminos resolutionis *in Camerinen. Miss. Conventualis 6. Junii* 1705. *&* 5. *Junii* 1706. quinimmo si cura Animarum sit penes Canonicos, iidem tenentur diebus festis applicare pro Populo, & ulterius satisfacere oneri Missæ Conventualis pro Benefactoribus applicandæ, juxta Resolutiones editas in *Viterbien.* 31. *Martii* 1708. & in *Balneoregien.* 19. *Aug.* 1713. sed hoc onus Missæ Conventualis solas respicit Ecclesias Cathedrales, & Collegiatas, itaut si aliqua Ecclesia probet se non esse Collegiatam, ab hoc onere dicatur exempta; juxta casum disputatum, & resolutum *in Montis Falisci Missæ Conventualis* 12. *Februarii* 1718.

Rursus quando disputatio exorta est circa Missas Conventuales in præteritum non applicatas, quando aderat obligatio applicandi, Sacra hæc Congregatio consuevit relaxare rigorem, & Episcopo demandare, ut non ad integram mensuram Missarum, quæ erant applicandæ, & applicatæ non sunt, celebrare faciat, & applicare, sed cum aliqua æquitativa diminutione, uti resolutum fuit in *Causa Comen. Missæ Conventualis, & Parochialis* 11. *Maii* 1720. *in responsione ad secundum.*

Quo ad reliqua deinde dubia respicientia Missarum applicationem, nisi aliter ex circumstantiis desumatur, statim ac aliquis demandavit Missas celebrari, intelligitur, quod voluerit eas etiam pro Anima sua applicari juxta antiquam, & semper retentam resolutionem in *Tinen. Applicationis Sacrificii* 18. *Augusti* 1668. *lib.* 26. *Decret. fol.* 61. ibi --- *ex dispositione testamentaria antiquitus facta a Pio Testatore reperitur fundata quædam Cappellania cum onere Cappellano pro tempore Sacrum faciendi singulis Dominicis, aliisque festivis diebus, nulla adjecta declaratione ad cujus suffragium applicandum esset Sacrificium. Ideo Episcopus Tinen. supplicat per Sacram Congregationem declarari, an hujusmodi Sacrificium applicandum sit pro Anima ipsius Testatoris, an vero ad libitum Cappellani, uti hactenus factum esse comperiit. Die* 18. *Augusti* 1668. *Sac. Congregatio respondit applicandum esse Sacrificium pro anima Testatoris.*

Hæc sunt, quæ operæ pretium esse censui adnotare, ut ad manus omnium sint opiniones in hac Sacra Congregatione receptæ; cumque in Causa, de qua nunc agitur, obligatio applicationis desumi contendatur potissimum ex antiqua consuetudine, quæritur

I. An Parochi, aliique Beneficia possidentes in Ecclesiis S. Martini, S. Angeli, & S. Mariæ Vallis curiæ teneantur Missas tres celebrandas per turnum applicare pro Populo, & Benefactoribus, etiam diebus ferialibus, unam nempe in unaquaque dd. Ecclesiarum.

II. An ad dictum onus teneantur pro præterito, & a quo tempore in casu &c.

Sacra Congr. die 2. Octobris 1721. respondit
Ad primum negative. Ad secundum satis provisum in primo.

QUÆSTIO CCXXXII.

In Causa Bononiensi Juris visitandi, die 2. Octobris 1721.

IN Civitate Bononiæ, quam, ut cæteri prætermittantur, Summi ipsi Romani Pontifices vocare non dubitarunt *Antiquissimam Studiorum Matrem, Commune bonarum artium domicilium, & disciplinarum emporium*, uti legi potest in litteris Apostolicis Leonis X. impressis *apud Dulcinum de Vario Bononiæ Statu lib.* 6. *pag.* 292. *& in Constit.* 69. §. 1. *inter eas Pii Quarti Bull. tom.* 2. *& in Constit.* 67. §. 7. *inter eas Clementis Octavi Bull. tom.* 3. Sixtus Papa V. Collegium fundavit pro quinquaginta ex Provincia Marchiæ Scholaribus, eidemque elargitus est annuos reditus, privilegia, & exemptiones, de quibus *in sua Constit.* 89. *Bull. tom.* 2.

Hic idem Pontifex huic suo Collegio nonnullas Ecclesias tunc vacantes concessit, & assignavit, incorporavit, applicavit, & appropriavit, itaut nedum Collegii Rector, & Scholares realem, & actualem illarum possessionem ingredi, sed etiam eas retinere, regere, administrare, & earum fructus, & emolumenta in suam utilitatem, & necessitatem convertere possent, necnon illis deservire facere *per Presbyteros sæculares, vel de Superiorum suorum licentia cujusvis Ordinis Regulares idoneos, juxta statuta desuper edenda ponendos, & amovendos, Diœcesanorum locorum, vel quorumvis aliorum licentia desuper minime requisita*, uti legitur in Bulla mox allegata §. 6.

Super harum Ecclesiarum visitatione *anno* 1692. exorta est controversia inter Eminentissimum Civitatis Bononiæ Archiepiscopum, & Eminentissimum tunc temporis Collegii Protectorem, contendente hoc non posse ab illo expleri visitationem Ecclesiarum ullo modo, cum exclusione etiam juris delegati; cumque Sac. hæc Congregatio tunc censuerit esse exquirendum votum Rotæ, nec ab inde citra aliquid gestum sit, & Eminentiss. Card. Bononiæ Archiepiscopus in postrema Relatione suæ Ecclesiæ, quam post personalem visitationem Sacrorum Liminum, juxta morem, Sac. huic exhibuit Congregationi; nedum statum prædictæ controversiæ exposuerit, sed etiam hoc intermedio tempore ad suas manus dixerit devenisse ipsius Collegii Constitutiones editas a clar. mem. Alexandro Cardinali Montalto, primo ejus Protectore, & in forma specifica confirmatas ab eodem Sixto Quinto, quæ favorabili resolutioni dubii alias propositi ita prodesse ipsi visæ sunt, ut ad controversiæ resolutionem procedi possit absque voto Rotæ, alias ab hac Sac. Congregatione requisito, post mutua officia hinc inde, hoc est inter memoratum Eminentiss. Archiepiscopum, & præsentem Eminentiss. Collegii Protectorem præmissa, dubium ad calcem hujus Restrictus referendum in hac Sac. Congregatione examinandum proponitur.

Tria vero sunt fundamenta, quorum ope Eminentissimus Archiepiscopus putat se posse Ecclesias Collegio unitas jure delegato visitare, primum est, quia Episcopus tanquam Sedis Apostolicæ Delegatus potest visitare Ecclesias sæculares exemptas *juxta cap.* 8. *sess.* 7. *de ref.* etiamsi Ecclesiæ sæculares exemptæ, essent commendatæ, & sive illis immineat, sive non Cura Animarum, juxta *cap.* 8. *sess.* 21. *de Reform.*

Secundum est, quod in allegatis Constitutionibus Card. Alexandri Montalti statuitur, quod Sacerdotes deservientes Ecclesiis Collegio annexis, omnia obsequia Ordinariis impendant in iis, quæ exempti per decreta S. Concilii Tridentini facere tenentur, hinc inferendo ad visitationem, quam Sacerdotes sæculares in suis Ecclesiis licet exemptis admittere tenentur ad tramites Tridentini in locis allegatis.

Tertium tandem est, quod visitandi facultas ita pertinet ad Ordinarium, ut etiamsi in fundatione alteri concessa esset, non per hoc tamen exclusus censetur Episcopus, cui tantum expressa prohibitio præjudicare potest, juxta resolutiones hujus Sac. Congregationis de quibus *apud Ludovis. decis.* 8. *per tot.*

His stantibus, quæritur

An Eminentissimus Archiepiscopus Jure Delegato Ecclesias unitas, & annexas Collegio Montalto visitare possit in casu &c.

Sacra Congr. respondit
Affirmative, & amplius.

QUÆSTIO CCXXXIII.

In Causa Fulginatensi Prioratus, quoad curam Animarum, die 2. Octobris 1721.

PROMOTOR Fiscalis Curiæ Episcopalis Fulginaten. prætendit Priorem Cathedralis Fulginei teneri per seipsum exercere Curam Animarum, & Sacramenta ministrare, & esse vere, & proprie actualem Curatum cum solo adjutorio Sacristarum tanquam suorum Coadjutorum; & præcipua fundamenta Promotoris Fiscalis sunt hæc, quæ sequuntur.

Primum est, quod in Visitatione Cathedralis Ecclesiæ facta *usque de anno* 1573. statutum fuit ab Episcopo, retinendam esse laudabilem consuetudinem, ut duo ex Sacristis, uti Coadjutores, auxilium præstarent in Cura Animarum Priori, quoad ea, quæ ipse perficere non poterat, dummodo prædicti Coadjutores Sacristæ prævio examine ab Ordinario approbarentur.

Secundum est, quod in Apostolicis provisionibus de dicto Prioratu pro tempore factis, hæc leguntur: *eique*, idest Prioratui, *Cura etiam jurisdictionalis imminear Animarum*, & in nonnullis aliis provisionibus, tam antiquis, quam recentioribus, præscriptum fuit prævium examen.

Tertium est, quod ipsi Priores in parvis pagellis, quæ distribui consueverunt tempore Paschali, pro designandis illis, qui præcepto annuæ communionis satisfecerunt, se subscripserunt hoc modo, *Prior, & Curatus*. Item interfuerunt matrimoniis, & absque prævia licentia administrarunt Sacramentum Pœnitentiæ, & in nonnullis visitationibus Ecclesiæ Cathedralis, quæ ab Episcopis factæ

sunt, legitur, quod Prior est prima Dignitas Cathedralis, & quod ei incumbit onus administrandi Sacramenta, seu Curæ Animarum.

Quartum est, quod in lite in hac Sac. Congregatione discussa *die* 5. *Aprilis, & 9. Augusti anno* 1704. Prior ingenue confessus est ad se privative quoad omnes alios Canonicos Ecclesiæ Cathedralis spectare exercitium Curæ Animarum, & sic eosdem non posse sine sua licentia in Cathedrali administrare Sacramentum Baptismi, & hanc Confessionem Promotor Fiscalis contendit esse maximopere advertendam, non obstante, quod Sac. hæc Congregatio censuerit, dictos Canonicos posse baptizare sine licentia Prioris, cum id processerit ex antiqua consuetudine, qua attenta, jus baptizandi de jure competens Parocho, potest etiam aliis competere, qui Parochi proprii non sunt, uti, re funditus examinata, dictum fuit in hac Sacra Congregatione *in Romana Juris Baptizandi*, in qua resolutum fuit, Curato S. Petri in Vaticano licere baptizare commorantes in omnibus aliis Parochiis Urbis, ex causa potissimum antiquissimæ consuetudinis, uti habetur *lib.* 50. *decret. pag.* 224. *a tergo.*

Absque eo quod vis ulla constitui possit in ultimo statu, tum quia in ultima provisione apposita fuit clausula, de qua passim in aliis antecedentibus provisionibus, *quod Prioratui erat annexa Cura jurisdictionalis Animarum*, tum quia, quando agitur de statu Beneficii, puta, an illud sit Sæculare, vel Regulare, an Curatum, vel simplex, non attenditur ultimus status, si constat de statu anteriori contrario, nisi ultimus status sit legitime præscriptus, *juxta Textum in cap. cum de Beneficio de Præbendis in* 6. ad differentiam casus, in quo ageretur de possessione conferendi, præsentandi, & eligendi, tunc etenim ultimus status attenditur, & cuicumque alteri statui præcedenti præfertur, *ut in cap. quevelam de elect. in cap. consultationibus de Jurepatronatus, & in cap. olim de causa possessionis*, & ad rem bene distinguit *Adden. ad Ludovis. decis.* 77. Concluditque Promotor Fiscalis rem duram admodum esse, quod Sacristæ, qui deputantur in Coadjutores Prioris, ante deputationem examinentur, & quolibet anno subjiciantur, juxta consuetudinem Cathedralis Ecclesiæ Fulginaten., novo examini, & quod Prior, qui illorum caput est, & cui incumbit Cura Animarum, absque ullo examine assumatur, uti latius videri potest in scripturis ejus nomine circumferendis.

E contra autem, Canonicus Ascanius Jacobilli electus in Coadjutorem a Canonico Chrispoldo de Gregoriis moderno Possessore Prioratus, de cujus Jacobilli supplicatione, juxta Decretum Eminentissimi Prodatarii, agi debet in Sacra Congregatione, an sit, nec ne relaxanda, sustinet Prioratui non esse curam Animarum annexam; primo quia agitur de prima Dignitate Cathedralis, quæ de Jure præsumitur Beneficium simplex, non curatum, nisi annexio Curæ probetur per legem Fundationis, vel ex alio titulo speciali; secundo quia Cura Animarum tam habitualis, quam actualis residet penes Capitulum, quod ejus exercitium committit tribus Sacristis ad sui nutum amovibilibus, delato ad Priorem tanquam Caput, & Primam Dignitatem jure honorifico assistendi Matrimoniis, & in ejus defectu, Decano, & Archipresbytero, nec non delato omnibus Canonicis cumulative cum Sacristis jure administrandi Sacramentum Baptismi, quo supposito, infert nunquam dici posse, quod Cura Animarum sit Prioratui annexa, cum administratio unius Sacramenti non faciat, quod Administrans sit Parochus, necessaria est quippe ad hunc effectum translatio Universitatis Curæ, cum præcisa obligatione, quod Parochiani teneantur Sacramenta recipere ab illo solum, qui habet in se translatam curam Animarum.

Et post hæc, transitum faciendo ad diffolvenda fundamenta a Promotore Fiscali deducta, contendit Canonicus Jacobillus non esse attendendam visitationem *anni* 1573. cum eidem adversentur tot alia monumenta a se allata, quibus asserit probari, curam Animarum esse penes Capitulum cum exercitio commisso tribus Sacristis. Contendit ulterius nullum sibi præjudicium inferri, vel ex provisionibus, in quibus dictum fuit *curam etiam jurisdictionalem Animarum imminere Prioratui*, vel in quibus præcedens examen requisitum fuit, tum quia verba prædicta non fuerunt supplicantis, sed Papæ concedentis, itaut eorum intelligentia esse debeat, non quod Prioratui sit annexa Cura Animarum, sed quod Papa eum supplicanti concedebat, etiamsi ipsi Cura Animarum esset annexa, tum quia requisitio præcedentis examinis concludit collationem *in forma dignum*, & non *in forma gratiosa*, sed nullatenus concludit annexionem Curæ Animarum, seu qualitatem Beneficii, Curati, quod non confertur cum expressione diligentis examinis ab Episcopo faciendi, in quo Provisus reperiatur idoneus, sed per commissionem examinis ab Episcopo faciendi *cum Examinatoribus in Diœcesana Synodo deputatis*. Contendit præterea sæpius Priores se subscripsisse in Pagellis pro Communione Paschali cum solo titulo *Prioris*, omisso alio *Curati*, & Canonicum Chrispoldum de Gregoriis præsentem Priorem habuisse ab Episcopo licentiam audiendi Confessiones, itaut solus adsit Prioris interventus Matrimoniis, ex quo ad Curam Animarum non valet argumentum. Denique contendit prætensum quidem fuisse in hac Sacra Congregatione a Priore, quod Cura Animarum ad se pertineret, sed hoc a Capitulo fuisse impugnatum, cum probaverit Curam Animarum ad se pertinere, & ejus exercitium Sacristis committi, reservato singulis Canonicis jure administrandi Sacramentum Baptismi absque ulla Prioris licentia, uti etiam fuit deinde ab hac Sacra Congregatione resolutum. Plura alia continentur in scripturis dicti Canonici, quæ in eis legi possunt. Proposita fuit Causa in Congregatione; cumque disputatum fuerit dubium, *an sit relaxanda supplicatio in casu &c.* & Sacra hæc Congregatio responderit -- *non esse relaxandam supplicationem*, iterum proposita fuit instantia:

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

Sacra Congr. die 28. Februarii 1722. respondit
Prævio recessu a decisis, esse relaxandam supplicationem cum expeditione tamen gratiæ in forma dignum, nempe cum clausula -- quod per diligens examen coram Ordinario faciendum idoneus repertus fuerit, & ad mentem.

QUÆSTIO CCXXXIV.

In Causa Trajectensi, die 22. Novembris 1721.

QUIDAM Missionarius, qui dicit se esse unicum Pastorem Catholicum in Exercitibus Hollandicis, quique potius a Statibus Hollandicis toleratus, quam stabilitus appellari valet, licet jam decimus septimus labatur annus, ex quo prædicto Pastorali fungitur officio, per epistolam certiorem reddidit D. Abbatem S. Catharinæ Internuntium Bruxellensem, quod quatuor circiter ab hinc annis quædam Mulier vidua Catholica matrimonium contraxit cum Lutherano Mose Trajecti coram Ministro Lutherano, & in forma apud Lutheranos usitata, & quod usque adhuc habiti sunt pro legitimis Conjugibus, tum quia quidam Director spiritualis Mulieri persuasit matrimonium esse validum, tum quia multi tam Lovanii, quam alibi sentiunt pro validitate consimilium matrimoniorum, & quod solum postremis diebus Mulier, quæ dubitare cœpit de validitate matrimonii, dubium prædictum sibi aperuit, cui tamen prohibuit ne illud notum faceret vel marito, vel Capitaneo Legionis Draconum Wallonum, inter quos maritus adscriptus est, cum enim ille etiam sit Lutheranus, dubii manifestatio cedere posset in detrimentum Catholicæ Religionis, & in epistola ab Internuntio Bruxellensi quæsivit, an matrimonium esset validum, & quatenus validum non esset, petiit licentiam, ut coram se possent consensus renovari; cumque habita ab Internuntio epistola, censuerit ipse nihil a se responderi posse, nisi habito Oraculo hujus Sac. Congregationis, licet inclinare videatur pro concessione facultatis renovandi caute coram Missionario consensum, quæritur in præsenti, an matrimonium sit validum, & quatenus validum non esset, an sit permittendum, ut renovetur consensus coram Missionario.

Quoad matrimonia inter Hæreticum, & Catholicam contracta, communis est opinio, quod eadem sint illicita, sed valida, uti probat *Textus in Can. Cave, & in Canon. non Oportet* 28. *quæst.* 1. *& in cap. decrevit de hæreticis in* 6. & est doctrina *Divi Thomæ in quartum sentent. dist.* 39. *q.* 1. *ar.* 1. *in respons. ad quintum*, ibi, -- *Si aliquis fideles cum hæretica baptizata matrimonium contrahit, verum est matrimonium, quamvis peccet contrahendo, si sciat eam hæreticam, sicuti peccaret, si cum excommunicato contraheret, non tamen propter hoc matrimonium dirimeretur.* Et communis est opinio Theologorum, & Canonistarum.

Difficultas itaque, quæ in præsenti occurrit, in hoc primum residet, quod nulla est controversia quoad publicationem Concilii Tridentini in loco, in quo matrimonium contractum fuit, itaut sibi vindicet locum disputatio, an matrimonium contractum inter Hæreticos, vel inter

Hæreticum, & Catholicam in locis, in quibus publicatum fuit Concilium Tridentinum, validum sit, si non fuerit contractum coram Parocho Catholico, sed coram Ministro hæretico.

Autumant nonnulli matrimonia hæc esse valida, primo quia moraliter est impossibilis observantia Decreti Concilii Tridentini de contrahendo matrimonio coram Parocho Catholico inter Hæreticos, quamdiu in locis, atque Provinciis, in quibus matrimonia contrahuntur, hæresis dominatum tenet; secundo quia contrarium asserendo, conversiones hæreticorum impediuntur, hæreticus etenim petens Ecclesiæ Catholicæ reconciliari, aut deferere debet Uxorem hæreticam converti nolentem, aut eam inducere debet ad præstandum novum consensum coram Parocho Catholico, quod raro contingit. Hæ, aliæque rationes fuse videri possunt in dissertatione *Martini de Suvaen. de sponsa duorum*, quæ ulterius late fuerunt expositæ *a Vanespen. Juris Eccles. tom. 1. par. 2. tit. 12. cap. 5. num. 32. & seqq.* additque Internuntius in sua epistola, quod hæc est hodie communis opinio Universitatis Lovaniensis, & Vicariorum Apostolicorum, necnon Episcoporum in viciniis degentium.

E contra Sac. hæc Congregatio fuit semper in sensu, quod matrimonia sunt nulla, quando inter Hæreticos, vel inter Hæreticum, & Catholicam contracta sunt coram Ministro hæretico in locis, in quibus Concilium Tridentinum receptum fuit, & publicatum, uti colligitur ex Decreto *in Colonien. Matrimonii 26. Septembris 1602. lib. 10. decret. fol. 47. a tergo*, ubi sic legitur, *Hæreticos quoque, ubi decretum dicti capitis primi est publicatum, teneri talem formam servare, & propterea ipsorum etiam matrimonia absque forma Concilii, quamvis coram Ministro hæretico, vel magistratu loci contracta, nulla atque irrita esse*, & quando consimiles de validitate horum matrimoniorum petitiones propositæ sunt, demandatum fuit, quod traderetur decretum in dicta Colonien., uti colligitur ex responso edito *in alia Colonien. 16. mensis Decembris 1719. lib. 69. decret. pag. 609., & in una Moguntina 31. Maii 1721. lib. 71. decret. pag. 184. a tergo.*

Rursus in *Hollandiæ Matrimoniorum* cum instante Internuntio Bruxellensi a Missionariis requisito, propositum fuisset 23. Augusti 1681. sequens dubium, *An in Provinciis Belgii confœderatis valeant matrimonia Catholicorum cum Heterodoxis contracta coram Magistratu hæretico, non obstante decreto Concilii de solemnitatibus matrimonii in illis Provinciis publicato, & recepto*, Sacra Congregatio respondit *ad mentem cum Sanctissimo*, quæ fuit, *ut si esset respondendum dubio, negative responderetur*; cumque subsequenter consimile dubium fuisset in Causa *Boscodunen. Matrimonii* a Sacra Congregatione Sanctissimæ Inquisitionis ad hanc pro examine remissum, responsum fuit *die 13. Februarii 1683. ad mentem*, & mens fuit, *quod servaretur id, quod fuit observatum in simili casu a Sacra Congregatione in allegata Causa Hollandiæ Matrimoniorum 23. Augusti 1681.* uti habetur *lib. 33. decret. fol. 53.*

Huic difficultati alia succedit, & est, quod nec in quæsito Missionarii, nec in epistola Internuntii Bruxellensis dicitur, quod Conjux Lutheranus sit hæresim abjuraturus, & Catholicam Religionem amplexurus, & multo minus, quod abjuraverit, vel Catholicam Religionem amplexus sit, itaut si auctoritate hujus Sac. Congregationis concederetur facultas renovandi consensum coram Parocho Catholico, tacita quædam Apostolicæ Sedis dispensatio accederet super matrimonio inter Hæreticum, & Catholicam iterum contrahendo sine clausula, *abjurata prius hæresi*, sine qua clausula consimiles non conceduntur dispensationes, uti testantur *Card. Albitius de inconst. in fide cap. 18. n. 44. R. P. D. Petra in notis ad constit. 12. Joannis XXII. tom. 4. pag. 76. sub. n. 14.*, & concordat praxis Tribunalis Sanctissimæ Inquisitionis.

Quibus stantibus quæritur

I. An Matrimonium inter Hæreticum, & Catholicam contractum coram Ministro hæretico validum sit in casu &c., & quatenus negative.

II. An sit concedenda facultas caute renovandi consensum coram Parocho Catholico in casu &c.

Sacra Congr. respondit
Ad mentem.

QUÆSTIO CCXXXV.

In Causa Bitectensi, die 22. Novembris 1721.

EPiscopus Bitecten. huic Sacræ Congregationi exponit, quod, sub obtentu consuetudinis vigentis in Provincia Barensi, cujus ipse est Suffraganeus, absque ulla dispensatione Apostolica, Clerici retinent secundum Beneficium de Jurepatronatus laicorum, licet primum sit sufficiens ad eorum congruam substentationem, & quod ulterius retinent tertium, quartum, & alia ulteriora Beneficia de Jurepatronatus laicorum, absque dispensatione Apostolica, si prima duo ad congruam substentationem non sufficiunt, prætenditur etenim, quod *Sac. Concil. Trid. sess. 24. cap. 17. de reform.* non habeat locum in Beneficiis de Jurepatronatus, & quærit, an hoc sit admittendum. Ulterius idem Episcopus exponit similia passim contingere in legatis Piis, & Cappellaniis de Jurepatronatus laicorum, & quærit pariter, an hoc sit admittendum.

Sac. Concil. Trid. sess. 24. c. 17. de reform. decernit, quod in quibuscunque personis quocunque titulo, etiamsi Cardinalatus fulgeant honore, observetur, ut in posterum unum tantum Beneficium Ecclesiasticum singulis conferatur, quod quidem si ad vitam ejus, cui confertur, honeste substentandam non sufficiat, liceat aliud simplex sufficiens, dummodo utrumque personalem residentiam non requirat, eidem conferri, & ad tramites hujusce Decreti jam ab hac Sacra Congregatione resolutum fuit, Episcopum habenti unum simplex Beneficium, quod non sufficiat ad ejus substentationem, posse aliud simile conferre absque dispensatione Apostolica, sed si duo non sufficerent ad substentationem, non posse conferre tertium absque Apostolica dispensatione, *Fagnan. in cap. cum jam dudum num. 35. & num. 71. de præbendis*, & resolutiones impressæ sunt apud *Garziam de benef. par. 11. cap. 5. num. 310.*; & Ordinarii potestas in puncto collationis secundi Beneficii, quando primum non est sufficiens, sæpius ampliata fuit ab hac Sac. Congregatione, etiam ad Beneficia difformia sub eodem tecto, *juxta resolutionem editam 14. Novembris 1716. in Camerinen. Dispensationis*, in qua aliæ allegantur *lib. 66. Decretorum p. 482.*

Quoad Beneficia vero de Jurepatronatus, an videlicet absque dispensatione Apostolica secundum retineri possit, si primum sive liberæ collationis, sive de Jurepatronatus sit sufficiens ad congruam substentationem, & an tertium, & quartum Beneficium de Jurepatronatus laicorum retineri valeant sine Apostolica dispensatione, si prima duo non sint sufficientia, non videtur esse pacificum inter Doctores; nonnulli etenim affirmative respondent, ex quo Concilium loco citato loquitur de collatione, non de institutione *Massobr. in praxi habendi concursum requisito 17. dub. 18. per tot.*, ubi dicit sic se habere universalem observantiam, & sequitur *Panimol. dec. 31. num. 20. & seqq.*, ubi ponderat Beneficia de Jurepatronatus laicorum non comprehendi sub Regulis Cancellariæ, & aliis juribus, quæ loquuntur de Beneficiis.

Alii e contra censent *citatum cap. 17. sess. 24. de reform.* sibi vindicare locum etiam in Beneficiis de Jurepatronatus *Garzias de benef. part. 11. cap. 5. num. 280. Barbosa ad dictum cap. 17. num. 8. sess. 24. de reform. & in votis decisivis lib. 3. cap. 122. num. 18. & 19.* & hanc sententiam secuta est Sacra Congregatio *in Bovinen. 13. Novembris 1629.* relata in voto bon. mem. Paulutii olim Secretarii hujus Sac. Congregationis impress. apud *Barbos. lib. 3. cap. 13. Juris Eccles. universi num. 189.* ibi -- *dubitandum fuit, an habens duo Beneficia simplicia, tertium de Jurepatronatus ad præsentationem Patronorum auctoritate Ordinaria assequi, & retinere possit absque dispensatione Apostolica, Sac. Congregatio censuit tertium Beneficium simplex etiamsi de Jurepatronatus non posse retineri cum duobus aliis absque Sedis Apostolicæ dispensatione*. Concordant aliæ resolutiones, altera apud *Gallemart. ad dictum cap. 17. sess. 24. de reform.* altera in una *Aquilana 14. Augusti 1632. lib. 14. decret. fol. 653.* ibi-*Sacra &c. respondit ad primum, Episcopum habenti unum simplex Beneficium non sufficiens ad illius substentationem, posse aliud simile conferre, sed non posse plura quamvis simplicia usque ad ejus sufficientem substentationem eidem conferre. Ad secundum idem, quod superius de Beneficiis liberis, judicandum est de Beneficiis Jurispatronatus.*

Transitum faciendo ad legata Pia, & Cappellanias, punctus esse videtur, an revera sint Ecclesiastica Beneficia; Concilium etenim videtur habuisse respectum ad pluralitatem titulorum Beneficialium, uti colligitur ex ejus verbis, *quando unus plurium officia occupat Clericorum*, & rursus *neminem oportere in duabus Ecclesiis conscribi*, adeoque Sac. hæc Congregatio alias respondit allegatum Textum Tridentini sibi locum non vindicare in pensionibus, itaut Ordinarius valeat conferre Beneficium habenti jam in pensionibus Ecclesiasticis congruam substentationem, uti videri potest apud *Garz. de Benef. par. 11. cap. 5. sub num. 310.* & sequitur *Massobr. in praxi habendi concursum requisito 7. dub. 17.* & in terminis piorum legatorum cum onere Missas celebrandi, licet obtineantur ad præsentationem Patronorum, si singula modica sint, quod non comprehendantur sub decreto Sac. Concil. Tridentini, respondit hæc Sac. Congregatio apud *Garz. loco citato num. 318. & apud Massobr. loco pariter citato dub. 19.*

Et in eo, quod attinet ad praxim, sive ad observantiam, non videtur in ea constitui posse fundamentum, cum dispositio Sac. Concilii facta sit ad impediendam Ecclesiastici Ordinis perversionem, uti colligitur ex ejus verbis, & bene ad rem adnotavit *Garz. loco sæpe cit. num. 279.*

His stantibus, quæritur

I. An obtinens primum Beneficium, sive liberæ collationis, sive de Jurepatronatus laicorum, ad sui substentationem sufficiens, possit absque dispensatione Apostolica retinere secundum de Jurepatronatus laicorum in casu &c.

II. An obtinens duo Beneficia, sive liberæ collationis, sive de Jurepatronatus laicorum, minime sufficientia ad congruam substentationem, possit retinere tertium, & quartum de Jurepatronatus laicorum absque dispensatione Apostolica in casu &c.

III. An id, quod procedit in retentione Beneficiorum, procedere etiam debeat in legatis Piis, & Cappellaniis de Jurepatronatus laicorum in casu &c.

Sacra Congr. die 6. Decembris 1721. respondit,
Ad primum negative, Ad secundum negative, & ad mentem. Ad tertium negative.

QUÆSTIO CCXXXVI.

In Dubio professionis, die 22. Novembris 1721.

NOBilis quædam persona recepta fuit tanquam Novitia in Monasterio Monialium, in quo Novitiatum incepit, & magno cum devotionis fervore profecuta est, itaut, imminente termino anni, sit in statu emittendi Professionem Regularem. Prædicta Persona, quando Monasterium ingressa est, non advertit se esse Hermafroditam, simplicitate etenim, & pudore quodam virginali dicitur insignita; cum autem ex post suum statum adverterit, & suo juramento firmaverit *sexum fœmineum notabiliter pollere, & prævalere; & sexum virilem vix apparere*, cupiatque summopere Professionem emittere Regularem, quærit ab hac Sacra Congregatione, an ad eam admitti possit, & quatenus admitti non possit, exorat pro dispensatione.

Plura habentur apud Auctores de hac materia Hermafroditorum, sed relictis illis, quæ non faciunt ad rem, tres videntur aptabiles propositiones. Altera est, quod Hermafroditus judicandus est vir, vel fœmina juxta sexum in ipso prævalentem, & quoad hanc propositionem est *Textus in leg. quæritur 10. ff. de statu hominum*, ibi -- *quæritur Hermafroditum cui comparemus? Et magis puto ejus sexum existimandum, qui in eo prævalet.* Altera est, quod, etiamsi prævaleat sexus virilis, non potest licite Hermafroditus Ordinibus initiari, aut professionem emittere in Monasterio Virorum, & quod pariter Hermafroditus, in quo prævalet sexus fœmineus, Professionem licite emittere non potest in Monasterio fœminarum, in primo casu propter irregularitatem, & in aliis casibus propter pericula, quæ accidere possunt, ut in terminis receptionis Sacrorum Ordinum late probant *Majol. de irregul. lib. 1. cap. 27. per tot. Pellizar. in manual. regul. tom. 2. tract. 7. cap. 5. sect. 2. n. 53. Vasquez tom. 3. in 3. partem disp. 245. cap. 2. num. 13. Perez de matrim. disp. 37. sect. 3. sub num. 7. Bonacin. oper. moral. tom. 1. de irregular. disput. 7. quæst. 2. punct. 2. proposit. 1. num. 12. & 13.* & licet nonnulli putent hanc irregularitatem sibi locum tantummodo vindicare, quando publicum est, & notum, personam esse Hermafroditam, *Marchin. tract. 1. de Sacramento Ordinis par. 4. cap. 2. num. 11. Tolet. in summ. lib. 1. cap. 63. num. 6. Gibalin. de irregul. cap. 3. consect. 6. in fin.* horum tamen Auctorum dicta communiori sententiæ adversantur, teste *Filliuc. oper. moral. tom. 1. tract. 19. cap. 6. num. 163.* & in terminis emittendæ professionis firmant *Pellizar. loco citato, Perez loco pariter citato, Capon. discept. 220. num. 34. Donat. in praxi rerum Regul. tom. 2. tract. 3. de qualitatibus recipiendorum quæst. 23. per tot. Monacell. in formul. legali tom. 3. tit. 1. formula 36. num. 29.* Tertia est videri judicium esse debere Medicorum, si de viris agatur, ut dignoscatur quinam ex sexibus prævaleat, itaut solum Hermafroditi dictum non sit ullo modo sufficiens *Sanchez de matrim. lib. 7. disp. 106. num. 2. Cabassut. in theor. & praxi juris Canon. lib. 3. cap. 25. num. 17. Monacel. loco cit. num. 26. Donat. loco pariter cit. num. 7. Clericat. de Sacram. Pœnit. decis. 43. num. 10.* ubi regulas deducit ad rem, de qua agitur Medice perpendendas; adeoque cum in quadam causa, cui titulus erat *Dubium Ordinationis*, quæ fuit in hac Sac. Congregatione proposita *die 16. Novembris 1686.* quæque fuit resoluta *die 11. Januarii 1687.* dubitatum fuisset de quodam Novitio, qui erat emissurus Professionem, an esset Hermafroditus, & sic an esset irregularis, & cum eo esset dispensandum, auditi fuerunt Medici, qui cum retulissent Religiosum, de quo agebatur, esse marem, nec in eo considerari posse ullam sexus duplicitatem, responsum fuit eum non esse irregularem, & judicium debere esse Matronarum, si de Virgine agatur ad Professionem admittenda, juxta *Textum in cap. causam de probat.* quidquid esset, si ageretur de ea, quæ jam Professionem emisisset juxta celebrem *dec. 136. Speculli*.

His stantibus, quæritur

I. An Novitia sit admittenda ad Professionem in casu &c. & quatenus negative.

II. An cum ea sit dispensandum in casu &c.

Sacra Congr. die 6. Decembris 1721. respondit
Ad utrumque Negative.

QUÆSTIO CCXXXVII.

In Causa Prænestina, die 22. Novembris 1721.

ARchipresbyter Terræ Zagaroli, Diœcesis Prænestinæ huic Sac. Congregationi exposuit, quod in Platea dictæ Terræ, Animalia Porcina venduntur *obulis 17.* uti vulgo dicitur *la decina*, si solutio fiat in numerata pecunia, & quod aliqui Mercatores divites dicta Animalia dare consueverunt, habita fide de pretio, & modo, qui sequitur, ut videlicet, si solutio fiat proximo tempore Paschatis Resurrectionis, solvantur Animalia ad rationem *obulorum 19. la decina*, & quod si differatur solutio usque ad mensem Augusti, solutio fiat ad rationem *obulorum 20. pariter la decina*, & quærit idem Archipresbyter, an hi Contractus possint tolerari.

Agunt de hac re Theologi, & signanter Divus Thomas 2. 2. *quæst. 78. art. 2. ad 7.* ibi *si aliquis carius velit vendere res suas, quam sit justum pretium, ut de pecunia solvenda emptorem expectet, manifeste usura committitur, quia hujusmodi expectatio pretii solvendi habet rationem mutui. Unde quidquid ultra justum pretium pro hujusmodi expectatione exigitur, est quasi pretium mutui, quod pertinet ad rationem usuræ.* Hoc ipsum repetitur a S. Doctore *Opusc. 73. de usuris cap. 8.* qui etiam interrogatus a Lectore Florentino, utrum si in expectatione temporis de solvendo pretio plus petatur, quam si tunc solvatur pretium cum res venditur, sit usurarius contractus, collatione habita cum Cardinali Ostiensi sic per litteras respondit, Teste *S. Antonino in Summa part. 2. tit. primo cap. 8. §. 4.* ibi *supposito, quod consuetudo de dilatione solutionis usque ad spatium trium mensium, sicut proponitur, sit ad commune bonum Mercatorum, scilicet pro expediendis mercationibus, & non in fraudem usurarum introducta, videtur esse distinguendum, quia aut Venditor vendit suas merces ad terminum prædictum ultra quantitatem justi pretii propter expectationem, aut secundum justi pretii quantitatem. Si primo modo, non est dubium, esse usurarium contractum, cum expectatio temporis sub pretio cadat. Si autem secundo modo, non est usura*: & alii concordant, *Azor. instit. Moral. tom. 3. part. 3. lib 7. cap. 9. Molina de justitia, & jure tom. 2. tract. 2. disput. 355. Cardinalis de Lugo eodem tract. tom. 2. disput. 26. sect. 7. §. 2. num. 104. & seqq. Filliuc. Operum Moral. tom. 2. tract. 35. cap. 5. num. 96. & 97. Leotard. de Usur. quæst. 24. num. 6. & seqq. Panimoll. decis. 50. adnot. 1.*

per

per totam, docent enim usurarium esse contractum, si quis ultra supremum justi pretii gradum rem vendat propter præcisam temporis dilationem, secus autem si eam vendat intra latitudinem justi pretii, plurimarum quippe rerum pretium non consistit in indivisibili, sed suos habet gradus, hoc est supremum, medium, & infimum.

Canonistæ quoque de hoc eodem casu discurrunt, cumque Alexander Tertius *in capit. de Civitate de usuris*, loquendo de hoc contractu, dicat, non posse eum nomine usurarum censeri, sed Venditores peccatum incurrere, & quod ideo bene saluti suæ consulerent, si a tali contractu cessarent, & Urbanus Tertius *in Capit. consuluit eodem titulo* in discussione hujus ejusdem casus alleget illud Matthæi *mutuum dantes nihil inde sperantes*, & subdat sic contrahentes usuram committere, & in animarum judicio esse inducendos ad restitutionem, asserunt *Textum in cap. in Civitate* procedere in foro fori, & *Textum in Capit. consuluit* procedere in foro animæ, *Glos. in citato capit. consuluit in verbo male agere, ibique Abbas num.* 5. *&* 6. & late prosequuntur *Fagnan. in cap. in Civitate num.* 2. *& seqq. de usuris, Pirhing ad tit. Decretal. de usuris lib.* 5. *tit.* 19. *sect.* 3. §. *primo per totum, Anaclet. cod. tit.* §. 6. *num.* 97. quocirca Canonistarum Sententia est, similes contractus in foro fori non esse usurarios, cum usura non committatur nisi in mutuo, sed in foro conscientiæ propter pravam intentionem contrahentium esse posse usurarios, & ulterius undequaque licitos esse posse, si tempore, quo fit contractus, dubium adsit, an id, quod venditur, plus, vel minus solutionis tempore sit valiturum, uti habetur *in citato capit. in Civitate*; & ulterius, si ille qui vendit non fuisset alioquin tempore contractus venditurus juxta alium Textum Gregorii IX. *in Cap. Naviganti eodem tit. de usuris* ibi *ratione hujus dubii etiam excusatur, qui pannos, granum, vinum, oleum, vel alias merces vendit, ut amplius, quam tunc valeant, in certo termino recipiat pro eisdem, si tamen eo tempore contractus non fuerat venditurus.*

Idem quoque Archipresbyter exponit, quod in eadem Terra Zagaroli, nonnulli Divites mutuo dant Pauperibus pecuniam, ut animalia porcina emere possint, cum pacto tamen, ut restitutio pecuniæ fiat mense Augusti, & mutuanti pro qualibet decina solvantur obuli quatuor, ultra summam, quæ fuit mutuo data, & quærit, an hic contractus tolerari possit.

Ad rem facere videntur nonnullæ propositiones inter damnatas ab Alexandro VII. & Innocentio XI. ab Alexandro quidem VII. cum quadragesima secunda inter condemnatas sit hæc, quæ sequitur, *licitum est mutuanti aliquid supra sortem exigere si se obliget ad non repetendam sortem usque ad certum tempus*, ab Innocentio deinde XI. cum propositio quadragesima prima inter condemnatas ab eo, sic se habeat, *cum numerata pecunia pretiosior sit numeranda, & nullus sit, qui non majoris faciat pecuniam præsentem, quam futuram, potest Creditor aliquid ultra sortem a Mutuatario exigere, & eo titulo ab usura excusari.*

Admittunt aliqui posse Mutuatorem apponere pœnam solvendam a Mutuatario, si non solverit termino constituto, sed cum sequentibus conditionibus, quod pœna videlicet non apponatur in fraudem usuræ, quod Mutuatarius sit in mora culpabili solvendi, secus si ob impotentiam solvere non valeat, & si pœna sit moderata, *Bonacin. Oper. Moral. tom.* 2. *disputat.* 3. *de contract. quæst.* 2. *puncto* 7. *per totum*, & recepta est in Tribunalibus opinio, quod pœna conventionalis, quæ additur mutuo, non potest exigi, nisi quatenus interest Creditori, juxta deducta per *Sperell. decis.* 131. & quod pœna censeatur apposita in fraudem usurarum, si Creditor scivit, aut probabiliter credidit impossibile esse, quod debitor mutuum sibi reddat in termino præfixo, itaut similis contractus sit prohibendus, respondit hæc Sac. Congregatio *in S. Severi Contractuum* 15. *Januarii* 1684.

Dentum tam quoad primum, quam quoad secundum contractum, prætermisso interesse lucri cessantis, & damni emergentis, vel quia illud terminis dictorum contractuum vix videtur aptari posse; vel quia de concursu, & verificatione requisitorum nullum fit verbum in facti specie proposita ab Archipresbytero, ponderari potest, an propter periculum, vel amittendi pretium rei venditæ, vel amittendi summam mutuatam licitæ sint prædictæ exactiones, *Textus enim in cap. Naviganti de usuris* exactiones non excusat ex hoc capite ab usuraria pravitate, *pro eo quod suscipit in se periculum recepturus aliquid ultra sortem, usurarius est censendus*, qui tamen Textus procedere dicitur in casu, in quo mutuans non aliter esset mutuaturus, nisi fieret conventio de periculo suscipiendo, & de solvendo aliquid ob eam causam ultra sortem *Fachin. contr. juris lib.* 2. *cap.* 48. *Covar. Variar. lib.* 3. *cap.* 2. *num.* 5. & quando non adest debita proportio inter periculum, & id quod accipitur ratione periculi, juxta responsum Sac. Congregationis de Propaganda Fide, quod editum fuit re examinata in Congregatione S. Officii, cum enim quæreretur, an Chinensibus licitum esset pro mutuo pecuniarum suarum accipere juxta legem Regni triginta pro centum, licet non interveniat lucrum cessans, aut damnum emergens, propter periculum videlicet amittendi sortem, aut inveniendi difficultates in exactione, sic responsum fuit, *censuerunt ratione mutui immediate, & præcise nihil esse accipiendum ultra sortem principalem, si vero aliquid accipiant ratione periculi probabiliter imminentis, prout in casu, non esse inquietandos, dummodo habeatur ratio qualitatis periculi, & probabilitatis ejusdem, ac servata proportione inter periculum, & id quod accipitur*, sunt verba decreti in Bullario Congregationis de Propaganda Fide.

Quibus stantibus, quæritur

An contractus sint permittendi in casu &c.

Sacra Congr. die 6. Decembris 1721. respondit,

Ad Eminentissimum Ordinarium, qui provideat prout de Jure.

QUÆSTIO CCXXXVIII.

In Causa Visitationis Sacrorum Liminum, die 22. *Novembris* 1721.

Episcopus Viterbiensis in sua Relatione Sacræ Congregationi exhibita occasione visitationis Sacrorum Liminum, exposuit, quod Patres Cappuccini, qui in Triremibus Pontificiis, pro Cappellanis inserviunt, Sacramentum Pœnitentiæ administrant, nulla ab ipso reportata approbatione, tam in Triremibus, quando sunt in Portu, & in Receptaculo vulgo *Darsena*, quam in ipsa Civitate Centumcellarum, loquendo tamen de Remigibus, & aliis, qui in Triremibus degunt, non obstante, quod Portus, Receptaculum, & Civitas sint in sua Diœcesi, & non obstante, quod a Prædecessoribus Episcopis iidem Patres Cappuccini ab anno 1680. usque annum 1704. facultatem administrandi Sacramentum Pœnitentiæ petierint, & obtinuerint, & quærit quomodo in posterum se gerere debeat.

Porro quatenus PP. Cappuccini inniterentur approbationi in aliis Diœcesibus reportatæ, urgeret adversus eos, quod Regularis in una Diœcesi approbatus pro excipiendis Confessionibus Sæcularium, eas excipere non potest in alia Diœcesi, in qua approbatus non est, in hypothesi etiam in qua Pœnitens esset Subditus illius Episcopi, a quo Regularis approbationem reportavit, uti habetur *in Constit.* 32. *Bull. tom.* 5. *Innocentii X. & in Constit.* 7. *Clementis X. Bull. tom.* 6. & propositio, quod Regulares Ordinum Mendicantium semel approbati ad confessiones audiendas in una Diœcesi, habeantur pro approbatis in aliis Diœcesibus, itaut nova Episcoporum approbatione non indigeant, qualificata fuit tanquam falsa, & saluti animarum perniciosa in litteris Apostolicis Alexandri Papæ VII. directis ad Episcopum Andegavensem, & impressis *apud Cabassut. in Theor. & praxi Juris Canon. lib.* 1. *cap.* 10. *num.* 9.

Sublato itaque fundamento approbationis reportatæ in alia Diœcesi, perpendendum est, an qualitas Cappellanorum Triremium, qua Patres Cappuccini potiuntur, eos eximat a reportanda approbatione pro excipiendis Confessionibus Remigum, & aliorum in Navibus degentium, in ipsis Triremibus dum sunt in Portu, & Receptaculo, sive dum Remiges, aliique prædicti morantur in ipsa Civitate Centumcellarum.

Notum est, quod Pontificiæ Triremes majore anni parte versantur in Portu, & in Receptaculo vulgo *Darsena*, & quod aliquibus tantum mensibus Nauticum iter assumunt, vel cum adversus Turcas, vel cum ad aliquod aliud peragendum negotium expediuntur, nisi forte necessitas aliqua urgeat, quod aliquæ ex eis debeant per Mare vagari, ut littora nostra ab incursibus hostium defendant; in quo rerum themate, operæ pretium esse videtur exquirere, an dum morantur, vel in Portu, vel in Receptaculo, assimilari valeant Cohorti Militum in aliquo præsidio degentium, in ordine ad quos pluries ab hac Sac. Congregatione resolutum fuit, quod ipsorum Cappellani confessiones excipere non possunt, nisi vel habeant speciale Apostolicum Privilegium, vel approbationem Ordinarii, in cujus Diœcesi existunt, uti colligitur *ex dubio Jurisdictionis Cappellanorum Exercitus die* 6. *Martii* 1694. *lib.* 44. *Decret. fol.* 79. cum enim quæsitum fuisset, *an Cappellani Exercitus, sive Regulares, sive Sæculares Catholici possint administrare Militibus in Præsidiis degentibus Sacramentum Pœnitentiæ sine speciali facultate Sedis Apostolicæ, vel licentia, & approbatione Ordinarii, in cujus Diœcesi extare contigerit*, huic dubio *negative* responsum fuit, & hoc ipsum fuit confirmatum *in Frisingen. die* 29. *Januarii* 1707. *lib.* 57. *Decret.*

His stantibus, propositum fuit dubium:

An Patres Cappuccini Cappellani Triremium Summi Pontificis excipere possint sine approbatione Episcopi Viterbiensis confessiones Remigum, & aliorum in Triremibus degentium, sive quando Remiges, & alii sunt in Triremibus, & Triremes sunt, vel in Portu, vel in Receptaculo vulgo Darsena, sive quando Remiges, aliique in Triremibus degentes sunt in Civitate Centumcellarum.

Nulla tamen fuit capta resolutio; accessit enim ad me Promotor Fiscalis Eminentissimi Urbis Vicarii, qui dixit plura extare Decreta pro Eminentissimo Urbis Vicario circa competentiam approbationis PP. Cappuccinorum pro excipiendis Confessionibus Remigum, & cæterorum, qui sunt in Triremibus Pontificiis.

Decreta autem sunt hæc, quæ sequuntur, primum editum fuit a Congregatione particulari a Summo Pontifice deputata anno 1678. in quo stante antiqua observantia, juxta quam approbatio Cappellanorum Triremium Classis Pontificiæ pro excipiendis Confessionibus Militum, Nautarum, Damnatorum, & aliorum earundem Triremium Ministrorum fuerat concessa a Cardinali Urbis Vicario, sic resolutum fuit: *sed quoniam circa administrationem Sacramenti pœnitentiæ in ipsis Triremibus etiam pro tempore, in quo sunt in Darsena, & Portu, ob diuturnam observantiam, ab ipsomet Episcopo Viterbiensi non contradictam, innovatio producere posset aliquæ inconvenientia, idcirco visum est referendum, seu consulendum eidem Sanctissimo, ut quando ejus summæ prudentiæ videatur, cum speciali indulto id concedat Cappellanis, dummodo cum personis, quæ continuo vivunt in ipsis Triremibus, non autem in terra, prædictum Sacramentum pœnitentiæ administrent.*

Secundum Decretum fuit illud Auditoris Sanctissimi editum die 13. Februarii 1692. in quo, facto verbo cum Sanctitate sua, & non obstante superventa interim subrogatione Patrum Cappuccinorum pro Cappellanis in Triremibus Pontificiis, loco Presbyterorum secularium, dictum fuit *circa jura jurisdictionalia & Parochialia nihil fuisse innovatum ad tenorem Decreti emanati in Congregatione particulari anno* 1678.

Tertium fuit S. Congregationis Episcoporum, & Regularium; conquerente siquidem P. Provinciali Cappuccinorum, quod sui Religiosi electi in Cappellanos Triremium tenebantur duplicem obtinere pro confessionibus excipiendis approbationem, alteram ab Eminentissimo Urbis Vicario, alteram ab Episcopo Viterbiensi, S. Congregatio die 19. Decembris 1704. audito Episcopo Viterbiensi respondit, *approbationem spectare ad Eminentissimum Urbis Vicarium.*

Ultimum Decretum est illud Auditoris Sanctissimi editum die 18. Septembris 1711. in quo facto verbo cum Sanctitate sua, & partibus auditis, inhærendo resolutioni Congregationis particularis anni 1678. declaravit, *PP. Cappuccinos posse administrare personis, quæ continuo vivunt in Triremibus Pontificiis, Sacramentum Pœnitentiæ tantum in ipsis Triremibus, in Darsena, Portu, & Hospitio in Darsena existente, cum approbatione tantum Eminentissimi D. Cardinalis Vicarii. Extra tamen dd. loca declaravit non posse dictum Sacramentum ministrare sine approbatione Eminentissimi D. Episcopi Viterbiensis.*

Hisce proinde stantibus, iterum quæritur

An Patres Cappuccini Cappellani Triremium Summi Pontificis excipere possint Confessiones Remigum sine approbatione Episcopi Viterbiensis, & aliorum in Triremibus degentium, sive quando Remiges, & alii sunt in Darsena, sive quando Remiges, aliique in Triremibus degentes sunt in Civitate Centum Cellarum in casu &c.

Sacra Congr. die 18. Aprilis 1722. respondit

Posse Patres Cappuccinos sine approbatione Ordinarii Viterbien. & cum sola approbatione Urbis Vicarii excipere Confessiones Remigum, & aliorum in Triremibus continuo degentium, tam in ipsis Triremibus, quam in Portu, & Receptaculo vulgo Darsena, & in Hospitio in Darsena existente, sed non posse eosdem Patres Cappuccinos excipere eorundem Confessiones in Civitate Centum Cellarum sine approbatione Ordinarii Viterbien.

QUÆSTIO CCXXXIX.

In Causa Ulyxponensi Occidentali, die, 22. *Novembris* 1721.

Sanctæ mem. Alexander Papa VII. in sua Constitutione 153. §. 6. *&* 7. *Bull. tom.* 6. prohibuit ne Confessarii Regulares Monialium iisdem Regularibus subjectarum, habitare possent intra, vel prope septa Monasteriorum, & infra eundem terminum quascunque Cellas, Mansiones, seu Cubicula prope Monasteria prædicta ad usum memoratorum Regularium existentia, si Clausuræ Monasteriorum earundem Monialium contigua essent, jussit, quod eidem Clausuræ includerentur, vel diruerentur, & quod si essent extra septa, venderentur, & pretium converteretur in utilitatem Monasterii, & demum, quod si Monasteria Sanctimonialium essent extra Mœnia Civitatis, & Monasterium Regularium esset in Civitate, conducerentur Mansiones ad usum Confessarii non conjunctæ, nec contiguæ Monasterio Monialium, sed ab eo penitus disjunctæ non solum per parietes, sed etiam per tecta, quodque eadem distinctio, & separatio observarentur in hypothesi, in qua utrumque Monasterium esset in Civitate, & Monasterium Regularium multum distaret a Monasterio Monialium.

Rursus exortis controversiis inter Monasterium Monialium Sanctæ Claræ Civitatis Lauden. subjectum Regularibus S. Francisci de Observantia, & Parocho S. Blasii, intra cujus limites Monasterium, & Domus infra memorandæ existebant, sub receptione Sacramentorum tempore Paschali, & Sacramentorum pariter administratione tempore infirmitatis, nec non jure sepeliendi, loquendo de personis Sæcularibus, quæ Monialibus inserviebant, & habitabant in Domibus extra septa Clausuræ constitutis, sed exteriori murorum recinctu inclusis cum Monasteriis, Sacra hæc Congregatio censuit memoratos famulos inservientes Monialibus teneri satisfacere præcepto Paschali in Ecclesia Parochiali, ad Parochum pertinere iisdem infirmis Sacramenta administrare, & eorum Cadavera esse in Parochia sepelienda, nisi fuerit ab eis alibi electa sepultura, uti colligitur ex decreto *in Causa Lauden. Jurium Parochialium* 14. *Aprilis* 1685. *lib.* 35. *decret. fol.* 197. quod ipsum fuit etiam resolutum in Causa *Spoletana Jurium Parochialium* inter Moniales S. Matthæi Congregationis Lateranensis, & Parochum S. Martini, in cujus Parochia Monasterium, & Domus existebant, ut desumitur ex decreto *in citata Spoletana Jurium Parochialium* 19. *Aprilis* 1692. *lib.* 42. *decret. fol.* 234.

Nec mirum, quia tria requisita, quæ pro exemptione copulative concurrere debent, quod famuli videlicet Regularibus actu inserviant, quod intra eorum septa, ac Domos resideant, & quod sub illorum obedientia vivant, *juxta cap.* 11. *sess.* 24. *de Reform.* non verificantur in famulis Monialium, qui degunt in Domibus extra septa Clausuræ, licet exteriori murorum recinctu cum Monasterio conclusis; licet enim Monialibus inserviant, & sub earum obedientia quodammodo vivant, non degunt tamen *intra septa, & Domos*, cum nomine *Domorum* in dicto Concilii Textu intelligantur Monasteria, ut verbum illud *septa* verificetur in Clausura, uti ponderando *dictum cap.* 11. *sess.* 24. *de reform. & cap.* 5. *sess.* 25. *de regul.* late docent *Navar. de regul. comment.* 4. *num.* 44. *in principio, Bonac. Oper. Moral. tom.* 1. *tit. de Clausura quæst.* 1. *punct.* 1. *num.* 2. *&* 3. *Sanchez ad præcepta Decalogi tom.* 2. *lib.* 6. *cap.* 15. *num.* 9. *Bordon. Oper. tom.* 3. *resolut.* 76. *num.* 9. *Maceraten. variar. resolut. lib.* 1. *resolut.* 18. *num.* 4. *Cardinalis de Luca de Jurisdict. discurs.* 4. *num.* 9.

Ad tramites citatæ Constitutionis Alexandrinæ, nec non allegatorum decretorum hujus Sacræ Congregationis procedere exoptans Visitator Patriarchatus Ulyxbonen. Occidentalis, nonnulla edidit in Sacra Visitatione decreta, in quibus prohibuit Confessariis Regularibus habitare in Mansionibus, quæ sitæ sunt in Atriis Monasteriorum Monialium eorum jurisdictioni subjectorum, quæ Atria sunt muro circumvallata, & contigua Monasteriis, & portam habent, quæ clauditur; ulterius declaravit, Famulos intra Atrium, vel Cortile Monasteriorum degentes teneri ad præceptum Paschale adimplendum in Ecclesia Parochiali, & ad Parochum spectare illis Sacramenta tempore infirmitatis administrare, & eos ad sepulturam associare; cumque a recitatis decretis reclamaverint Patres Ordinis Minorum S. Francisci, & Visitator Patriarchatus in hac Sacra Congre-

gregatione insteterit pro eorum observantia, juxta morem dictum fuit, quod audiretur Procurator Generalis.

Auditus fuit Procurator Generalis, & in eo quidem quod attinet ad Mansiones in Atriis Monialium sitas, in quibus famulæ, & Confessarius degunt, licet existimet Bullam Alexandri VII. non egredi fines Italiæ, nihilominus libenter admittit, quod si aliquod in dictarum domorum contiguitate adest, quod vergat in præjudicium Clausuræ Monialium, illud omnino reparetur.

At in eo, quod attinet ad receptionem, & administrationem Sacramentorum, loquendo de Famulis, & Famulabus, quæ Monialibus inserviunt, & in sæpe memoratis mansionibus habitant, contendit eam non pertinere ad Parochum, sed ad Confessarium; primo quia Moniales fruuntur iisdem privilegiis, & gratiis, quibus fruuntur Regulares, quibus ipsæ subjectæ sunt, juxta constitutiones Sixti IV. & Bonifacii VIII. de quibus apud *Roderic. quæst. Regul. tom.* 1. *quæst.* 55. *art.* 13. & Regulares Ordinis Minorum S. Francisci privilegia habent tam Clementis IV. quam Sixti IV. Sacramenta suis Famulis, & Familiaribus administrandi, eosque in suis Cœmeteriis sepeliendi, *ut iis, qui in vestris immorantur obsequiis, cuncta libere ministrare possitis Ecclesiastica Sacramenta, & ipsos cum decedunt in vestris Cœmeteriis sepelire*, uti legitur *in Monumentis Ordinis Minorum secundæ impressionis fol.* 140. *concess.* 3. & apud *Lezan. tom.* 2. *cap.* 14. ubi alia consimilia leguntur privilegia concessa Patribus Dominicanis, & Carmelitis.

Secundo quia in terminis Monialium suæ Religioni subjectarum extat Breve Nicolai V. *in Monumentis Ordinis Minorum fol.* 45. *secundæ impressionis*, ubi sic legitur: *Confessor vero Monialium, vel alius Frater ejusdem Ordinis ad hoc pro tempore deputatus Moniales absolvere possit &c. nec non ipsas servitrices &c. eisque Eucharistiæ, seu extremæ Unctionis Sacramenta Ecclesiastica ministrare libere, & licite valeat, Diœcesanorum locorum, ac Rectorum Parochialium Ecclesiarum, & cujuscunque alterius licentia super hoc nullatenus requisita.*

Tertio quia in dictis Famulis concurrunt requisita Concilii Tridentini *sess.* 24. *de reform. cap.* 11.

His stantibus, quæritur

I. An liceat Confessariis Regularibus Monialium iisdem subjectarum habitare in Mansionibus sitis in atriis Monasteriorum muro circumvallatis, & quæ sunt contigua Monasteriis, & habent portam, quæ clauditur, in casu &c.

II. An Famuli, & Famulæ Monialium sæculares in iisdem mansionibus degentes teneantur recipere Sacramentum Eucharistiæ tempore Paschali a Parochis in quorum Parochiis Monasterium, & Mansiones sitæ sunt, in casu &c.

III. An ad dictos Parochos spectet Sacramenta dictis Famulis, & Famulabus ministrare in casu ultimæ infirmitatis, in casu &c.

Sacr. Congr. die 19. Septembris 1722. respondit
Ad primum negative. Ad secundum affirmative. Ad tertium affirmative, & amplius in omnibus.

QUÆSTIO CCXL.

In Causa Sovana Nullitatis, & Censurarum, die 20. *Decembris* 1721.

MORTUO *die* 23. *Septembris anno* 1717. Reverendissimo Matthæo Galliano Episcopo Sorano, Canonici Cathedralis Ecclesiæ devenerunt ad confectionem Inventarii omnium, & singulorum bonorum in ejus Palatio existentium; cumque Marchio Pompilius Galliani defuncti Episcopi Nepos ad Civitatem Soranam se contulisset, & prætensionem excitasset, quod omnia, & singula bona descripta in Inventario, uti patrimonialia, vel ex patrimonialibus acquisita, ad se suosque Fratres, uti hæredes ab intestato, de jure pertinerent, & e contra Canonici exciperent, quod omnia, & singula ornamenta, & paramenta, & vasa, aliæque Res sacræ spectarent ad Ecclesiam Cathedralem *juxta Bull.* 42. *S. Pii V. Bull. tom.* 2. & quod cætera alia essent de jure ejusdem Ecclesiæ *juxta Bull.* 23. *san. mem. Innoc. XII.* in qua Archiepiscopos, & Episcopos Regni Neapolitani exemit a Spoliis, quæ in beneficium Ecclesiarum applicavit, deventum fuit inter eosdem ad transactionem, in qua relictis Ecclesiæ paramentis trium mansionum, & quibusdam supellectilibus argenteis, & signanter Cruce pectorali, & anulo Episcopali, aliisque certis mobilibus, cætera omnia fuerunt Marchioni dimissa, eidemque cessa jura super omnibus rebus, quæ tractu temporis ad defunctum pertinere dignoscerentur, uti latius ex ipso tenore transactionis colligi potest.

Post initam modo prædicto transactionem, inventum fuit Episcopi Galliani Testamentum, in quo post factam enarrationem suorum bonorum, & redituum patrimonialium, in quibus Pompilium Gallianum Nepotem, ejusque Fratres sibi scripsit hæredes, disposuit, & ordinavit, quod omnia, & singula mobilia, & cætera existentia in suo Palatio Episcopali, prævio Inventario, consignarentur duobus Canonicis a Capitulo eligendis, qui ea deinde Episcopo successori in commodum, & beneficium Cathedralis Ecclesiæ tradere deberent; habitaque a Capitulo hujusce Testamenti notitia, fuit ab ipso institutum judicium contra Pompilium, aliosque Fratres de Gallianis, in quo ad computum ex decreto Regii Consilii Civitatis Neapolitanæ consignationem liberam reportarunt Duc. 130.

Secuta successoris Episcopi electione, cum ab ejus Promotore Fiscali ponderatum fuisset, quod nullum intercesserat Apostolicum beneplacitum, nec illud fuerat reservatum in transactione supramemorata, nedum de illius nullitate, sed etiam de incursu Contrahentium in censuras prætensionem excitavit, de cujus vitibus nunc est agendum.

Porro Promotor Fiscalis asserit, transactionem nullitate laborare signanter propter defectum Apostolici Beneplaciti omnino necessarii, quando agitur de bonis, & juribus ad Ecclesiam pertinentibus; multoque magis, cum Marchioni Pompilio fuerit quædam Cista Ferrea consignata, in qua panni linei contineri dicebantur, absque eo quod ea unquam fuerit aperta. Quoad incursum in Censuras, ait, eum sibi clarum videri, tum propter juris dispositionem, tum quia ex ipsa transactione dignoscitur, quod Canonici habuerunt notitiam Bullarum S. Pii, & Innocentii XII. itaut per consequens non sit Canonicis indulgenda absolutio, nisi secuta reintegratione Ecclesiæ pro quantitate bonorum mobilium, argentorum, & aliarum omnium rerum, quæ fuerunt repertæ in Palatio Episcopali, & consignatæ Marchioni Galliano, & quia Promotor Fiscalis prævidet responderi posse, quod bona dimissa erant patrimonialia Episcopi defuncti, sustinet id non probari, cum præsumptio juris sit in contrarium, & probationes, quæ afferuntur, non sint aptæ natæ ad eam eligendam.

Excipiunt e contra Canonici, validam fuisse transactionem, non obstante defectu beneplaciti Apostolici, & non obstante, quod mobilium, & aliarum rerum in Palatio Episcopali existentium pertinentia ad Cathedralem Ecclesiam hodie sit indubitata; id enim provenit ex Testamento, quod erat ignotum tempore transactionis, suæque Ecclesiæ jura ipsa prosequi non desistunt in Tribunalibus Civitatis Neapolitanæ, juxta ea, quæ supra dicta sunt, & in eo, quod attinet ad defectum Beneplaciti Apostolici, & ad incursum in Censuras, iidem Canonici ponderandum proponunt, quod actus gestus revera non potuit dici transactio, sed potius quædam bonæ fidei recognitio in ordine ad res quæ ad Ecclesiam, & alias res, quæ ad hæredes seculares spectare poterant, in quo rerum statu Beneplacitum Apostolicum non est necessarium, & multo magis quando agitur de bonis acquirendis, & non acquisitis. Suam ulterius exaggerant in actu gesto bonam fidem, cum eorum unica intentio ad aliud non respexerit, quam ad eximendam, & liberandam Ecclesiam a litibus, & controversiis judicialibus, qua bona fide concurrente, incursus in Censuras dicitur exclusus, cum a nullitate actus non valeat semper argumentum ad incursum in excommunicationem. Omnia denique confirmant, sustinendo, quod dimissa favore Marchionis Galliani essent patrimonialia Episcopi defuncti, quemadmodum ipse in suo Testamento postmodum adinvento aperte confessus est, & quemadmodum erui dicitur ex calculo redituum Ecclesiasticorum, qui sicuti sufficere non poterat pro Episcopi manutentione, & eleemosynis, quæ ab eodem fiebant, sic legitimum suppeditat argumentum, quod ea, quæ in ejus obitu superfuerunt, non ex reditibus Ecclesiasticis, qui erant modici, sed ex reditibus patrimonialibus, qui erant in conspicua quantitate, fuerint comparata.

His stantibus, quæritur

I. An sustineatur instrumentum celebratum die prima Octobris 1717. *inter Canonicos Ecclesiæ Cathedralis, & DD. de Gallianis, & quatenus negative.*

II. An Contrahentes incurrerint in Censuras, & quatenus affirmative.

III. An, & quomodo sint absolvendi in casu, &c. ad effectum &c.

Sacra Congr. die 14. Martii 1722. respondit
Ad primum negative. Ad secundum pro absolutione ad Cautelam. Ad tertium provisum in præcedentibus, & amplius, & ad mentem.

QUÆSTIO CCXLI.

In Causa Florentina, die 17. *Januarii* 1722.

ANNA Maria Teresia Medicea, Divina inspirante gratia, Judaicam perfidiam abjuravit, & *die* 29. *Octobris anni elapsi* 1721. una cum quatuor filiis S. Baptismum recepit. Dum Anna erat in statu Infidelitatis matrimonium contraxerat cum Abrahamo Barda Hebræo, a quo tamen juxta Ritum Judæorum, usque *de anno* 1710. libellum habuerat repudii; cumque Anna prædicta promptam habeat occasionem nubendi cum Antonio Cecchio Milite Christiano, & periculum sit in mora, & Abraham in longinquis degat Regionibus, absque eo quod sciri tuto possit, in quo loco versetur, exorta est Florentiæ disputatio, an Abraham prædictus sit de jure interpellandus, & quatenus affirmative, an concurrentibus circumstantiis, possit Anna matrimonium facere cum Milite Christiano, omissa, ex superiorum indulgentia, memorata interpellatione, & a Vicario Capitulari Florentino, qui omnia prædicta in sua informatione refert, hujusce Sac. Congregationis Oraculum exposcitur.

Ducto initio ab interpellatione, Apostolus Paulus in prima ad Corinthios *cap.* 7. inquit -- *nam cæteris ego dico, non Dominus, si quis Frater Uxorem habet Infidelem, & hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam, & si qua mulier Fidelis habet Virum Infidelem, & hic consentit habitare cum illa, non dimittat Virum &c. quod si Infidelis discedit, discedat, non enim servituti subjectus est Frater, aut Soror in hujusmodi, in pace autem vocavit nos Deus.*

A quibus Apostoli verbis, sicuti deducitur, quod per conversionem ad Fidem unius ex Conjugibus, tunc tantum solvitur matrimonium, quoad vinculum, quando alter remanens in infidelitate non vult converti, vel non vult habitare sine contumelia Creatoris, uti perpendit Innocentius Tertius *in cap. quanto de Divortiis*, ibi -- *si enim alter Infidelium Conjugum ad Fidem Catholicam convertatur, altero, vel nullo modo, vel non sine blasphemia Divini Nominis, vel, ut eum pertrahat ad mortale peccatum, ei cohabitare volente, qui relinquitur, ad secunda, si voluerit, vota transibit, & in hoc casu intelligimus, quod ait Apostolus, Infidelis discedit? discedat; Frater enim, vel Soror non est servituti subjectus in hujusmodi; & Canone etiam, in quo dicitur, contumelia Creatoris solvit jus matrimonii circa eum, qui relinquitur.*

Ita infertur, Conjugem Fidelem debere de necessitate Conjugem Infidelem interpellare, an velit converti, & cohabitare sine contumelia Creatoris, ad effectum, ut ad alia vota sibi liber aditus esse debeat, uti late docent *Sanchez de matrim. lib.* 7. *disput.* 74. *num.* 12. *Salmanticenses tract.* 9. *de matrim. cap.* 4. *num.* 48. *clar. mem. Card. de Laurœa de matrim. disp.* 16. *num.* 198. *& num.* 202. *Clericat. in decis. de Sacram. Matrim. decis.* 11. *num.* 24. ubi formam per extensum refert hujusce interpellationis.

Haud urgente, quod usque *de anno* 1710. Abraham Vir miserat ad mulierem, de qua nunc agitur, libellum Repudii; itaut ipsa remanserit in libertate alium ducendi Virum, uti habetur *in Deuteron. cap.* 24. Cum enim Christus Dominus *Matth. cap.* 19. dixerit, Mosem ad duritiam cordis permisisse Judæis, ut Uxores dimitterent, sed ab initio sic non fuisse, & hoc ipsum iterum dixerit *Marci cap.* 10. concludendo, *quod ergo Deus conjunxit, homo non separet*, docent communiter Theologi, hodie Judæis non esse permissum Uxores suas repudiare, & per repudium non solvi vinculum matrimonii; Christus enim Dominus illud reduxit ad suum primævum statum, hoc est ad indissolubilitatem, non statuendo novam legem, sed auferendo dispensationem, quæ circa dictam indissolubilitatem fuerat concessa, *Medina de Continentia controvers.* 1. *cap.* 10. *Card. Bellarm. tom.* 2. *controvers. de matrimon. cap.* 15. *& seqq. Cornelius a Lapide in Deuteronom. cap.* 24. *Sanchez de matrim. lib.* 10. *disput.* 1. *num.* 7. *& seqq. Lessius in tertiam partem Divi Thomæ de Sacramento Matrim. cap.* 5. *num.* 92. *dub.* 3. *Pontius de matrim. lib.* 7. *cap.* 50. *Clericat. decis.* 9. *de matrimon. num.* 46. *Pignatell. consult.* 93. *tom.* 8.

Et licet hisce minime obstantibus etiam hodie inter Hebræos, scientibus, & tolerantibus Superioribus Ecclesiasticis, vigeat praxis Repudii, adhibitis nonnullis solemnitatibus, uti late prosequuntur *Marquard. de Judæis par.* 2. *cap.* 8. *num.* 4. *Joseph Sessa in eodem tract. de Judæis cap.* 33. *num.* 21. *Tondut. quæst. benefic. cap.* 48. *nu.* 21. *& 22. Laurent. decis. Aven.* 57. *Bertrand. consil.* 119. *lib.* 2. *consil.* 132. *lib.* 6. *& consil.* 124. *lib.* 7. hæc tamen, & similia poterunt ad summum sibi locum vindicare in Repudio, inter Infideles, misso, & iisdem in infidelitate permanentibus, secus autem, quoties, prout hic, alter ex eis ad fidem conversus est, uti probat Textus Innocentii Tertii *in cap. gaudemus de divortiis*, ibi -- *qui autem secundum Ritum suum legitimam repudiavit Uxorem, cum tale repudium veritas in Evangelio reprobaverit, nunquam, ea vivente, licite poterit aliam, etiam ad Fidem Christi conversus, habere, nisi post conversionem ipsius illa renuat cohabitare cum ipso, aut etiam si consentiat, non tamen absque contumelia Creatoris, vel, ut eum pertrahat ad peccatum.*

Hæc quoad necessitatem interpellationis, de Jure loquendo, post quæ transitum faciendo ad punctum, an stantibus circumstantiis, ex Superioris indulgentia omitti possit in casu interpellatio, refert Vicarius Capitularis, primo periculum esse in mora, si interpellatio facienda sit, & si ante matrimonium expectandus sit lapsus temporis in interpellatione præfigendus, secundo elapsum esse tempus undecim annorum a die repudii ab Abraham missi, absque eo quod ille unquam de Uxore, & filiis requisiverit, tertio libellum repudii esse conceptum verbis adeo injuriosis, ut nullum spei vestigium supersit reditus Viri ad Uxorem repudiatam, ultimo denique ignorari, an Abraham sit vivus, aut mortuus, nec ullam a die discessus habitam fuisse notitiam loci, quem ipse petiit.

Concurrentibus autem consimilibus circumstantiis, nonnulli putant, posse jure suo Conjugem Fidelem, omissa interpellatione Viri Infidelis, transire ad alia vota, *Sanchez de matrim. lib.* 7. *disput.* 74. *num.* 14. *&* 15. sicque fuisse in Curia Archiepiscopali Neapolitana decisum, referunt *Genuensis in praxi dictæ Curiæ cap.* 27. *num.* 20. *Riccius in praxi par.* 1. *resolut.* 241. & hæc opinio tanquam probabilis admittitur *a Diana in Oper. Coordtom.* 2. *tract.* 6. *resolut.* 124. & in terminis Mulieris Hebrææ ad Fidem conversæ, & hic in Italia degentis, quod, stante latitatione Viri in Infidelitate permanentis, posset, omissa interpellatione, aliud matrimonium contrahere, docuerunt *Comitol. lib.* 1. *quæst.* 124. *Clericat. de Sacram. Matrim. decis.* 11. *num.* 29.

E contra alii censent, quod, etiam concurrentibus circumstantiis, de jure sit locus interpellationi, sed quod si graves sint, haberi debeat recursus ad Summum Pontificem, cujus est, in eo rerum statu indulgere, ut, omissa interpellatione, Conjux Fidelis ad alia vota transire possit, *Pontius de matrim. lib.* 7. *cap.* 48. *num.* 22. concordat *Nicolaus Lucubr. civil. lib.* 1. *tit.* 10. *de Nuptiis num.* 43. ubi dicit sic resolutum fuisse ab hac Sac. Congregatione, & faciunt Apostolicæ litteræ Gregorii XIII. *apud Pignatell. consult.* 93. *tom.* 8. *versus fin.* in quibus singulis locorum Ordinariis, Parochis, & Presbyteris Missionariis Societatis Jesu in Anglia, Æthiopia, & Brasilia degentibus concessit, ut, si aliquis ex Conjugibus ad Fidem convertatur, & alius in infidelitate remaneat, quoties sibi summarie, & extrajudicialiter constiterit, Conjugem Infidelem abesse, & legitime moneri non posse, dispensare valeant, ut Conjux Fidelis, omissa interpellatione, aliud contrahat matrimonium.

His stantibus, quæritur

I. An de jure necessaria sit interpellatio in casu &c. & quatenus affirmative.

II. An, stantibus circumstantiis, indulgenda sit dispensatio ab interpellatione in casu &c.

Sacra Congr. respondit
Ad Utrumque affirmative.

QUÆSTIO CCXLII.

In Causa Mechlinienſi, die 17. Januarii 1722.

CONCESSUM fuit a ſan. mem. Innocentio XI. Alphonſo Archiepiſcopo Mechlinienſi ad petitionem Caroli Hiſpaniarum Regis Catholici ampliſſimum Breve ad quinquennium pro ſalubri directione, & Animarum ſalute eorum, qui Belgii in Caſtris degebant, & verſabantur, conceptum ſequentibus verbis: *itaque tibi facultatem ad quinquennium proximum tantum harum ſerie tribuimus, per te, vel alium, ſeu alios Sacerdotes probos, & idoneos, ac prævio examine diligenti approbatos a te cum participatione, & conſenſu dilecti filii Sebaſtiani Antonii Tanarii Internuntii noſtri in Belgio &c. ſubdelegandos, omnem, & quamcumque juriſdictionem Eccleſiaſticam in eos, qui ibi pro Sacramentis Eccleſiaſticis Militibus miniſtrandis pro tempore erunt, qui tamen in propria Diœceſi, ſub qua illorum Ordinarii juriſdictionem ſuam ordinariam in eos exercere poſſent, non ſint, ſive Clerici, & Presbyteri ſæculares, ſeu quorumvis etiam Mendicantium Ordinum Regulares fuerint, exercendi, perinde, ac ſi quoad Clericos ſæculares eorum verus Præſul, & Paſtor, quoad Regulares vero illorum Superior Generalis eſſes &c. Præterea tibi, ac Presbyteris idoneis a te approbandis, confeſſiones quarumcunque dicti Exercitus utriuſque ſexus perſonarum audiendi, illaſque a quibuſvis exceſſibus, ac delictis &c. abſolvendi &c.* & in fine: *volumus autem, ut quamdiu Exercitus prædictus non prodibit in Campum, tenearis ſaltem per Vicarium tuum Generalem, viſitare ſingulis annis, juxta Paſtoralis curæ exigentiam, ſtationes Militum, ac præſidia eorundem in Civitatibus, Oppidis, Pagis, & Fortalitiis commorantium, ſuper quo conſcientiam tuam, tuique Vicarii prædicti gravamus.*

In hujus Apoſtolici Brevis ſequelam quæſitum fuit ab Archiepiſcopo Mechlinienſi, an ipſe, vel ſuus Vicarius Generalis concedere poſſet dimiſſoriales Militaribus Perſonis, & eorum filiis natis in Exercitu, an vero petendæ eſſent ab Ordinariis, ſub quorum juriſdictione illorum præſidia extant, & Sac. hæc Congregatio *die* 8. *Febr.* 1681. *negative reſpondit;* eodemque Archiepiſcopo iterum recurrente, ut ex gratia ſaltem ſibi permitteretur, litteras Dimiſſoriales concedere Ortis in Bello, & eadem Sac. Congregatio *die* 2. *Maii* 1682. *cenſuit id non eſſe concedendum*: & in eo quod attinet ad Matrimonium, cum exorta fuiſſet controverſia, an Archiepiſcopus, uti Delegatus Apoſtolicus ratione Brevis ſupra memorati, ejuſque Vicarius, & Cappellani Exercitus haberent facultatem aſſiſtendi Matrimoniis Militum, dum hi reperiuntur in actuali expeditione, item an hanc facultatem haberent privative, quoad contrahentium Parochos, & demum an hanc eandem facultatem obtinerent, dum Milites Matrimonium contracturi in Hybernis, vel Æſtivis Caſtris commorantur, & an hanc eandem facultatem haberent, dum Milites ſunt in Præſidiis, Sac. hæc Congregatio die 29. Maii 1683. ad primum reſpondit *affirmative*, & ad alia *negative*.

Expirato tempore in Brevi præfixo, & petente Archiepiſcopo Mechlinienſi ejus confirmationem cum aliqua ampliori facultate, deputata fuit particularis Congregatio, cui interfuerunt clar. mem. Cardinales Carpineus, Columna, Bonviſius, Albanus deinde ad Summum Pontificatum evectus, ipſaque bis coacta, *die videlicet* 10. *Julii*, & 29. *Septembris anno* 1699. propoſitiſque Dubiis, primo, *an petitum Breve delegationis ſit concedendum*, & ſecundo, *an, & in qua parte ſit reformandum*, ad primum reſponſum fuit *affirmative*, & ad ſecundum pariter *affirmative*, & reformatio in hoc conſtituta fuit, ut loco verborum ſupra relatorum: *Volumus autem, ut quamdiu Exercitus prædictus non prodibit in Campum, tenearis ſaltem per Vicarium tuum Generalem viſitare ſingulis annis, juxta paſtoralis curæ exigentiam, ſtationes Militum, ac præſidia eorundem, in Civitatibus, Oppidis, Pagis, & Fortalitiis, commorantium*, hæc alia verba apponerentur; *Volumus autem, ut iis, quos, pro Sacramentis Eccleſiaſticis, Militibus, aliiſque Perſonis quibuſcunque dicti Exercitus, miniſtrandis, ut præfertur, deputandos duxeris, pro iis tantum Sacramentis, quæ per ſimplices Parochialium Eccleſiarum Rectores adminiſtrari conſueverunt, & his quidem, & dumtaxat tempore, quo Exercitus præfatus in actuali expeditione reperiretur, ſecus vero, quando Milites in ſtationibus, & Præſidiis degerent, adminiſtrandis deputati intelligantur*, uti plene habetur *apud R. P. D. Petram ad Conſtit. Apoſtolicas tom.* 2. *pag.* 353. *& ſeqq.* ubi plene tota hujus facti hiſtoria refertur.

Ad tramites reſolutionis Congregationis Particularis, facta fuit expeditio novi Brevis, & cum iiſdem limitationibus expeditum fuit a ſanctæ mem. Clemente XI. *die* 6. *Martii* 1716. Breve directum Eminentiſſimo Domino Cardinali de Alſatia Archiepiſcopo Mechlinienſi; cumque Eminentia Sua, tam ad prædictum ſan. mem. Clementem XI. quam ad feliciter Regnantem Innocentium XIII. recurſum habuerit pro obtinendis amplioribus facultatibus, & ad normam ſignanter Brevis ſupra memorati ſanctæ mem. Innocentii XI. expediti *die* 3. *Januarii* 1681. & ab utroque fuerit examen ad hanc Sacram Congregationem remiſſum, quæritur in præſenti, quomodo ſit providendum.

Ut autem clare percipiatur petitio Eminentiſſimi Archiepiſcopi Mechlinienſis, præmittere opus eſt, quod ab ipſo non petitur auctoritas communicandi Cappellanis Militum facultatem aſſiſtendi matrimoniis, & conferendi Sacramentum Baptiſmi; cum enim a ſuo Prædeceſſore juſtis de cauſis, & ſignanter, ut probationes eſſe poſſent in promptu in ordine ad legitimitatem filiorum, qui a Militibus naſcuntur, tum pro aſſumendis Sacris Ordinibus, tum pro eorum admiſſione ad ſucceſſiones, demandatum fuerit, ut Sacramenta prædicta a Parochis localibus adminiſtrarentur, cenſet Eminentia ſua non eſſe ab hac praxi recedendum; quocirca petitio ad ſequentia capita reducitur. Primum eſt, quod ſibi concedatur facultas conſtituendi Cappellanos Militum, eoſque per ſe, vel Vicarium ſuum Generalem examinandi, & approbandi pro confeſſionibus Militum excipiendis, itaut Cappellani ſic examinati, & approbati ſuos Milites ſubditos abſolvere poſſint, etiam in aliis Diœceſibus, abſque eo quod ab earum Ordinariis novam obtineant approbationem.

Secundum eſt, ut ſibi facultas indulgeatur concedendi diſpenſationes a denunciationibus matrimonialibus in matrimoniis, quæ contrahuntur a Militibus, poſtquam tamen ſibi fuerint a Cappellanis, ſub quorum cura degunt, exhibitæ atteſtationes de ſtatu libero.

Tertium denique eſt, ut tam ſibi, quam ſuo Vicario Generali concedatur, ut Cappellanos Militum ſibi ſubjectos viſitare valeat, & corrigere, licet in alienis Diœceſibus exiſtant, exceptis tamen Cappellanis Rectoribus Caſtrorum, puta Civitatum Anverſanæ, & Gandavenſis, qui earum Ordinariis ſubjecti ſunt.

Hujuſce autem petitionis fundamenta plura ſunt. Epiſcopi enim Flandriæ adeo erga antiquiorem praxim ſunt propenſi, ut conquerantur de novitate, & ejus putent auctorem Eminentiſſimum Dominum Cardinalem de Alſatia, & quod magis eſt, nullatenus novam approbationem concedere volunt Cappellanis Militum, ad ſuas Diœceſes accedentibus, ſub obtentu, quod ſola ſufficiat approbatio ab Eminentia Sua tanquam Delegato Apoſtolico reportata.

Item Princeps Sæcularis, qui ſalarium Cappellanis ſolvere non facit, niſi exhibita atteſtatione, quod fuerint conſtituti, & approbati a Delegato, vel ab ejus Vicario Generali in hypotheſi, in qua aliquod ſequatur inconveniens, rem agere non vult cum Ordinariis, ſed cum Delegato, vel ejus Vicario, quibus profecto difficile, & quodammodo impoſſibile eſt pro ſingulis caſibus petere ab Ordinariis juriſdictionem, ad effectum procedendi contra Cappellanos delinquentes in alienis Diœceſibus.

Rurſus, Stationes, & præſidia Militum per quatuor, & quinque vices quolibet anno mutantur, quo ſtante difficile admodum eſt, ut Ordinarii, qui propter modicum permanentiæ Cappellanorum tempus de eorum qualitatibus inſtructi eſſe non poſſunt, ad eorum approbationem, vel reprobationem juſte valeant devenire. Prædictæ quoque Militum ſtationes non ſiſtunt in ſolis Provinciis Flandriæ, ſed etiam tranſeunt ad alias Diœceſes ſubjectas Ordinariis Trevirenſi, Leodienſi, & Metenſi, in quibus Diœceſibus alia viget Eccleſiaſtica diſciplina, cui Cappellani non ita facile ſe conformant. Denique, cum non unum, & idem in Provinciis Flandriæ ſit idioma, Milites ipſi diverſo idiomate loquuntur, ex quo ſequitur, quod proprios debeant habere Cappellanos juriſdictioni tantum Delegati ſubjectos, ne dimiſſis Cappellanis a Delegato approbatis, detur caſus, quod Milites careant Cappellano, qui ſuum calleat idioma.

Additur, quod ſan. mem. Clemens XI. ad petitionem Auguſtiſſimi Imperatoris per ſuas litteras Apoſtolicas in forma Brevis *die* 28. *Junii* 1720. conceſſit Eminentiſſimo Domino Cardinali Georgio Spinulæ, tunc Nuntio Apoſtolico, ut pro Exercitibus, qui tunc, & pro tempore

pore in Germania conſiſtent, aut inde in alias Regiones, Provincias, & Regna, & etiam in Italiam, & Inſulas adjacentes expedientur, Cappellano Majori Exercituum dare poſſet facultatem, ut ab ipſo, vel aliis Sacerdotibus, ab aliquo Ordinario approbatis, & ab eodem Cappellano Majori ſubdelegandis, adminiſtrarentur Sacramenta, & plura alia peragerentur, additis his verbis: *Volumus autem, ut ii Sacerdotes, quos idem Cappellanus Major pro Sacramentis etiam Parochialibus, Militibus, aliiſque Perſonis, quibuſcumque dictorum Exercituum miniſtrandis, ut præfertur, deputandos duxerit, nullatenus pro eiſdem Sacramentis eo tempore, iiſque Militibus, & Perſonis præfatis, qui, & quamdiu in præſidiis fixis, ſtabilibuſque conſiſtent, ſed quando dumtaxat Exercitus prædicti, ſive Legiones, quibus inſerviunt, in actuali expeditione reperientur, aut in temporaneis hibernis, vel æſtivis ſtationibus detinebuntur, adminiſtrandis, deputati intelligantur.*

His ſtantibus, quæritur

An, & quomodo ſit providendum in caſu &c.

Non fuit propoſita.

QUÆSTIO CCXLIII.

In Cauſa Caputaquenſi Viſitationis ſacrorum Liminum, die 17. Januarii 1722.

EPISCOPUS Caputaquen. in Relatione ſtatus ſuæ Eccleſiæ juxta Bullam Sixti Quinti ad hanc Sac. Congregationem tranſmiſſa, retulit, in ſua Diœceſi plures reperiri Subcollectores, & Commiſſarios, qui non ſunt pro ea deputati, ſed pro locis exemptis, & aliis Diœceſibus adjacentibus, & quod tam ipſi, quam eorum Notarii licet naturaliter eſſent ſui Subditi, ab Ordinaria juriſdictione ſe exemptos eſſe ex dicta Cauſa contendunt, ex qua re non modicum Diſciplina Eccleſiaſtica patitur detrimentum. Refert quoque in eadem Diœceſi plures Patentatos, tam dictorum Commiſſariorum, quam Capitulorum Eccleſiarum Patriarchalium, Sancti Joannis in Laterano, & S. Petri de Urbe, aliorumque Miniſtrorum Eccleſiæ Romanæ reperiri, qui Eccleſiaſtica jura quotidie offendunt, quæritque pro recto ſuæ Diœceſis gubernio, an omnes prædicti ſint a ſua juriſdictione exempti, & an contra eos in caſu delicti ſecundum juſtitiæ leges procedere poſſit.

De ſpoliorum Subcollectoribus fuit olim diſputatum, an comprehenderentur ſub nomine Officialium Sedis Apoſtolicæ, quorum exemptio innititur *Capitulo cum Matthæus de hæreticis inter Extravagantes communes*, & ab hac Sac. Congregatione negative reſponſum fuit, uti colligitur ex Decreto edito *die* 20. *Junii* 1682. Cum enim quæſitum fuiſſet, *an Subcollectores Spoliorum pro Rev. Camera Apoſtolica recenſeri deberent inter Officiales, de quibus loquitur Extravagans cum Matthæus*, reſponſum fuit, *negative*, uti videri poteſt *lib.* 32. *Decret. pag.* 327.

Exemptio itaque Subcollectorum, & Commiſſariorum in Regno ſignanter Neapolitano exiſtentium innititur *Conſtitutioni* 25. *Gregorii XIII. Bull. tom.* 2. *& Conſtitut.* 202. *Urbani VIII. Bull. tom.* 5. ſed cum frequentes irreperent abuſus ratione exemptionis tam Subcollectorum, quam Commiſſariorum, Sacra hæc Congregatio auctoritate ſibi commiſſa a Summis Pontificibus Clemente IX. Clemente X. & Innocentio XI. *die* 27. *Februarii* 1677. ſolemne edidit Decretum, tam quoad numerum Subcollectorum, quam quoad eorum qualitates, & caſus, in quibus frui deberent exemptione, addendo, quod Subſtituti, & Officiales eorum nullam haberent exemptionem, excepto uno tantum Notario pro quolibet Subcollectore in actu exercitii, & in actu pariter exercitii tantum exemptos eſſe debere Commiſſarios ſuper illicitis negotiationibus, aut alios deputatos pro quibuſdam Cauſis particularibus, uti fuſe videri poteſt *lib.* 29. *Decret. pag.* 383. *& apud Monacell. in formul. parte* 2. *pag.* 64. ubi per extenſum refertur allegatum Decretum; Et in eo, quod attinet ad Subcollectores, & Commiſſarios deputatos pro locis exemptis, & Diœceſibus adjacentibus, ſe obtulit occaſio diſputandi de eorum exemptione; *die etenim* 4. *Maii* 1697. cum Epiſcopus Bituntinus Sacræ Congregationi expoſuiſſet, quod in Civitate Bitunti tres aderant Subcollectores, ſeu Commiſſarii Nuntiaturæ Neapolis, alter Deputatus pro Civitate, & Diœceſi Bituntina, alius pro Abbatia Nullius Faſani, Tertius pro loco Nullius Rutiliani, & inter cætera quæſiviſſet, *an Subcollectores deputati pro juriſdictionibus Faſani, & Rutiliani, & Commorantes Bitunti aliqua in dicto loco gaudeant exemptione*, Sacra Congregatio reſpondit, *non gaudere, & Epiſcopum procedere poſſe in futurum*, uti habetur *lib.* 47. *fol.* 185.

Hæc quoad Subcollectores, & Commiſſarios; quoad Patentatos autem Eccleſiarum Patriarchalium S. Joannis in Laterano, & S. Petri de Urbe, & aliorum Miniſtrorum Eccleſiæ Romanæ ignoratur, unde eorum exemptio deſcendat, nec ullum quoad eos datum eſt invenire Decretum, excepto illo ſan. mem. Innocentii XII. quod eſt 68. in ejus parvo Bull. in quo exceptis Officialibus Sanctiſſimæ Inquiſitionis, declaratum fuit, quod Privilegium fori quorumcumque Privilegiatorum vulgo *Patentati* ſuffragaretur tantummodo in cauſis, & negotiis tam Civilibus, quam Criminalibus, & mixtis eorum Officium, & miniſterium quomodolibet concernentibus, & non in aliis; at decretum loquitur de Privilegiatis in Urbe, & in quibuſcumque Provinciis, & Legationibus Status Eccleſiaſtici.

His ergo ſtantibus, quæritur

I. An exercentes munus Subcollectorum, & Commiſſariorum pro locis exemptis, & aliis Diœceſibus adjacentibus, ſed commorantes in Civitate, aut Diœceſi Caputaquen. frui debeant exemptione a juriſdictione Ordinarii.

II. An dictorum Subcollectorum, & Commiſſariorum Actuarii eadem exemptione frui debeant.

III. An Patentati eorundem Commiſſariorum, & Subcollectorum, vel Capitulorum Eccleſiarum Patriarchalium S. Joannis in Laterano, & S. Petri de Urbe, vel aliorum Miniſtrorum Eccleſiæ Romanæ in Civitate, & Diœceſi Caputaquen. exiſtentes, exempti ſint a juriſdictione Ordinarii.

Sacra Congr. die 14. Martii 1722. reſpondit,

Ad primum negative, & detur Decretum in Bituntina 4. Maii 1697. Ad ſecundum negative. Ad tertium negative quoad patentatos Commiſſariorum, & Subcollectorum, quoad alios pro meliori informatione juxta Inſtructionem, & audiantur intereſſe habentes præfixo termino duorum menſium.

QUÆSTIO CCXLIV.

In Cauſa Lucana Funerum, die 17. Januarii 1722.

LICET in Teſtamentis *anno* 1720. factis Angela Staggi, & Joanna Marini, loci Petræſanctæ Diœceſis Lucanæ demandaſſent, quod ſua Cadavera ſepelirentur in Eccleſia PP. S. Franciſci Minoris Obſervantiæ ejuſdem loci, Nicolaus tamen Bendinus Parochus Eccleſiæ S. Martini, in cujus Parochia Angela, & Joanna deceſſerunt, voluit, ut eorum Cadavera in ſua Parochiali Eccleſia permanerent, quoad uſque expletis funeribus hora ſepeliendi adveniſſet.

Ex hoc facto PP. S. Franciſci maximopere commoti ſunt, eodemque delato ad hanc Sac. Congregationem, ſcriptum fuit juxta morem Epiſcopo pro informatione, & voto; cumque Epiſcopus in ſua informatione ſe relative habuiſſet ad informationem ſibi datam ab eodem Parocho Nicolao Bendino, qui eſt etiam Vicarius Foraneus loci Petræſanctæ, & in qua aſſeruit expoſitionem Cadaverum in Eccleſia Parochiali ab antiqua conſuetudine proceſſiſſe, in Congregatione habita *die* 11. *Januarii* 1721. dictum fuit, quod Epiſcopus Parocho, & Patribus terminum præfigeret unius menſis ad ſua jura deducenda in Sacra Congregatione.

A Sacris Congregationibus, & ſignanter Epiſcoporum, & Regularium, necnon Rituum ſæpius reſponſum fuit, quod Cadavera Defunctorum ſepelienda in Fratrum Eccleſiis, ab ædibus defunctorum ad eorundem Fratrum Eccleſias recto tramite deferantur, monito prius, & requiſito, & expectato proprio defunctorum Parocho, a quo benedictionem, & ultimum vale recipere poſſint, quo venire expreſſe recuſante, poſſint iidem Fratres etiam ipſo invito dicta Cadavera ad ſuas Eccleſias tranſportare, licet hæredes Defunctorum contradicerent, & vellent, quod prius deferrentur ad Eccleſiam Parochialem, uti fuſe videri poteſt in *conſult.* 48. *num.* 7. *& ſeqq. tom.* 3. *Pignatelli, & apud bon. mem. Matthæuc. in Official. Curiæ cap.* 20. *num.* 8.

Juxta eaſdem reſolutiones excipitur immemorabilis conſuetudo contraria legitime probata; cumque hanc Fratres in hypotheſi deficere contendant, quæritur

I. An Cadavera Defunctorum ſepelienda in Eccleſia Patrum Minorum Obſervantiæ Terræ Petræſanctæ, antequam ad eorum Eccleſiam deferantur, debeant prius aſportari ad Parochialem, & eorum ibi debeat fieri expoſitio uſque ad horam ſepulturæ, & quatenus negative.

II. *An Parochus teneatur restituere ceram, & alia emolumenta percepta occasione associationis, & expositionis in sua Ecclesia Cadaverum Angelæ, & Annæ in casu &c.*

Sacra Congr. die 14. Martii 1722. respondit,
Ad primum negative. Ad secundum affirmative.

QUÆSTIO CCXLV.

In Causa Spoletana, die 7. Februarii 1722.

FELIX Alexandra Becchelli *anno* 1709. ingressa est Monasterium Monialium Beatæ Claræ de Montefalco, & in eodem Professionem Regularem emisit *anno* 1710.; cumque eadem, quæ modo est constituta in ætate annorum triginta, paucis ab hinc diebus, enarrasset Priori Ecclesiæ Collegiatæ Sancti Bartholomæi suo fratri germano, se Hermafroditam evasisse, sexumque virilem in se prævalere, prædictus Prior operæ pretium esse censuit rem totam Episcopo Spoletano manifestare.

Episcopus suum in Urbe negotiorum Gestorem admonuit, ut opportunum caperet super prædicta re consilium; cumque fuerit eidem a me insinuatum, quod in similibus facti circumstantiis, necessarium erat Peritos deputare, qui una cum assistentia Matronarum magna cum circumspectione Monialem recognoscerent, & quod in hypothesi, in qua ex Peritorum relatione deprehenderetur exposita esse vera, Monialis debebat, vel honestæ Matronæ, vel suis Cognatis consignari, ut penes eos caute custodiretur, retento interim habitu Monachali, usque quo transmissis ad Sacram Congregationem necessariis documentis, ipsa decerneret, quid esset agendum, & an esset, nec ne a vinculo Professionis absolvenda; Episcopus insinuationi exactissime morem gessit, factaque a Peritis, assistentibus binis Matronis, necessaria recognitione, illisque unanimiter referentibus Sororem Felicem Alexandram evasisse Hermafroditam, ne hoc interim aliquod scandalum, quod usque adhuc, Divina favente gratia, in Monasterio non contigit, contingeret in futurum, dictam Monialem consignavit Priori supra memorato Ecclesiæ Collegiatæ Sancti Bartholomæi germano fratri Sororis Felicis, apud quem modo supradicto caute custoditur.

His expletis, cum ab Episcopo ad hanc Sacr. Congregationem transmissus sit processiculus recognitionis, & una cum processiculo exhibitus fuerit supplex libellus memorati Prioris Ecclesiæ Collegiatæ, in quo nedum petitur declaratio nullitatis professionis emissæ a Sorore Felice, sed ulterius promovetur instantia pro restitutione dotis olim Monasterio solutæ, quæritur in præsenti, an petitis sit annuendum.

Sermonem itaque habendo de recognitione Sororis, fuit illa expleta a Bernardo de Amicis Medico Terræ Montisfalchi, necnon a Joanne Antonio Ciardello ejusdem Terræ Chirurgo, assistentibus duabus Matronis ex honestioribus dictæ Terræ Baptista videlicet de Valentibus, & Agatha Bontadosia, & utriusque Periti judicium fuit, quod Soror Felix esset Hermafrodita, & capax coeundi tanquam vir, cum qualibet muliere: *riferisco essere detta Suor Felice Alessandra ermafrodita, e capace a coire come uomo colle donne*, & in eo, quod attinet ad fundamentum, cui Peritorum judicium innixum fuit, nedum illud constitutum est in signis, ut plurimum extrinsecis, & aliquando æquivocis, hoc est pilorum, tam in pectore, & labio superiori, quam in maxillis, in voce sonora, in mammillis nullatenus turgescentibus, in defectu, multo ab hinc tempore, menstruorum, in stimulis concupiscentiæ, quibus octo ab hinc annis, se in occursu mulierum commoveri sentit, sed etiam in signis intrinsecis, & certioribus, hoc est in extrinseca apparitione omnium virilium genitalium, consistentibus tamen in suo primævo statu pudendis muliebribus, uti ex dicta Peritorum Relatione plenius desumitur, in qua plura alia oretenus exponenda describuntur, quæ pudor vetat scriptis aperire.

Plura de his Hermafroditis videri possunt *apud Schottum in sua Physica Curiosa lib.* 1. *cap.* 31., *& lib.* 3. *cap.* 10., *& apud Zacchiam quæst. Medic. legal. lib.* 3. *tit.* 2. *quæst.* 9. *numer.* 1. *&* 2., *& plenius lib.* 7. *tit.* 1. *quæst.* 8. *per tot., & apud Licetum lib.* 2. *de monstris cap.* 53. *& erudite apud Gasparum a Rejes in suo Jucund. quæst. Elisio Campo quæst.* 48., at in eo, quod attinet ad professionem Religiosam, binæ sunt in jure propositiones; prima est, quod si Hermafroditus prævaleat in sexu virili, valida est professio, si ab eodem fuerit inter viros emissa, secus si inter mulieres, & e contra, si prævaleat sexus fœmineus, valida est professio ab eodem emissa, si fuerit emissa inter mulieres, secus si inter viros, uti late ostendit *Donat. in praxi rerum regul. tom.* 2. *tract.* 3. *quæst.* 22. *num.* 5. Altera est, quod si uterque sexus in Hermafrodito sit æqualis; dantur enim Hermafroditi adeo perfecti in utroque sexu, ut possint agere, & pati in venereis, licet non possint generare cum aliis, & concipere in seipsis, juxta late deducta *apud Clericat. dec.* 43. *de Sacram. Pœnit. num.* 12., & legitur apud S. Augustinum *de Civit. Dei lib.* 16. *cap.* 8. ibi -- *Androgini, quos etiam Hermafroditos nuncupant, quamvis admodum rari sint, difficile est tamen, ut temporibus desint, in quibus sic uterque sexus appavet, ut, ex quo potius debeant accipere nomen, incertum sit*, & hi profiteri valide non possunt, nec in Religione virorum, nec in Religione mulierum, & quatenus in alterutra professionem emiserint, professio nulla est: *Bonacin. de clausura q.* 2. *puncto* 10. §. 5. *n.* 2. ibi -- *Si vero uterque sexus æqualis sit, in neutra Religione profiteri potest*. Concordat *Passerin. de statu hominum tom.* 3. *quæst.* 189. *art.* 10. *inspect.* 4. *n.* 148. ibi -- *sed loquendo de illis, in quibus uterque sexus extrinsecus est rite formatus, unde, & ad utrumque usum Veneris sunt habiles, puto, quod sine distinctione professio illorum in quocunque Monasterio sit, irrita est professio*.

Hæc quoad professionem, nunc transeundo ad dotis restitutionem, sicuti Moniali de uno ad aliud Monasterium transeunti, dos a primo Monasterio restituitur, & hoc ipsum contingit, quando Monialis exit e Monasterio propter nullitatem professionis, juxta deducta *apud Tondut. quæst. benef. cap.* 14. *num.* 5. *&* 6. sic hoc ipsum videtur statuendum esse in hypothesi, in qua professio nullitate laborat, ex quo mulier facta est Hermafrodita, sive Androgina, ut in terminis mulieris professæ in virum conversæ, & e Monasterio hac de causa exeuntis, consuluit *Cappon. discept.* 220. *num.* 44. *tom.* 3.

His stantibus, quæritur

I. *An professio irrita sit in casu, & quatenus affirmative.*

II. *An dos sit Sorori Felici restituenda in casu &c.*

Sacra Congr. die 14. Martii 1722. respondit,
Ad primum affirmative. Ad secundum affirmative.

QUÆSTIO CCXLVI.

In Causa Neapolitana Congruæ, die 28. Februarii 1722.

JOANNES Nicolaus de Laurentiis *anno* 1693. admissus fuit inter Patres Societatis Jesu, & nondum expleto Novitiatus biennio, nec emissis tribus simplicibus Votis Paupertatis, Castitatis, & obedientiæ, cum licentia sui Superioris ad Sacros Ordines promotus fuit ab Episcopo Aquilano, Pontificalia in Civitate Neapolitana exercente de licentia clar. mem. Card. Cantelmi Archiepiscopi dictæ Civitatis, idemque de Laurentiis, post emissa eadem Vota, fuit a Societate dimissus.

Nicolaus ab Ordinum exercitio suspensus ex tituli defectu, ad hanc Sac. Congregationem habuit recursum, ad effectum obtinendi a Patribus Societatis assignationem Congruæ alimentariæ, & post nonnullas subalternas controversias exortas, tam super subscriptione dubiorum, quam super subministratione alicujus summæ in Causam declarandam, deventum tandem fuit ad propositionem Causæ in folio, disputatisque sequentibus dubiis.

I. *An Joanni Nicolao de Laurentiis uti Sacerdoti Ordinato ad titulum Religiosæ paupertatis in Societate Jesu, & deinde ab ea dimisso, debeatur Congrua portio, seu substentatio saltem annuorum quadraginta aureorum ab eadem Religione.*

II. *An lite pendente sint ei subministranda alimenta, & sumptus litis.*

III. *An potius idem Nicolaus teneatur ad Religionem redire in casu &c.*

In Congregatione habita *die* 8. *Augusti* 1705. rescriptum fuit *ad primum absolvendam esse Societatem a præsensa subministratione Congruæ, in casu de quo agitur, ad secundum, & tertium satis provisum in primo*, & propter suffragiorum uniformitatem mandatum fuit, quod Causa *amplius non proponeretur*, uti legitur *lib.* 55. *decret. pag.* 291. *a tergo*, & licet dictus Nicolaus in Congregatione habita *die* 23. *mensis Januarii* 1706. pro nova audientia supplicasset, eam tamen obtinere non potuit, cum responsum fuerit, *nihil de nova audientia*, uti habetur in parvo Regesto dicti anni sub dicta die.

Orator exclusus a petita Congruæ assignatione, quique interea a celebratione Missæ erat suspensus ex defectu Tituli, seu Patrimonii, suas exhibuit preces pro facultate Missam celebrandi, cumque *die* 6. *Februarii dicti anni* 1706. dictum fuerit, quod audiretur Eminentissimus Card. Vicarius, editum fuit a clar. mem. Card. de Carpineo Urbis Vicario suum suffragium, in quo sic conclusit: *Crederem Societatem debere Oratorem providere de congrua substentatione, donec constet fuisse ad titulum Patrimonii promotum, vel donec fuerit recuperata domus a Patre assignata, ad quem effectum esset injungendum, ut Nicolaus omnia, & singula Jura sua cedat Societati. Quod si ab Eminentissimis PP. aliud decernendum esse videatur, Nicolaus deberet suspensus remanere, quia non habenti titulum suspensa est facultas celebrandi.*

At relato, in Sac. Congregatione prædicti Card. Carpinei suffragio, eadem *die* 8. *Maii* 1706. uti habetur *lib.* 56. *Decret. fol.* 168. sic respondit, *Sacra &c. audita relatione Eminentiss. D. Card. Carpinei Sanctissimi D. N. in Urbe Vicarii, quoad petitam facultatem celebrandi, instantiam remisit arbitrio Eminentiæ Suæ, ut desuper pro sua prudentia gerat, statuat, atque decernat, quod sibi magis in Domino videbitur expedire. In reliquis vero eadem Sac. Congregatio instantiam rejecit.*

Ab anno 1706. usque ad annum 1720. nullum de hac Causa motum amplius fuit verbum in hac Sac. Congregatione; sed cum prædicto anno 1720. Nicolaus S. mem. Clementem Papam XI. per supplicem libellum exorasset, ut, vel Patribus Societatis demandaret congruæ subministrationem, vel fineret Causam in hac Sac. Congregatione reassumi; preces fuerunt a Sanctitate Sua ad hanc Sac. Congregationem remissæ, & inter summaria precum, quæ ab Eminentissimo Præfecto expediuntur cum Secretario, responsum fuit *die* 13. *Julii* 1720. *ad mentem*, quæ fuit, ut Secretarius ageret cum Patribus Societatis, ut titulo eleemosynæ aliquid Oratori subministrarent.

In hujus rescripti executionem non destiti rem agere cum Patribus. Cumque promptissimam eorum voluntatem invenerim quoad omne genus eleemosynarum, sed omnino alienam deprehenderim in casu, de quo agitur, tum propter absolutionem, ab hac Sac. Congregatione servatis servandis a quacunque Congruæ subministratione, reportatam, tum ratione exempli, quod in perniciem cederet totius Religionis, re ad Nicolaum delata, novus ab ipso recursus habitus est ad Sanctissimum D. N. feliciter regnantem, ut ejus auctoritate Societas adigeretur ad Congruam subministrandam, remissisque etiam hisce precibus ad hanc Sac. Congregationem, non in summariis, quæ expediuntur inter Eminentissimum Præfectum, & Secretarium, sed in plena Congregatione proposita fuit inter supplices libellos, qui in ea leguntur, instantia, & *die* 2. *Augusti* 1721. responsum fuit *Lectum*; Nicolao autem nullatenus ex tot negativis responsis defatigato, & quotidianis accessibus instante, tam apud Eminentissimum Præfectum, quam apud me Secretarium, ut iterum audiretur, & sua Causa in folio proponeretur, re communicata cum Procuratore Patrum Societatis, *die* 13. *Septembris* 1721. dictum fuit, *quod audiretur*, & in sequelam hujus rescripti, disputandum in præsenti proponitur dubium, ad calcem restrictus, referendum.

Fundamenta Nicolai sunt hæc, quæ sequuntur; Primum est, quod ipse ante expletum biennium a die ingressus in Religionem, & sic ante emissionem trium Votorum simplicium fuit ad Sacros Ordines promotus, absque eo quod Societatem juvare possit Constitutio Gregorii XIII. Quia S. Pius V. *Constit.* 75. *Bullar. tom.* 2. voluit, quod dispositio Sac. Concilii Tridentini *sess.* 21. *cap.* 2. *de ref.* loquens de Clericis sæcularibus extenderetur ad Clericos Religiosos non Professos, & licet memoratus Papa Gregorius exemptos ab hac Piana Constitutione declaraverit Patres Societatis, declaratio tamen loquitur de illis, qui in Societate promoventur ad Ordines Sacros, sed post biennium, & post emissionem trium Votorum simplicium, licet ante solemnem Professionem: *Garz. de benef. par.* 2. *cap.* 5. *num.* 13. *& sub num.* 29. *Fornar. in tract. de Ordin. cap.* 8. *num.* 9.

Secundum est, quod juxta demandata a Patre Generali, & a Societate nullatenus controversa, in tantum fuit Nicolao concessa facultas ascendendi ad Ordines Sacros ante biennium, & ante emissionem Votorum simplicium, in quantum suppositum fuit, quod haberet Patrimonium, ad cujus titulum, ante ingressum in Societatem, fuisset prima Tonsura initiatus juxta morem Civitatis Neapolitanæ. Cum ergo, nec Patrimonium adesset, nec in Ordinatione ad primam Tonsuram extra Societatem, nec in susceptione Sac. Ordinum in Societate, ulla unquam facta fuerit mentio Patrimonii, clara dicitur negligentia Patrum, quam idcirco luere debent, Congruam assignando Nicolao a sua Societate dimisso.

Tertium est, quod Patres Societatis, ad effectum obtinendi, quod sui ante solemnem Professionem initiari possent Ordinibus Sacris, adversus citatam Bullam S. Pii V. se promptos, & paratos obtulerunt ad assignandum cuilibet ordinato in Sacris, & deinde ante Professionem dimisso congruam sufficientem, ne cum dedecore characteris mendicare cogeretur: cumque oblatio hæc fuerit ab hac S. Congregatione acceptata, & summa fuerit statuta *in ducatis* 40. ut colligi dicit ex libris S. Congregationis, quos oculis Sapientiss. Patrum ipse subjiciam, de suo jure Nicolaus asserit non esse dubitandum.

Societas e contra ait, se ad nihilum teneri; Primo, quia Nicolaus fuit dimissus ipso petente, uti ex dimissione desumitur, & quatenus dimissio ex causa secuta fuisset, semper eo fortius crescit assumptum exclusivum cujuscumque assignationis.

Secundo, quia quando agebatur de Ordinatione Nicolai ante expletum biennium, & emissionem trium Votorum simplicium, semper ipse asseruit se habere Patrimonium, & se fuisse prima Tonsura initiatum ad titulum prædictum; cumque dependenter ab hoc supposito, P. Generalis dederit licentiam, ut ille Sacros Ordines assumeret, & juxta morem Civitatis Neapolitanæ abstinendi a collatione Tonsuræ, nisi Tonsurandus habeat Patrimonium *in summa duc.* 36. *annuorum*, Nicolaus tunc haberet domum sibi a Patre in sæculo donatam, quoad usumfructum, ut ad Sacerdotium ascenderet, infertur ex hoc Societatem non teneri ad ullam subministrationem, licet hic, & nunc Nicolaus paupertate laboret, & domum a Patre assignatam non habeat, exemplo Episcopi, qui ignorans qualitatem Beneficii, & reputans illud esse tutum, & sufficiens, ad ejus Titulum aliquem ordinavit; non tenetur enim Episcopus aliquid ex justitia contribuere pro substentatione Ordinati, si d. Beneficium fuerit ab alio subsequenter evictum. *Fagnan. in capit. cum secundum numer.* 41. *& seqq. de Præbendis, Pirhing ad d. tit. decret. sect.* 1. §. 3. *num.* 24.

Tertio, quia non subsistere dicitur in facto, quod ad effectum obtinendi exemptionem a Bulla Piana Patres unquam obtulerint assignationem congruæ favore eorum, qui dimitterentur, sed semper dixerunt, non esse timendum de eorum mendicitate, cum ejecti, ut plurimum aut fortunæ aut naturæ bonis taliter sint prædiati, ut vitam suam honeste essent traducturi; itaut quidquid adnotatum reperitur in Regestis hujus Sac. Congreg. referri dicendum sit, non ad resolutionem, sed ad privatam Secretarii adnotationem.

Multoque magis, cum alii adfuerint ejecti, qui potissimum ex capite eorum, quæ in Regestis adnotata dicebantur, insteterunt in hac Sacr. Congreg. pro congrua obtinenda: Cumque semper fuerint rejecti, nec aliquid consequi potuerint, uti signanter colligitur ex his, quæ contigerunt in famigerata causa Georgii Vaccarini, de qua *apud Pignatell. consult.* 92. *ad calcem tom.* 10. signum evidentissimum hoc est, nec oblationem Societatis habere subsistentiam, nec ullum adesse decretum, quo Societas adigatur ad congruam dimissis assignandam.

His stantibus, quæritur

An sit standum, vel recedendum a decisis die 2. *Augusti* 1721. *in casu &c.*

Sacra Congr. respondit
In decisis, & amplius.

QUÆSTIO CCXLVII.

In Causa Velitternensi, die 14. *Martii* 1722.

EMINENTISSIMUS D. Cardinalis Tanarius in visitatione a se peracta Oppidi nuncupati *di Core* existentis in sua Diœcesi Veliternen. decretum edidit, in quo demandavit, quod Canonici Ecclesiæ Collegiatæ prædicti Oppidi tenerentur quotidie Missam Conventualem applicare pro Benefactoribus, & quod hoc ipsum facere deberent, quando juxta Rubricas obligantur ad celebrandum plures Missas Conventuales uno die, non obstante quacunque, quæ in contrarium allegabatur, consuetudine. Habuerunt Canonici recursum ad hanc Sacram Congregationem, humillime exorando pro exemptione a prædicto onere applicationis Missæ Conventualis, sub obtentu, quod Canonicatus habent reditus satis exiguos,

guos, & Eminentissimus Ordinarius in sua informatione censet, eos esse aliquali indulgentia dignos, & expositam Canonicatuum tenuitatem in facto subsistere; obligantur quippe Canonici ad servitium quotidianum, & ad recitationem integri Officii Divini, & Præbendæ Canonicales non ascendunt ad annua scuta 30. pro qualibet, & minor est summa distributionum quotidianarum, cum diebus feriatis punctatura fit in obulis tribus, & diebus festivis fit in obulis sex.

Fuit alias actum in hac Sacra Congregatione de hac materia, exemptionis videlicet ab applicatione quotidianæ Missæ Conventualis pro Benefactoribus propter tenuitatem redituum Canonicatuum. Proposita fuit in folio Congregationis habitæ *die 6. Junii* 1605. quædam causa Camerinen. Missæ Conventualis, & inter cætera quæsitum fuit, ad quem spectaret in Collegiata Ecclesia S. Mariæ Terræ Sancti Ginesii celebratio Missæ lectæ Parochialis, necnon celebratio Missæ Conventualis, & pro quibus dictæ Missæ essent applicandæ, ut ex tenore sequentium dubiorum colligitur.

I. *An, & ad quem spectet onus celebrandi Missam lectam Parochialem.*

II. *An, & quibus diebus sit celebranda Missa Conventualis, & quatenus affirmative.*

III. *An, & a quibus illa sit applicanda pro Populo in casu &c.* & S. Congregatio respondit ad primum, *spectare ad Archipresbyterum tantum pro populo*, ad secundum respondit *affirmative, & quotidie*, & ad tertium, *ab omnibus esse applicandam, non tamen pro Populo, sed pro Benefactoribus*, ut in *lib.* 55. *Decret. pag.* 203. *a tergo*.

Petita fuit, & obtenta a Capitulo nova audientia, & instantibus Canonicis, se non teneri ad Missam Conventualem quotidianam; tum quia contraria per antecessum extiterat consuetudo, tum quia reditus satis exiguos habebant, propositum fuit in Congregatione habita *die* 5. *Junii* 1706. dubium, *An sit standum, vel recedendum a decisis sub die 6. Junii* 1605. & Sac. Congregatio, ad primum *stetit in decisis*, ad secundum *stetit pariter in decisis in casu &c. de quo agebatur, quoad dies festos tantum*, & ad tertium *stetit pariter in decisis*, uti colligitur *ex lib.* 56. *Decret. pag.* 170. *a tergo*.

Consimilis casus fuit inter summaria precum propositus *die* 11. *Junii* 1712. in quadam causa Narnien. cum etenim Episcopus edicto mandasset, quod Canonici Collegiatarum S. Angeli, & S. Nicolai tenerentur quotidie celebrare Missam Conventualem, & applicare pro Benefactoribus, Canonici insteterunt in hac Sac. Congregatione pro exemptione a dicto onere, sub obtentu contrariæ consuetudinis, & paupertatis suorum Canonicatuum, & Sac. Congregatio respondit, in casu de quo agebatur, non teneri nisi diebus festis dictos Canonicos ad applicationem Missæ Conventualis pro Benefactoribus, uti habetur *lib.* 62. *decret. pag.* 211.

His stantibus, quæritur

I. *An Canonici Collegiatæ Ecclesiæ Oppidi di Core teneantur quotidie Missam Conventualem celebrare, & quatenus affirmative.*

II. *An teneantur quotidie dictam Missam Conventualem applicare pro Benefactoribus, & quatenus affirmative.*

III. *An, & quæ exemptio, sive a celebratione, sive ab applicatione Missæ Conventualis iisdem, attenta Præbendarum tenuitate, sit indulgenda in casu &c.*

Sacra Congr. respondit,

Ad primum affirmative. Ad secundum affirmative. Ad tertium posse indulgeri, ut Missas applicent diebus tantum festis de præcepto.

QUÆSTIO CCXLVIII.

In Causa Taurinensi, die 14. *Martii* 1722.

JACOBUS Antonius Riverius offert summam scutor. 2400. monetæ Romanæ, ut in Ecclesia Collegiata Montiscalerii Diœcesis Taurinen. erigatur Præbenda Theologalis, cum onere, ut Canonicus Theologus, nedum Choro de more interfit, sed etiam omnibus festis de præcepto Concionem habeat ad Populum, & semel in hebdomada Clerum edoceat Theologiam Moralem. Prædictam quoque summam scut. 2400. memoratus Jacobus Antonius uniri petit Missæ Capitulari, ita tamen, ut Canonicus communes distributiones cum cæteris Canonicis, ex æquo participet, nec Capitulum huic abnuit petitioni. Transeundo ad Jus præsentandi, Jacobus illud sibi in primis reservat, & post suum obitum, illud vult deferri ad masculos familiæ a se nominandæ, post quorum omnium obitum vocat Capitulum; Canonicatum præterea nulli vult reservationi, vel affectioni esse subjectum, & jus instituendi firmiter, & constanter intendit ad dict. Capitulum deferri privative ad quemlibet alium. Deducuntur hæc omnia ex Relatione Vicarii Capitularis, humillime instantis, ut petitio Jacobi Antonii admittatur, ne Clerus, & Populus, assiduo Moralis Theologiæ, & Evangelicæ prædicationis pabulo destituatur.

Quoad exclusionem cujuscunque reservationis, vel affectionis, pacifica hodie esse videtur opinio in Tribunalibus recepta, quod eadem in Limine Fundationis admitti possit, *ut in decis. Civitatis Castelli Canonicatus coram Card. Matthejo impressa apud D. Piton. de controv. Patron. alleg.* 21. *num.* 10. *& seqq. & in Parmen. Beneficii* 13. *Junii* 1701. §. *Sed quatenus coram Eminentiss. Scotto, & 16. Januar.* 1702. §. *At quando cum seqq. cor. bon. mem. Ansaldo, & 27. Junii* 1703. §. *Quoniam cor. bon. mem. Molines, & in Gerunden. Eleemosynæ panis 26. Junii* 1713. §. *Ex triplici cum seqq. cor. Eminentissimo Scotto, & in eadem* 14. *Martii* 1718. §. *Profecto cum seqq. cor. R. P. D. Cerro*, quæ decisiones sunt impressæ apud citatum *Piton. de controv. Patronal. allegat.* 48. 31. 42. 54. *&* 80. *& alleg.* 100. *num.* 406. *& seqq.*

Difficultas ergo est in reservatione Institutionis favore Capituli; Sacrum etenim Concilium Tridentinum *sess.* 14. *cap.* 12. hæc habet, *in casu autem fundationis, aut donationis, hujusmodi institutio Episcopo, & non alteri inferiori reservetur*; & licet idem Concilium *sess.* 25. *cap.* 9. supponat Institutionem ad Inferiores pertinere, ibi, *quod si ad inferiores institutio pertineat*, & hoc ipsum admissum videatur *in cap.* 13. *sess.* 7. ibi, *præsentati, seu electi, vel nominati quibusvis Ecclesiasticis personis*, cum in Codicibus Vaticanis desit particula A quæ in plerisque exemplaribus præponitur dictis verbis, *quibusvis Ecclesiasticis personis*, uti testatur *Fagnan. in cap. accepimus num.* 31. *de ætate, & qualitate*; recepta nihilominus hodie videtur opinio, quod Fundator in Limine fundationis post Concilium Tridentinum non possit alteri reservare institutionem, quam Episcopo, vel alteri habenti jurisdictionem Ordinariam, uti testando de mente hujus Sac. Congregationis firmavit *Fagnan. in cap. cum Ecclesia Vulterrana num.* 32. *&* 33. *de electione*, & articulo solemniter examinato firmavit *Rota in Burgen. Juris instituendi, seu conferendi* 23. *Junii* 1690. *coram bon. mem. Molines.*

Hæc quoad Jus; quia vero in præsenti habetur recursus ad Sedem Apostolicam pro gratia, testatur *Corrad. in praxi benefic. lib.* 4. *cap.* 3. *num.* 26. institutionem, etiam post Concilium Tridentinum a Summis Pontificibus, fuisse reservatam inferioribus Ordinario, ibi, *tamen post Concilium non semel visum est per Summos Pontifices hanc instituendi facultatem inferioribus Ordinario fuisse reservatam, cum Papa contra decreta ejusdem Concilii ad sui libitum disponat, ad favorem tamen Patronorum Laicorum, quibus indulgere solet, quantum fieri potest, ne retrahantur a fundatione.*

In hac Sac. Congregatione habita *die* 30. *Septembris* 1702. disputatum fuit, an esset signanda supplicatio erectionis sex Cappellaniarum in Ecclesia S. Michaelis Archangeli Diœcesis Firmanæ, cum conditione, ut Institutio spectaret ad Capitulum S. Mariæ in Via-Lata de Urbe, & se opponente Archiepiscopo Firmano, responsum fuit *negative*, uti habetur *lib.* 52. *decret. pag.* 372. *a tergo*.

His stantibus, quæritur

An, & quomodo petitioni sit annuendum in casu &c.

Sacra Congr. respondit

Negative, & ad Mentem, nullam scilicet esse difficultatem quoad exclusionem Reservationum, sed quoad exclusionem reservationis favore Episcopi.

QUÆSTIO CCXLIX.

In Causa Imolensi Parochialis, die 28. *Martii* 1722.

SACERDOS Joseph Chellinus præsentatus fuit a Communitate Terræ Massæ Longobardæ ad Ecclesiam Parochialem S. Pauli, & absente a Diœcesi Eminentissimo Episcopo, qui in Urbe morabatur occasione electionis Summi Pontificis, admissa fuit a Vicario Generali præsentatio cum Clausula, *si, & in quantum*.

Secuto Eminentissimi Episcopi reditu ad Diœcesim, & instante Promotore Fiscali, ne Sacerdos Joseph ad Parochialem admitteretur sub fundamento, quod non esset bonis moribus imbutus, & quod de quadam inhonesta cum Muliere conversatione esset diffamatus, ita ut de recenti eidem inhibitum fuisset, ne ad ejus domum accederet, & cum ea conversaret, etiam sub prætextu Consanguinitatis, Procuratores Communitatis ad novam cumulativam præsentationem devenerunt in persona Sacerdotis Francisci Gallupii, qui de præsenti est Parochus in Diœcesi Ferrariensi, & hæc postrema præsentatio fuit admissa, & simul, & semel rejecta est alia, quæ facta fuerat in persona Sacerdotis Josephi.

Appellatione a succumbente interposita, causaque ex rescripto Auditoris Sanctissimi ad hanc Sac. Congregationem delata, disputandum in præsenti proponitur dubium mox referendum; instatque Promotor Fiscalis pro rejectione sæpe memorati Sacerdotis Josephi, cum non agatur de privando, sed de repellendo; in quo rerum themate sufficit diffamatio, nec requiruntur probationes concludentes, sed leviores juxta late deducta per *Rot. Dec.* 202. *num.* 14. *& seqq. coram san. mem. Alexand. VIII.*

Quæritur itaque

An, & cui sit adjudicanda Parochialis, de qua agitur in casu &c.

Sacra Congr. respondit

Parochialem esse adjudicandam Sacerdoti Francisco Gallupio, & amplius.

QUÆSTIO CCL.

In Causa Nullius, seu Brictinoriensi Indulti, die 28. *Martii* 1722.

POST factam a Pio IV. unionem Capitulo S. Petri in Vaticano Abbatiarum S. Rufilii Foropompilii Provinciæ Ravennat. & S. Petri de Cusatis Provinciæ Salernitanæ, exorta est Controversia inter Episcopos Brictinorien. & Policastren. ex una, & dictum Capitulum ex altera partibus, an huic videlicet competeret plenaria jurisdictio cum Territorio separato, & qualitate vera nullius in Abbatiis, uti supra unitis.

Sacra hæc Congregatio anno 1672. censuit, Controversiam hanc esse cognoscendam cum Voto Rotæ, & in hujus rescripti sequelam confectus fuit pro parte Capituli voluminosus Processus super competentia Territorii separati; cumque adhuc non proposita in Tribunali Rotæ causa, excitata fuisset ab Episcopis prætensio, quod etiamsi constaret de Territorio separato, & vera qualitate nullius favore Capituli, nunquam tamen ipsum potuisset habere facultatem concedendi litteras dimissorias subditis memoratarum Abbatiarum, Sac. hæc Congregatio *die* 11. *Septembris* 1717. demandavit, quod dubium dimissoriarum non in Rota, sed in ipsa Sac. Congregatione proponeretur.

Cohærenter ad hæc in Congregatione habita *die* 21. *Januarii* 1719. propositum fuit præsens dubium, *An etiamsi constaret de Territorio separato possit Capitulum S. Petri concedere Dimissorias*, & responsum fuit *negative*, causaque reproposita, & instante Capitulo pro recessu a decisis, vel saltem pro indulto gratioso concedendi Dimissorias, rescriptum fuit *die* 24. *Augusti* 1620. *in decisis, & quoad Indultum supplicent Sanctissimo*, exhibitoque a Capitulo supplici libello Sanctissimo Domino Nostro pro dicto indulto, Sanctitas Sua *die* 3. *Augusti* 1721. *rescripsit ad S. C. Conc. pro Voto, & instantia proponatur citatis Episcopis*, & ad hujus rescripti tramites disputandum in præsenti proponitur dubium, ad calcem restrictus referendum.

Non impugnat Capitulum hujusce Sac. Congregationis sententiam, a Tribunali etiam Rotæ reverenter retentam, quod etiam constito de Territorio separato cum plena jurisdictione quasi Episcopali in Clerum, & Populum, nequeant Abbates, secluso particulari privilegio Apostolico, litteras Dimissorias subditis Sæcularibus concedere; Concilium etenim Tridentinum *Sess.* 23. *cap.* 10. statuit, *non posse Abbates Subditis sæcularibus Dimissorias concedere, etiamsi Abbates nullius Diœcesis, vel exempti esse dicantur*, cum juxta constantem hujusce S. Congregationis sententiam verba illa *etiamsi nullius Diœcesis*, verificentur in Abbatibus habentibus Territorium separatum, uti late probat *Fagnan. in cap. significasti a num.* 12. *usque ad finem de offic. Archidiaconi*, & præter resolutiones ibi ab eodem allegatas, desumitur ex antiqua resolutione hujus Sac. Congregationis *anno* 1601. *lib.* 9. *Decretor. pag.* 138. ibi *Dimissorias ad Ordines sæcularibus concedere, aut Matrimoniales denunciationes dimittere, nulli plane inferiori etiam Episcopalem Jurisdictionem habenti, ac nullius etiam Diœcesis existenti licere; & concordant recentiores in Causa Nullius, seu Vesprim. Jurisdictionis die* 26. *Martii, & die* 17. *Decembris* 1718. quas juxta morem reverenter expleta est *Rota in Theatina Jurisdictionis* 14. *Decembris* 1708. *coram Eminentissimo Scotto, & in Sulmonen. Jurisdictionis super Manutentione* 2. *Julii* 1714. §. *Demum quoad Dimissorias coram Almæ Urbis Gubernatore.*

Supplicatio ergo Capituli ad gratiosam Indulti concessionem restringitur, eique credit locum esse posse, tum ex prærogativa Basilicæ Vaticanæ, tum ab exemplis consimilium concessionum a Summis Pontificibus factarum, non obstante, quod hæc Sac. Congregatio in puncto juris senserit, facultatem concedendi Dimissorias dicto Capitulo nullatenus competere, & nullatenus urgente, quod adhuc pendet quæstio in Rota super Territorio separato, tum quia magna sunt fundamenta, quæ Capitulo assistunt pro illius competentia, tum quia in præsenti Territorium separatum est supponendum, cum in discussione Causæ super jure concedendi litteras Dimissorias, Sac. hæc Congregatio juxta ea, quæ supra relata sunt, disputandum statuerit esse dubium, *an etiamsi constaret de Territorio separato, possit Capitulum S. Petri concedere Dimissorias.*

Excipiunt e contra Episcopi non esse locum indulto, cum existentia Territorii separati consueverit esse Indulti fundamentum, & punctus super Territorio separato indecisus adhuc pendeat in Tribunali Rotæ, & cum sit res pessimi exempli, quod rejecta alicujus instantia in puncto justitiæ, succumbens rem denegatam obtineat in puncto gratiæ.

Jura hinc inde circumferuntur, adeoque nunc quæritur.

An sit consilium præstandum Sanctissimo pro concessione Indulti, dandi Dimissorias, de quibus agitur in casu &c.

Sacra Congr. die 23. Maji 1722. respondit

Dilata, & expectetur exitus Causæ in Rota super Territorio separato.

QUÆSTIO CCLI.

In Causa Aquilana, die 28. *Martii* 1722.

SACERDOS Joseph Fattore prætensionem excitavit, quod Hyacinthus Miconus Francus primam clericalem tonsuram illicite recepisset ab Episcopo Marsorum ad effectum statuendi, quod ad se, & non ad illum pertineret quædam Cappellania fundata a Bartholomæo Fattore Abbate S. Angeli, qui primo loco ad eam vocavit unum ex filiis Antoniæ Franco Uxoris Francisci Micone, & sic Hyacinthum, & in ejus defectum unum ex filiis Jacobi Fattore, & sic se ipsum, *e per appresso succedano li figli di Francesca Moglie di Bernardino Marinucci, e li figli d' Antonia Franchi moglie di Francesco Micone miei Nipoti Carnali, cioè quello che si troverà prima fatto Chierico delli figli di dd. Nepoti, e non essendoci in queste due famiglie li Chierici, succedano li figli del Signor Giacomo Fattore.*

Actum fuit in hac S. Congregatione de illicita tonsuratione Hyacinthi Miconi, ipsaque fuit in sensu, quod Hyacinthus fuisset illicite ordinatus, tum quia collatio primæ Tonsuræ ipsi facta fuit prævia tantum unica denunciatione facta in Ecclesia Parochiali, quando juxta Constitutiones Synodales, & Sac. Congregationis decreta, tres denunciationes diebus festivis aliquantulum interpolatis fieri debebant, tum quia facultas concedendi litteras dimissoriales fuerat a S. Congregatione Episcoporum & Regularium directa Vicario Apostolico Aquilano, itaut earum expeditio facta ab Archidiacono Antonello Pro-Vicario, minus legitima habenda sit, licet Vicarius Apostolicus abesset a Civitate Aquilana, & licet Archidiaconus fuisset oretenus electus in Pro-Vicarium, eique communicatæ omnes facultates, cum sub communicatione prædicta comprehendi non posset concessio litterarum dimissorialium, utpote a Sac. Congregatione commissa arbitrio Vicarii Apostolici, & directa ad collationem primæ Tonsuræ, & sic ad constituendum aliquem in Ecclesiæ ministrum, juxta *Text. in Cap. fin.* §. *si autem, ibiq. Gloss. in verbo ut personaliter de offic., & potest. Judicis delegati.*

Si S. hæc Congregatio se continuisset in sola declaratione

tione de illicita Tonsuratione Hyacinthi, nihil haberet Sacerdos Joseph, de quo conquereretur, sed cum proposito *die 7. Septembris* 1720. dubio, *an Hyacinthus sit licite tonsuratus in casu &c. responsum fuerit negative, ac prævia relaxatione suspensionis eundem Hyacinthum* esse capacem Beneficii, contendit sæpe memoratus Sacerdos Joseph declarationem hanc capacitatis non posse sibi de jure vindicare locum, propter apertam sui favore vocationem ad Cappellaniam in hypothesi incapacitatis dicti Hyacinthi.

Ex juribus itaque circumferendis quæritur,

An sit standum vel recedendum a decisis in casu &c.

Sacra Congr. die 18. Aprilis 1722. respondit
In decisis, & amplius.

QUÆSTIO CCLII.

In Causa Camerinensi Celebrationis Missarum, die 28. Martii 1722.

CORNELIUS Severini in suo testamento condito anno 1617. assignata dote erigendum curavit in Collegiata Ecclesia S. Ginesii unum Canonicatum, & Canonico noviter eligendo imposuit onus recitationis horarum Canonicarum, una cum aliis Canonicis, & ulterius celebrandi in quadam Cappella a se extructa saltem tres, vel quatuor Missas in hebdomada, juxta modum, & numerum, quo tenentur cæteri Canonici ejusdem Ecclesiæ.

Delato Canonicatu ad Sixtum de Michelangelis, quæsivit hic ab hac Sac. Congregatione, an prædictas Missas, quas celebrare tenetur, teneatur etiam applicare. Auditoque juxta morem Ordinario Camerinensi, fuit ille in sensu, quod teneretur ad applicationem tum ex regula generali, ut qui tenetur ad celebrandum teneatur etiam ad applicandum, tum quia Prædecessores in Canonicatu celebrarunt, & applicarunt, & demum, quia Fundator habuit relationem ad modum, quo tunc alii Canonici celebrabant, & tunc Canonici nedum celebrabant, sed applicabant.

E contra, adversus onus applicationis facit, quod quidquid esset de antiquiori praxi Collegiatæ, recepta est hodie sententia, & ab hac Sac. Congregatione approbata, quod Canonici d. Collegiatæ tenentur ad celebrandum, sed non ad applicandum, uti colligitur *ex resolutionibus editis die 4. Junii* 1701. *die* 12. *Maii, & die 9. Jun.* 1714. itaut posito quod Canonicus teneatur celebrare juxta modum, quo tenentur cæteri Canonici ejusdem Ecclesiæ, si isti celebrant, & non applicant, idem judicium etiam ferendum sit de illo.

Additur quod in testamento Cornelii, loquendo de aliis quibusdam Missis, testator celebrationem, & applicationem expressit; quo stante, quando, loquendo de novo Canonico, solius meminit celebrationis, signum est quod eam tantum voluit, & non applicationem.

Denique annuus fructus hujus Canonicatus tempore erectionis erat in scutis 32. a qua summa demenda erant scuta quinque pro expensis Ecclesiæ, idemque Canonicatus hodie redactus est ad scuta quindecim annua; in quo rerum themate videtur inferri posse, quod Canonicus sit tantum obligatus ad celebrandum.

His stantibus, quæritur

I. An Canonicus Sixtus Michelangelus teneatur ad applicationem Missarum per Cornelium Severini relictarum in testamento, vel potius ad celebrationem tantum, sicuti tenentur alii Canonici Collegiatæ S. Ginesii in casu &c. & quatenus teneatur ad applicationem.

II. An sit concedenda earum reductio in casu &c.

Sacra Congr. die 18. Aprilis 1722. respondit
Ad Primum negative quoad primam partem, affirmative quoad secundam.
Ad secundum satis provisum in primo.

QUÆSTIO CCLIII.

In Causa Ariminensi Jurium Parochialium, die 18. Aprilis 1722.

EXORTIS controversiis inter Communitatem Oppidi S. Clementis, quæ prætendit se habere Juspatronatus Ecclesiæ S. Agathæ in memorato Oppido existentis, & Parochum S. Clementis, intra cujus Parochiæ fines memorata Ecclesia S. Agathæ constituta est, subscripta fuerunt dubia ad calcem hujus Restrictus referenda, & hinc inde informationes & scripturæ exhibentur.

Quia vero in dubiis resolvendis agitur de Missa Parochiali celebranda, vel non celebranda, antequam Missa fuerit celebrata a Rectore S. Agathæ, nec non agitur de retentione SS. Eucharistiæ in hac eadem Ecclesia, operæ pretium esse censeo reverenter insinuare, Sacram hanc Concilii Congregationem semper fuisse in sensu, nec Parochum, nec Episcopum ad instantiam Parochi impedire posse, quominus Missæ celebrentur in Ecclesiis sitis in districtu Parochiæ, nisi post absolutam Missam Parochialem, uti habetur *in Suessana die 9. Sept.* 1679. *lib.* 30. *Decr. pag.* 416. *a tergo*; *in Senogallien.* 8. *Febr.* 1681. *lib.* 31. *Decret. fol.* 343.; *in Nullius Provinciæ Calabriæ die* 11. *Julii* 1682. *fol.* 346. *a tergo*, & 347. ibi *Sac. &c. censuit dandum esse decretum editum tenoris sequentis, die* 5. *Februar.* 1677. *Sac. Congreg. &c. censuit Oratrici dandam esse declarationem alias editam sequentis tenoris, quæritur, an Ordinarius ad instantiam Rectoris Ecclesiæ Parochialis, possit præcipere Rectoribus aliarum Ecclesiarum non Parochialium ejusdem Terræ, ac Districtus, ne Missas celebrent, antequam absoluta fuerit Missa Conventualis, quæ in ipsa Parochiali quotidie celebratur &c. Sac. Congregat. censuit non posse Ordinarium id prohibere*; & e contra Sacrorum Rituum Congregationem in decretis generalibus impressis in *Mantiss. ad Card. de Luc. lib.* 12. *in fin.* ad imponendum finem controversiis, quæ inter Parochos, & Confraternitates sæculares, eorumque Cappellanos fere semper vigere consueverunt, nonnulla dubia *die* 10. *Decemb.* 1703. resolvisse, & resolutiones fuisse a Summo Pontifice confirmatas, decimumque nonum dubium fuisse sequentibus verbis conceptum, *an in iisdem Ecclesiis possit celebrari Missa, sive lecta, sive cantata ante Missam Parochialem, sive lectam, sive cantatam*, & responsum fuisse *negative, nisi aliter Episcopus disponat*, salvis tamen conventionibus, & pactis, & concordiis approbatis a Sede Apostolica, & Constitutionibus Synodalibus, & consuetudinibus immemorabilibus, vel saltem centenariis, uti legitur in fine dictorum decretorum.

Operæ pretium pariter esse censeo adnotare, quod in Causa præsenti agitur de retentione Sacramenti SS. Eucharistiæ in Ecclesia S. Agathæ, & ab hac Sac. Congregatione aliquando prodiisse decreta, quibus approbatur, ut Episcopi indulgeant, quod in aliquibus Ecclesiis non Parochialibus asservari possit SS. Eucharistiæ Sacramentum, sine tamen præjudicio jurium Rectorum Ecclesiarum Parochialium, intra cujus limites sitæ sunt, uti habetur *in Savonen.* 2. *Augusti* 1642. *lib.* 17. *decret. pag.* 75. *a tergo*; *in Ortana* 2. *Maii* 1648. *lib.* 18. *decret. pag.* 471. *a tergo*; *in Januen.* 15. *Maii* 1655. *lib.* 19. *decret. pag.* 459. & ulterius ab hac eadem S. Congregatione fuisse approbatum, ut SS. Eucharistiæ Sacramentum conservaretur in Ecclesiis etiam non Parochialibus, si ab immemorabili fuerit in iisdem asservatum, uti habetur *in Neapolitana* 27. *Aprilis* 1709. *pag.* 124. *lib.* 59. *decret.* nec in hoc discordare Sacrorum Rituum Congregationem; licet enim in supracitatis decretis propositum fuerit *num.* 26. sequens dubium, *an in sæpedictis Ecclesiis Confraternitatum, neque Parochialibus, neque Regularibus retineri possit SS. Eucharistiæ Sacramentum sine speciali Indulto Sedis Apostolicæ*, & responsum fuerit *negative*, excipitur tamen casus consuetudinis immemorabilis, vel centenariæ, uti supra dictum est.

Hæc sunt, quæ existimavi adnotatu necessaria, & in reliquis remissive me habeo ad jura hinc inde deducenda.

De his actum fuit in hac Congregatione; cumque animadversum fuerit, quod si Ecclesia Parochialis S. Clementis transferri potuisset ad Ecclesiam S. Agathæ, prout censuerant Visitatores, & Eminentissimus Ordinarius approbaverat, extinctæ remansissent omnes lites, & inutilis fuisset subsequentium dubiorum disputatio, rescriptum fuit *dilata, & quod scriberetur Eminentissimo Ordinario juxta institutionem.*

Porro instructio fuit, ut idem dignaretur informare super asserto Jurepatronatus Communitatis in Ecclesia S. Agathæ, super modo consulendi ejus indemnitati, quatenus de Jurepatronatus constaret, & an supposita translatione Ecclesiæ S. Clementis ad Ecclesiam S. Agathæ, remanere posset in Ecclesia S. Agathæ Confraternitas S. Monicæ, quæ nunc in ea existit, & an Ecclesia Parochialis S. Clementis in casu translationis destrui deberet, & profanari.

Eminentissimus Ordinarius in sua responsione inquit, non esse dubitandum de Jurepatronatus Communitatis S. Clementis in Ecclesia S. Agathæ, cum illud resultet ex publicis documentis, & ex præsentatione Rectoris, seu Bene-

Beneficiati, quæ fuit semper ab Ordinariis admissa. Transitum faciendo ad Confraternitatem S. Monicæ, ait Eminentissimus Ordinarius, non constare de ejus canonica erectione, & esse potius conspirationem Vagorum Quæstuantium, quam piam Confraternitatem, & in eo, quod attinet ad Ecclesiam S. Clementis, subdit ejus reaptationem esse moraliter impossibilem propter instabilitatem soli, & sic esse approbandam ejus destructionem, ne in posterum inserviat pro Armentorum receptaculo, & cæmenta applicari posse pro ampliatione domus Ecclesiæ S. Agathæ, ut in ea commode habitare valeant tam Parochus, quam Rector Beneficii, facto murorum circumdario ad Cœmeterium, & Aream Ecclesiæ S. Clementis, ne situs ille prophanis, & forte etiam obscœnis actionibus pateat.

Hæc sunt, quæ continentur in informatione Eminentissimi Ordinarii; quocirca quæritur

I. An Ecclesia Parochialis S. Clementis sit supprimenda, & transferenda ad Ecclesiam S. Agathæ? Et quatenus negative.

II. An Campana, de qua agitur, sit pulsanda in omnibus functionibus Ecclesiasticis arbitrio Rectoris S. Agathæ.

III. An in dicta Ecclesia sint sepeliendi mortui habentes in ea Sepulturas etiam nulla facta electione, seu declaratione, sicuti alii indistincte inibi eligentes Sepulturam, & præsertim Sodales Confraternitatis in dicta Ecclesia erectæ.

IV. An ante Missam Parochialem diebus festis valeat Rector S. Agathæ celebrare.

V. An in dicta Ecclesia possit retineri Confessionale, & Presbyter dictæ Ecclesiæ audire Confessiones eidem confiteri volentium, & quatenus negative, an possit audire Confessiones Sodalium dictæ Societatis.

VI. An SS. Eucharistiæ Sacramentum retineri possit in Ecclesia S. Agathæ.

VII. An, & quas Processiones dictus Presbyter facere possit.

VIII. An in eadem Ecclesia possint decantari Vesperæ hora benevisa.

IX. An reliqua Decreta facta per Eminentissimum Ordinarium Visitatorem in visitatione anni 1718. *sint exequenda.*

Sacra Congr. die 6. Julii 1726. respondit
Quoad primum ad Eminentissimum Ordinarium juxta mentem, & in reliquis dilata.

QUÆSTIO CCLIV.

In Causa Januensi, die 2. Maii 1722.

MARIA Victoria Fossa Matrimonium contraxit cum Francisco Venatio, sed aliis se prostituit, itaut, instante Viro, fuerit pluries detenta in magno publico Hospitio Pauperum, in quo hujusce generis Mulieres custodiri solent. Pluries actum fuit, ut Uxor rediret ad cohabitandum cum Viro, sed hic semper constantissime renuit; cumque, divina favente gratia, Maria Victoria parata sit ingredi Monasterium Convertitarum, & in eo Professionem Regularem emittere, & Vir suum præstet consensum, & se paratum exhibeat ad dotem restituendam, & ulterius protestetur, quod ipse etiam Professionem Regularem emitteret in aliquo Ordine Religioso, nisi Genitorum ætas ingravescens, eorumque indigentia aliter suaderent, exhibita fuit huic Sac. Congregationi a Maria Victoria humilis petitio pro facultate ingrediendi in Monasterium Convertitarum, & in eodem emittendi Professionem Religiosam, licet Vir in sæculo remaneat.

Scriptum fuit Eminentiss. Archiepiscopo pro informatione, & voto, qui retulit omnia in facto subsistere, & Mariam Victoriam esse in ætate annorum 25., & Franciscum Virum esse in ætate annorum 34.

Continilis casus bis contigit, tempore videlicet Summi Pontificis Innocentii X., & *anno* 1682.

Tempore Innocentii Papæ X. quædam fœmina conjugata habens Maritum juvenem, sed qui Religionem ingredi non poterat propter infirmitatem, post commissum adulterium, facti pœnitens, petiit ex consensu Mariti ingredi Religionem, & in ea profiteri, ipso in sæculo remanente.

Accitti fuerunt a Summo Pontifice Theologi, ut consilium præstarent. Fuit inter eos accitus Pater Lezana, qui consilium edidit trigesimum inter impressa, & *num.* 27. refert sequentibus verbis casus decisionem: *Sanctissimus Dominus Noster Innocentius X. quorundam Theologorum, ex quibus minimus ego fui, votis auditis, decrevit, ut, si de istius fœminæ adulterio constabat, in Monasterium quoddam Monialium, Religionem professura ingrederetur, marito manente in sæculo, solo voto continentiæ emisso.*

Rursus *anno* 1682. cum quædam Mulier Lucensis post Matrimonium cum quodam Viro contractum cum aliis commercium carnale habuisset, postulavit facultatem ingrediendi in Monasterium, & in eo Professionem Regularem emittendi, licet Vir in sæculo remaneret. Delata fuit instantia ad hanc Sac. Congregationem, quæ *die* 20. *Junii* 1682. noluit annuere petitis; ex relatione etenim Episcopi deprehendebatur, quod Oratrix fuerat pluribus prostituta, jubente Viro; cumque nova supervenisset Ordinarii informatio, in qua retulit non subsistere in facto, vel saltem, quod non aderant probationes judiciales de lenocinio, quod supponebatur a Viro patratum, Sac. Congregatio jussit, quod Causa describeretur in folio, factaque descriptione *die* 14. *Novembris* 1682., propositoque dubio, *an Oratrici indulgendum sit, ut Viro in sæculo permanente, Professionem in Monasterio Convertitarum emittere valeat*, responsum fuit *affirmative, emisso per virum castitatis voto, & proinde Sac. Congregatio benigne indulsit Oratrici, ut, veris existentibus narratis, regularem habitum in Monasterio Convertitarum Civitatis Januæ suscipere, in eoque servatis alioquin servandis professionem emittere pro arbitrio, & prudentia Eminentissimi Domini Cardinalis Spinulæ Episcopi Lucen. libere, & licite valeat*, uti habetur *lib.* 32. *decret. fol.* 479.

Addunt Doctores, quod jura prohibentia professionem, seu mutationem status alterius Conjugis, altero in sæculo remanente, loquuntur in casibus, in quibus Matrimonium integrum, & illæsum perseverat; secus autem, quando jura sunt læsa, & diminuta propter adulterium. Rursus, sicuti commisso per alterum ex Conjugibus notorio adulterio, Conjux innocens, etiam invito adultero, potest ad Religionem transire, juxta *Textum in Can. Agatosa* 27. *quæst.* 2. *in cap. Constitutus, & in c. veniens de conversione Conjugatorum*, sic licitum est innocenti, quamvis in sæculo remanenti, concedere facultatem Adultero, ut transeat ad Religionem, juxta plene relata per *Lezan. loco cit. n.* 15.

His stantibus, quæritur

An, & quomodo petitis sit annuendum.

Sacra Congr. respondit
Posse permitti Mariæ Victoriæ, ut Monasterium ingrediatur, & in eo professionem Regularem emittat, accedente consensu Viri canonice præstando, & accedente voto continentiæ ab eodem emittendo, donec Uxor vixerit.

QUÆSTIO CCLV.

In Causa Papiensi, die 2. Maii 1722.

ANNO 1568. S. Pius V. Apostolica auctoritate univit, & perpetuo incorporavit Conventui S. Petri Martyris Ordinis Prædicatorum Præposituram Curatam Ecclesiæ S. Petri Loci de Cellavegna cum omnibus juribus, & pertinentiis, addendo, ut Animarum Cura per unum ex Fratribus dicti Conventus, vel alterum, seu alios ab eis deputandos, & ad eorum nutum amovibiles, & per Ordinarium approbandos, exerceri deberet, uti colligitur ex litteris prædicti S. Pontificis memorato anno expeditis.

Post unionem Cura Animarum exercita fuit ab uno ex Fratribus; cumque ea subinde committi cœpta fuerit Presbytero sæculari, ipsaque in præsenti exerceatur a Sacerdote Francisco Michaele Merula, Curia Episcopalis extrajudicialiter Patres admonuit, ut Congruam augerent; illi quippe assignata fuit sola summa librarum 200. Imperialium, quæ constituunt scuta 26. juliorum sex pro quolibet; delataque hujusce rei notitia ad hanc Sac. Congregationem, dictum fuit, quod præfigeretur terminus Patribus ad sua jura deducenda, & quod Causa in folio proponeretur.

Fundamenta, in quorum sequelam contenditur augmentum debitum esse, constituuntur *in Bulla* 47. *S. Pii V. Bull. tom.* 2. *edita anno* 1567. in qua statuitur, quod portio assignanda Vicariis exercentibus Curam Animarum in Parochiis, quæ sunt unitæ Monasteriis, Capitulis, Collegiis, & aliis Locis Piis, non debeat esse major centum, nec minor quinquaginta scutis annuis, computatis omnibus etiam incertis emolumentis, & aliis obventionibus communiter percipi solitis, quod tamen sic a Doctoribus intelligitur, ut in dicta portione computari debeant incerta, quæ certa sunt, & non illa incerta, quæ semper sunt incerta, & quæ dependent a labore personali, uti sunt eleemosynæ Altaris, & Funerum, atque similia, *Barbos. juris Eccles. lib.* 3. *cap.* 6. *num.* 43. & 44.,

Leo in Thesaur. fori Ecclesiast. parte 2. cap. 31. num. 6. & 7., Ventrigl. in praxi rerum Eccles. par. 1. adnot. 20. §. 2. n. 20. ibique Carol. Anton. de Luca in observat. n. 8.

Absque eo quod quidquam referat, vel quod Constitutioni Pianæ fuerit derogatum a Gregorio XIII., vel quod reditus Parochiæ unitæ sint tenues, vel demum, quod Vicarius, de quo nunc agitur, non sit perpetuus, sed temporalis.

In eo enim, quod attinet ad derogationem, licet Gregorius XIII. *in sua Constitutione nona Bull. tom.* 2. reduxerit ad terminos Juris communis, & Sacri Concilii Tridentini aliam Constitutionem allegatam S. Pii V., vel tamen reductio in eo sita fuit, ut loco quatuor Religiosorum, qui ad tramites Bullæ Pianæ debebant habitare cum Vicario Regulari ad Curam Animarum exercendam deputato, unus dumtaxat alius Religiosus cum eodem habitare deberet, firma in reliquis remanente Constitutione S. Pii V. uti ex Oraculo vivæ vocis ejusdem Gregorii XIII. referunt *Quaranta in summa Bull. in verbo Vicarius perpetuus vers. advertendum, Gonzal. ad Regulam 8. Cancell. gloss. 5. §. 3. n. 79., Ventrigl. in praxi rerum Eccles. par. 1. annot. 20. §. 2. num. 7.*, vel quatenus reductio Gregoriana esset stricte intelligenda ad terminos Sac. Concilii Tridentini, Concilium *sess. 7. cap. 7. de reform.* hujusce generis Vicariis præscribit esse assignandam portionem tertiæ partis fructuum, & majorem, vel etiam minorem arbitrio Ordinariorum.

Et in eo, quod spectat ad tenuitatem redituum parochiæ unitæ, dicitur, nec eam subsistere in facto, nec in jure relevare. Dicitur autem non subsistere in facto, cum reditus sint in annuis libris Imperialibus 2058. Dicitur deinde in jure non relevare; quandoquidem in casu insufficientiæ redituum, Constitutio Piana §. 2. decrevit, quod Vicario omnes fructus Parochiæ assignarentur.

Nulla habita consideratione, quod agatur de Vicario non perpetuo, sed temporali, & amovibili; quia *Bulla 47. S. Pii V.* sibi vindicat locum etiam in Vicariis amovibilibus, juxta resolutionem Sac. Congregationis Visitationis *apud Monacell. in formal. tom. 1. pag. 214. numer. 15.*

Prior e contra, & Fratres Conventus S. Petri Martyris in sua scriptura per manus circumferenda, contendunt primo, Bullam Pianam non esse applicabilem, cum eadem restricta sit ad Vicarios perpetuos, uti colligitur ex littera, & ex his, quæ habentur *apud Clericat. de benef. discord. 54. num. 29. & 30.* Contendunt secundo inapplicabiles esse terminos congruæ, & agendum esse de salario, juxta praxim constituendo, uti habetur *in decis. 361. coram Beninca sa*. Contendunt tertio non solum Francisco Michaeli Merulæ, qui modo exercet Curam animarum, assignatas fuisse libras 200. annuas Imperiales, absque eo quod in susceptione curæ ipse reclamaverit, sed assignationem in dicta summa factam fuisse fere omnibus ejus Prædecessoribus, qui nunquam conquesti fuerunt, quique onus libenter subjerunt, percipiendo dictas libras annuas 200., commoditatem Domus, & alia quædam incerta, quorum op necessaria pro substentatione consecuti sunt. Contendunt denique reditus Parochiæ non esse in summa a Vicario expressa in sua relatione, sed in minori, *ut in Sum. n. 8.*

Nulla nunc fuit capta resolutio, sed dictum, quod scriberetur Eminentissimo Ordinario juxta instructionem.

Primum caput instructionis fuit, ut libri Conventus exhiberentur ad effectum ut facto computo redituum Præposituræ pro ultimo decennio revera sciri posset ejusdem reditus, & in eo, quod attinet ad hoc primum caput, ex nova informatione, & documentis ab Eminentissimo Ordinario transmissis habetur, reditus annuus hujus Præposituræ Conventui unitæ esse in libris annuis Mediolanensibus 7811. 10. quæ efficiunt scuta 1041. & nonnullos obulos monetæ Romanæ.

Secundum caput instructionis fuit, quod exhiberentur libri Parochiales, & quatenus non adessent, quod examinarentur Testes super reditibus Parochiæ ultra Congruam, quæ Curato persolvitur a Patribus. Et in eo, quod spectat ad hunc secundum punctum, ex informatione, & documentis transmissis ab Eminentissimo Ordinario habetur, annua emolumenta ascendere ad summam librarum 622. & sic ad scuta 82. monetæ Romanæ.

Tertium caput Instructionis fuit, ut exquirerentur onera, ad quæ Curatus tenetur, & in nova informatione dicitur, onera prædicta bursalia ascendere ad libras 115. aut 120. & concordant Testes examinati.

Hæc sunt, quæ in substantia continentur in novis documentis, solumque addidisse fas sit, quod in partita annuorum incertorum emolumentorum detractis decem libris, quæ a Communitate persolvuntur, reliqua reducuntur ad quæstuationem, ad Baptismos, ad Matrimonia, & ad quasdam Missas, quæ canuntur a Parocho pro Communitate, & Confratribus Suffragii, qui eas celebrare faciunt ex devotione. In quo rerum themate videndum est, an hujusce generis emolumenta sint calculanda in congrua Parochi, seu Vicarii; licet enim S. Pius V. *in sua Bulla 47. Bullar. tom. 2.* statuerit, portionem assignandam Vicariis exercentibus curam animarum in Parochiis, quæ sunt unitæ Monasteriis, non debere esse majorem centum, nec minorem quinquaginta scutis annuis, computatis omnibus etiam incertis emolumentis, Doctores nihilominus asserunt computanda esse emolumenta incerta, quæ certa sunt, & non illa incerta, quæ semper sunt incerta, & quæ dependent a labore personali, uti sunt eleemosynæ altaris, & funerum, atque similia juxta doctrinas in allegato folio citatas.

Hisque stantibus, quæritur.

I. *An Patres Dominicani Conventus S. Petri Martyris Viglevanen. teneantur subministrare congruam asserto Parocho Præposituræ Loci de Cellavegna, & in qua quantitate, & quatenus negative.*

II. *An eidem asserto Parocho, seu Præposito debeatur stipendium, & pro qua summa præstandum in casu &c.*

Sacra Congr. die 6. Martii 1723. respondit,
Faciendum esse augmentum usque ad scut. 40. Monetæ Romanæ, non computatis incertis.

QUÆSTIO CCLVI.

In Causa Castellana, die 2. Maii 1722.

CATHOLICUS Hispaniarum Rex Philippus Quintus Sanctissimo Domino Nostro preces exhibuit pro Indulto Sacerdotibus Regni Castellæ concedendo, ut die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum 2. Novembris, Sacerdotes Sæculares binas Missas, & Sacerdotes Regulares tres Missas celebrare valeant, ut animæ in Purgatorio degentes ex multiplicatis suffragiis citius a pœnis liberentur, & a Sanctitate Sua preces fuerunt remissæ ad hanc Sac. Congregationem.

Ad rem autem, de qua agitur, nonnulla videntur adnotanda. Primum est non esse regulariter permissum unicuique Sacerdoti, nisi Missam unam quolibet die celebrare, uti habetur *in Can. sufficit de consecrat. dist. 1. & in cap. te referente de celebrat. Missar.* excepto die Nativitatis Dominicæ, quo tres Missæ a quolibet Sacerdote celebrantur, uti habetur *in cap. consuluisti eodem titulo*, & juxta disciplinam, qua vivimus, impositæ sunt gravissimæ pœnæ Sacerdoti plures Missas eadem die celebranti, uti plene habetur *apud Panimoll. decis. 83. numer. 3.*

Secundum est, hanc prohibitionem non esse juris naturalis, aut Divini, sed tantummodo juris positivi, uti communiter censent Theologi; adeoque ut cætera prætereantur, certum est, quod antiquioribus temporibus, & etiam post multiplicationem numeri Sacerdotum, plures Missæ laudabiliter ab unoquoque Sacerdote uno die celebratæ sunt, uti erudite ostendunt *Cardinalis Bona rerum Liturgicarum lib. 1. cap. 19. Juvenin de Sacram. dissertat. 5. quæst. 7. cap. 1. art. 2. Theophil. Raynaud. oper. tom. 16. in Eteroc. spirit. num. 15. pag. mihi 7. Martene de Antiquis Ecclesiæ Ritib. lib. 1. art. 3. n. 4. & seqq. tom. 1.*

Tertium est, in Regno Aragoniæ, quod Aragoniam, Valentiam, & Catalauniam comprehendit, die Commemorationis omnium Defunctorum a Sacerdotibus Sæcularibus binas Missas, & a Regularibus tres Missas celebrari, *Francesc. variar. resolut. cap. 0. per totum, Trullench. tom. 3. cap. 8. dub. 10. num. 3. Hurtad. resolut. Moral. par. 1. tract. 2. cap. 7. resolut. ult. num. 416. & seqq. Rentius tom. ult. Theolog. Moral. lib. 1. tract. 4. quæst. 24. in princ. Maurus Theolog. tom. 3. lib. 12. quæst. 213. num. 6. Ledesma par. 1. de Eucharistia cap. 19. dub. 5. conclus. 6. Cardinalis de Lugo de Sacram. Eucharistiæ disput. 20. sect. 2. num. 43. in fine. Leander Oper. Moral. tom. 4. tract. 8. disputat. 5. quæst. 42. Gonzal. in cap. consuluisti in fine de celebrat. Missarum. Pignatell. consult. 1. num. 15. tom. 4. Ursaya Instit. criminal. lib. 1. tit. 10. num. 61. Emanuel. a Conceptione in prosecutione operum Leandri tom. 9. tract. 11. Miscell. disput. 2. quæst. 1. Salmanticenses in cursu moral. tom. 1. tract. 5. de Sacrificio Missæ cap. 4. punct. 1. num. 24. Pellizar. in manual. Regul. tom. 2. tract. 8. cap. 2. num. 110.*

Quar-

Quartum est, morem hunc pluries celebrandi die Commemorationis Defunctorum vigere etiam in Regno Majoricæ, utpote de Appendicibus Regni Aragoniæ, *Teste Henao parte 3. disput. 28. sect. 21. num. 318.* & in Ecclesia Conventus S. Jacobi Patrum Dominicanorum Civitatis Pampilonensis, qui Conventus olim suberat Provinciæ Valentinæ, uti plene habetur *apud Marcum de Huertos de Sacrific. Missæ quæst. 13.*

Quintum est, morem supra memoratum pluries celebrandi die Defunctorum, in Regno Aragoniæ ortum suum habuisse, vel a Concilio Toletano 12. in quo non reprobatur plurium Missarum celebratio una, eademque die, sed tantum, quod Sacerdos non communicet in omnibus Missis, quas celebrat: *relatum est nobis quosdam de Sacerdotibus non tot vicibus communionis sanctæ gratiam sumere, quot Sacrificia in una die videntur offerre*, vel ab allegato Textu *in Can. sufficit de Consecrat. dist. 1.* ubi refertur, sed non improbatur, quod Sacerdotes una, & ipsa die unam Missam dicant pro defunctis, & alteram de die, uti ad rem ponderat *Cardinalis Bona rerum liturg. lib. 1. cap. 18. §. Postremo*, vel ab antiqua consuetudine, quoad Sacerdotes Sæculares, & quoad Sacerdotes Regulares, a quodam vivæ vocis oraculo, vel Julii Tertii, vel Pauli Tertii, concesso Patribus S. Dominici Conventus Valentiæ, quod deinde ad alios Religiosos in Regno Aragoniæ degentes in sequelam communicationis privilegiorum fuit extensum, uti colligitur ex Auctoribus supra citatis de hac consuetudine Aragoniæ loquentibus, & in specie firmant *Angelus Espin. consultat. 11. num. 998. Antonius a Spiritu Sancto consult. 101. n. 16.*

Ultimum est, nonnullos Auctores asserere, exoptandum esse, ut hoc Indultum pluries celebrandi die Defunctorum ad alia Regna extendatur, *Gobat. Theolog. Moral. tom. 1. tract. 3. casu 6. num. 194.* ibi: *foret optandum, ut hoc privilegium impertiretur pluribus aliis Regnis*; nonnullos acriter contendere, quod Regulares, qui habent in Regno Aragoniæ Conventus, & sic ter celebrant in die Defunctorum, possint hoc ipsum facere extra Regnum Aragoniæ, & signanter in Regno Castellæ propter communicationem privilegiorum, juxta late deducta per *Emanuelem a Conceptione loco supra citato quæstion. 3. & pluribus sequentibus* nonnullos testari, quod extensio hujusce Indulti ad totam Hispaniam fuit a Duce de Alcalà petita a san. mem. Urbano VIII. & nullatenus obtenta, *Hurtad. Resolut. moral. par. 1. tract. 2. cap. 7. resolut. ultima num. 416. & seqq.* alios respondere rejectionem hanc nihil habere commune cum extensione ad Regnum Castellæ; tum quia petitio omnia Regna Hispaniarum comprehendebat, tum quia petitum fuit, non ut Sacerdotes Sæculares bis, & Regulares ter Sacrificium offerrent, sed ut omnes Sacerdotes, tam Sæculares, quam Regulares, ter Missam celebrare possent die Defunctorum, uti prosequuntur *Emanuel a Concept. loco citato quæst. 6. num. 38.* nonnullos enarrare Ducem ab Alencastro supplicasse Summo Pontifici Clementi Nono, ut Religiosi in Regno Portugalliæ uti possent privilegio Valentino, sed secuta paulo post morte Pontificis, nullum responsum habitum fuisse, *Teste Antonio a Spiritu Sancto consul. 101. per totam, & præsertim num. 101.* At quidquid sit de his, certum est Archiepiscopum Bracharen. supplicasse san. mem. Clementi Papæ XI. ut in sua Diœcesi tria Missæ sacrificia ab unoquoque Sacerdote die Commemorationis Defunctorum celebrari possent, ut satisfieri valeret devotioni Fidelium, ingentes eleemosynas pro celebratione dicta die adimplenda elargientium, remissisque precibus ad hanc Sac. Congregationem, die 14. Martii 1711. responsum fuisse *Negative*, uti habetur *lib. 61. Decret. pag. 111. a terg.* Meminit tamen *Nicolaus Antonius in sua Bibliotheca Hispana tom. 1. pag. 41.* cujusdam operis compositi ab Alphonso Vasquez de Miranda super convenientia gratiæ a Sede Apostolica obtinendæ, quod Sacerdotes plures Missas celebrare valeant die Commemorationis Defunctorum. Fuit hoc Opus Matriti impressum anno 1659. sed hoc in Bibliothecis Urbis reperire non potui.

His stantibus, quæritur

An Sanctissimo Domino Nostro consilium præstandum sit pro Indulto, quod Sacerdotes Seculares bis, & Regulares ter Missas celebrare possint in Regno Castellæ die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum.

Non proposita.

QUÆSTIO CCLVII.

In Causa Americana, die 2. Maii 1722.

CHARCÆ Populi sunt Americæ Meridionalis in parte Australi Regni Peruviæ versus Mare Pacificum, & Regnum Ciles intra Montes, & subsunt Dominio Catholici Regis Hispaniarum. In ea Regione Civitas reperitur S. Jacobi de Leon de Charakas, & in ea magnificum Collegium extructum invenitur, nec deest ampla Bibliotheca, quodque notabilius est, novem Cathedræ cum sua competenti Dote in eo, cura potissimum, & expensis Episcopi erectæ sunt, & signanter Philosophiæ, Theologiæ, tam Scholasticæ, quam Moralis, Juris Canonici, & Civilis ultra Cathedram Latinitatis, & Rhetoricæ, & alias pro recto studiorum Instituto necessarias. Magnus præterea adest Studentium concursus, itaut sexaginta sex fuerint annis præteritis in Matricula descripti, ut a Schola Rhetoricæ ad illam Philosophiæ transirent, & secuta vacatione Cathedræ Latinitatis, & Rhetoricæ, undecim comparuerint Oppositores, pro eadem obtinenda. Cum autem, completo studiorum curriculo, vel non possint illi, qui studuerunt, Lauream Doctoratus recipere, vel pro eadem recipienda teneantur cum evidenti vitæ discrimine, & cum magna impensa accedere ad eam recipiendam, vel in Universitate S. Dominici, vel S. Fidei; hinc factum est, quod ab Episcopo, & Gubernatore supra memoratæ Civitatis supplicatio exhibita fuit Catholico Regi Hispaniarum Philippo V. pro impetranda a Summo Pontifice facultate erectionis Collegii in Universitatem, nec non pro facultate Lauream Doctoralem concedendi ad instar Universitatis S. Dominici Insulæ Hispanæ; cumque datis a Rege litteris ad Eminentissimum D. Cardinalem de Aquaviva, fuerint ab Eminentia Sua Sanctissimo Domino Nostro preces exhibitæ, tum pro erectione Collegii in Universitatem, tum pro facultate conferendi gradus Doctorales, juxta ea, quæ in superioribus dicta sunt, & etiam, ut erigendæ Universitati aggregari valeant Prælati, Canonici Cathedralis, Rector Collegii, & Scientiarum in eo Professores cum retentione graduum, quos ipsi in aliis Universitatibus jam receperunt, fuerunt a Sanctitate Sua preces pro voto remissæ ad hanc Sac. Congregationem.

Petiit Portugalliæ Rex a san. mem. Clemente XI. ut Dignitates, Canonici, & Beneficiati novæ Metropolitanæ Patriarchalis Ulixbonen. Occidentalis, tam præsentes, quam futuri, qui Lauream Doctoralem recipere vellent, vel in Sac. Theologia, vel in Jure Canonico, non tenerentur Civitatem petere Conimbricensem, in qua existit Universitas, sed gradum Baccalaureatus, & Doctoratus, tam in Sac. Theologia, quam in jure Canonico recipere possent a Patriarcha in Civitate Ulixbonen. Occidentali, & quod sic creati Baccalaurei, & Doctores perinde haberentur, ac si Baccalaureatum, & Doctoratus recepissent in ipsa Universitate Conimbricensi.

Petitionis examen fuit ad hanc Sacram Congregationem remissum, quæ censuit annuendum esse petitis, ita tamen, ut gradus Baccalaureatus, & Doctoratus conferretur ab ipso Patriarcha pro tempore, seu ab alio in Dignitate Ecclesiastica constituto, & ab eodem subdelegando, & quod gradus prædicti nullatenus conferrentur nisi Baccalaureandi & Doctorandi tanto tempore studuissent, quantum esset necessarium, ut Baccalaureatum, & Doctoratum obtinere possent in Universitate Conimbricensi, & quod examen eodem modo fieret, & cum eodem rigore, quo fit in dicta Universitate, uti colligitur ex Decreto edito *die 8. Julii 1719. lib. 69. Decret. pag. 350.* quod fuit a Sanctitate Sua confirmatum per litteras Apostolicas in forma Brevis.

His stantibus, quæritur

An sit consilium Sanctissimo Domino Nostro præstandum pro erectione Collegii in Universitatem, & facultate conferendi gradus Doctorales ad instar Universitatis S. Dominici Insulæ Hispanæ, nec non pro gratia, ut Prælati, & Cathedralis Canonici, & Rector, & Magistri actu docentes in Collegio aggregari possint ad novam Universitatem una cum gradibus, quos in aliis Universitatibus receperunt in casu &c.

Sacra Congr. die 23. Maii 1723. respondit,
Affirmative.

QUÆSTIO CCLVIII.

In Causa Verulana, die 2. Maii 1722.

BON. mem. R. P. D. Dominicus Zaulus Episcopus Verulanus, dum visitationem *anno* 1690. expleret Monasterii Monialium S. Joannis Baptistæ Terræ Babuci in sua Verulana Diœcesi existentis, decrevit, quod Tubæ ligneæ apponerentur in nonnullis fenestris dicti Monasterii, ne Moniales respicere possent in ædes Vicinorum, & ne Vicini in Monasterium prospectum habere valerent; Temperamentum hoc etenim Tubarum lignearum consonat Decretis Sac. Congregationis Episcoporum, & Regularium editis sub Gregorio XIII. & relatis *apud Pignatell. consult.* 187. *tom.* 9. consonat praxi, de qua *Sperell. decis.* 58. *sub n.* 8. & admittitur nedum in Monasteriis Monialium, sed etiam in Monasteriis Religiosorum, juxta casum in Sac. Congregatione Episcoporum resolutum *die* 13. *Augusti* 1717. de quo *D. Ursaya in suis discept. tom.* 2. *part.* 2. *discept.* 6. *per totam*.

Decretum prædicti R. P. D. de Zaulis fuit executioni mandatum, sed cum Tubæ ligneæ e fenestris exciderint, nec in suum locum repositæ fuerint, exortaque subinde sit controversia cum illis de Ressis, qui Domum habent e conspectu Monasterii super retentione fenestrarum in superioribus domus mansionibus existentium; contendunt etenim se dictas fenestras retinere posse, dummodo Tubæ ligneæ collapsæ e fenestris Monasterii Monialium in suum locum iterum reponantur, quæritur

I. *An Tubæ ligneæ alias appositæ, & mox collapsæ, a fenestris Monialium Monasterii S. Joannis Baptistæ Terræ Babuci, de quibus agitur, sint eisdem fenestris reponendæ, & quatenus affirmative.*

II. *An in superiori Appartamento Domus de Ressis licitum sit eisdem retinere fenestras habentes prospectum in viam publicam in casu &c.*

Sacra Congr. die 17. Julii 1723. respondit,
Fiat accessus per D. Secretarium.

QUÆSTIO CCLIX.

In Causa Imolensi Beneficii, die 2. Maii 1722.

MARTINUS de Benedictis in suo ultimo, cum quo decessit Testamento, demandavit erectionem Jurispatronatus mere laicalis in Ecclesia S. Caroli, imposita Cappellano pro tempore obligatione unius Missæ quotidianæ, & decem Missarum in perpetuum quolibet anno in festo S. Martini, & casu quo Cappellanus esset infirmus, aut legitime impeditus, voluit, quod celebrare faceret Missas ab alio Sacerdote.

Idem quoque Pius Testator erectionem alterius Jurispatronatus, seu simplicis Beneficii sub invocatione S. Joseph in eadem Ecclesia S. Caroli demandavit, imposita Cappellano obligatione Missæ quotidianæ, & decem Missarum die festivo S. Joseph, & cum aliis clausulis appositis in alio Beneficio, de quo supra habitus est sermo, & post nonnulla alia pertinentia ad Juspatronatus activum, memoratus Testator sermonem habendo de Jurepatronatus passivo, sic loquutus est, *con patto, che siano Preti della città d'Imola, e buoni cittadini, e caso che nella linea di detto Salvatore mio nipote vi fosse Sacerdote abile, in quel caso voglio, & ordino, che sia preferito agli altri, con questo però, che debba nel termine di due mesi dal giorno della presentazione venire ad abitare in Imola.*

Secuta vacatione Beneficii sub invocatione S. Joseph per obitum Sacerdotis Josephi Seragli, delatoque jure præsentandi ad Comites de Saxatellis, fuit ab his *die* 16. *April.* 1721. præsentatus Salvator Antonius de Benedictis ex linea Salvatoris, qui erat nepos Fundatoris, sed cum præsentatus esset initiatus sola prima Tonsura, & esset in ætate annorum 20. addita fuit in præsentatione conditio, quod præsentatus per decem dies ante lapsum quadrimestris obtinere deberet dispensationem a Sede Apostolica, qua non obtenta, præsentatio habenda esset, ac si facta non fuisset, & in sequelam hujusce conditionis, Patroni, ne proprium jus amitterent, operæ pretium esse censuerunt, tam ante lapsum quadrimestris nominare in Rectorem Beneficii Dominicum Franciscum de Liliis Sacerdotem Imolensem, quam post ejus lapsum præsentationem prædictam confirmare, exortaque lite inter Præsentatos, & admissis ab Ordinario hinc inde præsentationibus, cum clausula *Si, & in quantum*, cum Clericus Salvator Antonius, decurrente adhuc quadrimestri, Sanctissimo supplicaverit pro dispensatione, fuerunt a Sanctitate Sua preces remissæ ad hanc Sac. Congregationem.

Putat autem Clericus Salvator, Beneficium non esse Sacerdotale, & esse sibi debitum, tum quia non fuit imposita lex Cappellano celebrandi per seipsum, tum quia est ex linea Salvatoris, qui erat nepos Testatoris, & cujus linea Jurepatronatus passivo fuit omnibus aliis prælata, & in omnem casum se dispensationem mereri super ætate, cum sufficiat habilitas in potentia de tempore vacationis, ne Beneficium contra legem fundationis transeat magis dilecto ad minus dilectum.

Putat e contra Sacerdos Dominicus Franciscus, Beneficium esse Sacerdotale, sibique Jus ex præsentatione esse quæsitum, nec a se auferendum, media dispensatione; & in eo, quod attinet ad qualitatem Sacerdotalem, fundamentum suum constituit in verbis fundationis supra recensitis, & in observantia, cum in Beneficii Rectores non fuerint unquam præsentati nisi actu Sacerdotes.

Eminentissimus Ordinarius se remittit judicio hujus Sac. Congregationis.

Quibus stantibus, quæritur

I. An Beneficium S. Josephi sit Sacerdotale in casu &c.

II. An stante præsentatione ad dictum Beneficium S. Joseph in personam Sacerdotis Dominici Matii de Liliis sit locus dispensationi favore Salvatoris Antonii de Benedictis in casu &c.

Sacra Congr. die 23. Maii 1722. respondit
Ad primum affirmative. Ad secundum affirmative, & amplius.

QUÆSTIO CCLX.

In Causa Firmana, die 23. Maii 1722.

SANCTÆ mem. Clemens Papa X. statuit, atque decrevit, ut in posterum, futuris perpetuis temporibus, nemo, ex Canonicis Regularibus Ordinis S. Augustini Congregationis Lateranensis, quamvis non translatus, ad Curam Animarum, in Ecclesiis sæcularibus etiam de Jurepatronatus in perpetuum, seu ad tempus, quocunque titulo exercendam admitteretur, nisi præter Abbatis Generalis licentiam, expressum quoque Sedis Apostolicæ Indultum accederet, uti habetur ex decreto edito per organum Sac. Congregationis Episcoporum, & Regularium *die* 18. *Martii* 1671. impresso apud *Clericat. de Regul. discordia* 11. & apud *Monacell. in appendice ad formul. legal. pract. tom.* 1. *fol.* 314.

Ad tramites hujusce decreti, Thomas de Adamis, qui solemnem Professionem emiserat in Congregatione Canonicorum Lateranensium, sibi resignari obtinuit Ecclesiam Parochialem S. Sabini in Villa Paranì Trebii, Diœcesis Spoletanæ, *servata forma*, sunt verba dispensationis, *decreti Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositæ die* 18. *mensis Martii anni Domini* 1671. *quoad tales Regulares editi, & Apostolica Auctoritate approbati*, idemque Thomas Parochialis possessionem ingressus est *anno Domini* 1717.

Post hæc, exorta fuit controversia inter dictum Thomam ex una, & suos germanos Fratres de Adamis ex altera partibus, tam super delatione habitus Regularis Congregationis Lateranensis, quam super regressu, seu reintegratione ad bona renunciata, occasione Professionis in Congregatione Lateranensi.

Quoad delationem habitus Fratres de Adamis, qui pugnant pro ea, innituntur Textui in *cap. quod Dei timorem de statu Monachorum*, cujus verba sunt relata in citato decreto anni 1671. & ita se habent: *Canonicus vero, cui ejusmodi concessum fuerit indultum, ad mentem præfati Innocentii III. si commode fieri possit, socium unum ex suo Ordine, & Congregatione secum habeat, cujus in iis, quæ Dei sunt, & Regularis observantiæ, tam consortio, quam solatio perfruatur*; ex hoc etenim infertur ad necessitatem delationis habitus, ne socius cum habitu, & Canonicus sine habitu Regulari ab hominibus videantur.

Excipit e contra Thomas se ad dictam delationem non esse obligatum, tum ex recepta consuetudine, tum in sequelam *Bullæ* 34. *Leonis X. Bullar. tom.* 1. in qua decernitur, quod Canonici Lateranenses ad Episcopatus assumpti habitum deferant ejusdem coloris, & formæ, quibus utuntur Episcopi sæculares, tam in Sacello Pontificio, quam extra.

Hæc

Hæc quoad habitus delationem; & post hæc transeundo ad regressum, seu reintegrationem ad bona renunciata occasione Professionis, contendunt Fratres de Adamis non esse regressui, aut reintegrationi locum; quia licet in renunciatione emissa pactum adfuerit redeundi ad bona renunciata, casu quo ad sæculum reversus fuisset, *in qualunque tempo, in qualunque modo ciò seguisse*, pactum tamen non ad solum usumfructum restrictum fuit, sed etiam extensum ad proprietatem, *come se fosse stato sempre nel Secolo, e non avesse fatta mai alcuna rinunzia*; in quo rerum themate, sicuti certum est, Canonicum Regularem per affectionem Beneficii Curati non remansisse liberatum a voto paupertatis juxta *const. Benedicti XII. in ordine la 6. Bull. tom.* 1. §. 32. sic nullum ipse juvamen a dicto pacto, utpote pugnante adversus votum paupertatis, præsidium valet reportare, *Barb. de jure Eccles. lib.* 1. *cap.* 42. *num.* 142. *Rocca disp. juris cap.* 194. *num.* 74. *Torr. variar. tom.* 3. *part.* 2. *quæst.* 77. *tit.* 12. *num.* 28.

Prætendit e contra Thomas non obstare voto paupertatis acquisitionem bonorum, saltem quoad usumfructum, juxta Text. *in Can. statutum* 18. *quæst.* 1. & sic sibi denegari non posse, spreta quacumque formalitate verborum, quæ in rigido sensu sumi non debent, regressum ad omnia, & singula bona, tam loquendo de illis, quæ habebat ante ingressum, quam de illis, quorum dies acquisitionis cessit tempore, quo permanebat inter Canonicos Regulares, juxta resoluta per *Rot. in Anconitana Successionis* 23. *Februarii hujus anni* 1722. *coram R. P. D. Calcagnino*, in qua post acquisitionem Parochiæ concessa fuit immissio in usufructu Nicolao Ferretto ad omnia bona Paterna, Materna, Fraterna, & Avita, quæ occasione Professionis inter Canonicos Regulares Lateranenses renunciaverat, favore Jo. Baptistæ Patris, qui pro se, & hæredibus acceptaverat, addito pacto reversivo in casu egressus a Religione.

His stantibus, cum jura hinc inde deducantur, quæritur

I. An Thomas de Adamis teneatur deferre habitum Regularem Congregationis Lateranensis, tam in functionibus Ecclesiasticis, quam extra Ecclesiam, & respective habere socium Regularem dictæ Congregationis.

II. An eidem Thomæ de Adamis competat regressus, seu reintegratio ad bona renuntiata occasione professionis in dicta Congregatione Lateranensi in casu &c.

Sacra Congr. respondit
Ad primum ad mentem. Ad secundum affirmative quoad usum tantum, & amplius.

QUÆSTIO CCLXI.

In Causa Savoncusi, die 23. Maii 1722.

ARCHIPRESBYTER Joannes Franciscus Chiaborellus in ultimo, cum quo decessit testamento, nonnulla legata pia reliquit, & quoad institutionem hæredis ita disposuit. *In tutti poi gli altri miei beni, mobili, se moventi, stabili, denari, crediti, e ogn'altra cosa, ragione, ovunque siino, e ritrovar si possano, instituisco, e nomino miei Eredi universali l'Altar Maggiore, e Compagnia del Santissimo eretti in questa Chiesa Parochiale di S. Ambrogio; e per più pronta, e puntuale esecuzione di quanto è stato da me come sopra disposto, ed ordinato, e anche per la conservazione della stessa eredità a beneficio d'esso Altare, e Compagnia, lascio, e costituisco Sopraintendenti, ed Esecutori Testamentarj i Signori ec. con li Signori Officiali di detta Compagnia, e li Signori Arcipreti, che pro tempore saranno.*

Sub fundamento, quod annuus hæreditatis reditus esset plusquam sufficiens pro indigentiis Altaris, & Confraternitatis, & ulterius pro conspicuo ornatu totius Ecclesiæ, & quod pius Testator habuisset intentionem erigendi ex sua hæreditate nonnulla Beneficia cum obligatione assistendi Choro, Executores Testamentarii, & Officiales Confraternitatis, prævio reliquorum Confratrum consensu, pium, & opportunum esse existimarunt devenire ad fundationem septem Beneficiorum, assignando unicuique Beneficio suum reditum, & onera, & Episcopus in actu visitationis, præsentato sibi fundationis instrumento, ad erectionem Beneficiorum devenit; cumque nonnullæ reclamationes adversus hoc Episcopi factum ad Sacram Congregationem delatæ fuissent, responsum fuit *die* 2. *Augusti* 1721. quod præfigeretur terminus Executoribus Testamentariis, & Confraternitati ad deducenda jura sua, & statum hæreditarium transmittendum.

In hujus rescripti sequelam exhibetur huic Sacræ Congregationi scriptura nomine Confratrum, & Confraternitatis, in qua plura deducuntur adversus supradictam Beneficiorum erectionem, & præscindendo a pactis, & conditionibus appositis, tam in jurepatronatus activo, quam in jurepatronatus passivo, quas dicunt nimium favorabiles Executoribus, & eorum descendentibus, & Episcopis pro tempore, major vis constituitur in hoc, quod juxta mentem Testatoris, hæreditatis reditus erant erogandi in Beneficium Altaris, & Confraternitatis, in quo rerum themate non erat Episcopo permissum eosdem reditus in aliud opus convertere, & multo magis, cum Ecclesia, in qua est Altare, quod fuit institutum hæres, in malo statu reperiatur, ut referunt Testes *in Sum. num.* 9. Absque eo quod quidquam referat suppositum D. Testatoris desiderium deveniendi ad erectionem Cappellaniarum, seu Beneficiorum; cæteris etenim prætermissis, Testamentum fuit conditum *die* 1. *Aprilis anno* 1711. & Testator obiit *de mense Septembris anno* 1712. quo temporis intervallo, si voluisset Testator Testamentum mutare, id commode facere potuisset.

Excipiunt e contra Cappellani, Executores Testamentarii, Officiales Confraternitatis nihil esse reprehensibile in erectione, de qua nunc agitur; intactis siquidem remanentibus piis legatis a Testatore relictis, & subtractis oneribus, reditus hæreditarii sunt in annuis fere scutis 600. a quibus si demantur annua circiter scuta 300. pro manutentione, & ornatu Altaris, summa, quæ superest, expendenda erat pro necessitatibus, & pro ornatu Ecclesiæ; cumque Ecclesia, quoad statum materialem, nullam habeat indigentiam, ut *in Summar. num.* 10. & 11. operæ pretium esse existimatum fuit, reditus superextantes implicare pro erectione Cappellaniarum, seu Beneficiorum, & pro manutentione Cappellanorum, seu Beneficiatorum, qui Ecclesiæ inserviendo, & quotidie interveniendo tam Choro, quam sacris Functionibus, formalem, & verum Ecclesiæ ornatum constituunt, & ejus formali indigentiæ subveniunt.

Multoque magis, cum hæc facta sint, prævio Confratrum assensu, accedente Executorum voluntate, nec ulla interveniente voluntatis commutatione, ex quo omnia a Testatore demandata permanent illæsa, & ejus potius voluntas suppletur, cum ex testibus habeatur, ipsum magnopere exoptasse horum Beneficiorum erectionem, sed timore expensæ eam non complevisse.

Jura hinc inde circumferuntur, quocirca quæritur

I An sustineatur erectio Cappellaniarum Canonicatuum nuncupatorum in casu &c. & quatenus negative.

II. An dicti Cappellani Canonici nuncupati teneantur restituere fructus perceptos, & quatenus affirmative.

III. An, & a quo tempore in casu &c.

Sacra Congr. respondit,
Ad primum negative. Ad secundum negative. Ad tertium satis provisum in secundo, & ab Episcopo apponatur Œconomus, qui reditus administret, & idem Episcopus inhibeat Cappellanis, ne accedant ad servitium Chori, & scribatur Eminentissimo Archiepiscopo Jamen. juxta instructionem.

QUÆSTIO CCLXII.

In Causa Cajacensi Irregularitatis, & Censurarum, die 23. Maii 1722.

JOANNES Baptista Palazzescus Canonicus Cathedralis Ecclesiæ Cajacen. huic Sac. Congregationi supplicavit pro dispensatione ab irregularitate contracta propter homicidium Canonici Pompilii Giannelli, & pro absolutione a Censuris, & Sacra hæc Congregatio *die* 28. *Februarii proximi præteriti* rescripsit *lectum* quoad irregularitatem, & quoad absolutionem, pro gratia ad sex menses cum reincidentia; cumque memoratus Canonicus Palazzescus supplicaverit pro descriptione suæ Causæ in folio, disputanda ex integro proponuntur dubia ad calcem hujus restrictus referenda.

Porro in eo, quod attinet ad mortem Canonici Pompilii Giannelli, & totum hujusce Causæ processum, nonnulla ab Episcopo referuntur in sua informatione, quæ operæ pretium est EE. VV. exponere, cum ejus informatio in scriptura exarata pro Canonico Palazzeschi non fuerit exhibita, sed extet inter acta Secretariæ.

Habetur itaque primo in dicta Relatione, quod existentibus *die* 3. *Decembris* 1717. in eodem ejusdem domus cubiculo Canonicis Pompejo Lamperio, Pompilio Giannello, & Joanne Baptista Palazzesco, nec non Angela, Helena, Fulvia, & Judith sororibus de Novello, exorta est rixa, in qua, cum Canonicus Palazzescus scloppum

pum accepisset, quem Canonicus Giannellus secum detulerat, & in angulo Mansionis deposuerat, & eum direxisset contra prædictum Giannellum, qui se retro Lamperium abscondebat, capta demum temporis opportunitate, sic eum exoneravit, ut ex ictu Canonicus Giannellus in fœmore dextero, & in crure sinistro cum magna sanguinis effusione, & ossium fractura vulneratus, *die* 26. *Mensis Decemb. anno* 1717. mortuus sit.

Habetur secundo, prædictum Canonicum Palazzescum evaginato stylo irruisse adversus Canonicum Giannellum, qui ex præcedenti vulnere sclopi in terra jacebat, & impeditum fuisse a Catharina Matre vulnerati.

Habetur tertio, compilatum fuisse a Curia Ecclesiastica processum, & in eo ultra Canonicum Giannellum fuisse examinatas prædictam Catharinam occisi Matrem, nec non Angelam, Helenam, & Fulviam sorores consobrinas occisi, & ex earum depositionibus in substantia concordibus, probatum fuisse factum supra recensitum, & non modicum accessisse adminiculum ex publica voce, & fama, & fuga a Canonico Palazzesco arrepta.

Habetur quarto, Palazzescum se subinde in Carceribus constituisse, & deventum fuisse ad repetitionem Testium, Angelæ videlicet, Helenæ, & Fulviæ de Novellis; Catharina etenim jam e vivis decesserat absque ulla sui dicti revocatione, vel diminutione, prædictasque Mulieres in repetitivo suas revocasse depositiones, homicidium referendo ad casuale infortunium, nec eas potuisse torqueri, ut videretur in quo dicto persisterent; agebatur enim de personis sæcularibus, & sic propter motiva quædam prudentialia Curia Ecclesiastica existimavit ab earum tortura abstinere.

Habetur quinto, Canonicum Palazzescum per definitivam sententiam fuisse declaratum irregularem, & condemnatum ad quinquennalem relegationem in Conventu S. Petri de Alcantara, firma remanente excommunicatione, in quam propter delictum incurrerat.

Habetur ultimo, interpositam fuisse a Canonico Palazzesco appellationem ad Curiam Metropolitanam Capuanam, & ab ipsa fuisse commutatam relegationem quinquennalem in quinquennale exilium.

Hæc sunt, quæ continentur in Relatione Episcopi Cajacensis; cumque scriptura a Canonico Palazzesco exhibeatur, in qua pro casualitate Homicidii multa referuntur, quæritur

I. An constet de irregularitate, & quatenus affirmative.
II. An sit concedenda dispensatio.
III. An Censuræ sustineantur in casu &c.

Sacra Congr. respondit

Ad primum affirmative. Ad secundum negative. Ad tertium affirmative, & amplius.

QUÆSTIO CCLXIII.

In Causa Colonienſi Functionum Pontificalium, & Benedictionis Abbatialis, die 13. *Junii* 1722.

DIE 26. Augusti anno 1720. P. Paulus Monachus Cistercienſis electus fuit in Abbatem Monasterii B. Mariæ Virginis de Veteri Monte Diœcesis Colonien. Cumque electus suæ electionis confirmationem subinde obtinuisset ab Abbate Morimundi Diœcesis Lingonien. suo immediato Superiore, una cum facultate adeundi pro Benedictione quemcumque Antistitem communionem habentem cum Sede Apostolica, prædictus P. Paulus pro dicta Benedictione suas preces exhibuit bon. mem. Archinto tunc Nuntio Colonien. qui Abbati Benedictionem impertitus est debitis accedentibus solemnitatibus in Ecclesia Patrum Societatis Jesu; cumque Promotor Fiscalis Curiæ Archiepiscopalis Colonien. prætensionem excitaverit, quod a Nuntio Apostolico non potuissent Pontificalia exerceri, nec Abbas benedici sine licentia, & permissione Ordinarii, remissa fuit hujus negotii cognitio ad hanc Sac. Congregationem, quæ juxta morem Nuntium Colonien. audire voluit, & ejus a multo tempore jam recepta informatione, bina in præsenti examinanda proponuntur dubia, quorum alterum respicit exercitium Pontificalium, & Benedictionem Abbatis, & alterum necessitatem iterandi Benedictionem, & pœnas ab Abbate incursas.

Quoad exercitium Pontificalium Sac. Conc. Trid. *Seſſ. 6. de Reform. cap.* 5. statuit nulli Episcopo licere cujusvis privilegii prætextu Pontificalia in alterius Diœcesi exercere, nisi de Ordinarii loci expressa licentia, & in personas eidem subjectas tantum; quoad Benedictionem Abbatis, quod in eadem Pontificalia exerceantur sive benedictio fiat auctoritate Apostolica, sive auctoritate Ordinaria, desumitur ex Pontificali Romano approbato tum a Clemente VIII. tum ab Urbano VIII. Summis Pontificibus *tit. de Benedict. Abbatis*; Quod denique Nuntiis Apostolicis non liceat exercere Pontificalia absque licentia Episcopi, late ostendit *Pignatell. consult.* 1. *per tot. tom.* 2.

Nec Promotor Fiscalis putat sibi obesse posse contrariam consuetudinem, vel quod ageretur de persona exempta a Jurisdictione Ordinarii, & habente facultatem recipiendi Benedictionem a quocumque Antistite, & multo magis cum benedictio expleta fuerit in Ecclesia Regulari, hoc est Patrum Societatis Jesu; in eo enim, quod attinet ad consuetudinem, eadem reducitur ad binas Abbatum Benedictiones, quarum altera expleta fuit *anno* 1720. in persona Abbatis S. Maximini Civitatis Treviren. Ordinis S. Benedicti, quæ consequenter apta nata non est ad consuetudinem inducendam, altera expleta fuit a clar. mem. Card. Pallavicino Nuntio Colonienſi in persona Abbatis Monasterii de Veteri Monte, & de hac quoque dicit non habendam esse rationem, cum expleta fuerit tempore, quo non aderat Suffraganeus in Civitate Colonienſi, & in eo, quod spectat ad exemptionem tam Abbatis, quam Ecclesiæ, in qua facta fuit benedictio, respondetur ab eodem Promotore Fiscali, non posse Episcopum Pontificalia exercere in loco exempto, nisi ultra licentiam inferioris, cui locus ille subjectus est, adsit licentia Episcopi, intra cujus Diœcesis fines locus ille reperitur, quamvis inferior ratione exemptionis prætenderet se posse Episcopum sibi magis benevisum vocare ad exercenda Pontificalia, juxta late deducta per *Barb. ad cap.* 5. *seſſ.* 6. *de Ref. num.* 10. *&* 11. & concordat resolutio hujus Sac. Congregationis in positionibus ad dictum Caput, & quod contraria procedant juxta declarationem Gregorii XIII. si ageretur de exempto non sito intra fines Diœcesis, sed habente suum Territorium separatum cum facultate vocandi quemcumque Antistitem sibi benevisum, habetur apud *Gallemart. in declarat. ad cap.* 5. *seſſ.* 6. *de Refor.*

Hæc quoad exercitium Pontificalium, & Benedictionem Abbatis, & post hæc transeundo ad iteratam Benedictionem, & pœnas ab Abbate incursas, admittitur a promotore Fiscali, Abbates semel benedictos non esse iterum benedicendos, juxta deducta per *Tamburin. de jur. Abbat. tom.* 1. *disp.* 11. *quæst.* 6. sed afferitur hæc sibi vindicare locum, quando agitur de Benedictione, de cujus iteratione non videtur esse dubitandum; cum Benedictio Abbatis, nec conferat ordinem, nec imprimat characterem, sed sit tantum quædam solemnitas Orationum *juxta celebre Consilium* 14. *Oldradi*, quod late exornat *Tamburin. loco cit. quæst.* 4.

Pœnæ remanent, hæsque constitutas esse prætenditur in suspensione ab executione & exercitio eorum, quæ secum fert Benedictio, ducto argumento *a cit. cap.* 5. *seſſ.* 6. in quo ordinati ab exercente Pontificalia in alterius Diœcesi sunt ipso jure suspensi ab ordinum executione.

His stantibus, quæritur

I. An licitum fuerit Nuntio Apostolico Colonien. exercere Pontificalia, & in illis benedicere Abbatem Monasterii B. Mariæ de veteri Monte Ordinis Cisterciensium in Ecclesia PP. Jesuitarum sita intra Civitatem Coloniæ etiam sine licentia & permissione Serenissimi Ordinarii, sive ejus Suffraganei in casu &c. & quatenus negative.

II. An dictus Abbas sit iterum benedicendus, & a quo, sive potius in quas pœnas idem Abbas inciderit, in casu &c.

Non fuit proposita.

QUÆSTIO CCLXIV.

In Causa Romana Dotis Cappellaniarum, die 13. *Julii* 1722.

CAMILLUS Princeps Pamphilius Senior, in ultimo, cum quo decessit testamento ita disposuit *voglio, & ordino, che il mio Erede seguita la mia morte, debba assegnare alla detta mia Chiesa di S. Agnese tanto capitale, che frutti scudi* 400. *l'anno, acciò di quelli si celebrino ogni anno in perpetuo finchè durerà il Mondo tante Messe per suffragio &c. dando facoltà al medemo mio Erede, che per la celebrazione di dette Messe possa deputare tanti Cappellani a suo nuto amovibili, quanto a lui parerà convenienti.*

Paulo post obitum Testatoris, Joannes Baptista Princeps Pamphilius ejusdem filius paternam voluntatem executioni mandavit facta per pub. instrumentum assignatione Ecclesiæ S. Agnetis 100. locorum Montis S. Bonaventuræ secundæ Erectionis, quod est idem, ac dicere tanti capitalis, quantum de eo tempore requirebatur ad constituendum annuum reditum scut. 400. servata sibi ad tramites testamenti facultate erigendi Cappellanias, & nominandi Cappellanos, & unicuique eorum suam portionem assignandi, adjectoque pacto, quod in casu extractionis locorum montium assignatorum, sive totaliter sive partialiter pretium investiri deberet in aliis Locis Montium Cameralium non vacabilium, sive in censibus, aut bonis stabilibus favore Ecclesiæ S. Agnetis.

Gesta sunt hæc omnia approbantibus claræ memoriæ Cardinale de Angelis, & bonæ memoriæ Albergato Rotæ Decano executoribus Testamentariis Principis Camilli. Cum autem sequuta jam translatione locorum montium, nec emissa unquam a Principe Joan. Baptista explicita declaratione numeri Cappellanorum, qui Missas celebrare deberent, ipse eligere consueverit quinque Cappellanos amovibiles, & unicuique eorum soluta fuerint annua scut. 75. notorius accidit tempore S. M. Innoc. XI. casus reductionis fructuum locorum montium, in cujus sequelam cum annua scut. 400. redacta fuerint ad scut. 300. memoratus Princeps Joannes Baptista abstinere cœpit a nominatione quinti Cappellani, nec se credidit obligatum ad faciendum ullum supplementum, & licet Camillus Princeps Pamphilius junior vestigiis Principis Joannis Baptistæ sui Genitoris viri revera pii, & cujus eleemosynas semper enarrabit omnis Ecclesia Sanctorum, inhærere absque ulteriori examine tuto ab aliquibus posse diceretur, ipse nihilominus operæ pretium esse censuit, ut omnia rite, & recte adimpleantur, ab hac Sac. Congregatione requirere an sit reducendus numerus Cappellanorum, vel potius locus esse debeat supplemento, uti colligitur ex dubio ad calcem restrictus referendo.

Plura deducuntur in scriptura per manus circumferenda ad effectum suadendi esse locum reductioni Cappellanorum, & non supplemento, & signum quod legatum non incipit a promissione annuæ quantitatis, sed ab assignatione Capitalis, quod Executores Testamentarii consensum, & approbationem præstiterunt, ut in casu partialis, seu totalis extractionis locorum montium fieret investimentum in locis Montium, aut stabilibus uti supra, & quidem in facie Ecclesiæ, quod tandem Princeps Joannes Baptista filius, & hæres Testatoris, qui binas alias Cappellanias in eadem Ecclesia S. Agneris ex suo patrimonio erigendas mandavit, nunquam supplevit, nec unquam Cappellani, aut Ecclesia pro supplemento insteterunt.

Inter cætera, quæ pro hoc eodem assumpto afferuntur, affertur etiam distinctio inter casum, quo Testator mandet hæredi, ut solvat quotannis certam determinatam summam alicui ecclesiæ nulla facta designatione nec in genere, nec in specie, quod solvat de bonis hæreditariis, & inter casum, quo Testator mandet assignari Ecclesiæ Capitale, ex quo singulis annis talis determinata summa pecuniaria retrahatur implicanda in celebrationem Missarum; contenditur enim quod in hoc secundo casu facta per hæredem assignatione Capitalis, eodemque translato in Ecclesiæ dominium, locus esse nequeat supplemento in casu diminutionis juxta *dec.* 433. *per tot. cor. Cerro, cui etiam adhæsit Rota in Romana annuæ præstationis* 16. *Januarii* 1702. *coram clar. mem. Card. Caprara.*

Consimilis casus fuit examinatus in hac Sac. Congregatione *in quadam causa Brixien. reductionis Missarum* 1. *Decembris* 1685. disposuerat Testator per hæc verba, *lascia, che l'infrascritte sue credi siano obbligate subito dopo la morte sua assegnare tanti suoi beni ai Reggenti della Scuola del Santissimo Rosario della Terra di Ludriano, quanti siano sufficienti colli frutti, che da essi si caveranno, di far celebrare una Messa quotidiana al detto altare del Santissimo Rosario; dovendo detti Reggenti aver cura, acciò detta Messa sia celebrata perpetuamente.*

Secuto Testatoris obitu, facta fuit ab hæredibus assignatio Regentibus dictæ Scholæ tot Terrenorum, quot sufficiebant pro annuo reditu Missæ quotidianæ; cumque tractu temporis sine culpa dictorum Regentium, & ex consueto naturali decremento contigerit casus diminutionis annui reditus, exorta est disputatio, an hæredes tenerentur supplere.

Mandatum fuit, ut instantia proponeretur in folio, & in suffragio bon. mem. Albitii tunc Secretarii firmatum fuit, hæredem teneri ad supplementum, quando fuit legata quantitas, vel quando fuit legata res in specie, quæ remanet penes hæredem habentem onus curandi celebrationem Missarum, secus autem quando Testator hæredem gravavit ad tradendum legatario rem legatam, & legatario injunxit onus curandi celebrationem.

Concordat cum hac distinctione Pasqualig. *de Sacrif. novæ legis quæst.* 1026. *n.* 3. *&* 4. *Alfons. de Leon. de Offic. Cappellani sect.* 5. *quæst.* 24. *num.* 355. *& seqq.*

Et cohærenter ad hæc Sac. Congregatio in allegata causa Brixien. reductionis censuit *hæredes non teneri ad supplendum.*

His stantibus, quæritur

An sit locus reductioni Cappellanorum, seu potius supplemento in casu, & ad effectum &c.

Sacra Congr. respondit,

Ad primam partem negative, & amplius, ad secundam iterum proponatur.

QUÆSTIO CCLXV.

In Causa Mutinenſi, die 13. *Junii* 1722.

ANNO 1706. mortuus est Nobilis Vir Alexander Zuccoli e Civitate Mutinæ. Scripsit hic hæredem usufructuariam Joannam de Bono suam Uxorem, & post ejus obitum executores rogavit, ut procederent ad venditionem omnium suorum bonorum tam mobilium, quam immobilium, & ex pretio celebrari facerent tot Missas in privilegiatis altaribus pro anima sua, & juxta suam intentionem; cumque nihil disposuerit favore Josephi Zuccoli sui pronepotis, filii videlicet ex fratre nepotis, fuerunt ab eo supplices preces exhibitæ S. M. Clem. Papæ XI. pro aliqua assignatione sibi ex bonis hæreditariis Alexandri facienda post obitum Joannæ de Bono hæredis usufructuariæ, & a Sanctitate sua fuerunt preces remissæ ad hanc Sac. Congregationem.

Pluries actum fuit de illis inter summaria precum, postquam juxta morem auditus fuit Ordinarius, & tandem ab Eminentissimo Corradino tunc præfecto demandatum fuit, quod causa poneretur in folio.

Porro in eo, quod attinet ad Ordinarii informationem, in ea continetur, primo numerum Missarum hucusque celebratarum pro Anima Alexandri ex pecuniis, & nonnullis mobilibus hæreditariis venditis ascendere ad n. 6095.

Secundo assem hæreditarium ejusdem Testatoris finito Uxoris usufructu esse valoris scut. 2121. totumque hunc valorem esse in alias Missas post obitum usufructuariæ erogandum.

Tertio Josephum esse nobilem, sed in egestate constitutum, cum tres filios habeat, unum masculum, duas fœminas, Uxorem prægnantem, & teneatur ulterius alere Annibalem Genitorem, Matrem, & Aviam Maternam, & non habeat in reditu nisi annua scut. 110. monetæ Romanæ, a qua summa detrahi debent scut. annua 29. pro fructibus nonnullorum debitorum.

Quarto Josephum esse commiseratione dignum, & sic finito Joannæ usufructu, posse ejus favore aliquam fieri assignationem ex bonis Alexandri. Hæc quoad Ordinarii informationem; quo vero ad punctum petitæ assignationis, censuit Eminentissimus Corradinus tunc Præfectus S. Congregationis, quod de eo esset in folio agendum, non quia esse posset locus commutationi voluntatis, sed quia Joseph, utpote in egestate constitutus, sibi visus est quod alimenta de jure petere valeret ab hæreditate Alexandri Patrui, & sic per consequens, quod a fortiori sibi posset vindicare locum charitativa quædam assignatio ex bonis ejusdem Alexandri, & multo magis post obitum Joannæ hæredis usufructuariæ.

Quod Patruus Nepotem, & e converso Nepos Patruum egentem alere teneatur, vera est, & in praxi opinio recepta *juxta celebrem dec.* 194. *pag.* 7. *rec.* solaque est inter Doctores disputatio, an onus hoc sit personale, vel reale, nonnulli quippe contendunt esse personale, nec transire ad hæredes *Boſſ. de alimentis cap.* 8. §. 24. *sub num.* 580., *& habetur in decis.* 4. *&* 7. *post Gob. tract. var. & in Romana alim. & dotium* 30. *Martii* 1705. *cor. bon. mem. Muto*, & alii existimant onus esse reale, & sic transire ad hæredes, & bona afficere *Surd. de alim. tit.* 1. *quæst.* 28. *Castil. controv. jur. tom.* 8. *cap.* 66. *num.* 59. Inter has contrarias opiniones media quædam traditur a nonnullis sententia, quod onus videlicet rigorose loquendo sit personale, sed quod ex æquitate Supremi Magistratus reale fieri possit *Mæven. contr. jur. lib.* 12. *cap.* 3. *& hanc sententiam* in facti contingentia secuta est Congregatio loco Signaturæ gratiæ *die* 17. *Maii* 1718.

Adversus Josephi prætensionem insurgit Joanna usufru-

fructuaria, & instat ut Viri voluntas adimpleatur, & integra Missarum suffragia pro ejus anima celebrentur juxta disposita in Testamento, tum quia non adsunt circumstantiæ pro commutatione voluntatis, nec constat de paupertate Josephi, tum quia nullum æquitatis superest vestigium; in casu etenim alimentorum post obitum Patrui ex ejus bonis Nepoti subministrandorum in tantum receditur a rigore juris, & onus ex personali fit reale, in quantum iniquum esse videtur extraneos bonis defuncti frui, & personam defuncto sanguinis vinculo conjunctam summa egestate laborare, uti ratiocinatur *Merenda l. c.* quæ res nihil habet commune cum casu, in quo substantia defuncti est eroganda in tot missis pro ejus anima celebrandis.

His stantibus, quæritur

An, quomodo, & in qua summa petitis sit annuendum.

Sacra Congr. respondit,
Negative.

QUÆSTIO CCLXVI.

In causa Ulixbonensi Occidentali, die 13. Junii 1722.

AD petitionem Regis Portugalliæ S. M. Clem. Papa XI. Civitatem Ulixbonensem æqualiter divisit in duas partes, Orientalem scilicet, & Occidentalem, relicta parte Occidentali sub antiquo Archiepiscopatu Ulixbonensi tunc, & usque in præsens vacante, & assignata parte Occidentali novo Archiepiscopatui cum Patriarchali denominatione erecto, & ad hanc Metropolitanam, & Patriarchalem Ecclesiam in sui primæva erectione tunc vacantem, Sanctitas sua transtulit Thomam de Almeida Episcopum Portugallensem, uti colligitur ex Bulla Pontificia in Bull. mox edendo inserenda, & ex oratione consistoriali habita ab eodem Summo Pontifice *die 7. Decembris 1716. p.* 221. inter ejus revera admirabiles orationes Romæ impressas hoc anno 1722.

Procurator Curiæ Patriarchalis Ulixbonen. Occidentalis huic S. Congregationi exposuit, nonnullos Clericos Patriarchatus origine & domicilio subditos petiisse promotionem ad Sacros Ordines ad Titulum Patrimonii, & fuisse rejectos, ipsosque subinde, habito recursu ad Capitulum Ulixbonen. Orientale, & Episcopum Tagasten. Vicarium Capitularem, fuisse Sac. Ordinibus initiatos ad titulum nonnullarum Cappellaniarum existentium in Ecclesiis Diœcesis Ulixbonen. Orientalis. Rursus idem Procurator exposuit, quod ante divisionem Diœcesum, Orientalis scilicet, & Occidentalis passim Clerici ordinabantur ad titulum dictarum Cappellaniarum non tanquam beneficia, sed tanquam patrimonium, juxta decis. 189. Themud. qui per plures annos fuit Vicarius Generalis Archiepiscopatus Ulixbonen. nec enim inquit Beneficia Ecclesiastica esse possunt, tum quia dos illorum nunquam transivit in dominium Ecclesiæ, sed remansit in potestate, & dominio Administratorum, qui Cappellanis solverunt, & solvunt eleemosynam Missarum, tum quia in illarum fundatione non intervenit auctoritas Episcopi; denique memoratus Procurator instetit, ut illicitæ declarentur ordinationes Clericorum origine, & domicilio subditorum Patriarchatus Occidentalis ad titulum memoratarum Cappellaniarum existentium in Diœcesi Orientali, ut sic ordinati declarentur suspensi, & per exercitium Ordinum irregulares, & quod demum ad avertendas consimiles Ordinationes in futurum procedant, prout de jure adversus ordinantem.

Actum fuit instante dicto Promotore de hac re in Congregatione habita hac *die* 13. *Junii* 1722. & nulla fuit capta resolutio, sed dictum, quod audiretur Ordinarius Ulixbonen. Orientalis, qui interim abstineret ab Ordinatione ad titulum Cappellaniarum, de quibus agebatur, tanquam ad Beneficia.

Præfixi fuerunt, sed inutiliter termini Ordinario Orientali, propositaque idcirco, informante tantum Promotore Occidentali, instantia in Congregatione habita *die* 26. *Junii* 1723. disputatisque sequentibus dubiis.

I. An illicitæ fuerint Ordinationes in casu, & quatenus affirmative.

II. An sic ordinati remanserint suspensi, & per exercitium ordinum irregulares.

III. Quibus pœnis obnoxius remanserit Episcopus Tagasten., qui Ordines contulit in casu, ad primum, & secundum responsum fuit *affirmative*, & ad tertium dictum est *Episcopum remansisse obnoxium pœnis impositis a Sacro Concilio Tridentino, & a Bulla Speculatores.*

Petita, & obtenta ab Ordinario Orientali nova audientia, eodemque usque adhuc differente causæ propositionem, in Congregatione habita *die* 2. *Octobris proxime elapsi*, instante Promotore Occidentali, responsum est, *quod causa proponeretur in prima post Æquas etiam unica.*

Disputatoque deinde in Congregatione habita *die* 20. *Novemb. ejusdem anni* 1723. sequenti dubio, *an sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.* die 26. Junii 1723. responsum fuit *dilata, & quod coadjuvarentur probationes tam super qualitate singularum Cappellaniarum, quam super qualitate singulorum Ordinandorum.*

A die hujus rescripti plures elapsi sunt menses, absque eo quod ab Ordinario Orientali aliquid exhibitum fuerit super qualitate singularum Cappellaniarum; cumque ad imponendum tandem finem huic controversiæ Promotor Fiscalis Patriarchatus Ulixbonen. Occidentalis in scriptura per manus circumferenda strenue probare conetur, eos, qui ordinati fuerunt ab Ordinario Orientali, & qui subditi erant Patriarchatus Occidentalis, ordines recepisse sine litteris testimonialibus Patriarchæ, & insuper Cappellanias, ad quarum titulum fuerunt ordinati, non esse vera Ecclesiastica Beneficia, *die* 8. *Julii* 1724. *repropposito dubio.*

An sit standum, vel recedendum a decisis die 26. Junii 1723.

Sacra Congr. die 19. Augusti 1724. respondit,
Quoad Primum, & secundum pro nunc in decisis quoad Valentinum Pereiram, & Emanuelem Nunez Coiarez, & quoad Tertium prævio recessu a Decisis, Episcopus Tagasten. consulat Conscientiæ suæ.

QUÆSTIO CCLXVII.

In causa Americana, die 13. Junii 1722.

CILES pars est Americæ Meridionalis, juxta Mare Pacificum in longum porrecta versus occasum. A septentrione habet Peruviam, ab Oriente Andas Montes, & a Meridie Terram Magellanicam. Primaria Civitas est illa S. Jacobi, & Regio subest pro majori parte dominio Catholici Regis Hispaniarum, Apostolicorum Missionariorum munere in Provincia S. Jacobi laudabiliter funguntur PP. Societatis Jesu, hique humiliter Sanctissimo Domino Nostro supplicarunt pro facultate administrandi Sacramentum Confirmationis Christianis ibi commorantibus, qui ut plurimum sine dicto Sacramento moriuntur; ab ea etenim plurimum distant Episcopi, & integro unius Sæculi spatio unum tantum fertur Episcopum ad eam accessisse, appellatum Monterum, qui non sine evidenti vitæ discrimine iter illud assumpsit, atque perfecit; cumque a Sanctitate sua fuerint preces ad hanc Sacram Congregationem remissæ, quæritur in præsenti, an, & quomodo sit precibus annuendum.

Porro nonnulla videntur adnotanda. Primum est, Summum Pontificem posse simplici Sacerdoti committere facultatem conferendi Sacramentum Confirmationis in aliquibus locis, uti colligitur *ex lib.* 3. *epist.* 26. *S. Gregorii Papæ ad Januarium Episcopum Calaritanum*, cujus verba referuntur in *Can. pervenit dist.* 95. ibi: *pervenit quoque ad nos, quosdam scandalizatos fuisse, quod Presbyteros Chrismate tangere in fronte eos, qui baptizati sunt, prohibuimus; Et nos quidem secundum usum veterem Ecclesiæ nostræ fecimus. Sed si omnino hac de re aliqui contristantur, ubi Episcopi desunt, ut Presbyteri etiam in frontibus baptizatos Chrismate tangere debeant, concedimus.*

Ad hoc S. Gregorii factum respexisse videtur Eugenius IV. in Concilio Florentino, in quo hæc habentur; *legitur tamen aliquando per Sedis Apostolicæ dispensationem ex rationabili, & urgenti admodum causa simplicem Sacerdotem Chrismate per Episcopum confecto, hoc administrasse Confirmationis Sacramentum.* Concordat *S. Thomas* 3. *par. quæst.* 72. *art.* 11. *ad primum* ibi: *Papa in Ecclesia habet plenitudinem potestatis, ex qua potest quædam, quæ sunt superiorum Ordinum, committere quibusdam inferioribus, sicut quibusdam Presbyteris concedit conferre Minores ordines, quod pertinet ad potestatem Episcopalem, & ex hac plenitudine potestatis concessit B. Gregorius Papa, quod simplices sacerdotes hoc Sacramentum conferrent, quamdiu scandalum tolleretur.*

Adeoque in S. Conc. Trid. *sess.* 7. *de Confir. Can.* 3. anathema dictum est afferentibus, solum Episcopum non esse Ordinarium Ministrum Sacramenti Confirmationis: *si quis dixerit S. Confirmationis Ordinarium Ministrum non esse solum Episcopum, sed quemvis simplicem Sacerdotem anathema sit*, ut videlicet salva, & integra esset opinio Divi Thomæ, & aliorum magni nominis Theologorum, qui senserunt posse Summum Pontificem extraordinarium constituere Ministrum Sacramenti Confirmationis etiam simplicem Sacerdotem, uti plene refertur in hist. Conc. Trid. scripta a Card. Pallavicino *lib.* 9. *c.* 7. *n.* 10. *& seqq.*

Secundum est, non deesse exempla consimilium concessionum. In annalibus etenim Minorum scriptis a fratre Luca Wadingo, Privilegia referuntur concessa a Summis Pontificibus Joanne XXII. Nicolao IV. Eugenio IV. Leone X. & Adriano VI. prædictis Fratribus Minoribus accedentibus ad partes Orientis, & Septentrionis, ubi non reperiuntur Episcopi, uti bene adnotavit Card. Pallavicinus *l. c.* De Gregorio XIII. testantur Auctores fuisse ab eo in Provincia Brasiliæ concessam facultatem, ut ob defectum Episcopi Sacerdos Sæcularis posset Sacramentum Confirmationis administrare: *Card. de Lugo responsi. Moral. lib.* 1. *dub.* 6. *num.* 7. *Card. Albitius de inconst. in fid. Cap.* 30. *num.* 355. *Diana in edit. coord. tom.* 3. *tract.* 1. *resolut.* 11. *num.* 6. & Petrus Arcudius *lib.* 2. *qui est de Confirm. cap.* 15. de alia Concess. facta PP. Jesuitis testatur: *nec defuerunt alii Pontifices pari potestate præditi, qui hac nostra ætate ob penuriam Episcoporum eandem facultatem paucissimis quibusdam Viris Apostolicis, spectatis PP. Societatis Jesu concesserunt, ut Religiosissimus P. Ludovicus Fonseca mihi oretenus retulit, præsentibus quoque aliis Gymnasii Græcorum in Urbe Alumnis, qui cum ex Brasilica ora solvisset, ac Romam ad Generalem Conventum anno Domini* 1593. *venisset munere Procuratoris illius Provinciæ functus est. Ajebat porro, ac pro certo affirmabat se solitum esse in illis partibus hoc Sacramentum administrare, ibique hujus auctoritatis concessæ asservari Diploma Pontificis*; & aliis tandem omissis Sanctissimus D. N. anno præterito per suas litteras Apostolicas in forma Brevis indulsit P. Guardiano Terræ Sanctæ, ut Sacramentum Confirmationis administrare posset.

Tertium est, magnam, & urgentem causam, licet non simpliciter, & absolute necessariam in hujusmodi concessionibus requiri; & in eo quidem, quod attinet ad magnam, & urgentem causam, id desumitur ex allegato Decreto Eugenii IV. & præterquam quod agitur de dispensatione, & omnis dispensatio causam exposcit; cum Christus Dominus voluerit, solum Episcopum esse Ordinarium hujus Sacramenti Ministrum, hinc infertur non esse alium extraordinarium Ministrum sine magna, & urgenti causa introducendum, *Suarez in tertiam partem Divi Thomæ tom.* 3. *quæst.* 72. *art.* 11. *disp.* 36. *sect.* 2. §. *Tertia pars*, & in eo quod spectat ad aliam assumpti partem, hoc est quod licet causa esse debeat magna, & urgens, non oporteat tamen, quod simpliciter, & absolute sit necessaria, bene explicando prosequitur *Card. de Lugo in citatis responsis moral. lib.* 1. *dub.* 6. *num.* 4. ibi: *Causa requisita ad hanc concessionem non debet afferre secum necessitatem simpliciter, & absolute, cum hujus Sacramenti usus, & susceptio non sit de necessitate salutis, sed sufficit quod talis concessio necessaria existimetur, ut incolæ alicujus Provinciæ, vel certe magna pars carere non debeat hoc Sacramento ex defectu Ministri, quæ causa sufficiens judicari solet a Sede Apostolica ad hunc effectum*, subditque Solorzanus *de jure Indiarum lib.* 3. *c.* 18. *n.* 32. *tom.* 2. quod expediret permittere, ut Missionarii, qui degunt apud Japponios, aliasque remotas Regiones, in quibus desunt Episcopi, ex concessione Apostolica Sacramentum Confirmationis administrarent Neophytis bene in fide semel suscepta imbutis.

Ultimum est, aliquando in hac Sac. Congregatione actum fuisse de consimilibus Indultis concedendis: refert Fagnanus *in cap. cum venisset* §. *per frontis num.* 1. *& seqq. de sac. Unctione*, fuisse Sedi Apostolicæ supplicatum ab Abbate S. Facundi Ordinis S. Benedicti habente Territorium separatum cum omnimoda jurisdictione privative ad quoscumque Episcopos, pro facultate administrandi Sacramentum Confirmationis suis Subditis, tum quia Abbatia distabat a viciniori Civitate per triginta, & plura milliaria, tum quia post Conc. Trid. difficile erat invenire titulares Episcopos, qui advocari possent ad dictum Sacramentum administrandum, uti antecedenter practicatum fuerat, sed Fagnanus non refert, quid a Sac. Congregatione fuerit resolutum.

Die 25. Januarii anno 1659. Archiepiscopus Terraconensis exposuit, in sua Diœcesi reperiri Insulam Zuisa in Mari Mediterraneo prope Algerium, nec eam unquam propter periculum Piratarum fuisse a se, aut a suis Prædecessoribus visitatam, nec Incolis a quadraginta, & ultra annis fuisse administratum Sacramentum Confirmationis, supplicavitque pro facultate indulgenda Præposito illius Insulæ administrandi Incolis dictum Sacramentum, & Sacr. Congregatio negative respondit, uti habetur *lib.* 21. *Decret. pag.* 512.

Die 28. Januarii 1668. Archiepiscopus, & Episcopi Ecclesiarum in Insulis Philippinis exposuerunt, se ob suarum Diœcesum amplitudinem, & Populorum frequentiam, quorum non exigua pars degebat in vastissimis Agris, non posse suis Subditis Sacramentum Confirmationis administrare, humilesque idcirco preces exhibuerunt pro potestate delegandi Sacerdotibus, sive Secularibus, sive Regularibus ministerium administrandi Sacramentum Confirmationis, & Sac. Congregatio respondit: ex deductis non constare de causis indulgendi, uti habetur *lib.* 25. *Decret. pag.* 528.

His stantibus, quæritur.

An, & quomodo petitis sit annuendum.

Sacra Congr. respondit.
Scribatur Episcopis juxta Instructionem.

QUÆSTIO CCLXVIII.

In Causa Americana, die 13. Junii 1722.

CIVITAS Conceptionis est in America Meridionali, & in ora Maris Pacifici cum Portu capaci, & est ex primis Regni Ciles sub Dominio Catholici Regis Hispaniarum.

Hujusce Civitatis Episcopus Summo Pontifici litteras dedit, in quibus post enarratum deplorabilem suæ Diœcesis statum, inquit, omne malum processisse, & procedere ex defectu idoneorum Magistrorum, qui Juvenes Clero adscribendos probis moribus, & litteris excolere valeant, & se nullum aliud efficacius remedium excogitare potuisse, quam Seminarii institutionem ad tramites Conc. Trid. & se jam a biennio fundamenta jecisse, itaut, verba sunt litterarum, *ex nunc illius fundamenta non contemnendo profectu a biennio jacta sint, idque unum cogito, hæc mea prima sollicitudo, & studium, in id omnia, quæ Divina providentia mihi largita est, fortunæ bona, ne supellectile quidem necessaria servata, perlubenter impendam.*

In iisdem litteris habetur, quod pro congrua Magistrorum, & Alumnorum substentatione fiet contributio necessaria, tum a Mensa Episcopali, tum a Beneficiis Ecclesiasticis, juxta ea, quæ in Concilio Tridentino præscripta sunt, sed opus tanta impensa, tantisque laboribus inceptum, & perficiendum, non esse permansurum, nisi PP. Societatis Jesu committatur, cum homines ex Clero Seculari apti non inveniantur pro Seminarii gubernio.

Addit Episcopus, se tum cum Patribus, tum cum eorum Superiore Generali rem egisse, & exorasse, ut memorati Seminarii Curam in se suscipere dignarentur, sed responsum habuisse, obstare specialia Societatis decreta de non acceptanda administratione Seminariorum, quam cum omnimoda tam Seminarii administrandi, quam Patrum administrantium immunitate & independentia, concluditque Episcopus summum Pontificem exorando pro facultate committendi administrationem PP. Societatis, eademque confirmanda per litteras Apostolicas in forma Brevis cum clausula, quod neque Capitulum, neque Cathedralis Ecclesiæ pro tempore Episcopi huic concessioni derogare possint; cumque a Sanctitate sua fuerint preces remissæ ad hanc Sacram Congregationem quæritur in præsenti, an petitis sit annuendum.

Pervoluto Societatis Jesu instituto nulla invenitur, vel in regulis sancti Ignatii, vel in ordinationibus generalibus prohibitio, quoad acceptationem gubernii, & administrationis Seminariorum Episcopalium, triaque tantum reperiuntur decreta; alterum Congregationis Generalis secundæ sub S. Francisco Borgia anno 1655. alterum quartæ Congregationis generalis sub Patre Claudio Aquaviva, & alterum duodecimæ Congregationis Generalis sub P. Carolo de Nojelles anno 1682. quæ de hac materia loquuntur.

Verba Decreti secundæ Congregationis Generalis sunt hæc, quæ sequuntur: *propositum fuit, an Seminaria Episcoporum, de quibus in Conc. Trid. est actum, admittenda a Societate nostra viderentur, si eorum gubernationem nostris committere ipsi Episcopi vellent; & re satis agitata, constituit Congregatio non admittenda videri; si tamen fundatio perpetua, & insignis hujusmodi Seminariorum ita fieret, ut simul esset conjunctum Collegium nostrum,*

unde promoveretur, & abundaret Societas operariis idoneis, & libera eidem Societati gubernatio committeretur, placuit admitti posse ex dispensatione Præpositi Generalis, & non aliter, sed si quando admitteretur tale munus, constituit Congregatio, ne Præceptores hujusmodi Seminarii daventur separati ab iis, qui in Scholis nostris pro Societatis nostræ instituto prælegunt.

Fuit hoc decretum confirmatum in quarta Congregatione Generali sub P. Claudio Aquaviva; cumque in decima secunda Congregatione Generali sub P. Carolo de Nojelles expositum fuisset, quod aliqui Antistites Ecclesiæ Gallicanæ pro suo erga Societatem studio, & benevolentia singulari cupiebant suorum Seminariorum Clericos instituendos Patribus tradere, Patres Congregationis Generalis, admittenda esse hujusmodi Seminaria censuerunt iis conditionibus, quas a nostro instituto non alienas judicaverit Rev. Pater noster Generalis, cujus prudenti arbitrio res tota permissa est.

Pius Papa IV. Seminarium Clericorum Urbis commisit Curæ, & Regimini PP. Soc. uti legitur in Bulla 134. Urbani VIII. §. 4. *Bullar. tom.* 5. ibi: *ipsumque Seminarium sic erectum, & institutum Curæ, Regimini, & Administrationi Præpositi Generalis, & Presbyterorum Societatis Jesu, & sui ac Romani Pontificis pro tempore existentis in dicta Urbe Vicarii in spiritualibus Generalis tutelæ, patrocinio, & protectioni commisit.*

His stantibus, quæritur,

An, & quomodo petitis sit annuendum in casu &c.

Sacra Congr. respondit

Pro facultate, ita tamen ut Alumni nominentur ab Episcopo, & Seminarium sit sub patrocinio, protectione, & subjectione Episcopi.

QUÆSTIO CCLXIX.

In Causa Januensi Jurisdictionis, die 4. Julii 1722.

ANNO 1570. exorta est Controversia an Ordinarius Januensis teneretur procedere contra quemdam Canonicum dictæ Ecclesiæ cum voto Adjunctorum, & hujus Sac. Congregationis sensus fuisse videtur, quod teneretur procedere cum Adjunctis, si Capitulum erat exemptum, secus autem, si exemptione non fruebatur, uti legitur *in decis.* 321. *par.* 2. *divers.*

Et merito; quidquid enim sit de variis opinionibus, quæ super exemptione Capitulorum, & modo procedendi adversus Capitulares fuerunt inter PP. Conc. Trid. uti plene refertur *in lib.* 23. *cap.* 3. *& cap.* 7. *Histor. d. Conc. script. a Card. Pallavicino*, hoc unum certum est, quod ad rem, de qua agitur, bina in dicto Concilio extant decreta, alterum *sess.* 6. *cap.* 4. *de reform. alterum sess.* 25. *cap.* 6. *de reform.*

In cap. 4. *sess.* 6. *de reform.* decernitur, quod Capitula Cathedralium, & aliarum Ecclesiarum, & eorum personæ nullis exemptionibus, aut consuetudinibus se tueri possint, quominus a suis Episcopis per se ipsos solos, vel illis, quibus sibi videbitur adjunctis, juxta Canonicas Sanctiones, toties, quoties opus fuerit, visitari, corrigi, & emendari possint, & valeant; & cohærenter ad hæc, reprobata Rotæ Sententia, S. hæc Congregatio censuit, Episcopum in visitatione Capituli non teneri assumere aliquos ex Canonicis, sed posse visitare, vel per se ipsum solum, vel aliis adjunctis etiam extra Capitulum, juxta ea quæ plene habentur *apud Fagnan. in cap. ut juxta a numero* 37. *usq. ad finem de off. Ordinarii, & in cap. cum Venerabilis nu.* 5. *& seqq.* de Censibus, non obstante quacumque Capituli exemptione juxta responsum hujus Sac. Congregationis in Zamoren. *libr.* 131. *posit. pag.* 806. ibi: *præsupposito, quod Capitulum Zamoren. est exemptum de consuetudine immemorabili; quæritur an possit Episcopus visitare Ecclesiam, illiusque Canonicos Beneficiatos, & alias Ecclesiæ personas per se ipsum, vel an debeant intervenire adjuncti, aut aliæ personæ Ecclesiæ, vel extra eam, quia nunc procedit Episcopus solus cum suo Secretario, & Notario, Congregatio Concilii respondit posse per se ipsum solum absque adjunctis.*

In cap. deinde 6. *sess.* 25. *de reform.* confirmantur disposita *in cap.* 4. *sess.* 6. & additur, quod si Episcopus extra visitationem adversus aliquem ex Canonicis procedere velit, teneatur id facere cum duobus adjunctis ex gremio Capituli, nisi forte ageretur de delictis, depositionem, aut degradationem requirentibus, & in quibus de fuga timeretur, tunc enim Episcopus tam ad personalem detentionem, quam ad summariam informationem procedere potest etiam sine adjunctis, cumque hoc sextum bonum sit consecutivum ad cap. quartum', hinc est quod juxta repetitas hujus S. Congregationis resolutiones caput illud sextum non procedit nisi in Capitulis exemptis, *Barbosa ad cap.* 6. *sess.* 25. *num.* 3. *de reform. & de Canonicis cap.* 28. *num.* 2. *Tondut. quæst. benefic. num.* 2. *Solorzan. de jure Indiarum tom.* 2. *lib.* 3. *cap.* 14. *num.* 66. *Rota d.* 743. *par.* 1. *divers. d.* 321. *par.* 2. *divers. & in Gennen. adjunct.* 13. *Februarii* 1702. *cor. bon. mem. Molines, quæ est d.* 13. *in Mantiss. ad Card. de Luca tom.* 1. *lib.* 3. & ampliatur etiam ad casum, quo Episcopus extra visitationem procedere vellet contra Capitulum exemptum propter excessum, ab universo Capitulo, vel de illius mandato, consensu, aut approbatione commissum, juxta celebrem resolutionem *in Astoricen.* 29. *Aprilis* 1578. *Posit. pag.* 542. *& lib.* 1. *decret. pag.* 153. *a tergo* ibi: *si Capitulum ipsum delinquat, vel aliquis ex Canonicis de mandato Capituli, utrum Judices in suo corpore a Capitulo electi possint, aut debeant cum Episcopis simul judicare; Sac. Congregatio respondit ita debere.*

His ad ornatum materiæ generaliter præmissis, & tam ab Eminentissimo Archiepiscopo Januen. quam a Capitulo, & Canonicis Metropolitanæ Ecclesiæ, qui inter se iterum de procedendo, cum, vel sine adjunctis contendunt, libenter admissis; prædictum Capitulum se prætendit exemptum ab Ordinarii jurisdictione, attentis Apostolicis privilegiis, Concordiis, & nonnullis actibus, & sic non posse criminaliter contra Canonicos Capitulares Ordinarium procedere sine Adjunctis. Excipit e contra Eminentissimus Archiepiscopus sibi favere dispositionem juris, exemptionem non probari, & suam curiam esse in antiquissima possessione procedendi contra Canonicos, & Capitulares sine adjunctis.

Quocirca quæritur

An, & de cujus bono Jure constet procedendi in criminalibus contra Canonicos, & Capitulares Metropolitanæ Januen. una cum, vel sine adjunctis, etiam ad effectum manutentionis in casu &c.

Sacra Congr. respondit,

Constare de bono jure Eminentissimi Archiepiscopi procedendi in Criminalibus contra Canonicos sine adjunctis, etiam ad effectum manutentionis.

QUÆSTIO CCLXX.

In Causa Volaterrana, Seminarii, die 4. Julii 1722.

BON. Mem. Guidus Servidius Episcopus Volaterranus, ut eo, quo poterat modo, executioni mandaret dispositionem Sac. Conc. Trid. *sess.* 23. *cap.* 18. de Clericorum Seminario erigendo, anno 1590. creanda & instituenda decrevit duo Collegia Clericorum, alterum pro servitio Cathedralis Ecclesiæ, in quo duodecim Clerici reciperentur, alterum pro servitio Collegiatæ Ecclesiæ, Oppidi S. Geminiani, in quo sex Clerici reciperentur.

In executionem hujus Episcopalis decreti erecta fuerunt dd. duo Collegia, statutæ fuerunt regulæ pro utroque, & taxata fuerunt Beneficia pro Clericorum utriusque Collegii manutentione; cumque anno 1703. bon. mem. Octavius de Rosso Episcopus Volaterranus erexerit, & constituerit formale Seminarium in Civitate Volaterrana loco Collegii 12. Clericorum, ut supra instituti, intacto remanente Collegio pro servitio Collegiatæ S. Geminiani, & modernus Episcopus in visitatione anni 1717. applicaverit Seminario Volaterrano portionem exigi solitam a beneficiis Terræ, & districtus S. Geminiani pro Collegio in eodem Oppido erecto, dictumque Collegium de medio sustulerit, & loco sex Clericorum Collegiatæ inservientium, instituendos demandaverit octo Clericos, qui in habitu nigro eidem Ecclesiæ inservirent absque ulla mercede, & cum sola assignatione emolumentorum extraordinariorum a Mortuariis, & rebus consimilibus desumendorum, superadditis nonnullis aliis conditionibus, & signanter, quod studiis vacare deberent penes Ludimagistros Communitatis, & quod duo ex dd. Clericis a se, alter a Capitulo, alter a Clero, reliqui a Communitate eligerentur, his excitata fuit inter Promotorem Fiscalem, & Capitulum, & Canonicos Collegiatæ S. Geminiani super memorata Collegii abolitione, & aliorum octo Clericorum subrogatione; delataque hujus litis decisione ad Nuntium Florentinum, prolataque ab hoc sententia, in qua Capitulo S. Geminiani manutentionem concessit in possessione habendi, & tenendi Collegium Clericorum, & exigendi taxam a Beneficiatis Terræ, & Districtus pro expensis tam præceptorum, quam dd. Clericorum, fuit a Promotore Fiscali interpolita appellatio, & in

& in præsenti disputandum proponitur dubium super subsistentia, vel insubsistentia decreti Episcopalis.

Fundamentum Capituli constituitur in antiquitate Collegii, in facto Episcopi de Rosso, qui Seminarium in Civitate Volaterrana instituit absque abolitione Collegii S. Geminiani, in dispositione Sac. Conc. Trid. quod *sess.* 23. *cap.* 18. permisit Episcopis, qui habent amplas Diœceses, unum, vel plura habere Seminaria, in necessitate denique servitii Collegiatæ Ecclesiæ, quod a sex Collegii Clericis hucusque fuit adæquate præstitum, & præstari non poterit ab octo Clericis subrogatis, si enim octo Clerici suis stipendiis militare debent, & quædam pauca, & incerta habere pro diuturno servitio emolumenta, nedum erit difficile, quod inveniantur, qui servitii onus ferre velint, itaut, Teste Communitate, duo tantum in præsenti adsint Clerici, & Sacerdotes Cappellani modo facere teneantur ea, quæ ad simplices Clericos in minoribus constitutos pertinent, sed ulterius præcludetur via Pauperibus ad Clericatum ascendendi, quæ via erat pro illis aperta, quando Collegio adscribi poterant.

Fundamentum e contra Promotoris Fiscalis præcipue reponitur in hoc, quod non agebatur de vero Seminario, sed de quodam Clericorum Collegio, qui ita inserviebant Ecclesiæ Collegiatæ, ut insimul non conviverent, sed unusquisque in sua domo permaneret, teste Nuntio in sua informatione: *li stessi Collegiali però non avevano, nè anno l'obbligo di convivere insieme; standosene ogn'uno a casa sua, ma erano, e sono bensì tenuti a servire l'insigne Collegiata della loro Patria, ed attendere alli studj sotto la direzione di due Maestri &c. stipendiati dal pubblico;* in quo rerum themate vetitum Episcopo non erat ad ejus suppressionem procedere, & Taxam Beneficiorum, quæ pro dictis Clericis persolvebatur, applicare pro vero Episcopali Seminario; Et multo magis, quia sicuti in hoc sunt etiam recipiendi Clerici S. Geminiani, sic æquum, & justum est, quod prædicti Oppidi Beneficia pro ejus manutentione contribuant. Addit Promotor Fiscalis, quod in decreto Episcopali bene consulitur tum Servitio Ecclesiæ Collegiatæ.

Disputato igitur in Congregatione habita hac *die* 4. *Julii* 1722., sequenti dubio, *an decretum Episcopi diei* 20. *Maii* 1717. *quoad Seminarium S. Geminiani sustineatur in casu &c.* nulla fuit capta resolutio, sed dictum, quod scriberetur Episcopo juxta instructionem, & instructio fuit redacta ad capita sequentia; Scribentes quippe in nonnullis circumstantiis facti non concordabant, nec ulla aderat quoad unam, aut aliam partem sui asserti probatio.

Primum itaque caput instructionis fuit, ut Episcopus informaret, an adhuc existeret in Civitate Volaterrana Collegium duodecim Clericorum.

Secundum, an in hypothesi existentiæ dicti Collegii Beneficia contribuant pro ejus manutentione.

Tertium, an reperiatur erectum Seminarium Clericorum in Civitate Volaterrana ad tramites S. Concilii Tridentini.

Quartum, an supposito, quod Seminarium sit erectum, Clerici in illud recepti vivant in eadem domo, quibus studiis vacent, an aliqui inter ipsos gratis alantur, & quale sit servitium, quod ab eis præstatur Ecclesiæ Cathedrali.

Quintum, cur in decreto anni 1717. statutum sit, quod octo Clerici sic eligantur, ut duo ab ipso Episcopo, alter a Capitulo, alter a Clero, & reliqui a Communitate nominentur.

Sextum denique, qua de causa in eodem decreto statutum sit, quod Clerici, qui per tempus determinatum inservierint Ecclesiæ Sancti Geminiani, fruantur privilegiis, quibus fruuntur illi, qui in Seminarium Volaterranum recipiuntur, & quæ sint hæc privilegia.

Supervenit responsio Episcopi, quocirca die 29. Januarii 1724. reproposito dubio.

An decretum Episcopi diei 20. *Maii* 1717. *quoad Seminarium S. Geminiani sustineatur in casu &c.*

Sacra Congr. die 10. Junii 1724. respondit

Affirmative juxta modum, & modus est, ut firmo remanente Collegio S. Geminiani juxta statum antiquum, & firma remanente integra solutione taxæ, quæ modo solvitur a beneficiis S. Geminiani, solvatur ex eodem Seminario Volaterrano ea summa, quæ eidem persolvitur a cæteris Beneficiis Diœcesis, & reliquum solvatur Collegio S. Geminiani.

QUÆSTIO CCLXXI.

In Causa Aquipendensi, die 4. Julii 1722.

AD Cappellam S. Caroli erectam in Ecclesia B. Mariæ Virginis del Tufo extra Terram Canini pertinebant gemini Census, alter in forte scut. 700. alter in forte scut. 100. ad rationem octo pro quolibet centenario, & anno; cumque interesse nimis grave videretur, Philippus de Defendinis, qui debitor erat dd. Censuum, operæ pretium esse existimavit imponere Censum scut. 600. favore Mensæ Episcopalis Aquipenden. ad rationem quinque pro centenario, & anno, & pecunias censuales erogare in extinctionem secundi Census, & intrantis ratæ primi, qui ut dictum est ad Cappellam S. Caroli spectabant, factoque pecuniarum deposito in manibus Joannis Andreæ de Seraphinis ad effectum illas reinvestiendi, Canonicus Bernardinus Bizzarrus tunc temporis Cappellæ Rector, eidem Philippo Defendino antiquo Debitori, pecunias uti dictum est, depositatas dedit ad censum ad rationem quinque pro quolibet centenario, & anno, animo subintrandi in juribus quorundam aliorum censuum alias impositorum per Colimum, & alios de Defendinis, & post nonnullorum aliorum annorum lapsum non obstante intermedio Episcopi Aquipenden. Decreto, quo sancivit ne in Diœceli fierent reinvestimenta, & Census ab Ecclesiis acquirerentur, nisi accedente voto quatuor Deputatorum, qui referrent super idoneitate fundi, & fidejussoris, idem Bizzarrus Cappellæ Rector census a Philippo Defendino, uti dictum est, sibi traditos, eidem Philippo retrovendidit propria auctoritate, & non pro pecunia numerata, sed recepta assignatione ratæ cujusdam alterius Census impositi a Carolo Antonio Bellono ad rationem quatuor pro centenario, & anno super quibusdam Domibus hic in Urbe existentibus, & quia census erat hypothecatus Magdalenæ de Sebastianis Uxori Philippi Defendini pro sua dote, conventum fuit, quod infra mensem accederet Magdalenæ, & ejus Viri ratificatio.

Dimissa a Bizzarro Cappellæ possessione, fuit illa collata Antonio Ciabattæ, qui contra Bizzarrum judicium instituit, & ab A. C. sententiam reportavit, in qua Bizzarrus condemnatus fuit ad reintegrationem depositi scut. 600. quæ ipse noviter ad censum tradiderat Defendino, & ad solutionem fructuum loco damnorum, & interesse, cumque sæpe memoratus Bizzarrus insteterit coram Auditore Sanctissimi pro remissione Causæ ad hanc Sacr. Congregationem super defectu beneplaciti Apostolici, & remissio indulta fuerit prævia acceptatione sententiæ A. C. prout de jure, acceptata fuit a Bizzarro sententia, & in præsenti duo proponuntur dubia disputanda, alterum super subsistentia, vel insubsistentia assignationis census, quæ facta fuit Cappellæ, alterum super dicti census petita revalidatione.

Contendit Cappellæ Rector assignationem non sustineri, nec esse posse locum gratiæ revalidationis ex pluribus, & signanter, quia præcessit sententia A. C. quæ, uti dictum est, fuit acceptata, & quia nunquam adfuit ratificatio Magdalenæ, quæ fuit in Instrumento postremæ assignationis conventa. Accedit damnum Cappellæ, tam quoad capitale, quam quoad fructus; quoad capitale quidem, quia securitas antiquorum Censuum comparari non potest cum securitate census postremo assignati; est etenim intricatus propter hypothecam Magdalenæ dotis, & fundi, super quibus est impositus, extant in Urbe, & sic longe a loco beneficii, seu Cappellæ. Damnum quoque adesse dicitur in ordine ad fructus, cum in primis censuum impositionibus major esset eorum quantitas. Vis demum fit in defectu solemnitatis; cum non fuerit in postrema assignatione servata solemnitas ab Episcopo statuta pro incolumitate bonorum, & redituum Ecclesiæ, & cum ulterius de beneplacito Apostolico non doceatur, & in eo, quod spectat ad beneplacitum Apostolicum fas sit adnotasse, magnam esse inter Doctores controversiam, an absque dicto Beneplacito fieri valeat in Censu Consignativo reductio fructuum.

Nonnulli quippe negative respondent. *Ricc. Decis. Cur. Neap. decis.* 134. *part.* 1. *& Resol.* 37. *part.* 1. *num.* 4. *de Marinis Resolut. jur. cap.* 6. *num.* 10. *& 11. tom.* 1. *Baruss. in suo torcular. juris Resolut.* 100. *per tot. Ventrigl. in praxi p.* 1. *annot.* 1. §. 2. *num.* 6.

Affirmative vero respondent, *Card. de Luca de alienationibus disc.* 6. *num.* 5. *de Censib. disc.* 14. *num.* 4. *& in Conflictu Legis obser.* 201. Alter *de Luca ad Ventrigl. in praxi loco cit. num.* 4. *R. P. D. Petra ad Constit. Apost. tom.* 1. *fol.* 138.

num. 88. *Monacell. tom.* 4. *in supplem. ad tom.* 2. *fol.* 151. *num.* 146. *& seqq.*

Bis actum solemniter fuit de hoc articulo in hac Sacra Congregatione, ex quo fungor munere Secretarii. Primo in quadam Causa Senogallien. Censuum 2. Julii 1718. & Sac. Congregatio in ea Causa censuit, reductionem fructuum sine Beneplacito Apostolico non sustineri, nec esse posse locum petitæ revalidationi, visa etenim non fuit reductio, undequaque immunis a labe collusionis inter Creditorem, & Debitorem. Secundo, in quadam Romana Census 11. Maii 1720. & in hac Sac. Congregatio censuit, reductionem sine beneplacito sustineri, cum reductio apparuerit facta sine collusione, & intercedente bona fide, & Debitore prompto, & parato ad contrahendum cum alio Census, nisi locus Pius deveniret ad fructuum reductionem.

Excipit e contra Bizzarrus, quod Defendinus nedum erat Debitor fructuum Census per sex annos decursorum, sed quod erat decoctus; itaut latitaret, seque idcirco bona fide, & cum utilitate Cappellæ nedum induxisse Uxorem Debitoris ad sibi solvendum fructus decursos, sed etiam ad cedendum Cappellæ, & loco antiquioris Census perituri subrogandum census pro sua dote hypothecatum, licet minoris annui reditus.

His stantibus, quæritur.

I. An assignatio Census facta Ven. Capellæ S. Caroli sustineatur, & quatenus negative.

II. An sit locus gratiæ revalidationis in casu &c.

Sacra Congr. respondit.
Negative in omnibus, & amplius.

QUÆSTIO CCLXXII.

In Causa Pratensi Matrimonii, die 4. *Julii* 1722.

JOSEPH del Guasta, & Rosa Benini recursum habuerunt ad san. mem. Clementem XI. eique exposuerunt, quod cupiebant invicem matrimonialiter copulari, sed quod Rosa dotem non habebat competentem, cum qua juxta sui status conditionem, invenire posset Virum sibi non Consanguineum, vel affinem, supplicando pro dispensatione, erant enim tertio, & quarto a communi stipite gradibus invicem conjuncti; cumque Sanctitas Sua litteras Apostolicas dispensationis in tertio, & quarto gradu direxerit Vicario Generali Episcopi Praten. cum solita clausula quod de expositis deberet se diligenter informare, & quod in hypothesi, in qua preces invenisset inniti veritati, auctoritate Apostolica dispensaret, dispensatio fuit executioni mandata, & subinde contractum Matrimonium inter Oratores coram Parocho, & Testibus, nec defuit consummatio, cum Rosa prægnans effecta sit.

Contracto, & consummato, uti dictum est, Matrimonio, inter Virum, & Uxorem jurgia exorta sunt; cumque Uxor a Domo Viri aufugisset, supplicemque libellum huic Sac. Congregationi exhibuisset, instando pro declaratione nullitatis Matrimonii, non solum tamquam initi per vim, & metum sibi a Genitoribus illatum, sed etiam tanquam contracti in vim dispensationis ex falsa causa obtentæ, & executioni mandatæ, ex quo tantum abest, quod ipsa congruam dotem non haberet, quod dotem potius habebat excessivam, juxta morem scriptum fuit Episcopo pro Informatione, & Voto.

Supervenit Episcopi informatio, in qua refertur primo, non adfuisse ullum metum, vel coactionem pro contrahendo Matrimonio. Secundo, Vicarium Pratensem executioni mandasse dispensationem, postquam sumpserat secretas Informationes, binasque receperat attestationes tum de Patris impotentia ad congrue dotandam Filiam, tum de deficientia occasionis nubendi, excepto Josepho, qui eam duxit in Uxorem. Tertio, ex apocha Matrimoniali desumi, dotem Rosæ fuisse in scut. 315. sed revera non fuisse nisi in scut. 200. Quarto, ex Testibus haberi, Puellas statu, & conditione æquales Rosæ, Matrimonio copulari cum Dote scut. 130. concludendo, sibi videri validam fuisse, & juri consonam executionem litterarum Apostolicarum.

Post hanc Episcopi informationem nullum amplius, vel a Rosa, vel ab ejus Viro verbum motum est pro instantiæ prosecutione. Cum autem Rosæ Pater, qui filiam domi retinet, Marito commorante in Civitate Florentiæ, ad se pertinere existimaverit obtinere declarationem super validitate Matrimonii, & pro hac declaratione exoraverit, præfixus fuit Conjugibus terminus ad sua Jura deducenda in Sac. Congregatione, eoque elapso, in præsenti disputatur, an constet de validitate Matrimonii.

Pro validitate Matrimonii ponderatur *Text. in cap. quia circa de consang. & affinit.* in quo, cum pro obtinenda dispensatione super gradu prohibito allegata fuisset falsa Causa, & Matrimonium deinde fuisset contractum, & consummatum, respondit Innoc. III. *dissimulare poteris, ut remaneant in copula sic contracta, cum ex separatione, sicuti asseris, grave videas scandalum imminere.*

Quia vero Textus hic sibi videtur vindicare locum, quando post contractum & consummatum Matrimonium contrahentes perseverant in bona fide, & habent probabilem ignorantiam de subreptione dispensationis, licet eam Ordinarius bene cognoscat, uti ponderat *Covar.* 2. *part. de Matrim. cap.* 6. §. 10. *num.* 15. *Pontius de Matrim. lib.* 8. *cap.* 17. §. 6. *num.* 40.

Hinc est quod in Causa adeo exemplari, & cujus resolutio, quatenus importaret dissolutionem Matrimonii, viam aperiret ad plures, & plures alias Matrimoniorum dissolutiones, vel saltem lites super dissolutione, aliæ suffragantur responsiones in facto, & in jure.

In facto quidem, quia in supplicatione porrecta Summo Pontifici relatum est, Rosam non habere dotem competentem, & attentis rerum circumstantiis, quidquid asseruerint Testes, si Rosa fuit nupta cum dote scut. 200, incompetentia dotis verificata videtur.

In jure deinde, quia incompetentia dotis non videtur, quod fuerit Causa finalis dispensationis, sed causa impulsiva, & defectus Causæ impulsivæ non vitiat dispensationem, uti late ostendunt *Anaclet. ad primum lib. Decret. tit.* 3. §. 8. *num.* 184. *tom.* 4. *in append. de dispens.* §. 5. *num.* 208. *de Justis de dispensat. Matrim. lib.* 1. *cap.* 4. *num.* 28. *Dian. oper. moral. tom.* 3. *tract.* 2. *resolut.* 103. *per tot. in edit. coord.*

Additur notabilis doctrina *Pontii de Matrim. cit. lib.* 8. *cap.* 17. §. *ultimo num.* 42. ibi: *illud etiam addendum est, quod dicebamus, quando de hodierno stylo Curiæ Papa non dispensat, non confidit de precibus supplicantis, nec de precum veritate, sed committit Ordinario, ut præcedenti diligenti inquisitione super precum veritate, & causis, ipse Ordinarius dispenset in isto casu postquam præcessit inquisitio, & Ordinarius declaravit causas expressas esse veras, sententia illa, & declaratio etiamsi forte fuerit injusta, est valida, & habet auctoritatem rei judicatæ, & retractari non potest, & proinde sequens Ordinarii dispensatio, & Matrimonium ex illa contractum valet, & deinceps retractari non potest.*

Et licet idem Pontius tres afferat ad hoc suum notabile dictum limitationes. Primo: *quando a principio rescriptum fuit subreptitium cum dolo, vel fraude.* Secundo: *Quando postea Testes adhibiti super precum veritate fuerunt corrupti.* Tertio: *Quando dispensatio, vel rescriptum ad dispensandum fuit subreptitium, licet per ignorantiam, & subreptio fuit notabilis in tacenda veritate.*

Ad excludendam nihilominus regulam, examinandum erit, an aliqua assistat facti circumstantia, quæ viam aperiat alicui ex dd. limitationibus.

Allegata Pontii Doctrina impugnatur a nonnullis sub obtentu, quod dispensatio, uti fundata in falsa Causa, nulla sit, licet falsitas processerit ex ignorantia, itaut hæc prodesse non possit validitati Matrimonii subsequenter contracti: *A Spiritu Sancto oper. moral. tom.* 4. *tract.* 11. *de Matr. disp.* 8. *sect.* 5. *num.* 561. *Diana l. c. resol.* 104. *num.* 1. *&* 2.

His stantibus, quæritur.

An constet de validitate Matrimonii, in casu &c.

Sacra Congr. respondit,
Non constare de nullitate Matrimonii, & amplius.

QUÆSTIO CCLXXIII.

In Causa Neapolitana Matrimonii, die 4. *Julii* 1722.

DIDACUS Foglierus, & Aloysia de Vera san. mem. Clementi Papæ XI. supplicarunt pro Apostolica dispensatione super secundo, & quarto a communi stipite provenientibus Consanguinitatis gradibus, quibus erant conjuncti, ad effectum ut inter se Matrimonium contrahere possent. Fuit in supplicatione dicto Pontifici expositum, quod Aloysia erat indotata, & quod actionem non habebat, unde dotari posset, & demum quod Didacus intendebat illam sic indotatam ducere in uxorem, & eam ad quantitatem competentem ex integro dotare, memoratusque Pontifex commisit Vicario Generali Neapolitano, ut se de prædictis diligenter informaret, & quod in hypothesi, in qua preces invenisset veritati innixas, & postquam Aloysia ex integro a Didaco dotata fuisset, ad dispensationem auctoritate Apostolica procederet; cumque in Curia Archiepiscopali subinde Testes producti fuissent, qui deposuerunt Aloysiam non habere dotem competentem secundum suam conditionem, nec ab aliquo Conjunctorum dotari posse, & Didacum eam velle in Uxorem ducere, & dotare in summa ducatorum quingentorum, & instrumentum dotationis exaratum fuisse facta donatione ducatorum 500. pro filiis ex Matrimonio nascituris, prolata fuit a Curia Archiepiscopali Sententia pro executione litterarum Apostolicarum, & inter Didacum, & Aloysiam contractum est Matrimonium in facie Ecclesiæ, & deinde consummatum.

Desumuntur hæc omnia ex Brevi dispensationis, & ex Informatione Eminentissimi Archiepiscopi Neapolitani, & Didaco instante pro nullitate Matrimonii, quæritur in præsenti, an de ejus nullitate constet juxta dubium ad calcem restrictus referendum.

Nullitatis fundamentum constituitur in Capitulis Matrimonialibus initis ante petitam dispensationem, in quibus assignata, & constituta fuit Aloysiæ, quæ Didaco nubere debebat, dos in annuis ducat. 60. in tot censibus emphiteuticis, & super vectigali Salis, in quadam gemma ex adamantibus, & smaragdis conflata in summa ducat. 1000. persolvenda futuro Sponso post exitum cujusdam litis in Urbe pendentis, & in omnibus juribus, & actionibus quibuscumque, quæ ad Aloysiam spectare possent in posterum super hæreditatibus, & bonis Parentum, & aliorum Conjunctorum, & ex renunciatione a Clara Sorore facta, uti latius legitur in Capitulis Matrimonialibus. Ex hoc etenim arguitur Aloysiam non fuisse indotatam, nec eam caruisse actione, unde dotari posset, uti Papæ expositum fuit, nec pariter subsistere, quod ea fuerit ex integro a Didaco dotata, cum Didacus donaverit ducatos 500. filiis nascituris ex matrimonio cum Aloysia contrahendo.

Nullus usque adeo comparuit pro validitate Matrimonii, adeoque præter deducta in præcedenti restrictu in causa Praten. poterunt EE. VV. benigne ponderare idem esse, quod Mulier sit indotata, ac quod sit insufficienter dotata, uti reprobando Corradum firmat de Justis *de dispensation. matrimon. lib.* 3. *cap.* 3. *sub num.* 20. ibi: *Papa movetur ad dispensandum, ut succurrat Oratrici pauperi, quæ cum non habeat dotem, vel habeat, sed insufficientem, periculum est, ut vel innupta remaneat, cum periculo animæ, vel nubere cogatur indigno, & inæquali, unde cum intentio Pontificis sit quoad prædicta providere Oratrici, & utroque modo per hujusmodi dispensationem satis provideatur, non videtur cessato dolo inici gratiam Pontificis, qui æque movetur ad dispensandum, si Oratrix nullam habeat dotem, vel si habeat insufficientem, cum in utroque casu timeri possint eadem scandala, & inconvenientia, ex quibus tanquam ex causa finali movetur Pontifex ad dispensandum.*

Hoc supposito, dignabuntur pariter EE. VV. ponderare quantitatem dotis, separando eam, quæ actu futuro Marito erat consignanda ab alia, cujus consecutio pendebat a futuro litis eventu, & ab aliis conditionibus. Animadversione quoque dignum est pactum in Capitulis Matrimonialibus appositum de non petendo aliquid ex bonis Paternis, & Maternis, quoad usque vixisset Angela Mater, *ma quelle debbano restare salve in benefizio di detta Signora Aloisia, de' suoi Eredi, e successori ec. e si debba, e possa sperimentare seguita la morte di detta Signora Maria Angela*, quæ erat Mater, *se de jure si spetterà, e non altrimenti*, sic ex pacto.

Aptabilis quippe videtur propositio a Doctoribus admissa, mulierem dici indotatam, aut minus sufficienter dotatam, si bona in actu Matrimonii assignanda non sint sufficientia, vel sint intricata, aut assignatio post obitum Parentum suum effectum sit habitura *Sanchez de matrimon. lib.* 8. *disput.* 19. *num.* 20. *& melius num.* 25. *de Justis de dispensat. lib.* 3. *cap.* 3. *num.* 46. *Anaclet. in* 4. *lib. Decretal. in append. de dispensat.* §. 3. *num.* 83. *& seqq. Crumer. quæst. canon. in* 4. *Decret. quæst. ult. num.* 2095. *Rosa de execut. litt. Apost. par.* 1. *c.* 11. *n.* 15.

Parum obstante, quod Didacus non dotavit ex integro Aloysiam in quantitate competenti, uti Summo Pontifici expositum fuit, quia quando plures exponuntur causæ, etiam copulative, inspicienda est causa, cui innititur rescriptum, & ea vera existente, non curatur de aliarum veritate; copulativa quippe in his terminis resolvitur in disjunctivam, juxta late tradita *per Sanchez de Matrimon. lib.* 8. *disput.* 21. *num.* 42. quapropter si pro obtinenda dispensatione sufficiebat, Aloysiam fuisse indotatam, & dispensatio huic motivo inniti poterat, non est ad rem, de qua agitur, habenda ratio novæ, & sufficientis dotationis a Didaco faciendæ.

Hæc sunt, quæ pro eruenda veritate existimavi in medium afferre. Quæritur itaque

An constet de nullitate Matrimonii in casu &c.

Sacra Congr. respondit,
Negative, & amplius.

QUÆSTIO CCLXXIV.

In causa Vadensi Reductionis Missarum, die 4. *Julii* 1722.

CUM in Testamento condito die 28. Maii 1597. Vincentius Vernatius inter cætera pia legata, suis hæredibus demandasset, ut suæ hæreditatis sumptibus perpetuo celebrari facerent quatuor Missas qualibet hebdomada in Ecclesia S. Vincentii, Franciscus, & Ortensius de Vernatiis Testatoris pronepotes huic Sacræ Congregationi supplicarunt pro onerum reductione, & inter cætera, pro reductione quatuor Missarum ad unam Missam qualibet hebdomada sub obtentu decrementi hæreditatis, & augmenti eleemosynæ Missarum, & requisita Episcopi Informatione, cum idem die 9. Junii 1670. exposuisset, quod narrata in facto subsistebant, Sac. Congregatio *die* 14. *Junii ejusdem anni, attenta relatione Episcopi S. Angeli in Vado, eidem benigne commisit, ut veris existentibus narratis, prædictum onus Missarum, firmis remanentibus aliis oneribus, ad Missas duas qualibet hebdomada, & ad unicum panem pro singulis pauperibus pro suo arbitrio, & conscientia gratis moderaretur, atque reduceret*, & Episcopus die 16. Januarii 1674. capta nova informatione, decretum executioni mandavit, & ab inde citra Missæ fuerunt celebratæ ad rationem duarum qualibet hebdomada. Inter decretum Sacræ Congregationis, & ejus executionem quoddam adnotatum reperitur rescriptum editum die 2. Augusti 1670. in quo ad petitionem supra memoratorum Francisci Mariæ, & Ortensii de Vernatiis responsum fuit, quod transmitteretur particula legati, & videretur, an hæredes tenerentur supplere. Ab hoc intermedio decreto Procurator Fiscalis Fabricæ S. Petri ansam desumit arguendi, quod Episcopus in se reversus notificavit Sacræ Congregationi, quod non agebatur de onere Missarum imposito super aliquo particulari corpore, sed super universa hæreditate, quod Legatum non erat capax reductionis, eo quod incipiebat ab onere, & sic quod hac de causa Sacra Congregatio jussit, quod particula legati transmitteretur, quod demum negligentibus Francisco, & Ortensio particulæ transmissionem, iisdemque subdole instantibus apud Episcopum pro reductione ad tramites decreti editi die 14. Junii 1670. Episcopus propter ingravescentem ætatem, oblitus actuum intermediorum post quadriennium hoc est anno 1674. allegatum decretum executioni mandavit, concludendo nullam esse reductionem, & sibi vindicare locum obligationem, tam in præteritum, quam in futurum celebrare faciendi qualibet hebdomada quatuor Missas.

Excipiunt e contra habentes causam ab hæredibus validam omnino fuisse reductionem, cum facta fuerit ab hac Sacra Congregatione usque de anno 1670. cum fuerit executioni demandata ab Episcopo anno 1674. & cum in posterum Missæ fuerint celebratæ ad tramites reductionis, nec obesse posse intermedium rescriptum editum die 2. Augusti 1670. cum imperceptibile sit, quod referatur ad reductionem Missarum obtentam antecedenter a Sac. Congregatione post Episcopi Informationem, & probabile admodum sit, quod percutiat aliquod aliud ex oneribus, quæ Sacra Congregatio firmata esse voluit in decreto anni 1670. ibi: *firmis remanentibus aliis oneribus.* Si hujus Sacræ Congregationis regesta in eo, quod attinet ad supplices libellos, fuissent antiquiori tempore exarata, sicuti nunc exarantur, hodie enim in regestis adnotantur nomina petentium, qualitas petitionis, & Sac. Congregationis responsum, facilis esset hujus controversiæ resolutio: sed cum antiquiori tempore sola nomina petentium, & Sacræ Congregationis rescriptum adnotarentur, hinc oritur confusio. Jura hinc inde circumferuntur, unde quæritur,

An reductio oneris Missarum facta ab Episcopo Urbaniæ sustineatur in casu &c.

Sacra Congr. respondit
Non esse molestandos quoad præteritum, & quoad futurum scribatur Episcopo juxta Instructionem.

QUÆ-

QUÆSTIO CCLXXV.

In Causa Tudertina Electionis Sepulturæ, die 4. Julii 1722.

FRANCISCA quondam Rugerii de Gregoriis de Terra Maffæ Diœcesis Tudertinæ, mortua est die 28. Maii 1721. exortaque circa tumulationem Cadaveris controversia inter Archipresbyterum Terræ, in cujus Parochia Mulier decessit, & Conventum, & PP. Tertii Ordinis S. Francisci, sub obtentu quod in eorum Ecclesia fuisset a prædicta Muliere electa Sepultura, Vicarius Generalis Tudertinus demandavit ut Cadaver loco depositi tumularetur in alia Ecclesia, sed Archipresbyter illud in sua sepelire fecit, & omnia funeris emolumenta recepit. Delata hujus controversiæ decisione ad hanc Sacram Congregat. & animadverso, quod hinc inde Testes ad perpetuam deponentes afferebantur, dictum fuit die 23. Augusti anni præteriti, quod Testes formiter hinc inde examinarentur. Examinati fuerunt Testes pro Conventu, & PP. deponentes, sed fertur Archipresbyterum noluisse suos examinari facere; cumque ex dictis duorum Testium pro Patribus examinatorum desumatur, Franciscam elegisse Sepulturam in eorum Ecclesia, & horum Testium dictum fulciatur attestatione Confessarii: *Sempre mi ha detto, e mi diceva di sua propria bocca, che venendo a morte voleva che il suo Cadavere fosse seppellito nella Chiesa della Madonna Santissima della Pace, e con questa disposizione è morta:* sequentia dubia disputanda proponuntur.

I. An constet de electione sepulturæ in casu &c. & quatenus affirmative.

II. An sit locus exhumationi, & restitutioni Cadaveris, de quo agitur, & quæ emolumenta sint restituenda a Parocho in casu &c.

Sacra Congr. respondit

Ad primum affirmative. Ad secundum affirmative etiam quoad omnia emolumenta, & amplius, & ad mentem. Et mens est quod Cadaver exhumari non debeat.

Archipresbyter novam audientiam postulavit, & obtinuit, & in scriptura per manus circumferenda contendit, electionem sepulturæ in Ecclesia Patrum non posse dici probatam, & quatenus esset probata, non relevare, utpote factam ad suggestionem Patrum adversus *Textum in cap. Animarum de sepulturis in 6.*

His stantibus, proposito dubio,

An sit standum, vel recedendum a decisis die 4. Julii 1722.

Sacra Congr. die 21. Novembris 1722. respondit

Ad primum in decisis. Ad secundum in decisis, excepta exhumatione, & restitutione Cadaveris.

QUÆSTIO CCLXXVI.

In Causa Mexicana, die 4. Julii 1722.

ARCHIEPISCOPUS Mexicanus Virum suorum negotiorum gestorem ad hanc Sanctam Sedem ablegavit, ut suo nomine peteret remedium adversus quosdam abusus, quos inquit irrepsisse in sua Diœcesi, & ulterius instaret pro nonnullis providentiis, quas putat esse necessarias pro recto dictæ Diœcesis regimine, & petitionum examen fuit a Sanctitate Sua ad hanc Sacram Congregationem remissum.

Cæteris autem prætermissis, quæ plenius ex scriptura per manus circumferenda desumi possunt, & quæ obvias respiciunt materias, duo sunt particularia capita, de quibus agendum est, & quæ prædictas Regiones particulariter respiciunt.

Refert itaque primo Archiepiscopus in sola Civitate Mexicana reperiri centum & septendecim Sacerdotes Sæculares, præter Clericos, & alios, qui adhuc Sacerdotalem Ordinem non fuerint assecuti, quique cum dictis Sacerdotibus complent numerum quatuor centum & quadraginta, absque eo quod in hoc numero computentur illi, qui degunt in Oratorio S. Philippi Nerii, vel in Collegio Apostolico; refert etiam Parochiales Ecclesias in sua Civitate administrari a Sacerdotibus Regularibus, viginti quinque videlicet Parochias a Patribus Dominicanis, septuaginta tres a Patribus S. Francisci de Observantia, & quinquaginta unam a Patribus S. Augustini; cumque tam Clerici, quam Sacerdotes Sæculares moribus, & scientia præstent, & ad exercendam Curam Animarum sint idonei, proponit idem Archiepiscopus, quod Patribus Dominicanis quindecim Parochiæ, Patribus S. Francisci Parochiæ quadraginta tres, & Patribus S. Augustini triginta una Parochiæ relinquantur, ut hoc modo remaneant sexaginta Ecclesiæ Parochiales Sacerdotibus Sæcularibus conferendæ, licet enim, instante Philippo II. Hispaniarum Rege, S. Pius V. indulserit, ut Religiosi Regulares, in partibus novarum Indiarum Officio Parochorum fungi valerent, juxta Bullam 34. ejusdem Pontificis Bullar. *tom.* 2. id tamen statutum fuit propter defectum Presbyterorum Sæcularium, uti legitur in Proœmio Bullæ; quocirca si hodie multiplicatus est numerus dictorum Presbyterorum, congruum esse videtur ut aliquæ Parochiæ a Regularibus auferantur, & eorum fiat collatio Sacerdotibus Sæcularibus, juxta Constit. 32. Innoc. X. *Bullar. tom.* 5. ibi: *tertio an Bulla Pii V. 34. in ordine tom. 2. Bull. concessa instante, & supplicante Serenissimo Rege Catholico, non ad petitionem Regularium sit revocata in Bullis Summorum Pontificum, in quibus exemptiones Regularium mitigantur. Respondit agendum cum Sanctissimo, an velit declarare Bullam non esse revocatam, illam tamen non suffragari, nisi in locis, ubi est defectus Parochorum.*

De Bulla quoque Gregorii XV. quæ incipit *Inscrutabili*, & quæ est 18. in ordine *Bullar. tom.* 4. agitur, an suam debeat habere executionem, urgente Brevi Urbani VIII. impresso apud *Lezan. Consult.* 40. *n.* 116. in quo ad instantiam Ducis Pastranæ legati Regis Hispaniarum, apud Sanctam Sedem sic dictus Pontifex statuit: *motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione &c. de Apostolicæ potestatis plenitudine Fraternitati tuæ per præsentes committimus, & mandamus, ut in Regnis Hispaniarum prædictis tantum ad executionem infertarum litterarum hujusmodi supersederi auctoritate nostra cures, & facias, donec aliter a nobis, seu Romanis Pontificibus successoribus nostris provisum fuerit.*

Plura a scribentibus pro Archiepiscopo afferuntur, ad effectum suadendi Bullam Gregorii XV. suum robur sibi vindicare debere, non obstante allegato Brevi Urbani VIII., & signanter quia in famigerata causa inter Episcopum Angelopolitanum in Indiis Occidentalibus, & Clericos Regulares Soc. Jesu Innoc. Papa X. in citata Constitutione 32. §. 10. *Bullar. tom.* 5. jussit quod in casus contingentia Episcopus procederet ad tramites citatæ Bullæ Gregorii XV.

Præter autem docte, & copiose ab informantibus allata, ponderari meretur auctoritas *Frassi* auctoris Hispani, & qui Fiscalis munere in Tribunalibus Regni laudabiliter functus est, ille enim in suo Tractatu de Regio patronatu Indiarum *cap.* 74. *num.* 29. *& seqq.* testatur, Breve suspensivum Urbani VIII. non fuisse extensum ad Indias, & ex posterioribus ejusdem Pontificis Brevibus Bullam Gregorii XV. esse praxi, & usu receptam in Regnis Hispaniarum, ibi: *hoc tamen Urbani VIII. Breve non obstante, alia duo deinde ab eodem Summo Pontifice expedita sunt sub diebus* 13. *Octobris* 1627. *&* 30. *Januarii* 1629. *pro Diœcesibus Gennen., & Corduben. in quibus quo ad rem, de qua agitur, idem statuitur, & præcipitur quod fuerat per Gregorium Papam XV. in prædicta Bulla sancitum, quibus suppositis, & admissis, ac rursus praxi Hispaniæ a Doctoribus nostris jam citatis animadversa, videtur non esse dubitandum in eo Regno de observantia, & executione dictæ Bullæ &c. certum est Breve illud suspensionis ad Indias has Occidentales non extendi, cum solum loquatur de Hispania, non de Indiis; ut in Regnis Hispaniarum prædictis tantum ad executionem litterarum hujusmodi supersederi, auctoritate nostra cures, & facias, ubi observanda est dictio tantum, quæ natura sua includit expressum, & alia excludit, ad non expressa extensionem non admittit, atque exceptiva limitat, restringit, & excludit.*

Hæc sunt, quæ operæ pretium censui adnotare.

Descripta fuit hæc causa in folio hujus Congregationis, nec ulla, propter aliarum Causarum in eodem folio descriptarum numerum, capta fuit resolutio, & quatenus etiam tempus superfuisset, Causa resolvi non potuisset: quandoquidem Patres Procuratores Generales S. Dominici, Minorum Observantium, & S. Augustini supplicem Sanctissimo Domino Nostro exhibuerant libellum, in quo exorabant, ne de Causa in Sac. Congregatione ageretur, usquequo Patres Provinciales Provinciæ Mexicanæ fuissent citati, & jura sua deduxissent, & per Epistolam Secretariæ Status mihi fuerat demandatum, ut

EE. VV. notificarem pendentiam recursus ad Sanctitatem Suam, & causam in folio iterum non proponerem, nisi habito verbo cum Summo Pontifice; cumque in audientia habita *die* 18. *Julii* Sanctitati suæ expofuerim tum hujus Causæ merita, tum contenta in supplici libello PP. Procuratorum Generalium mihi communicato, & Beatissimus Pater omnia ad hanc Sacram Congregationem remiserit, hoc est examen, nedum meritorum causæ, sed etiam exceptionis a dictis Patribus Procuratoribus Generalibus propositæ, hinc est, quod iterum de hac causa agitur, & ad calcem restrictus eadem proponuntur dubia, quæ in præterita Congregatione fuerunt proposita, & non resoluta.

Pro facti autem dilucidatione, operæ pretium esse censeo nonnulla adnotare, primum, quod in folio præteritæ Congregationis dictum fuit Parochiales Ecclesias in Civitate Mexicana administrari a Sacerdotibus Regularibus, 25. videlicet Parochias a Patribus Dominicanis, 73. a Patribus S. Francisci de Observantia, & 51. a Patribus S. Augustini; de Civitate etenim Mexicana loquebantur Informantes *in suo Restrictu* §. 2. ibi: *eo quia in dicta Civitate omnia Beneficia Parochialia administrantur a triplici Religiosorum specie.*

Cum vero tam Informantes, quam ipsi admoniti fuerimus de magna improbabilitate, quod in sola Civitate Mexicana adessent 149. Parochiæ, Informantes in nova scriptura dicunt se fuisse loquutos tam de Civitate, quam de Diœcesi; loquuti enim fuerunt relative *ad Summ. num.* 3. in quo Testis sermonem facit de Civitate, & de Diœcesi, & ipsemet addo, quod reassumpta Relatione status suæ Ecclesiæ ad hanc Sac. Congregationem ab Archiepiscopo Mexicano transmissa, & scripta *die* 8. *Augusti anno* 1720. hæc habentur quoad numerum Parochiarum, *adsunt insuper in hac Civitate quatuor Parochiæ, quæ debitis distantiis per Parochos sæculares deserviunt Hispanis; nam ad Indorum administrationem adsunt aliæ sex Parochiæ in suburbanis, quarum tres per Regulares S. Augustini, & tres aliæ per S. Francisci inserviuntur &c. reliquas autem totius Archiepiscopatus Parochias, quæ olim in longiori distantia constitutæ sunt, prout tunc temporis necessitas coegit, nunc in proximiori statuere curabimus, & in visitationibus futuris curaturi sumus &c. sunt ergo in omnibus sufficientes Parochi, tam ex Clero, quam ex tribus Religionibus videlicet S. Dominici, S. Francisci, & S. Augustini.*

Secundum est, quod in ordine ad qualitates Clericorum sæcularium hæc alia subduntur in eadem Relatione, *quoad Clerum, tam Civitatis, quam Diœcesis major pars componitur ex Laureatis tam in gradibus minoribus, quam majoribus, videlicet Baccalaureatus, Licentiatus, & Doctoratus in Philosophia, & Sac. Theolog. in Sac. Canonibus, & Jure Civili: nam hæc Magnæ, & Per-Illustris Academia, quæ omnes totius facultatis Cathedras, Ærario Regis Catholici dotatas habet, quotidie Viros doctos, morigeratos, & nobilissimæ indolis parit, & in lucem edit.*

Tertium est, quod ad amputandam quamcumque controversiam circa numerum Ecclesiarum Parochialium, quæ administrantur a Regularibus, & quæ 149. esse dicuntur, tam habita ratione illarum, quæ sunt in Suburbiis Civitatis, quam aliarum, quæ sunt in Diœcesi, proponitur a Ministro Archiepiscopi ad Urbem transmisso, quod id, quod deerit ad complendum numerum expositum 149. Parochiarum, comprehensis tamen sub numero Parochiarum etiam Vicariis, in quibus cura animarum exercetur, detrahantur ab illis sexaginta, pro quarum applicatione Presbyteris sæcularibus facienda exoratur.

Ultimum est, quod ad tollendam de medio exceptionem, quod intentio sit dandi Presbyteris sæcularibus Parochias pinguiores, & pauperiores Regularibus relinquendi, ab eodem Ministro proponitur, quod arbitrium Regularibus detur eligendi Parochias, quas pro se intendunt retinere, & quod sæcularibus applicentur illæ, quas Regulares pro se non retinebunt, cum additione, quod possint Regulares relinquere sæcularibus etiam Vicarias, in quibus cura animarum exercetur.

Hæc sunt, quæ existimavi necessarium esse, ut exponerentur, idcirco quæritur

I. An Bulla S. Pii V. la 34. *quæ incipit Exponi nobis &c. suffragari amplius possit in Civitate Mexicana in casu &c. & quatenus negative.*

II. An, & quomodo consulendum sit in futuris vacationibus Parochialium retentarum a Regularibus in casu &c.

III. An Vicarii Regulares, sive perpetui, sive temporales possint institui in Parochiis sine legitima approbatione Archiepiscopi, & respective removeri sine ejus licentia, in casu &c.

IV. An, & quomodo sit providendum in illis Parochiis circa deputationem Ministrorum, in quibus adest affluentia Populi, & distantia loci in casu &c.

V. An, & quomodo competat Archiepiscopo Jus societates erectas visitandi in Ecclesiis Regularium, & præsertim illas SS. Deiparæ Rosarii, & Montis Carmeli in casu &c.

VI. An, & quo Jure procedere possit Archiepiscopus in casu Confugii Regularium in alienas Religiones, in casu &c.

VII. An Archiepiscopo competat Jus approbandi Confessarios Regulares, aliaque gerendi præscripta in Bulla Gregorii XV. quæ incipit, Inscrutabili. *Etiam in Monasteriis pleno jure Regularibus subjectis in casu &c.*

Sacra Congr. die 8. Augusti 1722. respondit,

Dilata, & scribatur Nuncio juxta instructionem, & acriter monetur Procurator Generalis min. Observ., & Commissarius Generalis.

QUÆSTIO CCLXXVII.

In causa Melphitensi, die 8. Augusti 1722.

INSTANTE Episcopo Bituntino, Sac. hæc Congregatio *die* 13. *Septemb.* 1675. decrevit, Clericos etiam Possessores Beneficiorum infra summam ducatorum 60. auri de Camera esse obligatos ad deferendum habitum, & tonsuram Clericalem sub pœnis de quibus *in Constit.* 92. *Sixti Quinti*, & opponentibus Clericis Melphitensibus, memoratam Sixtinam Constitutionem fuisse ab alia subsequenti ejusdem Pontificis, quæ incipit *Pastoralis*, revocatam, itaut Possessores Beneficiorum infra summam expressam ducatorum 60. auri de Camera ad delationem habitus, & tonsuræ Clericalis minime censerentur adstricti, Sac. hæc eadem Congregatio *die* 4. *Septembris* 1677. respondit dictorum Beneficiorum Possessores teneri ad deferendum habitum, & tonsuram Clericalem, non obstante allegata Constitutione *Pastoralis*, uti habetur *lib.* 29. *decret. pag.* 147. *& pag.* 500.; Clericique dictæ Diœcesis Melphitensis abinde citra promptissime paruerunt, &, teste Episcopo, tonsura Clericalis debitis modis, & formis a singulis dictæ Diœcesis Clericis delata est, & defertur.

Anno præterito, præter Diœcesis morem Marcellus Gadaleta Clericus Beneficiatus sibi Comam ascititiam vulgo Perucham imposuit, & Episcopus ad sartam tectam conservandam sui Cleri disciplinam, necessariam esse existimavit edicti publicationem, in quo, tam Clericis Beneficiatis, quam aliis constitutis in Sacris Ordinibus prædictæ Comæ delationem prohibuit sub pœna etiam Excommunicationis, & quoad Clericos primæ Tonsuræ, & Minorum Ordinum id ipsum decrevit sub pœnis tamen arbitrariis, ad tramites Sacrorum Canonum, & Concilii Tridentini, assignato duorum mensium termino, intra quem, qui Comam ascititiam deferebant, eam deponere deberent; cumque elapso termino, & prosequente Marcello in Comæ delatione, res eo devenerit, ut Episcopus eum fecerit arrestare, & ab ejus capite capillitium detrahere, exorta subinde est controversia, eademque ad hanc Sac. Congregationem delata; licet ipse, coram quo tanquam Secretario Sac. Congreg. jura deducta sunt, crediderim esse locum executioni edicti Episcopalis, provocante nihilominus Marcello Gadaleta ad Sac. Congregationem, de duobus in præsenti est inquirendum, de subsistentia videlicet, vel insubsistentia edicti Episcopalis, & an sit toleranda gestatio Perucchæ in casu, de quo agitur.

Quoad subsistentiam edicti gestatio Comæ ascititiæ erat olim de genere prohibitorum, etiam quoad fœminas juxta illud *Tertulliani lib. de mulierum cultu*, ibi -- *si non pudeat enormitatis, pudeat inquinamenti, ne exuvias alieni capitis forsan immundi, forsan nocentis, & gehennæ destinati, Sancto, & Christiano capiti supparetis*, & erudite prosequitur *Christianus Lupus ad Concilia Generalia, & Provincialia tom.* 3. *differt. de actis S. Leonis Noni cap.* 15. *in fine*, eademque delatio nunc est saltem de genere prohibitorum, quoad Clericos, uti monet *Sausai in sua Panoplia Clericali par.* 2. *lib.* 5. *capit.* 1. & late prosequitur *Joannes Baptista Thiers in sua histor. Gallice conscripta de Perucchis*, consonantque plures dispositiones Synodales; in Synodo etenim Melitensi *anni* 1703. *sess.* 3. *cap.* 1. *numer.* 7. sic legitur, *nullus*

lus nedum ad Sacros, verum etiam ad minores Ordines promotus, & prima tonsura initiatus Comam, multoque minus fictitiam deferat. In Synodo Pisana *anno* 1708. *cap.* 25. sic disponitur de Clericis, *Comam sæcularium more non nutriant, quominus ascititiam deferant, vulgo Peruccham nuncupatam*. In Synodo Diœcesana Montis Falisci *anno* 1720. *cap. ultimo num.* 2. sic fuit de Clericis statutum, *severiores pœnas etiam Carceris, si moniti non paruerint, luent illi, qui ementitam cæsariem assument, & gestabunt*. In Synodo Portalegren. *anni* 1714. *sess.* 3. *cap.* 1. ibi -- *omnes autem nedum in Sacris, verum etiam in minoribus constituti Ordinibus, & prima tonsura initiati Comam non nutriant, sed eam ita brevem habeant, ut aurium extremitates pateant, nunquam vero ascititiam Italice Peruccham*. Et in eo, quod attinet ad pœnas in edicto Melphiten. impositas sciendum est, quod imposita ab adhuc vivente D. Sarnello Episcopo Vigilien. in suo edicto *die* 29. *Junii* 1697. pœna Excommunicationis ipso jure adversus Clericos in sua Diœcesi Comam fictitiam, seu Perucchem deferentes, appellatio fuit ad S. Sedem interposita, & deputata Congregatione particulari, hæc *die* 20. *Maii* 1699. fuit in sensu pro moderatione decreti, hoc est pro pœna Excommunicationis adversus Clericos Beneficiatos, & alios in majoribus Ordinibus constitutos, & quod adversus Clericos primæ Tonsuræ, & Ordinum minorum Perucchem deferentes procederetur ad tramites Sacror. Canonum, & S. Concilii Tridentini *cap.* 6. *sess.* 23. *de refor.* uti habetur *lib.* 49. *decret. pag.* 206. §. 26. & referunt *memoratus Episcopus Sarnellus tom.* 4. *suarum epistolarum discursu de Perucchis cap.* 13. *Monacell. in formul. legal. in append. tom.* 1. *fol.* 359. *num.* 19. *&* 20.

Hæc quoad primum dubium; transeundo ad secundum, vis coram me constituebatur a Clerico Beneficiato Marcello Gadaleta in necessitate, in qua pro tuenda propria valetudine constitutus est, itaut ad avertendos morbos indigeat gestatione Perucchæ juxta Medicorum attestationem: Concurrente autem necessitate non videtur Clerico, licet Beneficiato prohibendum, quod Comam deferat fictitiam, modestam tamen, & a luxu alienam, uti docent *Anaclet.*, *ad lib.* 3. *decretal. lib.* 3. *tit.* 1. §. 3. *nu.* 90. *Ursaya instit. criminal. lib.* 1. *tit.* 10. §. 4. *nu.* 51. *& seqq.* & in fortioribus, quod concurrente necessitate Sanctum Missæ Sacrificium celebrari possit a Sacerdotibus etiam cum Peruccha, & præsertim, si hæc facit unum moraliter cum capite, nec a Coma nativa internoscitur, docet *Theophil. Raynaud oper. tom.* 13. *de pileo, & cæteris capitis Tegminibus sect.* 2. §. *Nunc e contrario versus finem*, & celebris est licentia a clar. mem. Card. Hieronymo Grimaldo Aquensi Archiepiscopo concessa, & impressa apud *Thiers in allegato tract. de Perucchis pag.* 373., quæ est sequentibus verbis concepta, *visa attestatione Magistri Doctoris Medici, quapropter vertiginis, quæ pateris incommoda, unde nisi de opportuno provideatur tibi remedio, etiam mors forte consequeretur, cæsariæ tibi opus esse testatum fecit, nos, visa ea attestatione supplicationi desuper per te nobis factæ annuentes, tibi, ut cæsariem, etiam sacrum faciendo, gestare possis, & valeas, licentiam, & facultatem impertimur in Domino. Memineris igitur non indultum hoc esse vanitati, sed necessitati concessum; quapropter non solum monitum te esse volumus, ut coronam non erubescas, sed, & præcipimus tibi, quatenus qui in tonsuræ Clericalis susceptione, capitis Comam deposuisti, cæsariem sic componendam cures, ut, & color ætati in senium inclinanti congruat, & pateant aures, & corona Sacerdotalis appareat; nec enim ea nostra mens est, ut cum in Presbyterali Ordine sis constitutus, & seniles atque graves mores pro status ratione præferre debeas, juvenile, & mundanum ornamentum, quod, & Clericalis tonsuræ, & novissimorum memoriam imminuat, aut penitus tollat, laicisque scandalo sis, gestare valeas*. Et præscindendo a Missæ celebratione non desunt argumenta a Synodis deducta pro gestatione Perucchæ in casu necessitatis; in Synodo quippe Bononiensi *anno* 1698. *lib.* 3. *cap.* 1. prohibetur Clericis adulterinum Capillitium, sed subditur limitatio, *nisi ex causa nobis, vel Vicario nostro cognita indulgendum ad tempus arbitrabimur*, & in Synodo Asculana *anni* 1719. *cap.* 20. *nu.* 3. fictitia Coma Clericis vetatur, *nisi ex justa, & rationabili causa dispensationem impetraverint*.

Promotor e contra Fiscalis Curiæ Episcopalis Melphiten. excipiebat, & excipit primo, inter suæ Diœcesis Clericos Perucchæ gestationem esse prorsus inusitatam, secundo unicum esse Gadaletam, qui eam audeat velle deferre; tertio se prævidere multos alios eam esse assumpturos, si gestatio Gadaletæ indulgeatur, quarto eum prospera valetudine frui, quinto non esse ullo modo deferendum attestationi Medicorum, utpote ad placitum exaratæ, & multo magis, cum in aliis rebus deprehensum fuerit eosdem Medicos nimium indulsisse genio requirentium. Addi posset, quod cuicunque morbo, cui Coma fictitia opitulari potest, æquale remedium parari valet ex usu boni pileoli, uti prosequitur *Thiers in citato tract. pag.* 490.; ubi refert Innocentium Quartum Monachis S. Benedicti, qui erant Canonici Ecclesiæ Cantuariensis permisisse, ut tempore Officiorum Divinorum pileolis uti possent ad morbos avertendos, quos contraxerant ex Ecclesiæ humiditate, Officium nudo capite recitando; & in eo demum, quod spectat ad supra relatam licentiam clar. mem. Card. Grimaldi prætermissis responsionibus, quæ ex ejus lectura facile colligi possunt, & salva reverentia, quæ ejus nomini, & Dignitati jure merito debetur, dici potest eum suas facultates excessisse; non potest etenim Episcopus dictam concedere licentiam, uti habetur *ex Canone nullus Episcopus* 87. *de consecrat. dist.* 1. & facit Decretum Generale Congregationis Sacrorum Rituum impressum in principio Missalis, ibi -- *nemo audeat uti pileolo in celebratione Missarum sine expressa licentia Sedis Apostolicæ, non obstante quacunque contraria consuetudine*, & late prosequuntur *Gavant. ad rubr. Miss. par.* 2. *tit.* 2. *de ingressu Sacerdotis ad Altare litt. F. Theophil. Raynaud. loc. cit.* §. *Nunc e contrario, Monacell. in formul. legal. tom.* 4. *pag.* 32. *num.* 14.

Anno quoque 1690. de ordine s. m. Alexandri Octavi examinatum fuit in Congregatione Particulari, an subsisteret doctrina *Pasqualig. de sacrificio novæ Legis quæst.* 83. quod Missa celebrari posset cum Peruccha, licet modesta, & responsum fuit negative, ut habetur apud *Ursayam instit. criminal. lib.* 1. *tit.* 10. §. 4. *num.* 51. Tempore item s. m. Innocentii XII. Encyclicæ litteræ ad Nuntios scriptæ sunt, ut Ordinarios admonerent, ne id fieri permitterent in suis Diœcesibus, uti habetur apud *Anaclet. lib.* 3. *tit.* 1. §. 3 *num.* 93. & Sacra hæc demum Congregatio *die* 6. *Jun.* 1716. instantiam rejecit Sacerdotis supplicantis pro facultate Missam celebrandi ficto capillitio propter falsi humoris labem, qua caput laborabat.

His stantibus, quæritur,

I. An Edictum Reverendiss. Episcopi sustineatur, & quatenus affirmative.

II. An sit toleranda gestatio Perucchæ in casu, de quo agitur &c.

Sacra Congr. respondit

Ad primum affirmative. Ad secundum negative in casu, de quo agitur.

QUÆSTIO CCLXXVIII.

In Causa Placentina Lecturæ, die 8. *Augusti* 1722.

ALEXANDER Scappius Patria Bononiensis, & Episcopus Placentinus ex suo ære Patrimoniali fundavit Lecturam S. Theologiæ pro Clero sæculari dictæ Civitatis Placentinæ, & assignavit Lectori salarium scutorum 50. annuorum solvendum de semestri, in semestre.

Idem Alexander sibi reservavit facultatem eligendi Lectorem quoad usque vixisset, & post suam mortem jus eligendi detulit ad eos, qui a se instituentur, & fient hæredes, seu qui jam instituti, & facti essent, vel qui ei ab intestato successissent, dummodo essent *de, & ex Illustrissima Familia Scappia*.

Post obitum Episcopi, qui contigit *anno* 1652. institutis sibi hæredibus Carolo Aloysio Scappio ex fratre nepote, & Camillo ex altero fratre pronepote, absque ulla lite expletæ sunt Lectorum nominationes; expletæ siquidem fuerunt a Carolo Aloysio, & a Camillo, & mortuo Carolo Aloysio, in postremis vacationibus secutis *anno* 1701. & *anno* 1716. quinque filiæ, & hæredes Caroli Aloysii pro una parte, & Camillus pro alia parte nominationes fecerunt.

Nonnullis ab hinc annis, Camillus vitam cum morte commutavit, instituto sibi hærede Camillo Sampieri, ex Constantia filia nepote, superventaque nova vacatione Lecturæ, quinque filiæ, & hæredes Caroli Aloysii, una cum Lucretia ipsarum Matre, & hærede usufructuaria sui Viri ad Lecturam nominarunt Dominicum Madium, & Camillus Sampieri, & Constantia Scappia ejus Mater devenerunt ad nominationem pro eadem Lectura in persona Josephi Copellotti, & hinc quæstio, de qua in præsenti agendum est, causam habuit.

Usque

Usque adhuc nulla scriptura ad me delata est pro sustinenda nominatione Josephi Copellotti, licet præfixiones terminorum, & omnes congruæ dilationes fuerint concessæ; pro parte autem Dominici Madii scriptura per manus circumfertur, in qua primo asseritur, quinque Sorores Caroli Aloysii filias, quæ ipsum nominarunt, esse in possessione nominandi; secundo, jus nominandi vere ad easdem pertinere, cum agatur de jure mixto, hæreditario videlicet, & familiari, eædemque sint hæredes mediatæ Episcopi Fundatoris ex persona Caroli Aloysii Patris, & sint ex Familia, & Agnatione Scappia, non obstante, quod sint nuptæ in extraneis Familiis; quia donec vivunt, agnationem conservant; tertio, Camillum Sampieri, qui Josephum Copellottum nominavit, esse quidem hæredem Fundatoris ex persona Camilli Avi, sed non esse de Agnatione Scappia; quarto, Constantiam Scappiam Camilli Sampieri Matrem esse quidem Agnatam, utpote filiam Aloysii Scappii, sed non esse hæredem, cum Camillus ejus Pater sibi hæredem scripserit Camillum Sampieri nepotem; quinto, non sufficere in Constantia qualitatem hæreditariam in habitu, cum enim Fundator vocaverit eos, qui instituentur, & fient hæredes, aut ab intestato succedent, & ulterius suos hæredes, & successores gravaverit ad solvendum Lectori scuta 50. hinc infertur fuisse ab eo volitam qualitatem hæreditariam actu, & non habitu; ultimo demum, in omnem casum contendit Madius sibi debitam esse gratificationem, quia, teste Episcopo, præcellit ætate, experientia, & doctrina Copellottum Adversarium.

His stantibus, quæritur.

An, & cui debeatur institutio, seu admissio ad Lecturam, de qua nunc agitur, & quatenus ea non debeatur Dominico Madio, an sit locus gratificationi favore ejusdem, in casu &c.

Sacra Congr. die 29. Augusti 1722. respondit,

Institutionem, seu admissionem ad Lecturam deberi Dominico Madio.

QUÆSTIO CCLXXIX.

In Causa Neapolitana Sponsalium die 8. *Augusti* 1722.

INSTANTE Agnete Avossa, Curia Archiepiscopalis Neapolitana sub obtentu præcedentium sponsalium a Dominico Celentano cum prædicta Agnete contractorum, decrevit, quod idem Dominicus intra terminum duorum dierum, sub pœna Excommunicationis contrahere deberet Matrimonium cum memorata Agnete; cumque ab Auditore Sanctissimi, prævia avocatione Causæ a quocunque Tribunali, fuerit eadem ad hanc Sac. Congregationem remissa, disputari in præsenti contingit super sponsalium validitate, item super coactione ad contrahendum, & in omnem casum super obligatione dotandi.

Quoad sponsalia Dominicus contendit de illis rigorose non constare, cum de essentia sponsalium sit libertas, & libertas in casu desuerit, ex quo promisit quidem in Uxorem ducere Agnetem, sed instante, & armata manu comminante Andrea Agnetis Genitore, qui eum cum ipsa colloquentem invenit.

Transeundo ad coactionem, quatenus de sponsalibus constaret, Dominicus ait, non posse esse locum coactioni, cum adsint causæ recedendi a sponsalibus, disparitas videlicet conditionis inter ipsum, & Agnetem, inhonestas ejusdem Agnetis, & inimicitia inter ipsum, & Agnetem exorta propter querelam stupri ab ipsa datam, & quinquennalem carcerationem, quam ex dicta causa passus est.

Remanet obligatio ad dotandum, a qua Dominicus se prætendit immunem, deficientibus stupri probationibus, & ad amputandam quamcunque controversiam, cum factum jam fuerit ab ipso depositum in Sacro Monte Pietatis Neapolis summæ ducatorum bis mille, ut cum eis Agnes Virum reperire valeat, concludit non esse sibi ex hoc capite molestiam inferendam.

His stantibus, quæritur,

I. An constet de Sponsalibus in casu &c. & quatenus affirmative.

II. An Dominicus Celentanus sit cogendus ad contrahendum per verba de præsenti cum Agnete Avossa, seu potius teneatur dotare &c. in casu &c.

Sacr. Congr. die 19. Septembris 1722. respondit

Ad primum affirmative. Ad secundum affirmative quoad primam partem, & negative quoad secundam.

QUÆSTIO CCLXXX.

In Causa Mantuana Catechismi, die 8. *Augusti* 1722.

CONTENDIT Promotor Fiscalis Curiæ Episcopalis Mantuanæ exercitium Catechismi, sive docendi Puellas Doctrinam Christianam esse explendum in Ecclesia Confraternitatis S. Mariæ de Humilitate nuncupata *Quadraginta horarum* Civitatis Mantuæ; sic enim statutum ait *anno* 1593. a Francisco Gonzaga Episcopo Mantuano, sic actum asserit usque *ad annum* 1695., quo tempore dictum exercitium fuit intermissum ex causa fabricæ, & sic demum continuatum subinde fuisse prætendit usque ad annum 1716. ex quibus omnibus infert, non esse locum remotioni dicti exercitii ab Ecclesia, de qua nunc agitur, cum juxta *Bullam S. Pii V.* 137. *Bull. tom.* 5. pertineat ad Episcopum deputare aliquas Ecclesias, in quibus Doctrina Christiana doceri debeat.

Excipiunt e contra Confratres in sua Ecclesia exercitium Catechismi pro Pueris tantum, & non pro Puellis fieri debere; Catechismus etenim pro Puellis fieri cœpisse dicitur in eadem Ecclesia *anno* 1695. ad preces Serenissimæ Ducissæ Mantuæ, cui Confratres annuerunt, cum protestatione tamen, quod concessio haberetur pro non facta, statim ac ex ea aliquod incommodum in Confratres, aut Ecclesiam derivaret.

Addunt de incommodo hic, & nunc non esse dubitandum, tum propter angustiam Ecclesiæ, tum propter functiones in ea ex instituto peragendas. Afferunt denique Breve san. mem. Gregorii XIII. in quo fit mentio de Catechismo pro Pueris in Ecclesia, de qua nunc agitur, faciendo, ex cujus tenore Brevis inferunt non esse Catechismum Puellis in eadem Ecclesia explanandum, cum locus, in quo traditur Pueris Catechismus debeat esse diversus ab alio, in quo idem Catechismus traditur Puellis, & multo magis, cum in decretis Generalibus Congregationis Sacrorum Rituum *editis anno* 1703. proposito dubio 17. *An Parochus, invitis Confratribus, docere possit Doctrinam Christianam in prædictis Ecclesiis, & Oratoriis publicis, & privatis a Parochiali divisis, & separatis*, responsum fuit *negative*.

Jura hinc inde circumferuntur, & quæritur,

An sit removendum exercitium Catechismi, & docendi Puellas in V. Ecclesia Confraternitatis S. Mariæ de Humilitate nuncupat. Quadraginta horarum Civitatis Mantuæ, in casu &c.

Sacra Congr. die 29. Augusti 1722. respondit,

Negative, & amplius.

QUÆSTIO CCLXXXI.

In Causa Ariminensi, die 8. *Augusti* 1722.

JOSEPH Belluccius Clericus Ariminen. qui in Urbe commoratur, anno 1719. obtinuit ab Eminentissimo D. Cardinali Barberino Abbate Farfen. Beneficium, seu Cappellaniam perpetuam sub titulo S. Mariæ Angelorum erectam in Ecclesia Parochiali Castri Novi, annui reditus scut. 36. & obulorum 35. cum onere tamen ducentarum triginta quinque Missarum lectarum, & aliarum trium cantatarum, necnon unius Anniversarii, cumque prædictus Joseph ad titulum dictæ Cappellaniæ cupiat Sacris Ordinibus initiari, & ab Eminentissimo Episcopo Ariminen. litteras dimissoriales obtinuerit cum clausula, *dummodo Beneficium, seu Cappellaniam pacifice possideas, & ad congruam tui substentationem sufficiens sit*, exorta est in Secretaria Eminentissimi Urbis Vicarii controversia, an Cappellania, de qua nunc agitur, sit habenda pro sufficienti, non quia scuta annua 36. non sint satis juxta taxam Farfen. & Ariminen. pro Sacris Ordinibus suscipiendis, sed quia onus Missarum non est ab ipso Cappellano per se ipsum de necessitate adimplendum: in quo rerum themate, nonnullæ adsunt resolutiones hujusce Sac. Congregationis, in quibus decernitur onus Missarum esse a valore Cappellaniæ detrahendum, ad differentiam casus, in quo Missæ essent per seipsum a Beneficiato, seu Cappellano celebrandæ. Auditus fuit Eminentissimus Abbas, qui in sua informatione inquit, articulum indigere declaratione, & alias a Sac. Congregatione fuisse demandatum, quod super eo scriberetur. Idem quoque Eminentissimus Abbas hæc subdidit in allegata informatione: *Duo autem addenda in præsenti casu putavi, unum, quod plurimi promoti sunt ad titulum dictæ Cappella-*

pellaniæ, non detractis oneribus supradictarum Missarum. Alterum, quod si promoveri non poterunt, etiam in futurum, difficillimum erit reperiri, qui Cappellaniam acceptare velit in maximum ejusdem Cappellaniæ præjudicium, quæ destituta Rectore diu vacabit, reditusque, & credita ad ipsam spectantia, in quibus fere integer reditus consistit, inexigibilia evadent.

Actum fuit de hac Causa in hac Congregatione, & quia prædictus articulus est exemplaris, & non obstantibus antiquioribus resolutionibus, Sacra Congregatio in Romana, seu Sipontina Ordinationis 22. *Novembris* 1717. jusserat, quod super eo scriberetur pro veritate, operæ pretium esse censui meum edere Discursum, in quo nedum fuerunt adnotatæ resolutiones super hac materia, sed etiam rationes, quæ militabant pro unaquaque opinione, ut visis hinc inde videndis, Sacra Congregatio statuere posset, quid in casu proposito, & in aliis consimilibus agendum esset.

Nulla fuit in hac Congregatione capta resolutio, sed repropositа Causa in sequenti Congregatione habita *die* 29. *Augusti*, dictum fuit, quod præallegatum meum Discursum communicarem tum Domino Cajetano Ivones Promotori Fiscali Eminentissimi Urbis Vicarii, & Sacræ Visitationis Apostolicæ, tum alteri eligendo ab Eminentissimo Præfecto, ut iidem scriberent pro veritate, factaque per Eminentiam suam electione Domini Advocati Dominici Ursayæ, dictum Discursum utrique communicavi, & uterque mandatis Sacræ Congregationis morem gessit, & scripturam per manus circumferendam docte elucubravit.

Porro uniendo deducta, tam in relatis scripturis, quam in allegato Discursu, colligitur, quatuor præcipuas esse super articulo proposito sententias.

Prima sententia est eorum, qui volunt, onera Missarum semper esse detrahenda a valore Beneficii, ad cujus titulum quis vult ordinari; sed hæc sententia, utpote nimis rigorosa, nec admittitur a Domino Promotore Fiscali, nec a Domino Advocato Ursaya; est etenim nimis rigida, & impracticabilis, cum in omnibus fere Beneficiis adsit aliquod onus Missarum, quo detracto, id quod superest, non sufficit pro Sacra Ordinatione, & ad summum ea posset sibi vindicare locum in hypothesi, in qua celebratio Missarum non esset affixa Beneficio, sed pendere ab aliorum arbitrio, uti observat Dominus Advocatus Ursaya §. 25. sed hic non est casus, de quo in præsenti.

Secunda sententia est eorum, qui volunt, onera Missarum esse detrahenda a Beneficio, seu Cappellania, quando Cappellanus potest Missas celebrare per alium, secus autem quando eas tenetur celebrare per seipsum, juxta resolutiones hujus Sacræ Congregationis *in Tiburtina* 8. *Julii* 1690. *& in Signina* 14. *Aprilis* 1696. de quibus in meo sequenti Discursu §. 1.

Pro hac sententia docte, & strenue pugnat Dominus Promotor Fiscalis, tum quia hæc est sententia jam in hac Sacra Congregatione, & apud Auctores recepta, tum quia est sententia distinguens casum a casu, & tandem quia Sacerdos, qui potest Missas per alium celebrare, tempore infirmitatis tenetur per alium iisdem satisfacere; quo admisso, si onera Missarum a titulo Ordinationis non detrahuntur, Ordinandus magna cum facilitate, & Ordinis dedecore ad mendicitatem redigeretur, quod absurdum non sequitur in terminis oneris Missarum per seipsum a Beneficiato celebrandarum, tum quia obligatus ad celebrandum per seipsum Missam quotidianam, potest ex causa licita, & sic ex infirmitate in hebdomada semel vacare a celebratione, juxta *Textum in capit. significatum de Præbendis*, tum quia obligatus ad celebrandum per seipsum, & non per alium eximitur ab onere supplendi Missas per alium, quando ipse est infirmus infirmitate saltem non longa.

Tertia sententiæ est eorum, qui volunt, onus Missarum nunquam esse detrahendum ab illo Beneficio, seu Cappellania, ad cujus titulum quis ordinari cupit, sive Missæ celebrandæ sint ab ipso Beneficiato, sive possint per alium celebrari: juxta resolutionem Sacræ Congregationis *in Firmana Cappellaniæ* 14. *Januarii* 1708. de qua in meo sequenti Discursu §. 1.

Pro hac sententia æque docte, & strenue pugnat Dominus Advocatus Dominicus Ursaya, allegatis pluribus Scribentium auctoritatibus, allegata praxi fere communi Curiarum Ecclesiasticarum, allegata magna difficultate, quæ alias discurrendo contingit in adimplendis piis Benefactorum, & Fundatorum dispositionibus, cum juxta praxim hodiernam non fundentur Beneficia, nec Cappellaniæ, nisi cum magno onere Missarum, & demum quia pro Sacra Ordinatione nihil aliud requiritur, nisi quod tempore ejusdem Ordinandus tale habeat Sacrum Patrimonium, quo regulariter possit commode vivere, per seipsum honeste satisfaciendo illius oneribus, nullo habito respectu ad fortuitos casus, puta infirmitatis, quæ contingere potest, cum etiam Prædium, Domus, & aliud quodcunque stabile, super quo fundatum sit Beneficium, nullo affectum onere Missarum, possit alluvione, chasmate, grandine, ruina, aut infructiferum in totum, aut minus fructiferum effici, juxta etiam ponderata in meo sequenti Discursu §. 3.

Quia vero in sæpe allegato Discursu promota fuit difficultas, quod juxta receptam in hac Sacra Congregatione, & apud Doctores sententiam non solum Sacerdos, qui potest per alium celebrare, sed etiam Sacerdos, qui tenetur per seipsum celebrare, si infirmentur, & infirmitas ad plures dies protrahatur, tenentur per alium Missis satisfacere, hinc inferendo, vel Sacerdotem obligatum ad celebrandum per seipsum esse eximendum a celebratione per alium, licet infirmitas sit longa, vel non subsistere allegatam differentiam inter obligatum ad celebrandum per seipsum, & eum, qui potest celebrare per alium, itaut in secundo casu, & non in primo propter possibilem mendicitatem detrahenda sint onera Missarum;

Respondetur a Domino Promotore Fiscali, quod habens onus celebrandi per seipsum, non eximitur ab onere supplendi Missas per alium, si infirmitas sit longa; puta juxta nonnullos Doctores, decem dierum, juxta nonnullos alios quindecim dierum, & juxta alios unius mensis; sed has longas infirmitates raro contingere, & esse recensendas inter casus fortuitos, qui a lege non habentur in consideratione.

A Domino vero Advocato Ursaya eadem conclusio admittitur, & ex ea infertur, nunquam esse a Sacro Patrimonio detrahenda onera Missarum, sive Sacerdos sit obligatus ad celebrandum per seipsum, sive possit celebrare per alium, cum in utroque casu idem militet timor possibilis mendicitatis, & multo magis, quia non omnia Beneficia habent annexum quotidianum onus Missarum, in quo rerum statu, sicuti Sacerdos, qui in brevi infirmitate nonnullorum dierum abstinuit a celebratione Missæ, quam per seipsum celebrare tenebatur, tenetur transacta infirmitate, aliis diebus supplere, & satisfacere Missis, quas non celebravit, licet Missæ essent certis hebdomadæ diebus affixæ, sic fere in totum cessat differentia inter obligatum ad celebrandum per seipsum, & eum, qui potest celebrare per alium.

Quarta demum sententia est eorum, qui volunt, controversiam hanc esse arbitrio Ordinariorum relinquendam, ut ipsi videlicet attentis circumstantiis admittere possint, aut non admittere pro Sacra Ordinatione Beneficium, aut Cappellaniam, cui sit annexum onus Missarum, sive Missæ celebrandæ sint per seipsum a Beneficiato, aut Cappellano, sive possint celebrari per alium. Hoc approbatur a Domino Promotore Fiscali, si pro re, loco, & tempore, & persona expedire videatur Ordinario aliquem admittere ad titulum Cappellaniæ perpetuæ absque onere celebrandi Missas per seipsum, dummodo tamen fructus Cappellaniæ pro medietate taxæ Synodalis liberi, & immunes remaneant ab onere Missarum, vel cum adjectione æquivalentis Patrimonii, in hypothesi, in qua libera portio fructuum Cappellaniæ deficeret, & cum hac eadem opinione, quæ favet arbitrio Ordinariorum, concordat Dominus Advocatus Ursaya in fine suæ scripturæ.

His stantibus quæritur,

I. An a Beneficio, seu a Cappellania, ad cujus titulum quis intendit ad Sacros Ordines promoveri, detrahenda sint onera Missarum eidem adjecta, quando Beneficiatus non tenetur eas per seipsum celebrare, vel potius oneribus Missarum non detractis, sive illæ celebrandæ sint per seipsum, sive possint celebrari per alium, faciendus sit calculus omnium fructuum pro constituenda summa a Synodali Constitutione, vel Regionis more requisita pro Sacris Ordinibus suscipiendis.

II. An Clericus Joseph Belluccius Sacris Ordinibus initiari possit ad titulum Cappellaniæ in casu &c.

Sacra Congr. die 17. Julii 1723. respondit,

Ad primum, esse relinquendum arbitrio, & conscientiæ Ordinariorum. Ad secundum provisum in primo.

DIS-

DISCURSUS SECRETARII

Postea Benedicti Papæ XIV.

Super Articulo, an a Beneficio, ad cujus titulum quis ordinari intendit, detrahenda sint onera Missarum eidem adjecta, quando Beneficiatus non tenetur eas per se ipsum celebrare, vel potius, Missis nullatenus detractis, sive eædem celebrandæ sint per seipsum, sive possint celebrari per alium, faciendus sit cumulus omnium fructuum pro constituenda summa a Synodali Constitutione, vel Regionis more requisita pro Sacris Ordinibus suscipiendis.

UT eo, quo decet, ordine in hujus articuli examine procedatur, operæ pretium esse censeo, primo referre, quidquid fuit ab hac Sacra Congregatione in hoc articulo statutum, secundo exponere rationes, quibus innituntur illi, qui censent non esse detrahenda onera Missarum, quando quis tenetur celebrare per seipsum, & ea esse detrahenda, quando potest celebrare per alium, tertio denique fundamenta afferre, quibus ostenditur non esse onera Missarum detrahenda, sive Beneficiatus teneatur eas per seipsum celebrare, sive possit eas celebrare per alium.

§. I.

In quo refertur quidquid a Sac. Congregatione super articulo statutum fuit.

ANNO 1690. *die* 8. *Julii* propositum fuit *in quadam causa Tiburtina* sequens dubium, *an a Beneficio, ad cujus titulum quis ordinari intendit, detrahenda sint onera Missarum eidem adjecta, vel potius, eis non detractis, faciendus sit calculus omnium fructuum ad constituendam summam a Synodali Constitutione requisitam*, & huic Dubio Sacra Congregatio, uti habetur *lib.* 40. *decret. pag.* 434. respondit *negative, nisi in fundatione cautum sit, ut in casu impedimenti teneatur per alium celebrare, & donec ascendat ad Sacerdotium pro rata Missarum aliunde habeat, quo vivere possit.*

Anno 1694. publicata fuit a san. mem. Innocentio XII. Constitutio *Speculatores*, quæ est 44. in ejus parvo Bullario; cumque *in* §. *nono* dictæ Constitutionis habeantur hæc verba, *eam tamen de cætero hac in re inconcusse servari volumus regulam, ut nemo ejusmodi subjectionem ad effectum suscipiendi Ordines acquirere censeatur, nisi Beneficium prædictum ejus sit reditus, ut ad congruam vitæ substentationem, sive juxta taxam Synodalem, sive ea deficiente, juxta morem Regionis pro promovendis ad Sacros Ordines, detractis oneribus per se sufficiat, illudque ab Ordinando pacifice possideatur*, exorta est in quadam causa *Signina Ordinationis* controversia, an in re, de qua nunc agitur, aliquid fuisset a Constitutione innovatum, disputatoque *die* 14. *Aprilis* 1696. sequenti dubio, *an onera Missarum sint detrahenda a reditu Beneficiorum, ad effectum constituendi summam in Constitutione Synodali descriptam pro titulo, seu Patrimonio Clerici etiam in vim novissimæ Constitutionis Sanctissimi Domini Nostri*, & Sac. Congreg. uti habetur *lib.* 46. *decret. fol.* 160. respondit *dandum esse decretum in Tiburtina Ordinationis* 8. *Julii* 1690.

Anno 1708. *die* 4. *Januarii* proposita fuit quædam causa *Firmana Cappellaniæ*, & licet Cappellanus non haberet onus celebrandi per seipsum, & detractis oneribus Missarum non remaneret summa sufficiens pro Sacris Ordinibus suscipiendis juxta Taxam Synodalem, disputato nihilominus dubio, *an Orator ordinari possit ad Sacros Ordines ad titulum dictæ Cappellaniæ absque alio supplemento Patrimonii in casu*, Sacra Congregatio, uti habetur *lib.* 58. *decret. pag.* 3. respondit *affirmative*.

Consimilis articulus in iisdem terminis propositus fuit in *causa Romana, seu Reatina Cappellaniæ* 17. *Martii* 1714. & Sacra Congregatio distulit resolutionem, uti habetur *lib.* 64. *decret. pag.* 92.

Alia se obtulit occasio de eadem re differendi in quadam causa *Romana, seu Sipontina Ordinationis*, & Sacra Congregatio *die* 22. *Novembris* 1717. jussit quod super articulo scriberetur pro veritate. Sed id non fuit executioni mandatum, quia ad amputandam quamcumque controversiam Orator, ut ordinari posset, a valore Beneficii detraxit onera Missarum, quas non tenebatur celebrare per seipsum, & ex suis bonis patrimonialibus summam deficientem supplevit, uti legitur *in folio Congregationis habitæ die* 23. *Julii* 1718. *lib.* 68. *decret. fol.* 290.

Hæc est series resolutionum super hoc articulo editarum ab hac Sacra Congregatione, ex quibus sæpe in praxi contigit, ut sentientes esse detrahenda onera Missarum, quando Cappellanus non tenetur celebrare per seipsum, allegaverint *Tiburtinam Ordinationis* 8. *Julii* 1690. & e contra sentientes onera Missarum non esse detrahenda, sive Cappellanus teneatur eas per seipsum celebrare, sive per alios eas celebrare valeat, inter quos agmen ducebat claræ, semperque recolendæ memoriæ Cardinalis Pauciaticus Insignis Sacrorum Canonum Professor, & Meritissimus hujusce Sac. Congr. Præfectus, allegaverint *Firmanam Cappellaniæ* 14. *Januarii* 1708. Et hæc quoad decreta, & resolutiones Sacræ Congregationis dicta sufficiant.

§. II.

In quo exponuntur Rationes, quibus probatur, non esse detrahenda onera Missarum, quando quis tenetur celebrare per seipsum, & ea esse detrahenda, quando potest celebrare per alium.

NONNULLA sunt, quæ proposito favent assumpto: Primum est, quod esset omnino exoptabile, ut Sacerdotes vivere possent independenter ab eleemosyna Missarum, uti ponderat *Vanespen. in Jus Eccles. tom.* 1. *part.* 2. *cap.* 9. §. 36. ibi: *quare procul a mente Synodi Tridentinæ aberrant Episcopi, qui in supplementum tituli computant honoraria, quæ Ordinatus in Presbyterum ex celebratione Missarum lucrari poterit; cum hæc computatione ipse Ordinandus quodammodo adigatur ad sordidum quæstum exercendum; cum scilicet cogitur ex celebratione Missarum, seu quodam opificio vitæ necessaria quærere, sive de celebratione Missarum facere artem de pane lucrando.*

Adeoque *Alvarus Pelagius de planctu Ecclesiæ art.* 5. subdidit: *Almus Franciscus voluit, quod in quocumque loco fratres contenti essent una Missa, præsciens fratres se velle justificare per Missas, & ad quæstum eas reducere, sicut videmus hodie fieri.*

Procedendo cum hoc systemate, a valore Beneficii, ad cujus titulum quis ordinatur, semper essent detrahenda onera Missarum, sive Beneficiatus teneatur eas celebrare per seipsum, sive possit celebrare per alium. Quia vero in præsentibus rerum circumstantiis, difficile admodum esset statuere, quod onera Missarum semper, & in utroque casu a valore Beneficii detrahantur, hinc est, quod si detractio non fit, casu quo Beneficiatus teneatur celebrare per seipsum, ea tamen fieri debebit casu, quo idem possit celeberare per alium.

Secundum est, quod Ecclesia maximopere abhorret a Clericorum mendicitate, utque cætera facile cumulanda prætereantur, Sacrum Concilium Trident. *sess.* 21. *cap.* 2. *de Reform.* decrevit, non esse ad Sacros Ordines promovendum aliquem licet idoneum, nisi constet, eum Beneficium Ecclesiasticum, quod sibi ad victum honeste sufficiat, pacifice possidere.

Porro, si a valore Beneficii non detrahuntur onera Missarum, quando Beneficiatus potest celebrare per alium, de facili dabitur casus, quod Ordinatus ad titulum dicti Beneficii reducatur ad mendicitatem; potest etenim in ægritudinem labi, & potest longo tempore ægrotare, & in eo rerum statu mendicabit, quia ille, qui potest celebrare per alium, tenetur, non obstante ægritudine, ad faciendum celebrare Missas per alium, ut infra demonstrabitur.

Cumque casus hic mendicitatis dari non possit, etiamsi Sacerdos labatur in ægritudinem, & longo tempore ægrotet, quando tenetur celebrare per seipsum; obligatus enim ad celebrandum per seipsum non tenetur tempore infirmitatis, vel alterius justi impedimenti onus adimplere etiam per alium, juxta Textum *in cap. significatum de Præbendis*, & bene deducta per *Leandrum Oper. moral. tom.* 2. *tract.* 8. *disp.* 7. *quæst.* 19.

Infertur ex his, esse a valore Beneficii, ad cujus titulum quis ordinatur, detrahenda onera Missarum, quando Beneficiatus potest celebrare per alium, secus autem, quando tenetur celebrare per seipsum.

Tertium est, distinctionem hanc inter obligatum ad celebrandum per seipsum, & eum, qui potest celebrare per alium, esse in praxi receptam, in Alma Urbe, & in Tribunali Eminentissimi Vicarii, & Urbis exemplum deservire potest, & debet pro regula, & norma quoad omnes alias Diœceses.

Quartum est, Doctores asserere, a valore Beneficii non esse deducenda onera Missarum, quando Beneficiatus tenetur celebrare per seipsum, *Garz. de Benefic. 5. part. cap. 3. a num. 163. ad 170. Zarate dec. 116. n. 18.* Sequitur ergo ex hoc, mentem esse Doctorum, quod detrahantur onera Missarum, quando Beneficiatus potest celebrare per alium, & multo magis, cum allegatæ Resolutiones *in causa Tiburtina Ordinationis, & Signina Ordinationis* jam sint impressæ, & apud Auctores sint relatæ *Bertachin. vot. Dec. 133. n. 7. & 8. Monacell. in formul. tom. 1. pag. 345. n. 1. & 2. Piton. disceptat. 40. n. 8. & 9.* & nemo non scit, quantum sit Auctoribus deferendum, & eo fortius quando non reperitur, qui eis contradicat, & adversetur.

§. III.

In quo exponuntur Rationes firmantes, non esse onera Missarum detrahenda a valore Beneficii, ad cujus titulum quis ordinatur, sive Beneficiatus teneatur per seipsum celebrare, sive possit eas celebrare per alium.

Transitum faciendo ad fundamenta, quæ pro hoc militant assumpto; Primum est, quod a valore Beneficii, ad cujus titulum quis ordinatur, detrahenda quidem sunt onera extrinseca, pro quibus adimplendis opus est, ut Beneficiatus aliquid impendat, & sic diminutionem patiatur de reditibus Beneficii, *Adden. ad Ludovis. decis. 245. sub num. 12.* sed detrahenda non videntur onera intrinseca, quæ Beneficiatus potest per seipsum adimplere, dummodo onera illa exercitio clericali, & decori characteris congrua sint, & proportionata, & pro ejus subsistentatione proficiant, uti bene ratiocinatur *Card. de Luca de donat. discurs. 11. n. 8.*

Cumque talia sint onera Missarum, tum quia earum eleemosyna cedit in stipendium subsistentationis Sacerdotis, *juxta Doctrinam Divi Thomæ in quartum Sent. dist. 25. quæst. 3. art. 2. quæst. 1. ad quartum, & secunda secundæ quæst. 100. art. 2. ad secundum*, ibi: *quasi stipendium suæ subsistentationis*, tum quia nihil impedit, quod potens celebrare per alium, celebret per seipsum, ex hoc deducitur consequentia, quod a valore Beneficii, ad cujus titulum quis ordinatur, non sunt detrahenda onera Missarum, sive Beneficiatus teneatur celebrare per seipsum, sive possit celebrare per alium, *Lamperez. ad Bullam Speculatores numer. 366. Movenus ad eandem Bullam post dubium 5. num. 40.* & bene faciunt deducta per *Rotam decis. 587. num. 8. & in decis. 808. num. pariter 8. coram Merlino*; optime *Nogueira quæst. singular. disputat. 1. de Sacrament. quæst. 26. num. 3.* ibi: *ex eo, quod Ordinatus per se, vel per alium ad id onus Missarum teneatur, diminutionem non patitur in patrimonii reditibus, sicuti illam non habet Ordinatus ad titulum Cappellaniæ perpetuæ, cum obligatione per se, vel per alium quotidie celebrandi.*

Secundum est, quod si propter possibilem mendicitatem a possibili longa ægritudine derivaturam, detrahenda sunt onera Missarum, quando Beneficiatus potest per alium celebrare, propter possibilem etiam mendicitatem, quæ derivare potest, vel ex flumine sito prope Prædium Beneficii, vel ex nive, glacie, aut imbre, qui fructus auferant Beneficii, non poterit amplius quis ad ejus titulum ordinari, licet reditus nullis sint affecti oneribus Missarum, & ascendant ad summam a Synodo Diœcesana, vel a moris consuetudine statutam, nisi accedat idonea fidejussio pro supplemento in casu infortunii, vel alia assignentur bona in eodem casu subroganda. Hoc non admittitur, non obstante possibilitate mendicitatis, non erit ergo admittendum & illud, quod propter mendicitatis possibilitatem detrahenda sint a valore Beneficii onera Missarum, quando Beneficiatus potest eas celebrare per alium, in utroque enim casu una, & eadem militat ratio, quod lex videlicet respicit ad id, quod frequentius accidit, & non ad id, quod raro contingit *Textus in leg. nam ad ea ff. de legibus.*

Tertium est, quod Sacerdos, qui potest celebrare per alium, si infirmetur, tenetur hoc onus adimplere, & alteri eleemosynam dare, ut celebret, uti resolutum fuit ab hac Sacra Congregatione *in Collen. celebrationis Missarum 18. Septembris 1683.* proposito quippe hoc dubio, *an Sacerdotes obligati celebrare Missam quotidie, absque tamen onere celebrandi per seipsos, possint aliquando a celebratione vacare*, responsum fuit *negative*; cumque juxta sensum pariter hujus Sacræ Congregationis Sacerdos obligatus ad celebrandum per seipsum teneatur tempore infirmitatis, & præcipue, si infirmitas longa sit, celebrare per alium, hoc est alteri eleemosynam dare, ut celebret, manifesta hinc deducitur consequentia, vel quod recedendum est ab opinione, quod Sacerdos obligatus ad celebrandum per seipsum, teneatur tempore infirmitatis celebrare per alium, vel quod rejicienda est distinctio, quod a valore Beneficii detrahenda sunt onera Missarum, quando Beneficiatus potest celebrare per alium, secus autem quando tenetur celebrare per seipsum.

Nulla cadente dubitatione, quod juxta sensum hujus Sacræ Congregationis Sacerdos obligatus ad celebrandum per seipsum, teneatur celebrare per alium in casu saltem longæ infirmitatis; sic enim resolutum fuit in *Romana celebrationis Missarum 4. Junii 1689.* in casu Cappellani, qui erat obligatus ad celebrandum per seipsum, & omiserat propter infirmitatem celebrationem quadraginta sex Missarum: proposito quippe dubio, *an Cappellanus obligatus quotidie celebrare per seipsum potuerit omittere celebrationem pro dicto tempore infirmitatis, & nihilominus eleemosynam prætermissæ celebrationis consequi*, responsum fuit, *negative, & teneri supplere per alium celebrationem Missarum omissam occasione infirmitatis.* Consimilis est resolutio *in alia Romana 2. Octobris 1721.* prævio quippe voto Eminentissimi D. mei Cardinalis Zondadarii, dictum fuit, Cappellanum, qui tenebatur celebrare per seipsum, & celebrationem omiserat nonnullis mensibus causa infirmitatis, esse obligatum ad celebrare faciendum Missas, quas non celebravit tempore infirmitatis, & concordat aliud decretum Sacræ Congregationis Episcoporum, & Regularium *in Novarien. 14. Maii 1627. apud Passerin. de statu homin. tom. 2. quæst. 587. art. 4. n. 1120.* ibi: *Sacra &c. respondit, Sacerdotem, cui a Testatore impositum fuit onus quotidie per se celebrandi, si legitime impediatur, quo minus id munus per se possit explere, teneri per alium satisfacere oneribus Missarum sibi a Testatore impositis*, & distinguendo inter infirmitatem brevem, & longam, ita ut primo casu non teneatur per alium satisfacere, secus autem in secundo, late prosequuntur *Cardin. de Lugo de Sacram. Eucharist. disp. 11. sect. 2. n. 48. & 49. Diana in Edit. Coordin. tom. 2. tract. 1. resolut. 59.*

Quartum est, vix hodie in Tribunalibus admitti, quod Sacerdos teneatur celebrare per seipsum, nisi claris, & rotundis litteris Fundator dicat, eum debere celebrare *per seipsum*; nec enim sufficit, quod dicat eum debere esse Presbyterum, eum debere celebrare, eum debere residere, cum hæc omnia dicantur compatibilia cum facultate celebrandi per alium, *juxta famigeratam decis. 825. coram Merlino*, & late deducta in *Cremonen. Benef. 9. Martii 1714. coram R. P. D. Lancetta, & in eadem 4. Februarii 1715. coram R. P. D. Cerro.* In hoc autem rerum statu, si sunt detrahenda a valore Beneficii onera Missarum, quando Sacerdos potest celebrare per alium, ad modicum sane numerum in Italia præsertim, in qua parva sunt, modicique valoris Beneficia, tituli reducentur, ad quos Sacræ fieri possint Ordinationes, qua in re aliquid inordinatum contineri videtur.

Ultimum tandem est, quod quidquid sit de praxi Urbis, extra Urbem certe, ut a pluribus Episcopis audivi, distinctio inter obligatum ad celebrandum per seipsum, & volentem celebrare per alium non admittitur, & a valore Beneficii nunquam detrahuntur onera Missarum, sive Sacerdos possit celebrare per alium, sive teneatur celebrare per seipsum.

Et hæc sunt, quæ pro utraque parte militare possunt, quibus rite perpensis poterunt EE. VV. decernere quid in casus contingentia fieri, & servari in posterum debeat; frequentissimi enim sunt casus, & ex relatis in §. 1. certa usque adhuc dici nequit Sacræ hujus Congregationis sententia.

QUÆSTIO CCLXXXII.

In causa Nullius Castellanæ, die 29. Augusti 1722.

Capitulum Collegiatæ Ecclesiæ Sancti Leonis prætendit sibi licere in die Festivitatis S. Luciæ canere Missas adventitias sibi benevisas in altari dictæ Sanctæ, licet erecto in Ecclesia Patrum S. Francisci de Paula, & licet ipsi sint inviti; tum quia ratione Curæ habitualis, quam habet, omnium animarum, sibi permissum est a tempore immemorabili Sacras, & Parochiales Functiones exercere in Ecclesiis sitis in Terra, de qua nunc agitur; tum quia tam ante concessionem Ecclesiæ, de qua nunc agitur, Patribus factam, quam post concessionem, semper fuit in possessione canendi Missas adventitias in Altari S. Luciæ die festo ejusdem Sanctæ, & tandem quia Ecclesia, de qua nunc agitur, nulla fruitur exemptione a jurisdictione Ordinaria, cum post concessionem, quam nullitate laborare prætendit, utpote spoliativam, & violentam, fuerit pluries ab Ordinariis visitata.

Patres e contra dicunt, reperiri in Altari dicato S. Luciæ Beneficium quoddam, inter cujus onera reperitur, quod Cappellanus singulis annis, & die festivitatis S. Luciæ celebret, invitatis Presbyteris Terræ S. Leonis, nec se huic rei refragari, & ulterius admittere, quod alia Missa eodem die, & in eodem Altari canatur ad tramites Legati relicti a Sacerdote Joanne Francisco Taccono, seque tantummodo obstare prætensioni, quod Capitulum Collegiatæ possit eadem die in eodem Altari canere omnes, & singulas Missas adventitias sibi benevisas, cum id, invitis Regularibus, in ipsorum Ecclesiis fieri non possit, & cum hæc tot Missarum cantatarum multiplicatio sit incompatibilis cum aliis functionibus dicta die in eadem Ecclesia peragendis.

Absque eo quod quidquam referat relatum spolium; dicunt enim de illo non constare, nec hic, & nunc esse super eo quæstionem instituendam, & tandem fundamentum nullum reponi posse in exposita canendi consuetudine, cum illa ex Testibus resultet, qui in personis, & dictis patiuntur exceptiones.

Jura hinc inde circumferuntur, unde quæritur

An Capitulum Ecclesiæ S. Leonis Castellanæ possit in die festivitatis S. Luciæ canere Missas adventitias ei benevisas in Altari ejusdem Sanctæ in Ecclesia PP. S. Francisci de Paula, invitis eisdem Patribus, in casu &c.

Sacra Congr. respondit,
Negative, præter quam quoad binas Missas Cantatas.

QUÆSTIO CCLXXXIII.

In Causa Neapolitana, die 29. Augusti 1722.

Nicolaus Aulisius Garigliota emit domum a Teresia, & Dorothea de Maniello, & se obligavit ad certam summam dictis Mulieribus persolvendam, usquequo vixissent, & illis defunctis, se, & suos hæredes obligavit ad celebrare faciendam Missam quotidianam pro Anima illarum in quacumque Ecclesia sibi benevisa.

Mortuo Nicolao, prædicta domus pervenit ad Franciscum ejusdem Fratrem, & præter domum mox memoratam, subjectamque oneri Missæ quotidianæ, pro qua Cappellano persolvuntur ducata 36. quolibet anno, alia ipse possidet bona, & signanter aliam domum, quam inter vivos donare intendit Patribus Excalceatis Sancti Petri de Alcantara Nationis Italicæ, qui titulo conductionis modo in ea habitant, juxta facultatem a Sac. Congregatione Episcoporum, & Regularium obtentam.

Quia vero Franciscus Donator liberare vellet aliam domum ab onere Missæ quotidianæ, & in compensationem domus, quam Patribus donare intendit, vellet, quod ipsi dictæ Missæ onus assumerent, quæ res dictorum Patrum Constitutionibus obstare videtur, hac de causa supplices preces Sanctissimo Domino Nostro exhibitæ fuerunt, qui eas ad hanc Sac. Congregationem remisit.

Juxta morem scriptum fuit Nuntio Neapolitano pro informatione, & voto, qui retulit primo, exortas fuisse dissensiones *anno 1719.* inter Religiosos hujus Ordinis Hispanos, & Italos, & hos e Conventu ejectos magna cum difficultate reperire potuisse in Civitate Neapolitana domum, in qua habitare possent.

Secundo, eos habuisse a Sac. Congregatione Episcoporum, & Regularium licentiam conducendi domum, & conduxisse eam, de qua nunc agitur, quæ est maximopere apta, & quæ licet locaretur pretio ducatorum 142.; nihilominus pietatis gratia locata fuit ab Aulisio iisdem Patribus, sive eorum Syndico pretio tantum ducatorum 100.

Tertio, velle utique Aulisium Patribus donare domum, sed insimul velle, ut ii in se assumant onus Missæ quotidianæ, ut alia domus, super quam dictum onus est impositum, sibi libera remaneat.

Quarto, maximopere expedire bono Animarum, ut Religiosi isti permaneant in Civitate Neapolitana, & ab ea non discedant, nec alio modo permanere posse, cum sint in extrema necessitate constituti, & domum emere non possint, nec prosequi in solutione pensionis.

Ultimo, non posse illos acceptare onera Missarum, sed Missas celebrare, & orationes facere juxta præscripta in suo Instituto pro suis Benefactoribus; in quo rerum statu, salva, & integra Regula de non acceptandis oneribus Missarum, ad participationem suffragiorum, & orationum, quæ pro Benefactoribus fiunt, admitti possent Teresia, & Dorothea de Maniello, pro quarum Animabus Missa esset celebranda.

Hæc sunt, quæ continentur in informatione Nuntii; cumque de hac re actum fuerit inter summaria precum *die 7. Februarii 1722.* responsum fuit, quod instantia proponeretur in folio.

Ut autem Eminentissimi Patres sub oculis habeant omnia, quæ facere posse videntur ad dubii infra referendi resolutionem, operæ pretium esse censeo verba Constitutionum Provinciæ Sancti Petri de Alcantara Religiosorum Minorum Discalceatorum per extensum referre, & aliqua insuper exempla afferre, quæ, uti dictum est, videntur conducere posse ad rem, de qua nunc agitur.

Verba Constitutionum sunt hæc, quæ sequuntur, uti habetur *capit. 3. puncto primo §. 5. num. 2. E seguendo l' esempio del Sommo nostro Sacerdote Gesù Cristo, che liberamente per gloria del Padre, e salute dell' Anime nostre sacrificò se stesso nell' Altare della Croce, s' ordina a tutti i Sacerdoti della nostra Provincia, che dentro, e fuori de' Conventi, celebrino in unione di quella purissima, e disinteressata intenzione del nostro Redentore, applicando tutte le Messe per i Benefattori in generale, e secondo, che s' ordina in queste Constituzioni, e si comanda in virtù di Santa Obbedienza, che mai non sia lecito di ricevere per niuna Messa elemosina, nè in denari, nè in verun' altra cosa, come ordinò già l' Eminentissimo Barberino*, & paulo post, *possono però i Prelati applicare tre, o quattro Messe per qualche gran Benefattore particolare, ma sia ciò di rado, e senza che direttamente, nè indirettamente si pretenda interesse da lui.*

Transeundo ad exempla, notum est prohibitum esse Minoribus Observantibus acceptare legata cum onere perpetuo Missarum; cum autem Fratres Sancti Francisci de Observantia Conventus Sanctæ Mariæ Angelorum, & alii ejusdem Instituti existentes in Monte Civitatis Perusinæ Sacræ huic Congregationi supplicassent pro facultate acceptandi legatum relictum cum onere perpetuo Missarum, & exposuissent, suos Conventus esse in necessitate, & legata a se esse expendenda in causa dictarum necessitatum, Sacra hæc Congregatio censuit annuendum esse petitis, *remanente tamen Conventui, & Fratribus onere celebrandi in perpetuum Missas a Testatore demandatas*, uti habetur *lib. 13. decret. pag. 23.*

His stantibus, quæritur

An, & quomodo petitis sit annuendum, in casu &c.

Sagra Congr. die 19. Septembris 1722. respondit,
Negative.

QUÆSTIO CCLXXXIV.

In causa Regiensi Pensionis, die 19. Septembris 1722.

Alexander Comes de Marsciano Pensionem obtinens scutor. 500. super Mensa Episcopali Regiensi sui favore translatam a Duce Mutinæ, cogitavit de ducenda in Uxorem Comitissa Scotta, & de retinendo Pensionem in statu conjugali, quocirca animadvertens Milites Lauretanos frui privilegio retinendi etiam in statu conjugali Pensiones Ecclesiasticas pro summa scutorum 350. nec admodum difficile esse a Sede Apostolica obtinere Indultum retinendi in eodem statu alia scuta 150. rogavit Comitissam Annam de Marsciano suam Matrem hic in Urbe commorantem, ut Militiam Lauretanam pro se acquireret, & memoratum Indultum obtineret, & ad ipsam transmisit summam pecuniarum pro dictis rebus necessariam.

Comitissa Anna, adhibita opera Expeditoris, incumbere cœpit utrique negotio; cumque maximopere urgeretur a filio pro utriusque negotii complemento, *die 8. Julii 1715.* ad eum litteras dedit, in quibus ipsum certioravit, quod omnia sequenti hebdomada expleta fuissent, transmissa, ut dictis fidem conciliaret, nota Expeditoris hoc ipsum comprobantis.

Receptis a Comite Alexandro filio prædictis litteris, ipse *die 27. ejusdem mensis Julii* matrimonium per verba de præsenti contraxit cum Comitissa Scotta coram Parocho, & duobus Testibus, aliisque Nobilibus Personis; cumque Parochus fuisset ex improviso, & sub obtentu alterius rei gerendæ vocatus, nec debitæ præcessis-

cessissent solemnitates; idem mandavit Conjugibus ut viverent separati, & Sponsa remansit in custodia Ducissæ de Branfuich, quæ tunc erat hospes Ducis Mutinæ,

Tempore matrimonii hoc modo contracti, propter extrinsecas quasdam subortas difficultates, & signanter circa mandatum Procuræ requisitum, ut habens Officium Lauretanum posset illud Co. Alexandro vendere, Indultum retinendi Pensiones in statu conjugali, quod a dicto Comite credebatur expeditum, revera expeditum non erat, nec ejus expeditio habita est, nisi *die* 18. *subsequentis mensis Septembris*; cumque habita a Comite Ranuccio Scotto notitia matrimonii a Comitissa Scotta sua filia clandestine contracti cum Comite Alexandro de Marsciano, ipse pro comprobanda illius nullitate recursum habuisset ad hanc Sac. Congregationem, aliæque exortæ fuissent difficultates circa probationem status liberi memoratæ Comitissæ, *die tandem* 3. *Februarii* 1716. Episcopus Mutinensis pro contracto matrimonio sine debitis solemnitatibus, nonnullas imposuit Conjugibus pœnitentias, eosdemque a publicationibus dispensavit; & licentiam dedit, ut insimul cohabitarent, & *die* 6. *Februar.* suppletæ fuerunt solemnitates omissæ, uti habetur ex attestatione Parochi, *si supplì per me infrascritto alle Cerimonie omesse del Matrimonio già validamente contratto tra l' Illustrissimo Signor Conte Alessandro del già Conte Ludovico di Marsciano Nobile Romano, e l' Illustrissima Signora Donna Renea figlia dell' Illustrissimo Signor Conte Ranuccio Scotti Dama Nobile Piacentina*.

Facile fuit Comiti Alexandro superare difficultates suo matrimonio adversantes, sed non ita facile fuit Pensionem scutorum 500. super Mensa Regiensi impositam exigere, non obstante Indulto eandem retinendi, uti supra dictum fuit, etiam in statu conjugali; habitoque idcirco recursu ad san. mem. Clementem XI. pro gratia revalidationis, eodemque remisso ad Cardinalem Prodatarium, & deinde ob superventam oppositionem Episcopi Regiensis ad hanc Sacram Congregationem, disputandum in præsenti proponitur dubium de gratia sanatoria, seu *perinde valere* concedenda, vel non concedenda.

Præmisso autem, quod Pensio Ecclesiastica vacat ipso jure per contractum matrimonii, absque ulla præcedenti monitione *juxta glos. in c. finali in verbo redierint de Clericis non residentibus*, ibi, *super hoc tamen distinguo, quia aut habet Ecclesia eum pro derelicto, aut non, si habet eum pro derelicto, puta quia contraxit matrimonium, vel factus est Miles &c. cum de hoc constiterit, Episcopus statim potest Ecclesiam illam aliis conferre &c.; si vero non habet eum pro derelicto, monendus est*; quod adeo verum esse prætenditur, ut Doctores minus probabiliter loquentes, & sustinentes, monitionem esse necessariam, ad effectum, ut propter assumptionem Militiæ, Pensio Ecclesiastica extinguatur, extinctionem tamen ipso jure concedant in contractu matrimoniali, utpote actum irretractabilem involvente, juxta *Theoricam Floriani relatam per Imolam in capit. ut consultationi num.* 4. *de Clericis conjugatis*, & sequitur *Card. de Lugo lib.* 5. *responsi. moral. dub.* 22. *n.* 8. *Carena resolut.* 11. *n.* 23. *&* *num.* 29. *Antoniel. de jurib. & oneribus Clericorum lib.* 1. *par.* 3. *c.* 41. *n.* 5. *&* 6. non obstante nullitate matrimonii, dummodo nullitas non proveniat ex defectu consensus, & multo minus, non obstante non consummatione matrimonii, uti late habetur *dec.* 30. *n.* 12. *&* 13. *in Addit. n.* 54. *cor. bon. mem. Ansaldo*.

Contendit Episcopus Regien. suffragari non posse Comiti Alexandro Indultum retinendi Pensiones in statu conjugali, tum quia privilegium Militiæ Lauretanæ prodest his, qui ante contractum matrimonium illud obtinuerunt, secus autem, quando, prout hic, non fuit illud obtentum, nisi post matrimonium contractum, & sic post extinctam ipso jure Pensionem, tum quia in Indulto a Summo Pontifice impetrato matrimonii contracti mentio facta non fuit, neque demum esse posse locum sanatoriæ, seu gratiæ *perinde valere*, cum dispensatio retinendi Pensionem in statu inhabili non concedatur post secutam Pensionis extinctionem, quia hoc esset novam Pensionem, & novum gravamen ex integro imponere, *Card. de Luca de Pensionibus disc.* 45. *num.* 7. & cum sine consensu Titularis non sit locus sanatoriæ, seu cuicumque alteri gratiæ revalidatoriæ Pensionis, nisi Summus Pontifex motu proprio, & derogando regulæ de præstando consensu, & quodammodo de plenitudine potestatis procedat, *teste Amaiden. de stylo Datariæ lib.* 1. *cap.* 14. *quæst.* 7. *num.* 40. *&* 41. cui gratiæ Episcopus inquit locum esse non posse in sui, suæque pauperis Mensæ præjudicium.

Comes e contra Alexander excipit, & asserit, extinctam non potuisse dici Pensionem ipso jure per matrimonium a se contractum, cum in tantum extinctio inducta in dictis terminis censeatur, in quantum assumens statum incompatibilem renuntiare dicitur Pensioni, quæ res quoad semetipsum verificata non fuit, ex quo certum est, omnem adhibuisse diligentiam pro Pensione in statu conjugali retinenda. Addit, fuisse expeditum Indultum Pensionis post contractum matrimonium, sed antequam de illius validitate constaret, & demum pluribus allegatis exemplis in suo Summario legendis, concludit, quod quando constat de præcedenti existentia Pensionis legitime a principio reservatæ cum consensu Titularis, si Pensionarius instetit pro retentione Pensionis, & per accidens Indultum expeditum non fuit, ulterius si idem probabiliter credidit Indultum fuisse expeditum, & matrimonium contraxit, consuevisse Romanos Pontifices concedere gratias sanatorias, & *perinde valere*, derogando consensui Titularium.

His stantibus, quæritur.

An sit locus sanatoriæ, seu gratiæ perinde valere in casu, de quo agitur &c.

Sacra Congr. respondit,
Negative.

QUÆSTIO CCLXXXV.

In Causa Consentina Visitationis, & Censurarum, die 19. *Septembris* 1722.

A Dest Oratorium, sive Ecclesiola *juncta Claustro*, uti legitur in informatione Ordinarii, vel *prope Claustrum* Conventus S. Mariæ Lauretanæ Ordinis Minorum S. Francisci de Paula, uti habetur in Instrumento *anni* 1566.; & in dicto Oratorio, sive Ecclesiola erecta est quædam Confraternitas Sarcinatorum, seu Vestiariorum Civitatis Consentinæ, exortaque controversia inter Promotorem Fiscalem Curiæ Archiepiscopalis ex una, & dictum Conventum, & Patres Ordinis Minimorum ex altera partibus super jure visitandi prædictum Oratorium, sive Ecclesiolam, deventum fuit ad Censuras, & in præsenti duo proponuntur dubia disputanda, quorum alterum jus visitandi, alterum validitatem, & justitiam respicit Censurarum, & informatio Conventus, & Patrum per manus circumfertur.

Quia vero agitur de Jure Ordinarii super puncto Visitationis Confraternitatis junctæ Claustro Regularium, operæ pretium esse censeo hic referre tam Decreta hujus Sac. Congregationis, quam alia Sac. Congregationis Episcoporum, & Regularium, quæ ad rem facere posse videntur.

Die 23. *Junii* 1629. editum fuit ab hac Sac. Congregatione sequens Decretum *in Nucerina Paganorum lib.* 14. *decret. fol.* 115. *a tergo*, ibi: *Sacra &c. inhærendo declarationibus alias factis, censuit Confraternitates Laicorum in Ecclesiis Regularium exemptorum institutas subesse jurisdictioni, & visitationi Episcopi, illasque ab eo visitari posse, nec non illorum Cappellas in iisdem Ecclesiis Regularium existentes, in his tamen, quæ Confraternitatum administrationem respiciunt, etsi Confraternitatibus incumbit onus manutenendi Altare, & illius cultum, Episcopum posse visitare circa ea, quæ respiciunt ipsam manutentionem, cultum, & ornamenta Altaris, seu Cappellæ, onera Missarum, atque Divinorum Officiorum ibidem celebrandorum, & circa ea omnia, quæ ad obligationem eorundem Confratrum relationem habent*; & consimilia sunt alia hujus ejusdem Sac. Congregationis Decreta, & signanter *in Comen.* 15. *Februarii* 1642. *lib.* 14. *pag.* 13., *in Perusina* 2. *Aprilis* 1650. *in Pistorien.* 7. *Septembris* 1652. *lib.* 19. *pag.* 205., *& in eadem* 6. *Julii* 1658. *lib.* 21. *pag.* 308., *& in Urbanien. Visitationis Cappellæ* 23. *Septembris* 1690. *lib.* 40. *Decret. pag.* 658., cumque in Ecclesiis, Oratoriis, & Claustris Regularium Civitatis Mediolanensis erectæ reperirentur nonnullæ Confraternitates Laicales, quæ ibi habebant peculiarem Cappellam, & locum, in quo congregari solebant, & contentiones essent exortæ inter Archiepiscopum, & Regulares, disputatum fuit sequens dubium, *an Regulares teneantur præstare patientiam, ut Eminentissimus Archiepiscopus dictarum Confraternitatum Cappellas, seu loca visitare possit, & in ipsis Cappellis, & locis revidere computa administrationis bonorum earundem Confraternitatum*, & responsum fuit *affirmative*.

Sacra

Sacra autem Congregatio Episcoporum, & Regularium *die* 20. *Julii* 1663. occasione controversiæ inter Episcopum Ventimilien., & Fratres Observantes Reformatos super puncto visitationis Cappellæ, seu Oratorii Confratrum siti in Cœmeterio unito Ecclesiæ dictorum Religioforum, ita respondit: *questi Eminentissimi miei Signori m' anno comandato di scriverle, che quando si tratta di Confraternita, o Oratorj Laicali esistenti dentro le Chiese, o Chiostri de' Regolari, ella secondo i Decreti della medesima Sac. Congregazione può come Ordinario visitare i loro beni, ed entrate, rivedere i conti, e l' amministrazioni, se l' elemosine, che si danno per adornare, e mantenere la Cappella, e suppellettili, siano spese fedelmente, & impiegate in benefizio degli Altari, e conoscere, se sono soddisfatti gli obblighi spettanti ai Fratelli ascritti, senza visitare Cappella, o Oratorio, nè far' altri atti positivi più delli circoscritti come sopra*, uti habetur *apud Lantuscam in Theatro Regularium in verbo Confraternitas nu.* 13. Rursus hæc eadem Sacra Congregatio Episcoporum, & Regularium *die* 14. *Novembris* 1698. ita scripsit Episcopo Jeracen.: *questi Eminentissimi miei Signori mi anno comandato di significarle, che da questa Sac. Congregazione de' Vescovi, e Regolari è stato più volte risoluto, che gli Ordinarj possono visitare le Confraternite de' Laici erette nelle Chiese de' Regolari, e d' altre persone esenti non solo in quanto a i beni, ed entrate loro, con rivedere i conti, ma anche le Cappelle stesse in quanto a quello, che risguarda l' amministrazione, ed altri obblighi personali, che spettano alla Compagnia, e Confratri ascritti a quella, cioè in riconoscere, se l' entrate, ed elemosine, che si danno per adornare, e mantenimento della Cappella, e per accrescer' ivi il Culto Divino, e la divozione del Popolo, siano spese fedelmente, e con affetto, s' impieghino ad utilità, ed in benefizio della stessa Cappella, e non in altri usi; non toccando però il restante, che spetta alla cura, e totale amministrazione de' Frati Regolari, che sono padroni di tutto il corpo della Chiesa, dove sono dette Cappelle, e Confraternite, come gli Altari, Immagini, & altre cose materiali, & utensili sacri applicati a quelle, sopra de' quali nè i Vescovi, nè altri Ordinarj anno da ingerirsi, nè usar alcuna giurisdizione, o sopraintendenza, a segno tale, che non gli è permesso usare alcun atto giurisdizionale nelle suddette Chiese de' Regolari fuori di quanto s' è detto di sopra*, uti habetur *apud Matthæuc. in Official. Curiæ cap.* 14. *sub num.* 6.

His stantibus, quæritur

I. An Ecclesiæ, seu Oratorium sub Titulo Sanctissimi Salvatoris junctum Claustro Conventus Ordinis Minimorum S. Francisci de Paula Consentinæ Civitatis sit subjectum Jurisdictioni, & Visitationi Archiepiscopi, in casu &c.

II. An excommunicatio, suspensio, & interdictum sustineatur, in casu &c.

Sacra Congr. respondit,
Dilata, & proponatur in prima, suspensis excommunicatione, suspensione, & interdicto usque ad exitum Causæ in S. Congregatione, amotis interim Cedulonibus.

QUÆSTIO CCLXXXVI.

In causa Bononiensi, die 19. *Septembris* 1722.

A Lexander Ghislerius in ultimo, cum quo decessit, Testamento disposuit, quod erogarentur annuæ libræ 60. monetæ Bononien. ut in Altari S. Joannis Evangelistæ quolibet anno celebrarentur Missæ 100. & centum Missæ fuerunt ab Archiepiscopo Bononiensi redactæ ad 30. juxta facultates, quæ ante Decreta Urbani Octavi Ordinariis competebant super reductione Missarum.

Andreas Giglius in ultimo pariter, cum quo decessit, Testamento, disposuit, ut qualibet die Sabbati celebraretur Missa in quadam Ecclesia Rurali, qua destructa, Missarum celebratio translata fuit ad Parochialem Ecclesiam S. Michaelis Archangeli.

Pater Hector Ghislerius Congregationis S. Philippi Bononiæ, ad quem onus devenerat celebrare faciendi omnes prædictas Missas in ultimo pariter, cum quo decessit, Testamento ita disposuit: *lascio, che s' investino nel modo, e tempo, che dirò d' abasso, lire sei mila di quattrini in tanti crediti di Monte, o altre cose stabilite, e sicure, e si consegni detta investita, e sua entrata all' opera, e Congregazione del Catecumeno di Bologna instituita dalla san. mem. di Pio Quinto, acciò li Signori Governatori di detta opera abbino cura di far celebrare le suddette Messe trenta all' Altare di S. Giovanni Evangelista, sino che durerà il Cielo, e la Terra, e le suddette Messe ogni Sabbato conforme all' intenzione del Sig. Cavalier Gigli nella suddetta Parrocchia di S. Michele Archangelo, pure sino che durerà il Cielo, e la Terra. Et il resto si spenda per una Cappellania d' una Messa quotidiana da celebrarsi sino che durerà il Cielo, e la Terra nella Cappella di detta casa di detto luogo del Catecumeno, intendendomi, che l' entrata delle suddette lire seimila sia, e serva per fondare una Messa continua, ogni giorno perpetua, sino che durerà il Cielo, e la Terra, e che detratte le Messe da celebrarsi all' Altare suddetto di S. Giovanni Evangelista, & alla Parrocchia di S. Michele Archangelo, il resto di esse Messe si celebri al Catecumeno, secondo la mia intenzione, e ciò per comodità di essa opera del Catecumeno, che potrà, se così parerà a i Signori Governatori d' esso, risparmiare la spesa, che si fa d' un Cappellano*.

Factus est modo casus, cessitque dies solutionis juxta leges a P. Hectore Ghislerio præscriptas in suo Testamento, & Præsides Sac. Montis Pietatis Bononiæ, qui sunt Executores ultimæ voluntatis ejusdem, prompti, & parati sunt ad consignationem capitalis librarum 6000. & e contra Gubernatores Piæ Domus Catechumeni dicunt non sufficere consignationem dicti capitalis, sed consignari debere capitale, ex cujus reditibus nedum celebrari possint triginta Missæ relictæ ab Alexandro Ghislerio, & aliæ Missæ celebrandæ qualibet die Sabbati ex dispositione Andreæ Gigli, sed etiam una Missa quotidiana in Cappella, sive Oratorio Domus Catechumeni. Cumque unanimi consensu, tam Præsidentes Sac. Montis, quam Gubernatores memoratæ Domus Catechumeni recursum habuerint ad hanc Sac. Congregationem pro interpretatione, & fideli executione voluntatis Patris Hectoris Ghislerii, quæritur,

An satis sit, quod consignetur capitale librarum 6000. *vel potius opus sit, ut consignetur capitale, ex cujus reditibus nedum celebrari valeant* 30. *Missæ relictæ ab Alexandro Ghislerio, & Missa celebranda qualibet die Sabbati ex dispositione Joannis Andreæ Gigli, sed etiam una Missa quotidiana perpetua in Cappella Piæ Domus Catechumeni, in casu &c.*

Sacra Congr. respondit,
Affirmative ad primam dubii partem, & negative ad secundam, & amplius.

QUÆSTIO CCLXXXVII.

In causa Lucana Cappellaniæ, die 19. *Septembris* 1712.

In ultimo, cum quo decessit, Testamento Carolus Bonfilius jussit, ut Ecclesiola fabricaretur in sua Villa S. Pancratii prope viam publicam, & quod in eadem celebraretur Missa quotidiana pro se, & suis, & quod in eadem fieret festum S. Annæ, ad quod Presbyteri invitarentur, qui pariter dicta die Missam celebrarent, & applicarent uti supra.

Executores Testamentarii Episcopo supplicarunt pro facultate fabricandi Ecclesiolam, eoque renuente assensum præstare, nisi audito Parocho, recursus habitus est ad hanc Sac. Congregationem, quæ jussit, ut Episcopus informaret, & suum sensum aperiret.

Episcopus mandatis paruit, cumque in suis litteris scriptis *die* 16. *Junii* 1720. dixisset, se Parochum audivisse, & idcirco se non posse absolute, & simpliciter annuere petitioni, ex quo accedentibus Rusticis ad audiendum Sacrum in hujusmodi Ecclesiolis, & præsertim diebus festivis, non audiant iidem a Parocho salutaria verba, nec ab eo instruantur de his, quæ scire omnibus est necessarium, *juxta cap.* 2. *sess.* 5. *de reform.* concludendo, vel onus Missæ quotidianæ a Carolo Bonfilio relictum, esse transferendum ad Ecclesiam Parochialem, vel permissa Oratorii, seu Ecclesiolæ constructione, rem sic componi posse, ut diebus ferialibus Missa in Oratorio, & diebus Dominicis, & festivis de præcepto in Parochiali Ecclesia celebraretur, rescriptum fuit *die* 13. *Julii* 1720. pro nova informatione, primo super distantia Parochiæ a novo Oratorio, secundo super numero Missarum, quæ in Parochiali Ecclesia celebrantur, tertio super numero Parochianorum, & quarto, an aliqui ex Parochianis longe distent a sua Parochia.

In hujus mandati executionem, cum Episcopus in suis litteris *die* 10. *Novembris* 1720. rescripserit, primo, quod locus Oratorii erigendi distat ab Ecclesia Parochiali per spatium quartæ partis circiter unius milliarii, secundo, quod in Ecclesia Parochiali duæ Missæ de præcepto

cepto celebrabantur diebus festis de præcepto, quodque cæteris diebus nulla adest celebrandi obligatio, licet persæpe Parochus pro suo arbitrio id faciat, tertio, quod Parochiani sunt 270. & quarto, quod Domus magis remotæ ab Ecclesia Parochiali distant ab ea per spatium dimidiæ partis milliarii versus Orientem, & per quartam partem versus Occidentem, quo in loco Ecclesiola esset construenda, in Congregatione habita *die* 7. *Decembris* 1720. rescriptum fuit pro facultate construendi Ecclesiam, & in ea celebrandi Missam diebus ferialibus, ita tamen, ut Missa diebus festis de præcepto in Parochiali Ecclesia celebretur, & reclamantibus adversus hoc rescriptum Executoribus Testamentariis, *die* 13. *Septembris* 1721. rescriptum fuit *in decisis*.

Rescripta hæc prodierunt inter summaria precum, quæ in plena Congregatione perlectæ fuerunt; cumque instantibus dictis Executoribus, ut causa proponeretur in folio, præfixo Parocho S. Pancratii termino ad sua jura deducenda, operæ pretium existimatum fuerit annuere descriptioni in folio, cohærenter ad hæc proponitur in præsenti disputandum, *an sit standum, vel recedendum a decisis, in casu &c.*

Pro persistentia in decisis facit, quod ad Episcopum, cujus auctoritas est necessaria, tam in erectione novarum Ecclesiarum, quam publicorum Oratoriorum, pertinet summopere animadvertere, ne in consimilibus concessionibus, Populus nimium abstrahatur ab Ecclesia Parochiali, & sic incidat in ignorantiam circa credenda, & observanda, uti bene ponderat *R. P. D. Petra ad Constitut. Apost. tom.* 1. *pag.* 390. *num.* 69. & latius prosequitur *Monacell. in formul. tom.* 2. *pag.* 52. *n.* 42. ubi ait horum Oratoriorum erectionem tendere ad cultum Divinum, & esse opus pium, & religiosum, sed non esse de facili Ruri permittendam propter spiritualia damna, quæ in Populum derivant; ille etenim accedendo ad audiendam in Oratorio Missam, non audit verbum Dei a Parocho, caret Catechismo, ignorat vigilias, & festivitates de præcepto, & denunciationibus matrimonialibus non interest, itaut aliquando contingat, quod impedimenta matrimonialia non revelentur, quæ omnia in substantia referuntur in prima informatione Episcopi, & confirmantur in epistola Parochi ad Sacram Congregationem scripta, occasione, qua ei præfixus fuit terminus ad sua jura deducenda uti supra dictum est.

Pro recessu vero a decisis facit primo, quod Ecclesiola ad placitum non ædificatur, sed in executionem ultimæ voluntatis Caroli Bonfilii; facit secundo, quod non est de necessitate præcepti audire Missam diebus festis in Ecclesia Parochiali; facit tertio, quod alia passim adsunt consimilia Oratoria in Diœcesi Lucana; facit quarto major commoditas Populi pro Sacro audiendo; facit quinto, quod Sacerdos, qui Missam celebrabit in nova Ecclesiola, poterit diebus festis erga Populum adstantem ea præstare, quæ Parochus præstaret, si audientes Missam in nova Ecclesia, eam audirent in Parochiali; facit ultimo, quod alias hæc Sacra Congregatio stetit pro licentia celebrandi in consimili Oratorio, addita salutari clausula *sine præjudicio jurium Parochialium*.

Proposito igitur in Congregatione habita hac die 19. Septembris 1722. sequenti dubio, *an sit standum, vel recedendum a decisis*, responsum fuit pro persistentia in decisis excepta festivitate S. Annæ; & fundamentum ita rescribendi constitutum fuit in dissensu tam Parochi, quam Episcopi, qui non irrationabilis visus est, cum horum Oratoriorum erectio tendat ad Cultum Divinum, sit Opus pium, & Religiosum, sed eadem ita permittenda sint, ut caveantur spiritualia damna, quæ ex illis in Populum derivant, qui audiendo Sacrum diebus festivis in illis, caret, ut dictum est, verbo Dei, caret Catechismo, ignorat vigilias, & Festivitates de Præcepto, & denunciationibus matrimonialibus non interest, itaut aliquando impedimenta matrimonialia non revelentur, uti late ponderant *Eminentissimus Petra ad Constit. Apost. tom.* 1. *pag.* 390. *n.* 69. *Monacell. in formul. tom.* 2. *pag.* 52. *n.* 42.

Mortuo Episcopo Lucano, qui supradictam dederat relationem, & assumpto ad dictam Ecclesiam novo Episcopo, Executores Testamentarii supplicarunt, ut hic etiam audiretur, & eo fortius, quia plura aderant exempla consimilium Oratoriorum in Diœcesi Lucana, nec deerant exempla consimilium concessionum factarum ab hac Sac. Congregatione cum clausula, *sine præjudicio jurium Parochialium*; & tandem quia Sacerdos, qui Missam celebrabit in nova Ecclesiola, poterit diebus Festis erga populum adstantem ea præstare, quæ Parochus præstaret, si audientes Missam in nova Ecclesia, eam audirent in Parochiali.

Cohærenter ad hæc, datæ fuerunt litteræ ad novum Episcopum, qui inquit, se venerari rescripta hujus Sac. Congregationis, & quia requisitus fuerat pro voto, subdidit sibi videri, quod firma remanente facultate celebrandi Missam diebus ferialibus, indulgeri posset, ut etiam celebraretur diebus festivis, sed duobus tantum anni temporibus, a prima videlicet die Maii, usque ad medietatem Junii, & prima Octobris usque ad medietatem Novembris, tum quia dictis temporibus hæredes Testatoris possunt rusticari, tum quia iisdem dictis temporibus Parochiani, ut plurimum messis, & vindemiæ negotiis incumbentes, Parochialem Ecclesiam raro frequentant, & tandem conclusit, se hoc suum votum communicasse Parocho, qui dissentire judicavit.

In Synodo Lucana celebrata anno 1681. a clar. mem. Card. Julio Spinola Episcopo dictæ Civitatis *fol.* 22. *cap.* 8. *de Orat.* ita legitur, *eidem Interdicto subjacere intelligantur Oratoria ruralia, si ibi festis diebus celebretur ante Parochialem Missam, possit tamen in hoc Parochus ipse dispensare, si quando citra præjudicium Populorum fieri posse judicaverit. Obtenta a Parocho celebrandi facultate in Oratorio, si magna sit Populi frequentia, Sacerdos ibi celebrans teneatur nomine Parochi, quod fieri intelligitur sine præjudicio Juris Parochialis, promulgare dies festos, & jejunia in hebdomada proxime ventura, quemadmodum statuimus in capite de Sacrificio Missæ.*

Hæc sunt in causa, quæritur itaque

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

Sacra Congr. die 9. Februarii 1726. respondit,

Prævio recessu a Decisis pro gratia juxta modum præscribendum ab Ordinario.

QUÆSTIO CCLXXXVIII.

In Causa Lauretana distributionum, die 19. *Septembris* 1722.

PETRUS Solarius Canonicus Cathedralis Ecclesiæ Lauretanæ inquisitus de mandato dato cum exhurtatione pecuniæ Octavio Farciono tunc temporis Curiæ Laicalis Laureti Baroncello ad offendendum, & verberandum Lucam Marsilium, fuit in sententia A. C. absolutus, & liberatus tanquam non repertus culpabilis, petitque distributiones quotidianas, decursas *a die* 19. *Augusti* 1720. usque ad totum mensem Januarii currentis anni, non obstante, quod ex causa dictæ inquisitionis abfuerit a Choro, nec non fallentias, sive punctaturas aliorum Canonicorum a Choro absentium, quæ interessentibus accrescunt.

Super puncto distributionum, quæ a Canonicis inquisitis prætenduntur post sententiam eorum favore latam, licet non ex capite innocentiæ, plures extant hujusce Sac. Congregationis resolutiones. In *Arianen.* 28. *Aprilis* 1635. *lib.* 15. *decret. fol.* 191. sic legitur, *Canonicos primo inquisitos, ac deinde absolutos uti non culpabiles per sententiam, licet cum clausula ex hactenus deductis, debere utique percipere distributiones quotidianas totius temporis, quo talem ob causam Divinis interesse non potuerunt*, quod ipsum confirmatum fuit *in Anagnina* 23. *Augusti* 1681. *lib.* 31. *Decret. pag.* 454. ubi dictum fuit dandam esse declarationem alias factam *in Arianen.* 28. *Aprilis* 1635. in terminis Canonici absoluti cum Decreto, *non molestetur*, quod eidem debeantur distributiones tempore, quo abfuit a Choro, ex causa inquisitionis responsum fuit *ab hac Sac. Congregatione die* 19. *Novemb.* 1707. *in Theatina Distributionum lib.* 57. *Decret. pag.* 420. *& rursus die* 5. *Maii* 1708. *in Reatina Distributionum lib.* 58. *Decret. pag.* 158. *a tergo, & in Lucana* 23. *Jul.* 1718. *Decret. pag.* 308. & rursus in terminis Canonici absoluti cum clausula *ex hactenus deductis*, rescriptum fuit ab hac Sac. Congregatione *in Ferentina* 2. *Augusti* 1721. *pag.* 314. *lib.* 71. *Decret.* & in terminis Canonici dimissi a S. Officio cum clausula *firmo remanente processu*, qua attenta iterum de hæresi inquiri non potest, nisi nova superveniant indicia, juxta late tradita *per Cardinalem Albit. de inconstantia in fide cap.* 25. *num.* 111. *&* 112. quod eidem debeantur distributiones, pro tempore, quo in Carceribus permansit, fuit solemniter, & re discussa, resolutum in Tribunali Supremæ, & Universalis Inquisitionis Romanæ, ex quo munere fungor Consultoris ejusdem.

Transeundo ad fallentias, regula est hujus Sac. Congregationis, easdem deberi Canonico Jubilato, etiamsi Choro non interfit, nisi obstent Constitutio, aut consuetudo Ecclesiæ, uti resolutum fuit *in Reatina Distributionum* 19. *Aprilis* 1692. *fol.* 241. *a tergo lib.* 42. *Decret. & in Aquipendii Jubilationis* 23. *Martii* 1697. *pag.* 111. *lib.* 47. *Decret. & in alia Aquipenden. Indulti* 1. *Aprilis* 1719. *pag.* 147. *libr.* 69. *Decret.* Extra casum vero Canonicorum Jubilatorum, & in terminis Canonicorum, qui legitime impediti fuerunt, & Choro interesse non potuerunt, quod iisdem debeantur etiam fallentiæ aliorum sine legitima causa absentium, fuit resolutum ab hac Sacra Congregatione *die* 29. *Septembris* 1657. *in Alexandrina lib.* 21. *Decret. pag.* 90. proposito siquidem sequenti dubio, *an quando Canonici legitimis ex causis absentes non amittunt proprias distributiones quotidianas, debeant etiam lucrari, & participare pro rata de distributionibus aliorum Canonicorum absentium absque legitima causa*, & huic dubio responsum fuit *deberi etiam punctaturas absentium*; & in terminis Canonici absentis a Choro propter morbum, & cum indulto, quod omnes fructus, & distributiones sui Canonicatus perciperet, non secus, ac si Choro, & Divinis Officiis personaliter interesset, quod eidem debeantur aliorum fallentiæ, resolutum fuit *die* 5. *Maii* 1703. *in Romana Distributionum lib.* 53. *Decret. pag.* 186. *a tergo, & in eadem* 27. *Julii* 1705. *lib.* 55. *pag.* 233. *a tergo, & in Mediolanen. Distributionum* 7. *Decembris* 1715. *lib.* 65. *Decret. pag.* 479.

Adversus prætensionem Canonici Solarii excipiunt Capitulum, & Canonici Cathedralis Ecclesiæ Lauretanæ, nec eidem esse debitas distributiones quotidianas, nec fallentias, seu punctaturas aliorum; & in eo quidem, quod attinet ad distributiones, præter plura in ipsorum scripturis deducta, vim potissimam in hoc constituunt, quod occasione accusationis adversus eum factæ a Luca Marsilio de relato mandato, Episcopus secretam sumpsit informationem super subsistentia narratorum, & ex notitiis habitis edoctus fuit de antecedenti familiaritate inter dictum Solarium, & Uxorem Querelantis, itaut sub pœna suspensionis a Divinis, ac scutorum 500. justis de causis, & ex informata conscientia, jusserit eum domi permanere, & deinde libertatem indulserit, interdicto tamen accessu ad Chorum, additaque insinuatione, quod se conferret ad Patres Missionarios Civitatis Maceratæ, ad effectum operam dandi exercitiis spiritualibus spatio quadraginta quinque dierum, hinc inferendo eum non abfuisse legitima ex causa a Choro, nec ei prodesse posse sententiam A. C. utpote restrictam ad causam mandati, uti habetur ex Relatione Episcopi, & in eo, quod spectat ad fallentias, subdunt Canonici eas non deberi, licet etiam essent debitæ distributiones, juxta plene firmata *per Rot. decis.* 102. *num.* 13. *& seqq. coram Bicchio*, & multo magis cum fallentiæ secundum consuetudinem Ecclesiæ Lauretanæ debeantur tantum vere præsentibus, non autem ficte, & sic nec Jubilatis, nec corporali ægritudine laborantibus.

Jura hinc inde circumferuntur; quocirca quæritur

I. An, & a quo tempore, & ad quod tempus debeantur Canonico Petro Solario distributiones quotidianæ.

II. An eidem Canonico debeantur Fallentiæ, sive punctaturæ aliorum Canonicorum, ut supra in casu &c.

Sacra Congr. respondit,

Ad Primum, & Secundum negative, & amplius.

QUÆSTIO CCLXXXIX.

In Causa Romana Legati, die 21. *Novembris* 1722.

MONACHI S. Praxedis de Urbe, qui acceptare noluerant annua scuta 72. relicta a Bernardo Olgiato cum onere duarum Missarum quotidianarum, quique illud onus tandem acceptarunt, postquam legatum auctum fuit a Septimio Olgiato ad annua scuta 100. & obulos 55. sub obtentu decrementi redituum assignatorum devenerunt ad bonorum dimissionem, & insteterunt in Sacra Congregatione Visitationis pro deletione oneris prædictarum Missarum; cumque responsum fuisset, quod recurrerent ad hanc Sacram Concilii Congregationem, habito per eosdem recursu, propositaque ipsorum instantia inter summaria precum *die* 8. *Augusti proxime præteriti*, nulla fuit capta resolutio, sed dictum *dilata, & Causa ponatur in folio, & interim Patres omnino continuent in celebratione Missarum*.

Ad tramites hujus rescripti Causa in folio proponitur, & Monachorum scriptura circumfertur, in qua plura demonstranda assumuntur, & quidem primo, quod vigore pacti in ipsa acceptatione appositi erat in ipsorum facultate dimittere bona assignata, & se liberare ab onere Missarum; secundo, quod hæc dimissio ad tramites pacti facta est, intimatis Dominis de Olgiatis; tertio, quod decrementum redituum assignatorum non ex propria culpa, sed ex diminutione naturali processit; quarto, quod in assignatorum bonorum administratione fideliter, & punctualiter se gesserunt, cum investimenta, quæ de novo fieri oportuit, facta sint vel consciis Dominis de Olgiatis, vel cum consilio, & approbatione Virorum omni exceptione majorum; quinto, quod si bona ab ipsis dimissa fuerunt per Reverendam Fabricam occupata, id secutum est in vim privilegiorum ejusdem Fabricæ, & citatis iisdem Dominis de Olgiatis; ultimo, quod si ipsi adhuc retinent aliqua ex bonis dimissis, retentio causam non habet a compositione inita cum Reverenda Fabrica, sed a contractu emptionis, & venditionis, cum ipsis prohibitum non esset emere a Fabrica ea bona, quæ Fabrica parata erat vendere unicuique.

His stantibus, quæritur,

I. An onus Missarum relictum in Testamento Bernardi Olgiati anno 1604. *seu &c. sit delendum e Tabella onerum Missarum Monasterii, & Ecclesiæ S. Praxedis de Urbe in casu &c. & quatenus affirmative.*

II. An teneantur hæredes Bernardi supplere in casu &c.

Sacra Congr. respondit,

Ad Primum negative pro nunc, & Procuratores utantur Jure suo coram Judice competenti, & ad Eminentissimum Præfectum Fabricæ juxta mentem.

Ad secundum habebitur ratio suis loco, & tempore.

QUÆSTIO CCXC.

In Causa Turritana Vicarii Capitularis, die 21. *Novembris* 1722.

SECUTO obitu bonæ memoriæ Gasparis Fuster Archiepiscopi Turritani *die* 28. *Augusti* 1721. Capitulum Ecclesiæ Metropolitanæ devenire curavit intra terminum a Sacro Concilio Tridentino præfixum ad electionem Vicarii Capitularis.

In prima sessione, in qua processum fuit per secreta suffragia, nullus Canonicorum fuit electus a majori parte, & sic electio haberi non potuit. Simili modo res se habuit in secunda sessione, licet in ea processum fuerit per publica suffragia, sed in tertia tandem sessione Decanus habuit pro se medietatem Canonicorum publice suffragantium, & ipsemet adhærendo aliorum suffragiis in sui favorem latis, prætendere cœpit, se habuisse pluralitatem suffragiorum, & se rite, & recte fuisse electum in Vicarium Capitularem; novem enim, computato proprio suffragio, quo aliis se eligentibus adhæsit, ut dictum est, habuit suffragia, & Canonicus Villa septem pro se habuit.

Exorta controversia super validitate hujus electionis, eademque delata ad Episcopum Bosanen. tanquam Suffraganeum antiquiorem, & tunc unicum, & viciniorem Episcopum Provinciæ Turritanæ, fuit ab ipso prolata sententia super nullitate dictæ electionis, tum quia facta fuerat per publica suffragia contra decreta hujus Sac. Congregationis, tum quia Decanus ab Archiepiscopo defuncto, uti reus criminum, fuerat ex informata conscientia suspensus a Divinis, & Causa in hac Sacra Congregatione pendebat, & tandem quia junior erat, & illiteratus, idemque Episcopus Bosanensis, utendo jure sibi dato a Concilio Tridentino, deputavit in Vicarium Capitularem Joannem Baptistam Sequi Metropolitanæ Ecclesiæ Canonicum, virum sexagenarium, Juris Utriusque Doctorem, & S. Theologiæ Magistrum.

Ab hac Episcopi Bosanensis sententia Decanus, illique adhærentes appellationem interposuerunt ad Judicem Delegatum Apostolicum in Regno Sardiniæ, & licet Canonicus Sequi protestatus fuerit de incompetentia, ex quo non poterat ad eum appellatio interponi a sententia, quæ lata fuerat ab Episcopo Bosanensi tanquam Apostolico Delegato, & ulterius dixerit non subsistere rationem a Decano, & aliis ei adhærentibus allatam, & in eo consistentem, quod devolutio ad Suffraganeum antiquiorem non poterat sibi locum vindicare, ex quo Capitulum Turritanum intra terminum elegerat; inquit enim, idem esse non eligere, ac nulliter eligere: Judex nihilominus Delegatus Apostolicus Regni Sardiniæ revocavit sententiam sæpe memorati Episcopi Bosanensis, & Capitulo Turritano concessit, ut intra spa-

ſpatium octo dierum procederet ad electionem Vicarii Capitularis per ſecreta ſuffragia, factaque per ſecreta ſuffragia nova electione, electoque iterum in Vicarium Capitularem Decano, quæritur,

I. An electio Reverendi D. Gavini de Liperis Decani Eccleſiæ Metropolitanæ Turritanæ in Vicarium Capitularem ejuſdem Eccleſiæ facta die 3. Septembris 1720. ſuſtineatur, & quatenus negative.

II. An Epiſcopus Boſanen., antiquior ex Suffraganeis legitime deputaverit Reverendum D. Canonicum Joannem Baptiſtam Sequi in Vicarium Capitularem prædictæ Eccleſiæ, & quatenus negative.

III. An ſecunda electio ejuſdem Decani facta ad prædictum Officium Vicariatus vigore ſententiæ Judicis appellationum Regni Sardiniæ fuerit valida, vel potius nulla, & attentata, in caſu &c.

Sacra Congr. reſpondit
Ad primum negative. Ad ſecundum affirmative. Ad tertium affirmative, & amplius.

QUÆSTIO CCXCI.

In Dubio Matrimonii, die 21. Novembris 1722.

AB Epiſcopo extra Urbem degente pro regula conſcientiarum humillimus ad hanc Sacr. Congregationem habetur recurſus, ut declaretur, an impedimentum juſtitiæ publicæ honeſtatis oriens ex Matrimonio puro, & non conditionato, rato, & non conſummato, ſed nullo, non tamen ex defectu conſenſus, non excedat primum gradum, *juxta cap. 3. ſeſſ. 24. de Reformat.* vel potius extendatur ad quartum, *juxta Conſtitutionem 62. S. Pii Quinti Bull. tom. 2.*

Ut autem in comperto ſit, quid a Scribentibus, & quid ab hac Sacra Congregatione fuerit alias reſolutum, operæ pretium eſſe videtur nonnulla adnotare.

Primum eſt, quod in terminis ſponſalium de futuro, quæ pura ſint, & certa, & non conditionata, ſed invalida præterquam ex defectu conſenſus, diſtinguendum eſſe videtur inter jus antiquum, jus medium, & jus poſtremum Sacri Concilii Tridentini. Loquendo de jure antiquiori, nonnulli putant impedimentum publicæ honeſtatis ſibi vindicaſſe locum in ſponſalibus de futuro puris, & certis, ſed invalidis, præterquam ex defectu conſenſus, *Gonzal. in cap. ad audientiam n. 7. de Sponſal. Clericat. de Sacram. Matrim. deciſ. 30. num. 5. Pirhing. ad lib. 4. Decretal. tit. 1. ſect. 1. §. 6. num. 33.* Contrarium ab aliis docetur, & ſignanter a Paſſerino *in cap. unico num. 5. de Sponſal. in 6.* ubi notat de jure antiquiori non adfuiſſe hoc impedimentum, ex quo Divus Thomas *in quartum Sentent. diſt. 41. art. 1. quæſt. 8. ad tertium* docuit illud impedimentum non oriri ex ſponſalibus nullis. At quidquid ſit de hoc, attento jure medio, ex ſponſalibus puris, & certis *quavis ratione nulla ſint, dummodo non ſint nulla ex defectu conſenſus, oritur efficax, ad impediendum, & dirimendum ſequentia Sponſalia, vel Matrimonia, non autem ad præcedentia diſſolvendum, impedimentum juſtitiæ publicæ honeſtatis*, uti ſolemniter fuit deciſum a Bonifacio VIII. *in citato cap. unico de Sponſalib. in 6.* Sed huic Bonifacianæ Decretali derogatum fuit a Sacro Concilio Tridentino *ſeſſ. 24. de Reformat. Matrim. cap. 3.* ubi ſic legitur: *Juſtitiæ publicæ honeſtatis impedimentum, ubi ſponſalia quacumque ratione valida non erunt, Sancta Synodus prorſus tollit, ubi autem valida fuerint, primum gradum non excedat*, & hoc impedimentum reſtrictum ad primum gradum durat, etiamſi ſponſalia mutuo deinde conſenſu diſſolvantur, dummodo a principio valida fuerint, juxta reſolutionem hujus Sacræ Congregationis a Summo Pontifice Alexandro VII. approbatam *apud Fagnan. in cap. ad audientiam num. 29. de Sponſalib. & Matrimon.* & bene adnotavit *Caballut. in Theor. & praxi juris Canonici lib. 3. cap. 24. num. 17.*

Secundum eſt, excitatam olim fuiſſe controverſiam, an allegatus Textus Concilii Tridentini excludens impedimentum juſtitiæ publicæ honeſtatis a Sponſalibus nullis, & illud reſtringens ad primum gradum in Sponſalibus validis, procederet etiam in Matrimonio de præſenti contracto, rato, & non conſummato, & Sacra hæc Congregatio *negative* reſpondit, uti habetur *lib. 6. Decret. pag. 64. a tergo*, & Sententiæ hujus Sacræ Congregationis adhæſit Sanctus Pius Quintus, qui *in Conſtitutione 62. Bullar. tom. 2.* definivit caput tertium *Seſſ. 24.* loqui de Sponſalibus validis de futuro, & non de Matrimonio de præſenti rato, & non conſummato: *Motu proprio, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium declaramus, & definimus decretum Concilii hujuſmodi omnino intelligendum eſſe, & procedere in ſponſalibus de futuro dumtaxat, non autem in Matrimonio, ſic, ut præfertur, contracto, ſed in eo durare adhuc impedimentum in omnibus illis caſibus, & gradibus, quibus de jure veteri ante prædictum Decretum Concilii introductum erat.* Sermo ibi fit de impedimento juſtitiæ publicæ honeſtatis; cum enim quæſtio fit de Matrimonio rato, & non conſummato, ex hujuſce generis Matrimonio impedimentum affinitatis cauſam habere non poteſt, cum affinitas ex culpa carnali conſurgat, ut probat *Textus in Canon. Lex 27. quæſt. 2.* & in terminis firmant *Diana in edit. Coord. tom. 2. tract. 6. reſolut. 240. per totam, Leander Oper. Moral. tom. 2. tract. 9. de Matrimon. diſp. 19. quæſt. 10.* & fuit ab hac Sacra Congregatione reſolutum *in Valentina anno 1607. lib. 10. Decret. pag. 135. a tergo*, ibi: *Sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum reſpondit ex Matrimonio rato, & non conſummato oriri impedimentum juſtitiæ publicæ honeſtatis, non autem affinitatis.*

Tertium eſt, quod hoc impedimentum juſtitiæ publicæ honeſtatis oriens a Matrimonio rato, & non conſummato, non reſtringitur ad primum gradum, *juxta cap. 3. Seſſ. 24. de Reformat. Matrim.* Sed extenditur ad quartum, loquendo ſaltem de Matrimonio valido, ſi enim *ex allegata Conſtitut. 62. S. Pii Quinti* impedimentum hoc proveniens a Matrimonio rato, & non conſummato durat in omnibus illis caſibus, & gradibus, quibus de jure veteri ante Concilium Tridentinum introductum erat, inferri poſſe videtur, impedimentum prædictum extendi ad quartum gradum, ut in terminis Matrimonii rati, & non conſummati, & validi adnotarunt *Leander Oper. Moral. tom. 2. tract. 9. de Matrim. diſp. 19. quæſt. 11. Bonacin. Oper. Moral. tom. 1. de impedimentis Matrimonii quæſt. 3. punct. 11. propoſit. 2. num. 10.* apud quos alii allegantur *Juvenin de Sacram. diſſert. 10. de Matrim. quæſt. 7. cap. 9. in fine.*

Quartum eſt, nonnullos afferere, impedimentum juſtitiæ publicæ honeſtatis oriens ex Matrimonio rato, & non conſummato, ſed invalido, dummodo invaliditas non proveniat ex defectu conſenſus, eſſe reſtrictum ad primum gradum, *Caballut. in Theor. & praxi juris Canon. lib. 3. cap. 24. num. 18. & 19.* & hæc opinio refertur *apud Barboſ. ad cap. 3. num. 13. ſeſſ. 24. de Reform. Matrim.* E contra autem alii communiter docent, quod impedimentum juſtitiæ publicæ honeſtatis procedens ex Matrimonio rato, & non conſummato licet invalido, præterquam ex defectu conſenſus extenditur uſque ad quartum gradum; cum enim Sanctus Pius Quintus *in ſæpe citata Conſtitutione 62.* non diſtinxerit inter Matrimonium ratum validum, & invalidum, hinc eſt, quod ſi in terminis Matrimonii validi impedimentum extenditur uſque ad quartum gradum, hoc ipſum dicendum eſt in terminis Matrimonii invalidi, dummodo invaliditas non proveniat ex defectu conſenſus, *Sanchez de Matrim. lib. 7. diſput. 70. num. 16. Vanſpen in jus Eccleſ. Univerſ. tom. 1. part. 2. tit. 3. de impedimentis Matrimonii cap. 6. num. 29. & duobus ſeqq. Bonacin. Oper. Moral. tom. 1. de impedimentis Matrimonii quæſt. 3. punct. 11. propoſit. 2. num. 11. Filliuc. Oper. Moral. tom. 1. tract. 10. part. 2. cap. 6. num. 223. noviſſime Salmanticenſes Oper. Moral. tom. 2. tractat. 9. cap. 12. punct. 7. num. 83.* fuſe, & optime *Fagnan. in cap. ad audientiam a num. 11. uſque ad num. 29. & præſertim num. 20. de Sponſal. & Matrim. Rebel. de Juſtitia num. 4. in Appendice num. 102. La Croix lib. 6. par. 3. num. 681.* & videtur eſſe de mente hujus Sacræ Congregationis, tum ex his, quæ a Fagnano loco citato late deducta ſunt, etiam quia non ſolum hæc eadem Sacra Congregatio alias reſolvit, ex Matrimonio rato, & non conſummato, licet invalido conſurgere impedimentum juſtitiæ publicæ honeſtatis, uti habetur ex reſolutione edita *die 18. Julii 1611. lib. 11. Decret. pag. 99.* ſed ulterius declaraſſe videtur illud impedimentum extendi ultra primum gradum; cum enim in quadam Cauſa *Brixien. Matrimonii*, Epiſcopus retuliſſet contractum fuiſſe Matrimonium de præſenti, & conſummatum inter Bartholomæum, & Mariam, illudque ſubinde fuiſſe nullum declaratum, ex quo probatum fuit inter eos intercedere conjunctionem in quarto conſanguinitatis gradu, eundemque Bartholomæum velle in Uxorem ducere quandam Mulierem cognomine Cavallariam conjunctam cum Maria in tertio conſanguinitatis gradu, & quæſtionem excitatam eſſe, abſque Apoſtolica diſpenſatione dictum Matrimonium contrahere poſſet, diſputato *die 3. Decembris 1607.* ſequenti dubio, *an Bartholomæus poſſit abſque diſpenſatione Apoſtolica Matrimonium cum Cavallaria contrahere*, reſponſum

ſum fuit *non poſſe contrahere, obſtante illi tum impedimento publicæ honeſtatis, tum affinitatis*, uti habetur *lib. 25. Decret. pag. 472. & ſeqq. & pag. 484.* publicæ quidem honeſtatis propter Matrimonium licet nulliter contractum, affinitatis vero propter idem Matrimonium conſummatum.

Ultimum eſt, diſputationem pariter eſſe inter Doctores, an ex Matrimonio rato, & non conſummato, ſed contracto ſine præſentia Parochi, & Teſtium, prædictum oriatur impedimentum, uti videri poteſt apud *Dianam in edit. coord. tom. 2. tract. 6. reſolut. 249.* In hac autem controverſia nonnulli negant dictum impedimentum oriri ex matrimonio in locis, in quibus Tridentinum receptum eſt, *Sanchez de Matrimon. lib. 7. diſput. 70. n. 13. Engel ad tit. de Sponſalibus, & Matrim. §. 6. num. 3. Barboſ. de offic. & poteſt. Epiſcopi allegat. 151. n. 181. de Juſtis de diſpenſat. matrim. lib. 2. cap. 8. n. 3. Clericat. deciſ. 30. de Sacram. Matrim. n. 13.* Nonnulli in ea ſunt opinione, oriri dictum impedimentum, & extendi uſque ad primum gradum ſi admittatur Matrimonium contractum abſque præſentia Parochi, & Teſtium valere in vim ſponſalium *Filliuc. oper. moral. tom. 1. tract. 10. par. 2. cap. 6. n. 223.* & etiam adnotavit Sanchez loco citato. Communior autem, & receptior eſſe videtur Sententia, quod ex Matrimonio rato, & non conſummato, licet contracto ſine Parocho, & Teſtibus proveniat impedimentum publicæ honeſtatis, quia licet illud nullum ſit, non eſt tamen nullum ex defectu conſenſus, *Bonacin. oper. Moral. tom. prim. de impedimen. Matrim. quæſt. 3. punct. 11. propoſit. 2. n. 18. Pontius de Matrim. lib. 7. cap. 36. n. 5. Guttier. de Matrim. cap. 103. num. 9. Hurtad. de Matrim. diſp. 21. difficul. 2. n. 7. Perez de Matrim. diſput. 32. ſect. 3. num. 3. Salmanticenſes in curſu Morali tom. 1. tract. 9. cap. 12. puncto 7. n. 86. Leander Oper. Moral. tom. 2. tract. 9. de matrim. diſput. 19. quæſt. 13. Fagnan. in cap. Sponſam n. 2. & 3. de Sponſalibus, Caballut. in Theor. & praxi juris Canon. lib. 3. cap. 24. n. 20.* nec in horum ſententia impedimentum reſtringitur ad primum gradum, ſed extenditur ad quartum, ut colligitur ex doctrinis allegatis. In tantum etenim impedimentum reſtringi poſſet ad primum gradum, in quantum Matrimonium contractum de præſenti ſine Parocho, & Teſtibus haberet vim ſponſalium, quod ab hac Sacra Congregatione non admittitur, uti colligitur ex reſolutione edita *Menſe Martii anno 1587. lib. 4. decret. pag. 230.* ibi; *Matrimonium contractum per Puberes abſque præſentia Parochi, vel alterius Sacerdotis de ipſius Parochi, vel Ordinarii licentia, eſt nullum, nec reſolvitur in vim Sponſalium, itaut contrahentes judicialiter cogi non poſſint ad denuo contrahendum ſervata forma Concilii Trident. ſeſſ. 24. cap. 1. de reform.* & concordat alia reſolutio 8. *Junii 1595. lib. 8. decret. pag. 130.* ibi, *Congregatio cenſuit, Matrimonium ſine præſentia Parochi per verba de preſenti contractum etiam copula ſubſequuta, irritum, & nullum eſſe, & in ſponſalia de futuro minime reſolvi.*

His ſtantibus, quæritur

An impedimentum juſtitiæ publicæ honeſtatis oriens ex matrimonio puro, & non conditionato, rato, & non conſummato, ſed nullo, non tamen ex defectu conſenſus, non excedat primum gradum, ſeu potius extendatur ad quartum in caſu &c.

Sacra Congr. die 6. Decembris 1722. reſpondit,
Ad mentem.

QUÆSTIO CCXCII.

In cauſa Comaclenſi Electionis, die 5. Decembris 1722.

JOANNES Ognibene in ſuo ultimo, cum quo deceſſit, Teſtamento, demandavit ut Sacerdos eligeretur, qui Miſſas pro anima ſua celebraret, & quod electio pertineret ad P. Guardianum Cappuccinorum, & Subpriorem S. Auguſtini Civitatis Comaclen., ad quos etiam pertinere deberet ſtatuere numerum Miſſarum celebrandarum *pregandoli a compiacerſi per l' amor di Dio ad impegnarſi per carità in queſt' opera a gloria di S. D. M. e benefizio di detto Teſtatore*, & licet aliqua in codicillo immutaſſet, firmam nihilominus voluit remanere electionem peragendam a dd. PP. Guardiano videlicet, & Subpriore, *reſti in facoltà di dd. RR. PP. Guardiano, e Sottopriore ſuddetto di far elezione d' altri Religioſi, purchè ſiano Comacchieſi.*

Ad tramites Teſtamenti, & Codicilli facta fuit anno 1667. a P. Guardiano & a P. Subpriore nominatio Sacerdotis Natalis Caſſiani de Cavaleriis, nec ulla tunc orta fuit controverſia, ex quo uterque in eamdem perſonam conſenſit, ſed cum ſecuta vacatione Cappellaniæ, P. Guardianus Cappuccinorum devenerit ad nominationem Sacerdotis Cavalerii, & P. Subprior ad nominationem Sacerdotis Joſephi Feletti, controverſia inter nominatos excitata eſt, contendente Feletto, ſibi adjudicandam eſſe Cappellaniam, ex quo propter incapacitatem P. Guardiani Cappuccinorum, totum jus nominandi per jus accreſcendi, ſeu non decreſcendi, devenit ad Subpriorem, & excipiente Cavalerio, Cappellaniam ſibi eſſe adjudicandam, tum quia P. Guardianus capax eſt dicti juris nominandi, tum quia ipſe nominatus eſt ex linea a Teſtatore prædilecta.

Quoad incapacitatem P. Guardiani Felettus affert Textum in Clementina *Exivi §. verum etiam, de verborum ſignificatione* ibi: *prædictis Fratribus non licet, nec competit, quia potius conſiderata puritate ſtatus ſui, debent ſibi ſcire interdictum, quod hujuſmodi executionibus, & diſpoſitionibus ſe exponant*; & licet ſubdantur hæc alia verba: *cum dicti Ordinis profeſſores pro nulla re temporali poſſint in judicio experiri &c. hæc autem ſæpius abſque litigio, & contrectatione, vel adminiſtratione pecuniæ nequeant expediri*, quæ verba reſtricta eſſe videntur ad res temporales; cum tamen litigii ratio ſe extendat etiam ad quædam jura, vel ſpiritualia, vel ſpiritualibus annexa, hinc deducit, Cappuccinos, & alios ſtrictiſſimam paupertatem profitentes juris nominandi, ſeu præſentandi reputandos eſſe incapaces.

Cavalerius e contra capacem omnino reputat P. Guardianum, cum nedum propter præcedentem præſentationem ſit in poſſeſſione præſentandi, & nominandi, ſed etiam cum actus pietatem concernat, & charitatem reſpiciat, & abſque ſuſpicione fraudis, vel mixtura uſus, ſeu adminiſtrationis pecuniarum, & bonorum, cujus ratione prohibitio indicta eſt, expleri valeat, ut in terminis Teſtatoris, qui bona reliquerat pro dotatione puellarum, & nominationem commiſerat Patri Guardiano Cappuccinorum, & Priori Sanctiſſimi Sacramenti, argumentatur Cardinalis de Luca de teſtamento *deciſ. 16. n. 10. & 11.*

His ſtantibus, quæritur

An nominatio P. Guardiani Cappuccinorum ſuſtineatur, & cui ex nominatis ſit adjudicanda Cappellania in caſu &c.

Sacra Congr. die 19. Decembris 1722. reſpondit,
Adjudicandam eſſe Cappellaniam Thomæ de Cavaleriis in caſu & ad mentem.

QUÆSTIO CCXCIII.

In cauſa Atrienſi, die 5. Decembris 1722.

CANONICI Cathedralis Eccleſiæ Atrien. quotidiano, & nunquam interrupto Eccleſiæ ſervitio vacantes, itaut qualibet die ter ad d. Eccleſiam accedant, & aliquando etiam quatuor vicibus, dividendo videlicet tempore Quadrageſimali, & aliis quibuſdam diebus recitationem veſperarum a recitatione Completorii, ſupplicant pro vacatione trium menſium attentis prædicto continuato ſervitio, tenuitate redituum, & aeris intemperie, & Epiſcopus pro informatione, & voto requiſitus, cenſuit annui poſſe petitis.

Sac. Concilium Tridentinum *ſeſſ. 24. cap. 12. de reform.* ſic ſtatuit: *Non liceat vigore cujuslibet ſtatuti aut conſuetudinis ultra tres menſes ab eiſdem Eccleſiis quolibet anno abeſſe, ſalvis nihilominus earum Eccleſiarum conſtitutionibus, quæ longius ſervitii tempus requirunt*, & cohærenter ad hanc S. Concilii diſpoſitionem S. hæc Congr. Canonicis adſtrictis Eccleſiæ ſervitio ultra novem menſes, & poſtulantibus ex gratia vacationem trium menſium negative, ut plurimum reſpondit, *teſte Fagnan. in cap. licet num. 48. & ſeqq. de Præbendis.*

Hæc procedunt in terminis Canonicorum ſervitio adſtrictorum ultra novem menſes, in eo autem, quod attinet ad Canonicos ex conſtitutione, aut conſuetudine Eccleſiæ adſtrictos ſervitio totius anni, hæc habentur apud *Garz. de benef. l. 5. cap. 2. n. 311.* ibi: Si *tamen Conſtitutio, aut conſuetudo Eccleſiæ requirit ſervitium totius anni, tunc locum habet abſentia trium menſium a Concilio permiſſa: eſt etenim dura reſidentia totius anni, oporteatque maxime juxta fragilitatem humanam indulgeri aliquod tempus ad recreationem corporis, & animi. Et ita Sac. Congregatio Concilii cenſuit in una Aſtoricen. bis ver-*

bis, decretum Concilii cap. 12. sess. 24. concedit Canonicis absentiam trium mensium, si Constitutiones Ecclesiæ servitium totius anni requirunt. Concordat *Barbosa ad cap. 12. sess. 24. num. 64.* & consimiles referuntur S. Congregationis Episcoporum, & Regularium Resolutiones apud Nicolium in Flosculis in verbo *Canonicus sub num. 31.*

Transeundo ad resolutiones hujus S. Congregationis, hæc benigne indulsit, ut Canonici Ecclesiæ Collegiatæ S. Victoriæ Farfen. per duos Menses a Servitio Ecclesiæ quotannis pro arbitrio Eminentissimi Commendatarii abesse possent, ita tamen ut omnes interessent diebus Dominicis, & Festis totius anni, & diebus omnibus adventus, Quadragesimæ, Octavæ Nativitatis, Resurrectionis Domini, Pentecostes, & Corporis Christi, & nunquam a servitio ultra tertiam partem eodem tempore abessent, uti legitur *lib. 19. decret. pag. 582. die 13. Novembris 1655.* eademque benigne annuit, ut Canonici Prænestini per 4. menses singulis annis, scilicet a prima die mensis Junii usque ad primam diem mensis Octobris per tertiariam, hoc est, octo ex duodecim intervenire deberent, & quatuor a servitio vacare valerent, uti habetur *lib. 15. Decret. pag. 576. 22. Augusti 1637.* & in Cathacen. servitii Chori, in qua agebatur de Canonicis, qui inserviebant diebus Dominicis & aliis Festis solemnioribus, & aliis diebus inserviebant alternatim, licet die 19. Novembris 1698. reprobatum fuerit hujusmodi servitium, attenta nihilominus præbendarum tenuitate, quæ erat in duc. 50. annuis quoad Canonicatus, & in ducat. 100. quoad dignitates, *die 12. Septembris 1699.* recessum fuit a decisis, & attenta Præbendarum tenuitate statutum fuit servitium per mediarias juxta morem Basilicæ Vaticanæ, uti habetur *lib. 40. pag. 567. & lib. 49. pag. 311.* & in quadam Causa Lairien. in qua ultra vacationem octuaginta dierum Capitulo indultam anno 1552. a Nuntio Apostolico, Canonici prætendebant alternis hebdomadis vacatione frui pro tonsione barbæ, & pro recreatione corporis, Sacra Congregatio *die 24. Januarii 1705. lib. 55. decret. pag. 23.* indulsit, ut sublatis quibuscumque aliis vacationibus Capitulum ex gratia frui valeret vacatione trium mensium quolibet anno.

His stantibus, quæritur,

An, & quomodo petitioni sit annuendum in casu &c.

Sacra Congr. die 19. decembris 1722. respondit,
Pro gratia ad duos menses ad formam Farfen. 13. Novembris 1655.

QUÆSTIO CCXCIII.

In causa Legionensi, & Astoricensi Unionis, die 5. Decembris 1722.

IN Collegio PP. Societatis Jesu Civitatis Legionen. sex de præsenti vix degunt Sacerdotes, & ad Scholas vix centum accedunt Adolescentes, quando tempore præterito in prædicto Collegio septem Societatis Presbyteri degebant, ut pio exercitiorum spiritualium instituto incumberent, quinque præterea aderant Magistri pro instruendis octingentis, & ultra adolescentibus ad scholas accedentibus, & tandem duodecim in eodem Religiosi alebantur, qui tertium probationis annum explebant; cum autem mutatio hæc, quæ maximopere cedit in diminutionem Divini Cultus, causam habuerit a decremento redituum ob notorias temporum Calamitates, & ad reparanda hujusmodi damna supplicatum fuerit Sanctissimo Domino Nostro pro unione duarum Ecclesiarum Parochialium eidem Collegio facienda, quorum altera sita est in Diœcesi Legionensi, & altera in Diœcesi Astoricensi, & a Sanctitate sua fuerint preces remissæ ad hanc Sac. Congregat. bina in præsenti examinanda dubia proponuntur, quorum alterum pertinet ad punctum unionis, & alterum spectat ad qualitatem Vicariorum in dictis Ecclesiis Parochialibus constituendorum, an videlicet debeant esse perpetui, vel ad nutum amovibiles.

Utraque ex dictis Parochialibus est de jure Patronatus Laicorum ex fundatione, & dotatione, & Patronorum non deest assensus, & quia illa, quæ sita est in Diœcesi Legionensi est vacans, & altera Diœcesis Astoricensis de præsenti obtinetur a Sacerdote Alphonso Galego, supplicatur quidem pro utriusque unione; sed cum distinctione inter primam, & secundam, cum secunda sit suum effectum habitura, postquam per cessum, vel decessum prædicti Alphonsi Parochia Astoricensis vacaverit. Scriptum præterea fuit pro informatione utrique Episcopo, & uterque respondit, exposita in facto subsistere, & unionem cessuram esse in majorem Dei Cultum, & publicam Juventutis educationem, & in eo quod attinet ad deputationem Vicarii ad nutum amovibilis, Episcopus Legionensis censet id in Domino expedire ex rationibus in ejus informatione perlegendis: & Episcopus Astoricensis nonnulla ponderat in sua informatione pro amovibilitate, & alia nonnulla pro perpetuitate Vicariorum, & se tandem submittit judicio hujus Sac. Congregationis, ut in prædicta ejus Informatione legi potest.

Quoad Parochiales unitas Cathedralibus Collegiatis, Monasteriis, Collegiis, aut aliis Piis locis *Conc. Trident. Sess. 7. de Reform. cap. 7.* statuit quod Episcopi solicite provideri procurent: *ut per idoneos Vicarios etiam perpetuos, nisi ipsis Ordinariis pro bono Ecclesiarum regimine aliter expedire videbitur &c. animarum cura laudabiliter exerceatur*: & hæc Concilii verba sic a Doctoribus explicantur, ut appositio Vicarii, sive perpetui, sive temporalis pendeat ab arbitrio Ordinariorum, ex circumstantiis regulando: *Barbos. Jur. Eccles. Univers. lib. 3. cap. 6. num. 11. & in notis ad cap. 7. sess. 7. de Reform. num. 15. & num. 31. & 32.* ibique *Gallemart num. 5. Pignatel. consult. 213. num. 4. tom. 4. Garzias de Benefic. part. 11. cap. 2. num. 8. Card. de Luca in adnotat. ad Conc. Trid. disc. 9. num. 6. alter de Luca in addit. ad Ventrigl. in praxi ver. Eccl. par. 1. annot. 20. §. 2. num. 5.* non obstante quod Bulla 47. S. Pii V. *Bullar. tom. 2.* quæ statuit quantitatem redituum assignandorum Vicariis Parochialium unitarum Monasteriis, Beneficiis, Collegiis, aliisque Piis locis, procedat retento themate Vicariorum perpetuorum, ex ea etenim infertur, talem determinatam redituum quantitatem esse Vicariis perpetuis assignandam, quoties Vicarii perpetui in Parochialibus unitis constituantur, sed non excluditur, quod exigentibus rerum circumstantiis, Vicarii etiam temporales deputari non possint.

E contra pro perpetuitate Vicariorum facit S. Pius Quintus in alia sua Constitutione 139. *Bullar. tom. 2.* in qua Vicarios perpetuos constitui vult in Parochialibus Ecclesiis, quæ sunt unitæ Capitulis Urbis, & conferunt late deducta per *Fagnan. in cap. ex parte num. 9. & seqq.* ubi late ostendit utilius servitium Ecclesiis Parochialibus præstari a Vicariis perpetuis, quam a temporalibus, & expedire, ut Sedes Apostolica decernat, quod Capitula Cathedralium, & Collegiatarum Ecclesiarum curam animarum habentium, & eam per Vicarios temporales exercentium cogantur ad deputandos Vicarios perpetuos, qui curæ incumbant.

His stantibus, quæritur,

I. An sit locus unioni Parochialium, de quibus agitur, Collegio PP. Jesuitarum Civitatis Legionen. in casu &c. & quatenus affirmative.

II. An Vicarii pro exercitio Animarum curæ debeant esse perpetui, seu amovibiles ad nutum in casu &c.

Neque in hac, neque in subsequenti Congregatione habita die 30. *Januarii 1723.* Causa fuit resoluta. In Congregatione itaque habita *die 6. Martii 1723.* reponitur, quoad Parochialem tantum Diœcesis Legionen. quæ modo vacat, & in ordine ad quam Eminentissimus Prodatarius non vult ulteriores dilationes Patrono concedere ad præsentandum; cumque in præteritis adversus unionem Canonici Legionenses opponerent, sibi præjudicium afferri in jure decimandi, quod habent super bonis uniendis, & quod pro unione deficiebat consensus successoris in Majoratu, licet adesset consensus ejus, qui modo Majoratum obtinet, respondetur, bona transire debere ad Collegium Patrum cum suo onere, nec mutari jus decimandi, ex mutatione possessoris, & ulterius exhibetur consensus immediati successoris in Majoratu, quibus stantibus, quæritur,

I. An sit locus unioni Parochialis Legionen. de qua agitur, Collegio Patrum Jesuitarum ejusdem Civitatis in casu &c. & quatenus affirmative.

II. An Vicarius pro exercitio Animarum Curæ debeat esse perpetuus, seu amovibilis ad nutum in casu &c.

Sacra Congr. *die 24. Aprilis 1723.* respondit,
Ad primum negative. Ad secundum provisum in primo.

QUÆSTIO CCXCIV.

In Causa Monasteriensi, die 5. Decembris 1722.

HERMANNUS Antonius de Velhen Canonicus Cathedralis Ecclesiæ Monasterien. SS. D. N. exposuit, se per vim, & metum ordine Subdiaconali fuisse insignitum, metumque sibi fuisse a Christoporo Alexandro Patre incussum, sup-

supplicavitque pro declaratione exemptionis ab observantia voti continentiæ, & quatenus opus esset a dispensatione ab eodem voto; cum enim memoratum continentiæ votum sit Ordini Subdiaconali ex statu Ecclesiæ annexum, liberam idcirco voluntatem exposcit, qua cessante non est obligatorium juxta late firmata per *Rotam decis. 870. num. 1. & 2. coram Emerix juniore*, aut saltem metus gravis sufficientem Summo Pontifici causam subministrat dispensandi a Voto continentiæ, juxta casum in terminis Subdiaconi resolutum ab hac Sac. Congregatione in Ipren. dispensationis 16. Decembris 1719. & alium casum in terminis Diaconi resolutum in Parisien. dispensationis 28. Januarii 1721. cumque preces Hermanni Antonii fuerint a Sanctitate sua ad hanc S. Congregationem remissæ, scriptum fuit juxta morem Administratori Apostolico Episcopatus Monasterien. pro informatione, & voto; cum autem ex informatione, & juribus a dicto Administratore transmissis habeatur primo, quod Christophorus Alexander Pater Hermannum Antonium filium induxit ad recipiendum Ordinem Subdiaconatus incusso metu suæ, & totius familiæ indignationis, exhæredationis, nec ulterioris in filium agnitionis, ut ex assertione jurata ejusdem Christophori Alexandri probatur; secundo, quod duo Testes de austera Patris indole deposuerunt, subdendo, se credere, quod Orator Ordinem Subdiaconatus receperit ex metu gravi reverentiali; tertio, quod sæpe memoratus Hermannus Antonius juravit, se modo prædicto fuisse ordine Subdiaconali initiatum; quarto nunquam fuisse ab eodem dictum Ordinem exercitum, quæ probationes omnes compilatæ sunt, contradicente Promotore Fiscali, cujus etiam oppositionibus satisfactum est, ut ex Summario Scripturæ desumi valet.

Quamvis omnes hæ probationes compilatæ fuissent contradicente Promotore Fiscali, cum nihilominus proposita fuerit hæc instantia in Congregatione habita *die 5. Decembris 1722.* nulla fuit capta resolutio, & in subsequenti Congregatione habita *die 19. Decembris* dictum est, quod coadjuvarentur probationes juxta instructionem.

In executionem hujus decreti exarata fuit instructio, eademque transmissa ad Apostolicum Monasteriensem Administratorem, & in Instructione dictum fuit, primo, quod examini formali subjiceret Christophorum Alexandrum Hermanni Patrem; secundo, quod examini pariter formali subjicerentur Testes, qui de metu incusso deposuerunt, iidemque interrogarentur super causa scientiæ; tertio, quod quatenus alii Testes haberi possent de visu, & auditu, aut de auditu alieno, vel de publica voce, & fama super asserto metu, iidem etiam formiter examinarentur; ultimo demum, quod Administrator Sac. Congregationi notificaret statum Familiæ Oratoris tam de tempore suscepti Subdiaconatus, quam de præsenti, an videlicet tempore Subdiaconatus alii adessent Oratoris Fratres, & an ipse nunc solum sit ex sua Familia superstes.

Paritum fuit mandatis, novæque supervenerunt probationes per manus circumferendæ, quapropter iterum proposita fuit præsens Causa in hac Sacra Congregatione habita *die 20. Novembris 1723.* cumque tunc ab Oratore petita fuerit dilatio, die 15. Januarii 1724. iterum proposita Causa quæritur

I. An Orator teneatur ad Votum Continentiæ in casu &c. & quatenus negative.

II. An sit locus dispensationi in casu &c.

Sacra Congr. eadem die 15. Januarii 1724.
Ad primum affirmative. Ad secundum negative.

QUÆSTIO CCXCVI.

In Causa Pacensi Restitutionis in integrum, die 5. Decembris 1722.

MARIA de Sosa Fagundez, quæ die 20. Decembris 1676. S. Baptisma recepit in Castro Campi Majoris Diœcesis Eluen. professionem regularem emisit die 21. Decembris 1692. in Monasterio Monialium S. Luciæ Civitatis Pacen. cumque eadem anno 1706. recursum ad Sedem Apostolicam habuisset, implorato beneficio restitutionis in integrum adversus prædictam professionem, tamquam emissam propter vim, & metum sibi a Joanne Patre incussum, nihil tunc agere potuit; Pater enim, qui adhuc vivebat, obstitit, & filiam, aucta commoditate majoris Livelli, ad sibi consignandam induxit epistolam hujus Sac. Congregationis, in qua juxta morem fuerat Episcopo Pacen. demandatum, ut processum super proposita nullitate professionis, ser. ser. compilari curaret.

Joannes Pater consignatam Epistolam laceravit, sed cum ea, quæ consignata fuerat non esset illa, quam Soror Maria de Sosa pro suæ professionis annullatione receperat, sed alia, quam alia Monialis pro eodem effectu impetraverat, & illa, quæ a Sorore Maria fuerat recepta, tradita fuerit Notario Thomæ de Solis, ut tempore opportuniori usum habere posset; mortuo Joanne Patre die 22. Novembris 1719. nec statim inventa Sac. Congregationis Epistola in manibus memorati Thomæ depositata, tempore, quo diligentiæ parabantur pro impetrando ab hujus Sac. Congregationis Secretaria duplicato, Epistola reperta est, & in ejus sequelam citatis Monasterii Monialibus, compilatus fuit ab Ordinario Processus, & ad hanc Sacram Congregationem transmissus, & quia Joannes Pater in ultimo, cum quo decessit Testamento hæredem sibi scripsit Confraternitatem Animarum Purgantium Campi majoris, præfixus fuit Confraternitati terminus ad sua jura deducenda in hac Sacra Congregatione. Admittentibus autem Monialibus professionis nullitatem, & Societate comparere recusante, comparet Fiscalis Curiæ, qui etiam fuit auditus in compilatione processus: Adeoque ex juribus ab utraque parte circumferendis, quæritur

An sit locus restitutioni in integrum in casu &c.

Sacra Congr. die 19. Novembris 1722. respondit,
Affirmative in omnibus.

QUÆSTIO CCXCVII.

In Causa Spoletana, die 5. Decembris 1722.

LICET juxta communiorem opinionem sæpius ab hac Sac. Congregatione receptam teneantur Canonici tum Cathedralium, tum Collegiatarum Ecclesiarum ad quotidianam celebrationem, & applicationem Missæ Conventualis pro Benefactoribus, stante nihilominus præbendarum tenuitate, fuit aliquando indultum, ut firma remanente quotidiana celebratione, applicatio pro Benefactoribus fieret diebus tantum Festis de præcepto, uti, omissis antiquioribus exemplis, fuit resolutum in Veliterna 14. Martii 1722. & in terminis Collegiatæ Ecclesiæ S. Gregorii Civitatis Spoletanæ 30. Maii hujus ejusdem anni.

Canonici Collegiatæ Ecclesiæ S. Petri ejusdem Civitatis Spoletanæ, quibus ab Episcopo in ultima sua Visitatione demandatum fuit, ut quotidie Missam Conventualem applicarent pro Benefactoribus, nedum in sequelam juris communis, & resolutionum hujus Sac. Congregationis, sed etiam ad tramites præcepti Cardinalis clar. mem. Vicecomitis Episcopi Spoletani, disputanda proposuerunt dubia infra recensenda, concludendo pro exemptione saltem ab applicatione Missæ Conventualis diebus non Festivis de præcepto, & in eo quod attinet ad tenuitatem redituum, subdunt, eos totaliter consistere in distributionibus, & eas non excedere annua scut. 19. circiter, licet antiquiori tempore ascenderent ad annua scuta 26. scriptura per manus circumfertur; quocirca quæritur,

I. An Canonici Collegiatæ Ecclesiæ S. Petri Civitatis Spoleti, teneantur quotidie Missam Conventualem celebrare, & quatenus

II. An teneantur quotidie dictam Missam Conventualem applicare pro Benefactoribus, & quatenus affirmative.

III. An, & quæ exemptio, sive a celebratione, sive ab applicatione Missæ Conventualis, iisdem attenta Præbendarum tenuitate, sit indulgenda, in casu &c.

Sacra Congr. die 19. Decembris 1722. respondit,
Ad primum, & secundum affirmative. Ad tertium pro gratis quoad applicationem tantum, ut in Veliterna 15. Martii 1722.

QUÆSTIO CCXCVIII.

In Causa Cavensi Erectionis Parochialis, die 19. Decembris 1722.

LICET anno 1662. ab Episcopo Caven. Ecclesia S. Mariæ Gratiarum Pagi Benincasa fuerit erecta in Parochialem, & cura Populi fuerit dismembrata a Parochiali Ecclesia S. Petri Civitatis Caven., ad quam dictus Populus pertinebat, habito nihilominus recursu a Parocho memoratæ Ecclesiæ S. Petri ad hanc Sacram Congre-

Congregationem, responsum fuit, quod non erat locus erectioni novæ Parochiæ, sed quod Incolæ Pagi eligerent, & propriis expensis alerent Cappellanum ab Ordinario approbandum, qui ipsis Sacramenta ministraret.

In hujus decreti executionem plures successive Cappellani ad ministerium electi fuerunt, tum ex Diœcesi, tum exteri, sed omnes brevi tempore illud exercuerunt, & ultimus, qui viginti annorum spatio, non obstantibus diffidiis, & litibus, quæ cum Parocho Sancti Petri intercesserunt, in dicto munere perduravit, annis elapsis mortuus est.

Occasione visitationis factæ ab Episcopo *anno* 1720. adhibitæ fuerunt ab ipso omnes diligentiæ pro inveniendo idoneo Sacerdote, qui mortuo substitui posset, sed nullus inventus est; exteri enim ad Pagum accedere nolunt, & unus tantum adest in Pago Sacerdos, qui non est approbatus ad Confessiones audiendas; quocirca idem Episcopus jussit uni ex Parochis S. Petri, tres enim curam Animarum exercent, diu, noctuque moram facere in Pago Benincasa.

Episcopale decretum optato caruit effectu, & Incolæ Pagi, qui sunt quatuor centum, Sacramentorum carent administratione, itaut nonnullos ab Episcopo in sua relatione dicatur sine Sacramentis obiisse, utque hæc de medio tollantur inconvenientia, Incolæ loci Benincasa suas preces huic Sacræ Congregationi exhibuerunt, vel pro facultate eligendi propriam Ecclesiam Sanctæ Mariæ Gratiarum in Parochialem distinctam, & separatam ab Ecclesia S. Petri, vel saltem pro facultate fundandi in Ecclesia S. Petri quartam Præbendam Parochialem, ita tamen, ut quartus Parochus ab Oratoribus nominandus, & ab Episcopo approbandus, debeat semper in Pago Benincasa residere.

Juxta morem scriptum fuit Episcopo pro informatione, & voto, & Episcopus exposita retulit in facto subsistere, & expedire in Domino, quod petitis annuatur, cum idoneum Sacerdotem reperire non possit qui Sacramenta Incolis tanquam Cappellanus administret, & cum impossibile sit, quod Parochus Sancti Petri incumbere valeat Curæ in Pago Benincasa.

Facta precum, & informationis Episcopi relatione Sac. hæc Congregatio *die* 7. *Februarii* 1722. rescripsit, quod præfigeretur terminus Parocho Sancti Petri ad sua jura deducenda, & quod Episcopus interim provideret de idoneo Sacerdote, qui Curam exerceret Animarum; cumque Episcopus suis litteris datis *die* 7. *Mensis Maii* respondisset, se terminum præfixisse, & vix se reperire potuisse Sacerdotem, qui ægro animo bis in hebdomada a Civitate Cavensi pergit ad Pagum, ut Confessiones excipiat, novæ litteræ *die* 13. *Junii* ab hac Sacra Congregatione ad eundem Episcopum datæ sunt, ut informaret super modo, quo Cura a tribus Parochis S. Petri exerceretur, & an subsisteret assumptum ab Incolis Pagi expositum, quod ab habitantibus in alio loco nuncupato *la Marina* fuerit tertia Præbenda Parochialis propriis sumptibus erecta in Ecclesia Sancti Petri, ea lege, ut hic tertius Parochus deberet in loco *la Marina* semper residere.

Novis hisce litteris ab Episcopo *die* 9. *Septembris* responsum est, & dictum, a tempore immemorabili duos Parochos in Ecclesia S. Petri fuisse, qui Curam exercuerunt Animarum, & *anno* 1701. intercedente auctoritate bonæ mem. Episcopi Pignatelli, fuisse ab hominibus loci *Maritimæ veteris* subjecti Parochiali Sancti Petri erectam in eadem Sancti Petri Ecclesia tertiam Parochialem Præbendam cum onere, quod unus ex tribus Parochis in loco Maritimæ Veteris residentiam perpetuo haberet, & Sacramenta Incolis in Ecclesia Sanctæ Mariæ ministraret, & in sua Diœcesi non solum tres Parochos in una Ecclesia, sed etiam septem reperiri, qui Curæ Animarum præsunt juxta quasdam leges ab Episcopo Lippio latas *anno* 1608.

Proposita fuit hæc Causa in Congregatione habita hac die 19. Decembris 1722. cujus folium poterit ab EE. VV. benigne reassumi, nec ulla fuit capta resolutio, sed responsum quod darentur ad Episcopum novæ litteræ pro informatione juxta institutionem; cumque juxta ea, quæ in superioribus dicta sunt, mandatum fuerit, ut novæ darentur litteræ, juxta institutionem, instructio ad sequentia capita redacta est.

Primum caput fuit ut exquireretur, an in hypothesi fundationis quartæ Præbendæ, administratio Sacramentorum facienda esset incolis Benincasa privative, quoad alios tres Præbendatos, vel cumulative cum illis, & Episcopus in novis litteris respondet, quartum hunc Præbendatum privative quoad alios, debere administrare Sacramenta, sed eorumdem administrationem aliis etiam tribus permitti posse, ad requisitionem saltem Parochianorum.

Secundum caput fuit, an tertius Præbendatus exercens Curam Animarum in Maritima Veteri, eam exerceat cumulative cum aliis duobus, vel privative, & huic capiti respondet Episcopus, eum privative administrare, sed ad requisitionem Parochianorum permitti aliis duobus, ut iisdem Sacramenta administrent, & tertium hunc Præbendatum requisitum administrare etiam Sacramenta incolis, immediate subjectis Ecclesiæ S. Petri in sequelam conventionum tempore erectionis tertiæ Præbendæ factarum, & ab Episcopo tunc temporis approbatarum.

Tertium caput fuit, ut exprimeretur quomodo alii duo Parochi exerceant Animarum curam in Parochia S. Petri, an unus privative quoad alium, in aliquo loco, & Episcopus respondit, sic exerceri Curam animarum, ut unus uno mense, alter alio eam administret, excepto Pœnitentiæ Sacramento, quod ab uno, & ab altero semper petentibus administratur, & in Diœcesi Cavensi plures alias existere Parochias, in quibus Cura pluribus Parochis commissa est, cum tali tamen methodo, ut unus inter eos constituatur Rector annalis toti Curæ præsidens, libros Parochiales conservans, quique ulterius Missarum solemnia celebrat, & verbum divinum prædicat, diviso inter alios turno tali modo, ut unus uno mense, alius alio curam actualem exerceat, & ab omnibus indistincte Sacramentum pœnitentiæ administretur.

Quartum caput fuit, ut exprimeretur, quomodo substentetur, Parochus Maritimæ veteris, & an ei ab incolis factum sit aliquod assignamentum, & an percipiat emolumenta incerta Parochiæ, vel ea dividat cum aliis duobus, & Episcopus respondet, emolumenta incerta loci Maritimæ veteris, & alia totius Parochiæ inter omnes tres Parochos æqualiter dividi, dictoque Parocho Maritimæ Veteris fuisse assignatos *annuos duc.* 49. viginti scilicet ex proventibus cujusdam officii Graffariatus, quod prius Cappellano applicabatur cum onere celebrationis Missarum 50. alios decem ducatos cujusdam Montis Mortuorum cum onere celebrationis Missarum juxta Constitutionem dicti Montis, alios ducatos duodecim cum dimidio, qui a nonnullis incolis, & alios ducatos residuales, qui ab aliis Incolis persolvuntur, superaddito onere nonnullarum Missarum juxta conventiones initas in fundatione hujus tertiæ Præbendæ.

Postremo subdit Episcopus, habitatores Pagi Benincasa novo Parocho, seu quartæ Præbendæ erigendæ assignare velle ducatos 20. liberos, & alios ducatos annuos 64. cum onere Missarum 344. quæ in Ecclesia Pagi S. Mariæ Gratiarum a Sacerdotibus, qui ab iisdem incolis eliguntur, celebrantur, & concludit, Populum dicti Pagi indigere assistentia Presbyteri Parochiali charactere insigniti, qui fidei rudimenta, & cætera necessaria ad salutem doceat, & Sacramenta administret, & scandalis occurrat.

His stantibus, quæritur,

I. An Ecclesia S. Mariæ Gratiarum loci Benincasa erigi debeat in Parochialem, & quatenus negative.

II. An sit fundanda quarta Præbenda Parochialis in Ecclesia S. Petri ad Dragonem sub obligatione, quod Parochus manutenendus sumptibus Hominum dicti loci Benincasa, & ab eis eligendus cum approbatione Episcopi, teneatur residere in eodem loco, in casu &c.

Sacra Congr. die 5. Junii 1723. respondit,

Ad primum negative. Ad secundum affirmative iisdem modis, & formis, ac conditionibus, quibus tertius Præbendatus in Ecclesia Maritimæ Veteris constitutus fuit.

QUÆSTIO CCXCIX.

In causa Romana, die 19. Decembris 1722.

CONSULES, & Magistri Artis Aurificum *anno* 1692. cesserunt Opificibus ejusdem Artis vulgo *Giovani, o sia Garzoni di Bottega*, prævia reservatione Beneplaciti Apostolici, Cappellam Sanctissimi Præsepis sitam in Ecclesia S. Eligii ad Universitatem Artis Aurificum pertinente, & nonnulla ulterius Capitula cum prædictis fecerunt, itaut erecta remanserit memoratorum Opificum Universitas separata ab Universitate Magistrorum ejusdem Artis; cumque nonnulli ex Opificibus adversus concessionem, & respective erectionem judicium intentassent coram primo Collaterali Capitolii, & hic sententiam super nullitate tulisset, delata de ordine Auditoris Sanctissimi controversia ad hanc Sacram Congregationem, propositum fuit *die* 11. *Septembris* 1694. sequens dubium, *an sit locus novæ erectioni Universitatis Juvenum Artificum in dicta Ecclesia S. Eligii*, eoque nullatenus dicta die resoluto, *die tandem* 25. *Septembris ejusdem anni* responsum fuit *negative quoad erectionem novæ Universitatis, & Secretario ad mentem*, quæ fuit, ut Opifices, qui in præteritum celebraverant in altari ipsis concesso festivitatem S. Andronici, & Sanctæ Athanasiæ, dictam celebrationem continuarent, uti habetur *lib.* 44. *Decret. fol.* 476. commissaque executione negotii clar. mem. Cardinali de Alteriis Artis Protectori, cum fuisset ab eodem relaxatum mandatum per modum provisionis pro solutione cujusdam taxæ, ut ope ejusdem demandata celebratio adimpleretur, Sac. hæc Congregatio *die* 13. *Novembris ejusdem anni* rescripsit *Secretario ad mentem*, & mens fuit, quod non cogerentur Opifices Aurificum ad aliquam contributionem eleemosynæ pro celebratione festivitatis Sancti Andronici, & Sanctæ Athanasiæ.

Post hæc nihil actum fuit nisi *anno* 1697. quo tempore cum nova fuissent confecta Capitula de consensu Congregationis Secretę Magistrorum Artis, de consensu Congregationis Generalis Opificum, & cohærenter ad prædicta deventum fuisset ad stipulationem instrumenti, exhibitus fuit huic Sac. Congregationi supplex libellus pro conventionum confirmatione, eodemque remisso ad Eminentissimum Cardinalem Otthobonum Protectorem, responsum fuit *die* 16. *Maii* 1699. pro confirmatione in forma specifica, & quia tunc decretum expeditum non fuit, & sic multo minus promota instantia pro concessione Brevis Apostolici, deventum fubinde fuit ad reformationem nonnullorum Capitulorum, & ad aliorum ampliationem, porrectoque novo supplici libello pro horum Capitulorum approbatione, prævia informatione Eminentiss. Card. Protectoris, *die* 30. *Septembris* 1719. dictum fuit, quod Oratores fingillatim exprimerent Capitula revocata, aut immutata, aut ampliata, factaque ad normam hujus rescripti expressione, *die tandem* 13. *Aprilis* 1720. Sac. Congregatio censuit, si Sanctitati Suæ placuisset, Capitula, Conventiones, & Statuta per litteras Apostolicas in forma Brevis approbari, & confirmari posse in forma specifica, & san. mem. Clemens Papa XI. *die* 5. *Octobris ejusdem anni* per suas litteras Apostolicas in forma Brevis supra relata Statuta confirmavit, cum clausula *salva tamen semper in præmissis auctoritate Sac. Congregationis Concilii*.

Adversus hujusmodi confirmationem, & respective novæ Universitatis erectionem nonnulli ex Opificibus reclamant, tum quia nec huic Sac. Congregationi, nec Summo Pontifici in precibus exhibitis pro Statutorum confirmatione expositum fuit, quod usque *de anno* 1694. responsum fuerat contra erectionem novæ Universitatis, quæ res, si fuisset exposita, difficiliorem saltem reddidisset Statutorum confirmationem, tum quia Magistri, & Opifices ad eandem pertinent Artem, & incongruum esse videtur, ut duæ Universitates separatæ de una, & eadem arte constituantur, & tandem quia in novis Capitulis eximuntur a contributione filii, & fratres Magistrorum, ex quo resultat damnum Opificibus, qui ex propria industria, & laboribus vitam ducunt.

E contra a majori parte Opificum, qui instant pro novæ Universitatis conservatione, replicatur, hanc novam Universitatem cedere in augmentum Cultus divini; instituta enim fuit, ut statis temporibus Opifices congregari possent pro Christianæ Pietatis actibus exercendis, item omnia gesta fuisse ex consensu Universitatis Magistrorum, quæ habet facultatem condendi Statuta, & Decreta propriæ Artis exercitium respicientia, rursus non defuisse in his, quæ gesta sunt, omnium fere Opificum consensum, & ultimo non obesse posse reticentiam præcedentium rescriptorum Sac. Congregationis, cum coacta solutio cujusdam taxæ ab aggregatis ad novam Universitatem faciendæ, quæ causam dedit antiquioribus litibus, fuerit fidelissime exposita tum Sacræ Congregationi, tum Summo Pontifici, & ab utrisque approbata.

Jura hinc inde circumferuntur, & nunc quæritur,

An erectio controversæ Universitatis Juvenum Aurificum, & Argentariorum sustineatur in casu &c.

Sacra Congr. die 16. Januarii 1723. respondit,

Affirmative, deleto Capitulo, quod a Contributione eximuntur filii, & Fratres Magistrorum, qui idcirco teneantur uti cæteri ad solutionem.

QUÆSTIO CCC.

In causa Januensi Pactionum, die 19. Decembris 1722.

IN Ecclesia Metropolitana Januensi adsunt triginta Cappellani sub nomine Massæ, & isti inserviunt Choro ejusdem, horis diurnis, & nocturnis, & quando contingit vacatio unius ex istis Cappellanis, electio fit a Cappellanis collegialiter, & per secreta suffragia, & electus absque ulla canonica institutione admittitur ad Chori servitium; Cappellaniæ etenim sunt Laicales, & dicitur, eas fuisse laicales declaratas ab hac Sac. Congregatione.

Occasione dictæ vacationis fiunt pactiones inter electores, & Concurrentes, & subscribuntur apochæ, in quibus promittitur quædam summa pecuniarum, vel Sacristiæ, vel uni, aut alteri ex Electoribus persolvenda, si Concurrens ad Cappellaniam vacantem eligatur; cumque secuta prædicta electione, aut Sacristia, aut ille ex Electoribus, cujus favore apocha promissionis fuit exarata, judicialiter instent pro solutione, Eminentissimus Archiepiscopus Januen. quærit ab hac Sacra Congregatione, an pactiones hujusmodi sint licitæ, & an compelli possint paciscentes ad solvendum, & an electiones simili modo factæ sustineantur, ut ex tenore infrascriptorum dubiorum.

Quando vigent antiquæ, & immemorabiles consuetudines, juxta quas aliquid persolvitur occasione possessionis Canonicatus, & Præbendæ, seu alterius Officii Ecclesiastici in aliqua Ecclesia exercendi, eædem tanquam simoniacæ reprobantur, si id, quod exigitur, seu persolvitur, cedit in utilitatem, & privatum commodum aliorum Canonicorum, sive Sacerdotum, aliorumve Ecclesiæ Ministrorum; secus autem, si id, quod exigitur, seu persolvitur, erogatur, & convertitur in usus pios, uti probat *Textus in cap. Jacobus de simonia*, & habetur *cap.* 14. *sess.* 24. *de reform. & in Bulla* 104. *S. Pii V. Bull. tom.* 2. relictisque antiquioribus hujus Sac. Congregationis Resolutionibus, *in quadam causa Cassanen.* quæ fuit proposita *die* 3. *Decemb.* 1718. & in qua actum fuit de antiqua, & immemorabili consuetudine vigente in Receptitia Ecclesia S. Mariæ Majoris Civitatis Marateæ, juxta quam consuetudinem quicunque Sacerdos erat admittendus ad numerum Sacerdotum participantium, solvebat unicuique ex illis decem Carolenos, & iidem ferebant onus emendi paramenta, vasa sacra, & alia necessaria pro Sacristia, cum disputatum fuisset dubium, *an consuetudo vigens exigendi a qualibet Presbytero admittendo ad participationem massæ communis ejusdem Ecclesiæ Carolenos decem, esset servanda in casu &c.* responsum fuit *affirmative, dummodo fiat depositum in capsa Sacristiæ, & quod depositum erogetur in usus ejusdem Sacristiæ tantum*, & contrafacientes nedum restitutioni essent obnoxii *juxta Textum in cap. de hoc de simonia*, sed etiam remanerent subjecti aliis pœnis, de quibus *in allegata constit.* 104. *S. Pii V.* in qua ulterius irritum, & inane decernitur quidquid in prædictis contigerit attentari.

Plana hæc esse videntur; quocirca inquirere opus est, an Cappellaniæ, de quibus agitur, possint esse subjectum simoniæ. Affirmativa quippe suadetur, ex quo licet Ecclesiastica Beneficia dici non valeant, annexum tamen habent aliquod Ecclesiasticum, in quo rerum statu contrectatio super iisdem simoniaca esse potest, si non de Jure Divino, saltem de Jure Ecclesiastico, *juxta Text. in canone Salvator, ibique glos. in verb. & Judices prima q.* 3. & faciunt deducta *per Fagn. in cap. cum pridem num.* 17. *de pactis*. E contra vero negativa sententia suadetur, ex quo Cappellaniæ istæ, utpote laicales, non sunt subjectum capax simoniæ, licet habeant annexum onus Missarum, in quo rerum themate pactiones quoad eas possunt esse illicitæ, & irreligiosæ, sed non simoniacæ, *Giballin. de simonia quæst.* 20. *confect.* 7. & late prosequitur *R. P. D. Petra ad Const. Apost. tom.* 4. *pag.* 503. & confert resolutio hujus Sac. Congregationis in causa Neapolitana *die* 26. *Augusti* 1719. in qua excitata controversia de nonnullis conventionibus initis super hujusce generis Cappellania, resolutum fuit, non adfuisse simoniam, nec paciscentem incurrisse pœnas simoniæ, licet pacta essent illicita, & in hoc rerum themate dubia mox recensenda non possent resolvi cum terminis simoniæ, sed ad terminos ejus, qui ante electionem, aliquam summam persolvendam promittit, vel erogandam in usus pios, vel applicandam alicui ex Electoribus, ut sibi paret viam ad aliquod Officium, licet illud Ecclesiasticum Beneficium non sit.

His

His ſtantibus, quæritur

I. *An liceant tales pactiones.*

II. *An electio cum illis facta ſuſtineatur.*

III. *An poſſit cogi Electus ad ſolutionem ſummæ promiſſæ.*

IV. *An ſit locus reſtitutioni ſummæ in caſu, & caſibus receptæ, & quatenus affirmative.*

V. *Cui facienda ſit reſtitutio.*

VI. *Quibus pœnis plectendi ſint paciſcentes.*

Sacra Congr. die 16. Januarii 1723. reſpondit,

Ad primum negative. Ad ſecundum, & ſubſequentia dilata, & præfigatur terminus intereſſe habentibus ad ſua Jura deducenda in S. C.

QUÆSTIO CCCI.

In Cauſa Uratislavienſi, die 16. Januarii 1723.

CUM Abbas Lubenſis Ordinis Ciſtercienſis ſibi arrogare contenderet jus approbandi Confeſſarios pro Sanctimonialibus Monaſterii Trebnicenſis ſuo Ordini ſubjectis, licet Monaſterium ſitum eſſet in Diœceſi Uratislavienſi, habitus fuit ab Epiſcopo recurſus ad Sedem Apoſtolicam, & cauſa ex reſcripto Auditoris Sanctiſſimi delegata fuit huic Sacræ Congregationi cum Voto Rotæ.

Prodierunt Rotales deciſiones Epiſcopo favorabiles, quæque ab eodem exhibentur; cumque Abbas Summo Pontifici ſupplicaſſet pro facultate ſibi ex gratia concedenda dictos Confeſſarios approbandi, reſponſum fuit a Summo Pontifice, quod ſua jura deduceret in hac Sacra Congregatione, quatenus exiſtimaret, deciſiones Rotales adverſus ſe editas, eſſe inſubſiſtentes, & multo magis cum cauſa fuerit huic Sac. Congregationi delegata non de Voto, ſed cum Voto Rotæ, itaut ſit in facultate Sac. Congregationis amplecti, aut rejicere deciſiones Rotales.

Fundamentum Epiſcopi late exornatum in deciſionibus Rotalibus conſtituitur *in Bulla* 18. *Gregorii XV. Bullar. tom.* 4. In dictis quoque deciſionibus firmatur, non prodeſſe allegata Abbatis Privilegia, nec conſuetudinem immemorabilem eſſe probatam, addique poſſet ultra deducta in deciſionibus, quod immemorabilis, quatenus eſſet probata, non relevaret; in Bulla etenim 7. *Clementis X. Bullar. tom.* 6. ſtatuitur idipſum, quod fuit ſtatutum in Bulla Gregoriana, indigere videlicet Regulares approbatione Epiſcopi pro excipiendis Confeſſionibus Monialium ſibi ſubjectarum, uti legitur in §. 4. & in hac Bulla Clementina continetur derogatio conſuetudini etiam immemorabili, uti legitur §. 9.

Adeoque nunc quæritur

An Votum Rotale ſit exequendum in caſu &c.

Sacra Congr. die 30. Januarii 1723. reſpondit,

Approbationem Confeſſariorum pro Monialibus pertinere ad Epiſcopum.

QUÆSTIO CCCII.

In cauſa Valentina die 16. Januarii 1723.

VACANTE Canonicatu Lectorali Metropolitanæ Eccleſiæ Valentinæ, Capitulum, & Canonici ad normam litterarum Apoſtolicarum ſan. mem. Innocentii Papæ XI. devenerunt ad affixionem edicti, in quo demandarunt, ut Oppoſitores ſubire deberent examen ſuper expoſitione Textus Sac. Scripturæ, nonnulliſque Graduatis, ſeu Licentiatis in Jure Canonico, & Civili ſeſe opponentibus, ſub obtentu, quod examen quoad ipſos fieri non deberet ſuper Textu ſcripturæ, ſed ſuper Legali facultate, ex reſcripto Auditoris Sanctiſſimi cauſa ad hanc Sacram Congregationem delata eſt.

Fundamentum edicti conſtituitur in Apoſtolicis litteris memoratæ ſan. mem. Innocentii XI. in quibus decernitur, quod pro tempore exiſtens Canonicus Lectoralis *ſingulis diebus, exceptis feſtivis, Sacram Scripturam legere, & interpretari, aliaque omnia, & ſingula, quæ ſimiles Canonici ex Concilii Decretis facere, exequi, & exercere debent, & tenentur, etiam facere, exequi, & exercere debeat.*

Additur, quod in aliis litteris ab eodem Pontifice Capitulo ſcriptis hæc habentur: *etſi negotium Canonicatus, pro quo ſupplicaſtis, non leves continebat difficultates, ſicuti iis, qui illud urgebant, plane innotuit, eas tamen libenter dedimus charitati, quæ vos proſequimur, & ſpei, quam concepimus, fore, ut is, qui a vobis, prævio accurato examine ad S. Scripturæ lectionem approbatus fuit, judicio, & expectationi veſtræ non ſine Eccleſiæ fructu apprime reſpondeat*, & in concurſu immediate poſt erectionem habito pro collatione Præbendæ Lectoralis examen inter Oppoſitores inſtitutum fuit ſuper expoſitione Sacri Textus.

Et quamvis in primis litteris Apoſtolicis ſæpe memorati Innocentii XI. mentio habeatur Doctorum utriuſque Juris *unam Præbendam Lectoralem in dicta Eccleſia pro uno Clerico, ſeu Presbytero Magiſtro in Theologia, ſeu Juris utriuſque Doctore, ſive Licentiato futuro mihi Lectore Sacræ Scripturæ, &c.* & paulo poſt *pro uno Clerico, ſeu Presbytero Magiſtro in Theologia, ſeu utriuſque Juris Doctore, aut in decretis in aliqua ſtudii generalis approbata Univerſitate Licentiato ſemper, & perpetuo affecti, conſtituti, & deputati ſint, & eſſe debeant, & Lectorales nuncupentur*; Capitulum nihilominus ſubdit, hæc, & ſimilia ſuæ intentioni non obſtare, cum aliud ſit, quod in concurſu comparere poſſint non ſolum Magiſtri in Sac. Theologia, ſed etiam Juris utriuſque Doctores, aliud vero, quod Juris Doctores in Concurſu comparentes ſint examinandi ſuper Jure Canonico, & non ſuper explicatione Sacræ Scripturæ.

Plura ad rem, de qua agitur, afferuntur in informatione tam facti, quam Juris pro Capitulo; & præter deducta ab illis, ponderari fortaſſe poſſet, Præbendam Lectoralem fuiſſe in Eccleſia Valentina inſtitutam a ſan. mem. Innocentio XI. ad normam Concilii Tridentini *ſeſſ.* 5. *cap.* 1., uti ex ejus litteris Apoſtolicis colligitur; cumque Sacrum Concilium loco citato expreſſe loquatur de Lectione S. Scripturæ, & ab hac Sacra Congregatione jam fuerit reſolutum, Doctorem in Jure Canonico obtinere poſſe Præbendam Theologalem, *ut in Aſten.* 3. *Februarii* 1646. *lib.* 18. *Decret. pag.* 31. ibi: *Quæritur, an Doctor in Jure Canonico poſſit obtinere Præbendam Theologalem, & an Theologus non Doctor poſſit ſimiliter illam obtinere. Sacra &c. ad primum reſpondit, poſſe, & ad ſecundum pariter affirmative reſpondit, ſi non adſit Doctor æqualis idoneitatis*; hæc tamen, & ſimilia, quæ ſupponunt capacitatem in Doctore Juris Canonici pro obtinenda Præbenda Lectorali, non excludunt in dicto Doctore examen ſuper Sacra Scriptura, nec ei dant facultatem, omiſſa Sacra Scriptura, legendi Jus Canonicum, uti colligitur ex ſequenti decreto, edito ab hac Sacra Congregatione *in Vigilien.* 27. *Septembris* 1681. *lib.* 32. *decret. fol.* 14. *a tergo*, ibi: *Franciſcus Venetianus Canonicus Theologus Cathedralis Vigilia. ſupplicat pro indulto, ut loco ſe doctorare faciendi in Theologia, poſſit aſſumere gradum Doctoratus in Jure Canonico; Sacra &c. ad quam Sanctiſſimus Dominus Noſter libellum hujuſmodi remiſit, attenta relatione Epiſcopi Vigilien. cenſuit, ſi Sanctitati Suæ placuerit, poſſe per ſuas litteras Apoſtolicas committi eidem Epiſcopo, qui veris exiſtentibus narratis, & dummodo prævio diligenti examine, Oratorem invenerit habilem, & idoneum docendi Theologiam Moralem, & explicandi Sacram Scripturam, juxta leges in fundatione Præbendæ Theologalis appoſitam, pro ſuo arbitrio, & conſcientia cum eo gratis diſpenſet, ut gradum Doctoris in Jure Canonico ſuſcipere valeat, qui ſic ſuſceptus Oratori ſuffragetur, perinde, ac ſi ipſe in Sac Theologia graduatus reperiretur, ita tamen, ut Theologiam Moralem docendo, & Sacram Scripturam explicando vere incumbat, & ſedulo præſtet operam, & de præmiſſis facta Relatione Sanctiſſimo die* 25. *Octobris, Sanctitas Sua Sacræ Congregationis Sententiam benigne approbavit.*

His ſtantibus, quæritur,

I. *An Edictum pro concurſu a Capitulo promulgatum ſuſtineatur, & quatenus negative.*

II. *An, & quomodo ſit reformandum in caſu &c.*

Sacra Congr. die 30. Januarii 1723. reſpondit,

Ad primum affirmative. Ad Secundum proviſum in primo.

QUÆSTIO CCCIII.

In cauſa Fulginatenſi, die 30. Januarii 1723.

EPiſcopus Fulginatenſis expoſuit huic Sac. Congregationi, duas in ſua Diœceſi reperiri Parochiales Eccleſias, alteram S. Ægidii *Villæ Buccarii*, alteram contiguam Villæ nuncupatæ *Tenne*, & primæ ſubditas eſſe circiter centum animas, & ejus reditum in ſcutis annuis viginti circiter conſiſtere, & ſecundam ſubjectas habere tantum duas familias, & ſic duodecim circiter animas, eamque non habere in reditu, niſi circiter ſcuta decem, & ſeptem Romana, dictaſque duas Parochiales per quartam partem tantum milliarii inter ſe diſtare, & ſe hæc omnia in comperto habere, tum ex perſonali viſitatione, tum ex Teſtibus examinatis.

Expoſuit inſuper, alias duas in eadem Diœceſi reperiri Parochiales Eccleſias, alteram S. Petri *Villæ Cerviæ*, alteram S. Antonii Abbatis *Villæ Particani*, eaſque inter ſe diſtare per medium milliare, & primam habere ſubditas animas octuaginta, & in annuo reditu ſcuta quadraginta circiter, non deductis expenſis, & ſecundam ſubditas habere quinquaginta circiter animas, & in annuo reditu ſcuta viginti circiter, demptis expenſis, & ſe hæc omnia in comperto habere ex perſonali pariter viſitatione, & Teſtium examine.

Expoſuit denique, in Parochiali Eccleſia S. Ægidii non aſſervari Sanctiſſimum Sacramentum Euchariſtiæ, & Parochum præ nimia indigentia non poſſe adigi ad reſidendum, & ſimilia contingere in Eccleſia Villæ nuncupatæ *Tenne*, in qua ulterius non adeſt ſepulchrum pro Parochianis, & in aliis duabus ſupra memoratis Eccleſiis Parochialibus aliquando, & non ſemper aſſervari SS. Euchariſtiam, & utroſque Parochos nimia paupertate laborantes non poſſe executioni mandare decreta, quæ fiunt in viſitatione pro reparandis ſupellectilibus, & aliis rebus conſimilibus peragendis, ſeque idcirco ſtatuiſſe devenire ad unionem Parochiæ S. Ægidii cum Parochia Villæ *Tenne*, & Parochiæ S. Petri cum Parochia S. Antonii.

Licet inter Scribentes diſputetur, an in unionibus Eccleſiarum Parochialium neceſſarius ſit conſenſus Capituli, nonnullis affirmative reſpondentibus ad tramites *Clementinæ ſecundæ de reb. Eccleſiæ non alienandis*, nonnullis autem negative ſentientibus ratione facultatis a Sac. Concilio Epiſcopis datæ, etiam tanquam Sedis Apoſtolicæ Delegatis, juxta ea, quæ plene habentur *apud Gallemart ad cap.* 5. *ſeſſ.* 21. *& apud Barboſ. ad eundem locum num.* 9. *Fagnan. in cap. ad audientiam il primo ſub n.* 53. *de Eccleſiis ædificandis, Monacell. in formular. tom.* 1. *tit.* 2. *form.* 7. *num.* 2. Epiſcopus nihilominus negotium unionis in Capitulo propoſuit, & ab eo tale reſponſum prodiit, ut tam ipſe, quam Cancellarius pro rogitu accitus crediderint conſenſum præſtitum fuiſſe. At exhibito ſubinde a Canonicis quodam folio, in quo theoricæ quædam generales exponebantur circa uniones, quæ ſine juſta cauſa, & magna fieri non debebant, folium ipſum fuit ab Epiſcopo ad hanc Sac. Congregationem tranſmiſſum, propoſitaque inter ſupplices libellos inſtantia pro unione, *die* 21. *Novembris* 1722. reſcriptum fuit pro facultate.

Antequam decretum extraderetur, Procurator nomine Capituli proteſtatus eſt ſuos Principales audiri velle, & momenta rationum Sac. Congregationi exhibere pro unione impedienda, dataque Procuratori facultate novum habendi recurſum ad Sacram Congregationem., de hac eadem re actum fuit in Congregatione habita *die* 19. *Decembris* 1722. & inſtantibus Dignitatibus, & Canonicis Eccleſiæ Cathedralis, nec non Parochianis Eccleſiarum uniendarum, reſponſum fuit, *quod Cauſa proponeretur in folio in ſecunda poſt Reges omnino etiam unica.*

Fundamentum pro unione conſtituitur *in cap.* 5. *ſeſſ.* 21. *de reform.*, in quo datur facultas Epiſcopis etiam tanquam Sedis Apoſtolicæ Delegatis faciendi uniones perpetuas Beneficiorum Curatorum cum Curatis propter eorum paupertatem, & Sac. hæc Congregatio *uſque de anno* 1577. Epiſcopo, qui tunc Eccleſiam Fulginatenſem adminiſtrabat, requirenti, an poſſet unire duas Parochiales propter earum paupertatem, reſpondit poſſe Epiſcopum facere hanc unionem, ſi modo unus Rector valeat omnibus illis Eccleſiis inſervire, habita ratione vicinitatis locorum, & numeri Parochianorum, uti habetur *lib.* 2. *decret. pag.* 160. *a tergo.*

Scriptura per manus, ut mihi ſupponitur, circumfertur nomine Capituli, & Parochianorum, & quatenus non adeſſet Mandatum Procuræ Capituli, & ſoli remanerent Parochiani, qui ſe opponerent, onus erit inſpicere, an Parochiani in re, de qua nunc agitur, ſint legitimi contradictores; dicunt enim Doctores, eos non eſſe neceſſario vocandos *Pax Jordan. lucubr. tom.* 2. *lib.* 10. *tit.* 32. *num.* 94. *Barboſ. loco ſupra cit. num.* 8. *Monacell. loco pariter ſupra citato num.* 3. & ulterius declarare,

An ſit locus unioni in caſu &c.

Sacra Congr. reſpondit

Affirmative.

QUÆSTIO CCCIV.

In Cauſa Montis Marani Servitii Eccleſiæ, die 30. Januarii 1723.

PRO-VICARIUS Generalis Epiſcopi Montis Marani ſequentem ad hanc Sacram Congregationem tranſmiſit relationem. *Cum ad Vulturariæ Oppidum hujus Diœceſis Montis Marani pro explendo munere S. Viſitationis anno proxime præterito me contuliſſem, inter alios abuſus inveni, quod illius Presbyteri ad numerum triginta canebant in Choro, & in Eccleſiis Miſſas Defunctorum, Anniverſarias, Votivas, & alia Divina Officia abſque Cotta, & Bireto Clericali, ſed in nigris, & quod pejus eſt, curta veſte induti, in Miſſis Defunctorum Anniverſariis, quando dicitur unica tantum oratio, non canebant in Choro ſequentiam Dies iræ &c. Epiſtolam canebat intus Chorum aliquis eorum abſque Cotta, & curta ſimiliter, uti cæteri, indutus veſte, & demum Miſſis cum cantu inſerviebat in Altari vel Laicus, vel Clericus ſine ſuperpelliceo. His malis ut occurrerem, paterne prius illos admonui, ut deinceps in Choro vellent aſſiſtere Cotta, & Bireto Clericali induti juxta Pontificale Romanum, & Doctorum auctoritates; cantare ſequentiam in Anniverſariis, cum dicitur unica oratio, Epiſtolam canere unum illorum, vel ſaltem Clericum Lectorem ſuperpelliceo indutum ad partem Epiſtolæ contra Altare, juxta Miſſalis Romani Rubricas, & inſuper Miſſis cum cantu inſervirent Clerici Cotta induti*; Cumque ſuaſionibus Presbyteri nollent acquieſcere, ſubdit Provicarius ſe edictum promulgaſſe prohibens dictos abuſus.

Quoad obligationem canendi Miſſas, & alia Divina Officia in Eccleſia, & Choro cum Cotta, veſte talari, & bireto Clericali, præter deducta a Scribente, urget, quod aut nunquam, quod eſt abſurdum, aut ſi aliquando Presbyteri dictis veſtibus uti debent, aptius, & convenientius illis uti non poſſint, quam in Eccleſia, & Choro, dum Divina peragunt Officia.

Quoad ſequentiam *Dies iræ*, quidquid ſit de ejus auctore, cum nonnulli eam referant ad Cardinalem Latinium Urſinum, alii ad Auguſtinum de Biella Ordinis Eremitarum S. Auguſtini, alii ad Humbertum Quintum Generalem Ordinis Prædicatorum, alii ad Thomam de Celano Ordinis S. Franciſci juxta ea, quæ habentur *apud Gavantum in Theſauro Sacrorum Rituum par.* 4. *tit.* 18. *pag.* 220. *num.* 5. *juxta Venetam impreſſionem*, hoc unum certum eſt, quod juxta Rubricas Miſſalis dicta Sequentia dici debet in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum, & depoſitionis Defuncti, & quandocunque in Miſſa dicitur una tantum oratio; cumque unica oratio dicatur in Commemoratione omnium Fidelium Defunctorum, in die depoſitionis, & tertio, ſeptimo, trigeſimo, & Anniverſario Defuncti, hinc eſt, non videri, quod eadem ex induſtria ſine peccato omitti poſſit, uti late habetur *apud Quartum ad Rubricas Miſſalis part.* 1. *tit.* 5. *dub.* 1. *num.* 5. *& dub.* 4. *per tot.* ubi in ſpecie loquendo de omiſſione *Dies iræ*, ait, *cæterum in actione Sacrificii tam tremendi omne peccatum, quamvis minimum, cavere debemus, præſertim cum in hoc caſu plures dicant committi peccatum mortale.*

Quoad Epiſtolam canendam ante Altare ab uno de Clero, ſic in Rubricis Miſſalis ſtatuitur, *ſi quandoque Celebrans cantat Miſſam ſine Diacono, & Subdiacono, Epiſtolam cantat in loco conſueto aliquis Lector ſuperpelliceo indutus*, & *Quartus* opere citato *parte* 2. *tit.* 6. *dub.* 6. ſubdit poſſe licite cantari Epiſtolam in Miſſa ſolemni a Clerico Minorum Ordinum ſine Manipulo, ſi hoc illi committatur propter inopiam Miniſtrorum in Sacris, & quod in hypotheſi, in qua cantetur Miſſa abſque Miniſtris, videlicet ſine Diacono, & Subdiacono, tunc Epiſtola cantanda eſt a Lectore induto tantum ſuperpelliceo; & in eo, quod attinet ad locum Epiſtolæ cantandæ, ait *Gavant. ad Rubricas Miſſalis par.* 2. *tit.* 6. *pag.* 93. *cantatur juxta cornu Altaris, ubi Celebrans legit Epiſtolam in plano Presbyterii, & eſt dextera pars Eccleſiæ intrantibus in eam.*

Denique quoad aſſiſtentiam Clerici cum Cotta induti, quando Miſſa cantatur, faciunt decreta *in Concilio Mediolanenſi quarto, in Toloſano anno* 1590. *cap.* 6. *& paſſim in aliis.*

Hæc ſunt fundamenta, quibus innituntur decreta Provicarii; cumque ab ejus edicto fuerit interpoſita appellatio, ſub obtentu potiſſimum contrariæ conſuetudinis, & Cauſa ab Auditore Sanctiſſimi fuerit remiſſa ad hanc Sacram Congregationem, quæritur,

I. An

I. An Presbyteri Ecclesiæ Vulturariæ teneantur canere Missas, Anniversaria Defunctorum, & alia Divina Officia in Ecclesia, & Choro cum Cotta, veste talari, & bireto Clericali in casu &c.

II. An in Missis Anniversariis canendis pro Defunctis teneantur canere sequentiam Dies iræ, in casu &c.

III. An in Missis prædictis canenda sit Epistola in Choro, vel potius ante Altare in cornu Epistolæ ab uno de Clero, in casu &c.

IV. An Missa canenda sit cum assistentia saltem Clerici Cotta induti, vel potius sine Cotta, & licitum sit Laico inservire Celebranti, in casu &c.

Sacra Congr. respondit,

Ad primum affirmative. Ad secundum affirmative. Ad tertium quoad primam partem negative, ad secundam affirmative. Ad quartum, Missam esse canendam cum assistentia saltem Clerici Cotta induti.

QUÆSTIO CCCV.

In Causa Lunensi Sarzanensi Visitationis Sacrorum Liminum, die 30. Januarii 1723.

IN ultima Relatione status suæ Ecclesiæ, quam Episcopus Lunen. Sarzanen. ad hanc Sacram Congregationem transmisit occasione visitationis Sacrorum Liminum, hæc habentur.

Massæ adest domus, quam vocant il Conservatorio delle Beghine. De hoc ut bene novi ex plurium relatione, nulla habetur fundatio facta cum auctoritate vel Pontificia, vel Ordinaria. Quædam Mulieres a centum annis, & ultra vitam cœlibem, & honestam ducere cupientes cœperunt vivere simul in quadam domo, quam licet ter, aut quater permutaverint, semper tamen honeste, & exemplariter vixerunt cum habitu tertii Ordinis S. Francisci. Non observant clausuram, & sæpe videntur in Ecclesiis, & in viis. Emittunt vota simplicia tantum, & annis præteritis 1718. & 1719. duæ ex his habita licentia a Sacra Pœnitentiaria quibusdam Viris de loco Carrariæ nupserunt. De his, quia quasdam libertates in principio mei Episcopatus intellexi, earum statui improprias, & quod faciliter introducebant tum Regulares Fratres de Observantia, tum Seculares, consulens earum indemnitati, & bono nomini, dedi ipsis in Confessarium Sacerdotem sexagenarium, bonis moribus, & scientia præditum, qui earum saluti spirituali prospiceret, præesset, easque in viam perfectionis dirigeret. Verum P. Provincialis Minorum Observantium, cum advenisset Massam visitaturus suos Fratres mense Octobris proxime præterito, nullo mecum facto verbo, ipsis Mulieribus dedit in Confessarium Patrem Julium Ajolam sui Ordinis, easque suæ jurisdictioni subjecit, prætendens ad ipsum in totum spectare dare Habitum Puellis, si quæ instant in Conservatorium admitti. Unde quid mihi agendum sit in hoc casu, ab EE. VV. exposco.

Fuit ab hac Sacra Congregatione dictæ Epistolæ responsum, quod erat necessarium audire Patrem Procuratorem Generalem Ordinis; cumque in hujus responsionis sequelam fuerit dicto Patri communicatum negotium, & jam elapsus sit annus, & Episcopus jure merito instet, ut sibi demandetur, quid agere debeat, quæritur in præsenti, quid sit eidem respondendum.

Quoad Tertiarias, Summus Pontifex Leo Decimus *in sua Constitut. 22. Bullar. tom. 1.* decrevit, quod eædem virginalem, aut cœlibem vitam simpliciter viventes etiam in consanguineorum, & affinium suorum, aut propriis domibus, vel seorsim habitantes gaudere debeant omnibus privilegiis Ordinis, & quod similiter hisce iisdem privilegiis fruantur illæ, quæ collegialiter vivunt, & cum habitu Regulari virginalem, seu cœlibem, aut castam vitam profitentur, uti colligitur ex citata Constitutione, & declaratione ad ejus calcem.

Supervenit Constitutio S. Pii Quinti, quæ est *octava in ordine Bullar. tom. 2.* in qua sic cavetur: *Mulieres quoque, quæ Tertiariæ, seu de pœnitentia dicuntur, cujuscumque fuerint Ordinis in Congregatione viventes, si & ipsæ professæ fuerint, itaut solemne votum emiserint, ad clausuram præcise, ut præmittitur, & ipsæ teneantur; quod si votum solemne non emiserint, Ordinarii una cum Superioribus earum hortentur, & persuadere studeant, ut illud emittant, & profiteantur, ac post emissionem, & professionem eidem clausuræ se subjiciant, quod si recusaverint, & aliquæ ex eis inventæ fuerint scandalose vivere, severissime puniantur. Cæteris autem omnibus sic absque emissione professionis, & clausura vivere omnino volentibus, interdicimus, & perpetuo prohibemus, ne in futurum ullam aliam prorsus in suum Ordinem, Religionem, Congregationemve recipiant. Quod si contra hujusmodi hanc nostram prohibitionem, & decretum alias receperint, eas ad sic vivendum omnino inhabiles reddimus &c.*

Super hac Constitutione Piana nonnullæ emanarunt hujusce Sacræ Congregat. resolutiones; resolutum etenim fuit, Constitutionem restrictam esse ad Tertiarias, quæ in communi, & in Congregatione vivunt, & alias non comprehendere habitantes in domibus propriis, vel consanguineorum, & votum emittentes virginalis, aut cœlibis, vel castæ vitæ vidualis, uti habetur *apud Fagnan. in cap. nullus num. 66. & duobus seqq. de foro competenti.*

Alia rursus emanarunt decreta, quibus etiam adhæsit Sacra Congregatio Episcoporum, & Regularium, & in illis statutum fuit, non posse Regulares excipere Confessiones Sacramentales Mulierum Tertii Ordinis, nisi fuerint ab Ordinario approbati pro excipiendis Confessionibus sæcularium, & Superiores Regulares habentes facultatem a Sede Apostolica, posse libere Mulieres admittere ad Habitum Tertiariarum, dummodo sint bonis moribus præditæ, & constitutæ saltem in ætate annorum quadraginta, & in fine dictorum decretorum habetur hæc clausula, *supradictis vero decretis Mulieres Tertii Ordinis, quæ collegialiter vivunt, non comprehendi, quinimmo eas Constitutionis dispositioni Pii Quinti editæ Romæ anno 1566. quæ incipit,* Cura Pastoralis, *penitus subjacere, & expresse declarant, non obstantibus &c.* uti habetur *apud Nicolium in Flosculis in verbo Tertiariæ, apud Lantuscam in Theatro Regul. ad idem verbum, apud Donat. rerum Regul. tom. 2. tract. 17. quæst. 3. num. 21. & seqq. & apud Matthæuc. in Official. Curiæ Eccles. cap. 52. num. 3. & seq. & apud Pignatell. consult. 34. num. 29. tom. 3.*

Idemque *Matthæuc. num. 6.* subdit, *controversia est de Mulieribus Tertiariis, quæ in Congregatione extra clausuram vivunt. Sed resolvitur, eas allegatis privilegiis non potiri, nam in decreto relinquuntur sub dispositione Constitutionis Pii Quinti, quarum professiones, & receptiones Beatus Pontifex irritat, & annullat. Et tales hoc tempore posse prohiberi, ne in communitate maneant, nisi professionem ad formam dictæ Pianæ emittant, præscripsit Sacra Congregatio Episcoporum. Quare sunt de jurisdictione Ordinarii:* & pluribus prosequitur *R. P. D. Petra ad Constit. Apostol. tom. 4. pag. 475. num. 19. & seqq.*

His stantibus, quæritur

Quomodo sit respondendum Relationi ad Limina Episcopi Lunen. Sarzanen. circa Conservatorium Massæ.

Sacra Congr. respondit,

Conservatorium esse subjectum omnimodæ Jurisdictioni Episcopi, citra tamen approbationem Sacræ Congregationis quoad dictum Conservatorium.

QUÆSTIO CCCVI.

In Causa Anglohensi Cathedratici, Decimarum, & Quartæ Funeralis, die 30. Januarii 1723.

INTER cætera jura Episcopalia Cathedraticum recensetur, quod ad duos solidos ab unaquaque Ecclesia, & persona dicto oneri affecta solvendos restringitur, juxta Concilium Bracharense, & Concilium Toletanum septimum, de quibus *in Canone inter cætera 10. quæst. 3.* & licet horum Conciliorum utpote non Generalium Constitutiones vim legis in Universa Ecclesia obtinere minime valeant, quamvis insertæ in decreto Gratiani, juxta propositionem etiam in Tribunalibus Urbis receptam, de qua *Rota decis. 377. n. 36. & seqq. coram Penia in Veneta editione*, memoratum nihilominus jus Cathedratici, & quidem in quantitate supra expressa, suum fundamentum habet in jure communi, in sequelam videlicet Decretalis Honorii Tertii *in cap. conquerenti de Officio Ordinarii*, absque eo quod juri Cathedratici derogatum dici valeat a Sacro Concilio Tridentino *Sess. 24. cap. 3. de Reformat.* cum Concilium ibi alias quasdam prohibuerit exactiones, sed Cathedraticum nullatenus excluserit, *Thomasin. de benefic. par. 3. lib. 2. cap. 34. num. 7. Fagnan. in cap. conquerente num. 48. & seqq. de offic. Ordin. & in cap. Venerabili num. 16. & seqq. de censibus*, adeoque S. Carolus Borromæus fidelissimus Sacri Concilii Tridentini Executor in sua secunda Synodo legem renovavit Cathedratici: *illud Sacris Canonibus constitutum est, ut a singulis Parochis in Diœcesana Synodo Cathedratici nomine solidi duo exigantur, idque argumento honoris, qui Cathedrali Ecclesiæ tanquam Matri a cæteris Parochialibus Ecclesiis tribui debet*, & quod caput est, inter cæteras

teras resolutiones ab hac Sac. Congregatione editas *anno 1587. lib. 5. decretal. pag. 50. a tergo* hæc habetur: *Congregatio Concilii censuit Concilium Tridentinum nequaquam sustulisse Cathedraticum, non illud tamen solvendum in visitatione, sed extra, & in Synodi celebratione*, & concordat alia *anni 1591. lib. 7. decret. pag. 6.* ibi, *quod si Episcopo Cathedraticum legitime, & vere debeatur, illud plane exigere posse, alio tamen tempore, quam visitationis*, & in quadam Causa Albinganen. *anni 1644.* in qua tria dubia fuerunt disputata super Cathedratico, responsum fuit, Cathedraticum posse exigi ab Episcopo, licet in præteritum non fuerit exactum, dummodo exactum fuerit a suis prædecessoribus, & exigi tantum posse duos solidos juxta Juris communis dispositionem, & in moneta antiqua juxta illius æstimationem, non concurrente contraria consuetudine, & exactionem demum non esse faciendam a toto Clero, sed tantum ab Ecclesiis, Cappellis, & Beneficiatis, si ad eorum favorem non concurrat privilegium Apostolicum exemptionis, vel immemorabilis, & denique in *Causa Amalphitana Cathedratici 5. Septembris 1705.* resolutum fuit, Cathedraticum esse solvendum Archiepiscopo Amalphitano a Parochis, & Beneficiatis Terræ Tramontis, *& die 26. Februarii 1707.* resolutum fuit, illud esse dicto Archiepiscopo debitum a die adeptæ possessionis, & solvendum esse a Parochis, tam ratione Parochiæ, quam ratione Beneficiorum Parochiis unitorum, uti habetur *lib. 55. decret. pag. 326. & lib. 57. pag. 68.*

Inter cætera quoque jura Episcopalia recensetur quarta Decimarum, & quarta Funeralium, uti habetur *in citato cap. Conquerente de officio Ordinarii*, ibi, *Cathedratici nomine duos solidos, quartam decimationum, & mortuariorum*, cui pariter non fuit ullo modo derogatum a Concilio Tridentino *citato cap. 3. sess. 24.* uti habetur apud *Fagnan. in citato cap. Venerabili num. 17. de censibus.*

Ad horum jurium tramites Episcopus Anglonen. petit a Clero Terræ Carbonis Cathedraticum, quartam Decimarum, & quartam Funeralium, cum ex resolutionibus hujus Sacræ Congregationis habeatur, Terram Carbonis esse in, & de Diœcesi Anglonen., nec idem Episcopus sibi obesse posse putat contrariam consuetudinem, tum quia prædicta jura in Diœcesi Anglonen. persolvuntur, tum quia ante declarationes hujus Sacræ Congregationis super subjectione Terræ Carbonis suæ Diœcesi, non est curandum, quid in ea gestum fuerit, & demum, quia in ordine ad Cathedraticum consuetudo etiam immemorabilis contraria non suffragatur, uti revocata formiter ad examen citata resolutione *Albinganen.* fuit resolutum *in Lavellen. Cathedratici 6. Junii 1693. lib. 43. decret. pag. 261.* ibi, *an Cathedraticum Episcopo debeatur, non obstante immemorabili in contrarium*; huic etenim dubio responsum fuit *affirmative ad formam juris ab Ecclesiis, & Beneficiatis.*

His stantibus, quæritur

I. An Episcopo debeatur Cathedraticum in casu &c.

II. An eidem debeatur quarta Decimarum in casu &c.

III. An eidem debeatur quarta Funeralium in casu &c.

Sacra Congr. respondit,

Ad primum, secundum, & tertium affirmative.

QUÆSTIO CCCVII.

In Causa Januensi Jurisdictionis, die 20. Februarii 1723.

IN notoria controversia inter Patres Societatis Jesu, & Patres Carmelitas Excalceatos Civitatis Januen. excitata occasione cujusdam fabricæ a prædictis Patribus Carmelitis elevatæ e conspectu Collegii Patrum Societatis, novum opus a Patribus Societatis nunciatum fuit Carmelitis in Tribunali Ordinarii Metropolitani, & in hoc etiam promota fuit instantia pro purgatione attentatorum, sed cum a quodam Decreto per Ordinarium interposito Jesuitæ appellassent ad Conservatorem suorum privilegiorum, sub prætextu illatæ per Ordinarium violentiæ, & Conservator omnia, & singula revocaverit gesta coram Ordinario, licet in Tribunali Signaturæ Justitiæ circumscripta fuerint quæcunque a dicto Conservatore facta sunt, ad avertenda nihilominus imposterum quæcunque jurgia, quæ in consimilibus Causis inter Curiam Metropoliticam, & Conservatorem insurgere possent, post interpellatos Patrem Procuratorem Generalem Societatis Jesu, & Procuratorem Curialem Venerabilis Collegii Januen., Promotor Fiscalis Curiæ Ecclesiasticæ Januen. humiliter instat pro resolutione dubiorum, de quibus infra.

Plures emanarunt Romanorum Pontificum ultra disposita in Sacro Tridentino Concilio Constitutiones, nec non Sacrarum Congregationum resolutiones in eo, quod attinet ad Conservatores. Innocentius etenim Quartus *in cap. 1. de officio, & potestate Judicis delegati in 6.* statuit Conservatores a manifestis injuriis, & violentiis defendere posse, nec posse suam extendere potestatem ad alia, quæ judicialem indaginem exposcunt.

Bonifacius Octavus *in cap. hac Constitut. 15. eodem titulo* decrevit, Conservatores per annum ab officio suspensos esse, si de aliis, quam de manifestis injuriis, & violentiis scienter se intromiserint, seu manum apposuerint in aliis, quæ judicialem exigunt indaginem.

Sacrum Tridentinum Concilium *sess. 14. cap. 5. de Reformat.* sanxit, causarum criminalium, & mixtarum cognitionem ad Ordinarium, & non ad Conservatorem pertinere, & civilium cognitionem ad Conservatorem spectare, si ille, qui habet pro se litteras Conservatorias, sit reus, secus autem si sit actor.

Clemens Octavus *in sua Constitut. 3. Bull. 9. tom. 3.* revocavit omnes Conservatorias concessas contra formam supra relatæ Constitutionis Bonifacii Octavi.

Gregorius Decimusquintus *in sua Constitutione 9. ejusdem Bullar. tom. 3.* Bonifacianam quoque innovavit Constitutionem, iterumque sancivit, Conservatores nullam habere jurisdictionem in Causis, in quibus Regulares, & alii Actores fuerint, sed in iis tantum, in quibus Rei extiterint.

Cohærenter ad hasce Constitutiones, pleræque emanarunt S. Congregationis Resolutiones; excitata quippe controversia, an a Bulla Gregoriana sublata esset Conservatoribus facultas defendendi Regulares, & alios a manifestis injuriis, & violentiis, negative responsum fuit, uti habetur in declaratione impressa ad calcem dictæ Gregorianæ. Item proposito dubio, an Regulares habentes Conservatorem, si Rei sint, convenirí possint in Causis Civilibus requirentibus judicialem discussionem, & indaginem coram eodem Conservatore, & negative resolutum fuit, & insimul dictum, quod in eo rerum statu erant conveniendi coram Ordinario, uti habetur *in Resolutione capta die 28. Julii 1657. lib. 21. decret. pag. 31.* & concordat alia Resolutio *in Causa Papien. 30. Martii 1680. lib. 31. decret. pag. 73.* Denique quoad Ministros, qui a Conservatoribus haberi possunt, pluries dictum fuit, & resolutum, eos non posse erigere Tribunal, nec proprios assumere Ministros, excepto solo Notario, uti habetur *in Faventina 17. Septembris 1667. pag. 443. lib. 25. decret. & in dubiis Generalibus de Conservatoribus propositis die 28. Januarii 1679. lib. 30. decret. pag. 249. & seqq. in responsione ad secundum*, & hisce vestigiis inhærendo Sacra Congregatio particularis a sanctæ mem. Clemente XI. deputata, cui interfuerunt Eminentissimi Domini Cardinales Tanarius, Barberinus, Paraccianus, Corradinus, Ptolomæus, & Ego tanquam Secretarius, *die 22. Martii 1720.* resolvit, Judicem Conservatorem Commendæ Hierosolymitanæ Civitatis Auximanæ non posse cognoscere Causas Criminales, aut mixtas, nec Civiles, quæ judicialem indaginem requirunt, sed eas solum, in quibus agitur de manifestis injuriis, aut violentiis ad terminos *Capituli finalis de officio Delegati in 6.* non posse pariter eundem Conservatorem erigere Tribunal pro cognitione dictarum Causarum, & eum non posse deputare Officiales, & Ministros, sed solum Notarium.

Quo ad Patres Societatis Jesu habentes amplissimas conservatorias litteras ipsis concessas a S. Pio V. & expeditas a Gregorio XIII. in forma *rationi conguit*; alias dubitatum fuit, an eædem essent redactæ ad terminos Constitutionis Gregorii XV. & affirmative responsum fuit, cum in clausulis derogatoriis, quæ sunt in Gregoriana, apposita fuerint illa verba *Societatum, & cujusvis alterius Instituti*, quodque notabilius est, sic resolutum fuit in Causa Angelopolitana inter Episcopum, & dictos Religiosos in resolutione ad quintum dubium, uti habetur *in Constitutione 32. Innocentii X. Bull. novi tom. 5.*

His stantibus, quæritur

I. An Conservator Venerabilis Collegii Patrum Societatis Jesu Civitatis Januæ, tam in casibus, quam extra casus manifestæ violentiæ, vel injuriæ, possit procedere, sive Patres Societatis sint Actores, sive Rei.

II. An pendente aliqua lite coram Ordinario Metropolitano semel introducta cum Patribus Societatis Jesu, posteorum consensum in jurisdictionem, liceat eisdem convolare ad Judicem Conservatorem.

III. *An in supradicto casu litis jam introductæ, ut supra, inhibitio Conservatoris, si quæ fiat Ordinario, & Parti, illiusque successiva decreta annullativa actorum ab Ordinario post dictam inhibitionem factorum, sint attendenda.*

Sacra Congr. respondit,

Ad primum affirmative, in casibus tamen manifestæ violentiæ, & injuriæ, & quando PP. sunt rei. Ad secundum, & tertium negative.

QUÆSTIO CCCVIII.

In causa Cæsenatensi, seu Forolivienſi Matrimonii, die 20. Februarii 1723.

ANTONIUS Romagnolus Cæsenas captus amore Angelæ de Nave filiæ Silvii pariter Cæsenatis, & Barbaræ Bricciole Foroliviensis anno præterito tempore Bacchanalium ex improviso a Domo Paterna, & Patria aufugit, nec unquam sciri potuit, ubi moraretur, nisi postquam ex ejus litteris scriptis ad Burghesium Romagnolum suum Patruum, deprehensum est, eum esse in Domo Rurali Territorii Montiani; & cum in iisdem litteris Patruum exorasset, ut accederet ad se liberandum, ex quo non habebat intentionem Angelam ducendi in uxorem, uti dictæ Angelæ consanguinei exoptabant, Patruus ad locum accessit, & nepotem liberavit, & eum secum duxit ad Civitatem Cæsenaten.

Post lapsum nonnullorum dierum, Antonius iterum aufugit, & petiit Civitatem Forolivien., quam Angela etiam petiit, & Antonius se recepit in Conventum Patrum Carmelitarum Discalceatorum, & Angela in Domum Mariæ Virgineæ Rondaninæ de Bricciolis suæ Aviæ Maternæ, & Tutricis, uti dicitur, propter transitum Matris ad secunda vota.

Post hæc Angela, & Antonius per Apocham subscriptam coram quinque Testibus sponsalia contraxerunt, & in dicta Apocha Angela medio juramento declaravit, se venisse Forolivium, ut ibi domicilium eligeret, protestando se velle in futurum vivere sub tutela, & cura suæ Aviæ Maternæ; sed cum Episcopus Cæsenæ requisitus pro fide Status liberi eam transmittere recusaverit, & Eminentissimus Ravennæ Legatus præceperit Angelæ, ut haberet Domum pro Carcere, & ab ea non discederet, & Episcopus Forolivii Parocho S. Blasii inhibuisset, ne se in hoc Matrimonio ingereret absque prævii justificationibus status liberi, Angela, & Antonius ad Ecclesiam Parochialem S. Blasii ex improviso devenerunt; Angela etenim post supradictum præceptum Cardinalis Legati se receperat in cubiculum ejusdem Parochialis parum distantis a Domo, in qua præcedenter habitaverat, & coram duobus Testibus, & Parocho fidei rudimenta, & doctrinam Christianam puellis explicante, per verba de præsenti se Conjuges esse declararunt.

Contracto hoc modo Matrimonio, exortaque super ejus validitate controversia, eadem delata est ex Rescripto Sanctissimi ad hanc Sacram Congregationem; cumque Antonius, & Angela post emissam declarationem per publicum Instrumentum, in quo dixerunt se sponte, & absque ulla seductione, vel fraude, aut minis matrimonium contraxisse, se transtulissent ad Terram Bagnacavalli sub Diœcesi Eminentissimi Episcopi Faventini, datæ fuerunt ad ipsum litteræ, ut informaret, & omnibus juris remediis cogeret, ut Angela, & Antonius viverent separati, & ut Antonius reponeretur in loco tuto, ad effectum, ut suam liberam explicaret voluntatem; superventisque dicti Eminentissimi responsionibus, in quarum prima ait, Antonium se explicasse, quod Matrimonium liberrime contraxerat, & in secunda refert, dictum Antonium in exteras, & ignotas Regiones abductum fuisse, disputanda in præsenti proponuntur bina dubia, quorum alterum respicit validitatem, vel invaliditatem Matrimonii, & aliud subministrationem alimentorum, & sumptus litis; cumque totum quæstionis pondus consistere videatur in examinando, an Parochus, coram quo contractum fuit, esset proprius Angelæ Parochus, contendentibus illis, qui scribunt pro validitate Matrimonii, Parochum talem esse censendum, tum propter domicilium ab Angela in ejus Parochia contractum, tum quia ad rem, de qua agitur, is dicitur proprius Parochus, in cujus Parochia tempore contractus contrahentes habitabant, & potissimum, quando propter impedimenta, quæ timebantur, non potuit contrahi Matrimonium in Parochia, in qua Conjuges antecedenter degebant, & e contra contendentibus illis, qui scribunt pro nullitate, domicilium fuisse fictitie, & sine animo, & sic nullo modo contractum, & Parochum proprium pro Matrimonio non esse nisi illum, in cujus Parochia alter ex contrahentibus verum habet domicilium, mei muneris esse censui ad calcem hujus quæstionis nonnullas hujus Sacræ Congregationis declarationes tam antiquas, quam recentes referre, ut tutum ab EE. VV. in hac gravi controversia ferri possit judicium.

Quæritur itaque

I. *An Matrimonium sustineatur in casu &c.*

II. *An, & pro qua summa sint subministranda alimenta, & sumptus litis in casu &c.*

Sacra Congr. respondit,

Ad primum affirmative. Ad secundum affirmative, arbitrio Eminentissimi Præfecti.

Declarationes Sacræ Congregationis Concilii super puncto, quis dicatur proprius Parochus ad effectum validitatis Matrimonii.

Aliquæ antiquæ Resolutiones referuntur apud *Fagnan. in cap. significavit a num. 28. ad 36. cum seqq. de Parochis.*

Præter has aliæ reperiuntur in Regestis, & sunt, quæ sequuntur.

In una Romana 22. Februarii 1631. lib. 14. Decretorum pagina 390. a tergo.

ROMANA Nullitatis Matrimonii. Sacra &c. Censuit dandam esse Declarationem in abstracto in forma sequenti.

Vir, & Mulier a loco suæ Habitationis absque animo illam relinquendi discedentes, & ad locum alterius Parochiæ solo animo illic Matrimonium celebrandi, non autem Domicilium contrahendi, se transferentes, ubi cum Parocho illius loci Matrimonium inter se contraxerunt; Supplicatur per Sacram Congregationem declarari: An hujusmodi Matrimonium sit nullum, vel validum.

Die 22. Februarii 1631. Sacra &c. Secundum ea, quæ proponuntur, Censuit esse nullum.

In una Urbinaten. 1. Decembris 1640. lib. 16. Decret. pag. 456. a tergo, & 457.

URBINATEN. Nullitatis Matrimonii, Sacra &c. Inhærendo declarationibus alias factis respondit, Parochum Ruralem non esse proprium, & verum Parochum, quando Rus itur causa recreationis, vel pro rusticanis negotiis; ideoque Matrimonium valide coram hujusmodi Parocho celebrari non posse; Partibus tamen dentur declarationes antiquæ scilicet.

In una Florentina, Sacra &c. censuit, quod Parochus Ruralis non est verus Parochus, quando Rus itur causa recreationis, vel pro rusticanis negotiis.

In Florentina similiter. Sacra &c. respondit, Parochum Ruralem non esse proprium Parochum, ideoque Matrimonium coram eo celebratum fuisse nullum.

In una Abulen, Sacra &c. Censuit non valere Matrimonium contractum coram Parocho Loci, ubi Contrahentes reperiuntur, non animo ibi Domicilium contrahendi.

In una Theatina Matrimonii 13. Novembris 1683. lib. 33. Decret. pag. 336. a tergo, & pag. 337.

THEATINA Matrimonii, Dominico Antonio Coradetto Civi Theatino, & Antoniæ de Civitate Pennarum Incolis Theani Matrimonium contrahere desiderantibus, assensum denegavit Archiepiscopus, eo quod Mulier debitas attestationes status liberi non exhibuerit; quo circa præfati Vir, & Mulier ad Terram Faræ Filiorum Petri nuncupatam Abbati Montis Casini subjectam se contulerunt, ibique per triduum commorati Matrimonium celebrarunt coram Parocho Loci, prævia Fide duorum Civium Theatinorum super eorum statu, & illico, nempe quarta die Theanum redierunt.

Hu-

Hujusmodi facti serie inter supplices libellos relata in Congregatione habita *die 17. Julii* proxime præteriti, rescriptum fuit Archiepiscopo, ut congruum terminum prætensis Conjugibus assignaret ad eorum Jura coram ipso deducenda, istaque deinde una cum animi sui Sententia referret, & interim dictos prætensos Conjuges separaret.

Decreto paruit Archiepiscopus. At asserti Conjuges in termino sibi præfixo nil aliud allegarunt, nisi eatenus ad dictam Terram perrexisse, quatenus fuit sibi significatum majorem illic experturos fore facilitatem contrahendi Matrimonium, quod proinde censet minime sustineri.

Reliquum est igitur, ut Eminentissimi PP. decernant,

An Matrimonium hujusmodi sit validum, vel potius nullum.

Die &c. Sacra &c. Respondit esse nullum.

In una Bovinen. Matrimonii die 7. Septembris, & 28. ejusdem mensis anno 1697. lib. 47. Decret. pag. 416. & 453.

BOVINEN. Matrimonii. Marcus Atello natus in Civitate Bovini post defunctam primam ejus Uxorem in Civitate Sancti Severi, consuetudinem habere cœpit in Oppido Foggiæ Diœcesis Trojanæ cum Joanna Spera muliere conjugata, quam in statu concubinatus ibidem retinuit spatio annorum septem. Reversus postmodum ad Patriam una simul cum dicta Joanna continuavit in eodem concubinatu per alios quindecim annos, venditans apud omnes, dictam Joannam esse sibi in Matrimonio junctam. Comperto autem per Decanum Curatum Cathedralis, nullum inter eos extare Matrimonium, injunctaque per Episcopum separatione, decreverunt inter se ad illud realiter devenire; At non habentes fidem obitus primi Viri præfatæ Joannæ, ambo de mense Octobris 1692. Foggiam se contulerunt animo contrahendi inibi Matrimonium, eoque sequuto illico repetendi Bovinum, ut coram Testibus fide dignis, & tota vicinia declararunt. Sed postquam commorati fuerant per paucos dies in dicto loco, simulata per Marcum mortali infirmitate, prævio examine trium Testium super statu libero utriusque, præmissis duabus tantum Denunciationibus, fuerunt de licentia Episcopi in Matrimonium copulati ab Archipresbytero illius Loci.

Biduo post reversi ad Civitatem Bivini exhibuerunt fidem hujusmodi Matrimonii coram Decano Cathedralis, qui dubitans de illius validitate tanquam contracti in fraudem Parochi proprii Domicilii, recursum habuit ad hanc Sacram Congregationem pro declaratione, datisque Litteris ad Episcopos Trojanum, & Bovinen., cum eorum relationes inter se discordarent, asserente primo, dictos Conjuges Domicilium contraxisse in Terra Foggiæ per decennium, & ultra, inibi habitando, & ulterius dictam Joannam nunquam alteri Viro junctam fuisse; altero vero referente, illos habere Domicilium Bovini a quindecim annis, & ultra, & præsertim de tempore contracti Matrimonii, & insuper dictam Joannam in Virum habuisse Franciscum Rampam, de cujus obitu non constabat, necessarium fuit ad eruendam veritatem, exquirere informationem Episcopi Asculani in Apulia, qui ex ore proprio ejusdem Joannæ confirmavit in omnibus Relationem Episcopi Bovinen. Ortaque ex dictis relationibus Polygamiæ dubitatione, Causa remissa fuit ad Sacram Congregationem Supremæ Inquisitionis, quæ postquam factis variis diligentiis, compertum habuit, Virum præfatæ Joannæ jam decessisse usque de anno 1673. Causam denuo remisit ad Sacram Congregationem. Quare hodie ad Instantiam dicti Decani Bovinen. utroque Conjuge monito, sed ratione Paupertatis non informante, decernendum superest,

An præfatum Matrimonium inter Marcum, & Joannam, ut supra contractum sustineatur in casu &c.

Die &c. Sacra &c. Distulit Propositionem.

In eadem die 28. Septembris 1697. Bovinen. Matrimonii.

Dubium -- *An Matrimonium contractum inter Marcum, & Joannam in casu, de quo agitur, sustineatur.*

Die &c. Sacra &c. Respondit Negative, & ad Mentem, quæ est, ut insinuetur Episcopo, ut curet renovari Matrimonium coram proprio Parocho.

QUÆSTIO CCCIX.

In Causa Spoletana, die 20. Februarii 1723.

SEMINARIUM Clericorum Diœcesis Spoletanæ fuit administratum a Patre Marco Antonio Albino ex Congregatione Patrum Doctrinæ Christianæ Avenionen. ad hoc munus specialiter vocato, & subinde a Sacerdote Paulo Farricellio, & prima administratio incepit mense Februarii *anno 1714.* & terminavit *die 12. mensis Novembris anno 1717.* & secunda hac die incepit, & terminavit *die 20. Augusti anno 1719.*

Uterque ex Administratoribus, post dispunctas partitas Dati, & Accepti suas sententias in Syndicatu absolutorias reportarunt subscriptas charactere tam Episcopi, quam Canonicorum Regimini Seminarii præpositorum, uno excepto Canonico Aristi de Mauris, qui noluit, quoad Sacerdotem Farricellium, sententiæ subscribere, sub obtentu falarii, quod ei fuerat assignatum, & quod nimis excedens sibi videbatur.

Nulla facta harum sententiarum mentione, recursus habitus est ad hanc Sacram Congregationem, & cum ei fuisset expositum, Seminarium plurium annorum spatio fuisse administratum tam a Patre Albino, quam a Sacerdote Farricellio, & eosdem remansisse in notabili summa debitores, commissa fuit Episcopo Fulginaten. negotii recognitio una cum omnibus facultatibus, ut debitores ad solutionem adstringeret, quatenus revera debitores essent.

Assumpta cognitione ab Episcopo Fulginaten., & transmissis ad eum libris Administrationis, deputatoque in Calculatorem Alexandro Fedeli, fuit a dicto Episcopo prolata sententia, in qua Pater Albinus constitutus est debitor in scutis 998. & obulis 62. & Sacerdos Farricellius in scutis 94. & obulis 46.

Appellatione ad Sacram Congregationem interposita, ne Eminentissimi Patres tædio gravarentur conficiendi calculos, aut confectos examinandi, curavi, ut partes inter se liquidarent partitas certas, & incontrovertibiles, & examini EE. VV. dubias tantummodo reservarent, habitisque idcirco pluribus Congressibus, & sæpius auditis novis Calculatoribus ab utraque parte electis, controversia ad sequentes partitas redacta est.

Quoad Patrem Albinum ipsius prætensum debitum non est in scutis 998. & obulis 62. sed in scutis 740. *circiter*; ut enim recognovit novus Peritus pro deputatis Seminarii electus, ex memorata summa scutorum 998. detrahenda sunt scuta 240. & ultra, consistentia in tot partitis ab Alexandro Fedeli primo Perito vel omissis, vel duplicatis.

Statuto itaque prætenso debito in scutis 740. illud suam causam habet ab assertione Deputatorum Seminarii, qui contendunt, unumquemque Alumnum subsistentari debuisse cum sola impensa scutorum 20. annuorum, & quemlibet ordinandum cum impensa scutorum 25. & sic illud plus, quod in prædictorum alimentis dicitur expensum, non esse eidem bonificandum, nec ei pariter esse bonificandas eleemosynas nomine Seminarii ab ipso distributas, & alias similes expensas, in quo rerum themate Pater Albinus, aut remanebit debitor in scutis 740. aut in scutis 336. & obulis 52. si bonificentur hæ tantum expensæ, quæ adnotantur in calce calculi exarati a novo Perito pro Deputatis Seminarii electo.

Adversus hæc reponitur a Patre Albino, se non esse debitorem Seminarii, sed potius Creditorem in scutis 14. & obulis 71. cum impossibile sibi fuerit alere, & de aliis necessariis providere Alumnos, cum solis scutis 20. annuis, & Ordinandos cum scutis 25. & facta bonificatione ejus summæ, quam supra scuta viginti annua pro Alumnis, & supra scuta 25. pro Ordinandis erogavit, nec non mercedem Operariorum pro usu Seminarii, eleemosynarum, & aliarum expensarum fideliter in libris adnotatarum, infert Pater Albinus, se non esse Seminarii debitorem, sed creditorem in summa superius expressa.

Transeundo ad Sacerdotem Farricellium, qui dicitur esse debitor in scutis 94. & obulis 46. punctus est in videndo, an ipse contentus esse deberet solis scutis 25. annuis pro suo victu, & aliis scutis 20. annuis pro suo salario, & posset retinere Famulum; in hypothesi etenim, in qua credatur eum potuisse, & debuisse se alere cum sola impensa scutorum annuorum 25. & Famulum retinere non debuisse, ipse fatetur se in aliqua parva summa facile liquidanda remanere debitorem; secus autem se habebit res, si judicetur sola scuta 25. annua non fuisse pro victu sufficientia, & Famulum ab ipso retineri

cineri debuisse, prout ipse contendit, ex quo solus, & sine Famulo necessaria explere non poterat.

Jura circumferuntur, quocirca quæritur,

I. An sustineatur redditio rationis administrationis Seminarii facta a Patre Albino sub die 20. Novembris 1714. & 5. Octobris 1717, seu potius, & in qua parte sustineatur Sententia Episcopi Fulginaten. in casu &c.

II. An sustineatur redditio rationis administrationis Seminarii facta a Rev. Farricellio sub die 24. Augusti 1719. seu potius an, & in qua parte sustineatur Sententia R. P. D. Episcopi Fulginaten. in casu &c.

Sacra Congr. respondit,

Ad Primum, P. Albinum non esse molestandum. Ad Secundum, Sacerdotem Farricellium non esse molestandum, & amplius.

QUÆSTIO CCCX.

In Causa Perusina, seu Nucerina, die 20. Februarii 1723.

LAURENTIUS de Laurentiis per contractum inter vivos anno 1664. se obligavit ad solvenda annua scuta 40. Monialibus S. Luciæ Casæ Castaldæ Comitatus Perusini, onere imposito, quod Cappellanum retinerent, qui earum confessiones exciperet, Missam celebraret in ipsarum Ecclesia, & 150. Missas applicaret quolibet anno juxta suam intentionem, & in hypothesi, in qua Moniales ad aliud Monasterium tractu temporis transferri contigisset, aut ipsarum Monasterium destructum remansisset, memoratus Laurentius de Laurentiis annullatam, & revocatam haberi voluit promissionem annuorum scutorum 40. & hæc omnia idem confirmavit in Testamento condito anno 1665. in quo hæredem sibi universalem scripsit Confraternitatem Sancti Benedicti Civitatis Perusiæ.

Post lapsum nonnullorum annorum facta fuit translatio Monialium auctoritate Sacræ Congregationis Episcoporum, & Regularium ad Monasterium S. Mariæ Magdalenæ Terræ Gualdi, & in eo, quod attinet ad dispositionem Laurentii de Laurentiis, eadem Sac. Congregatio demandavit, ut Moniales celebrare facerent per Cappellanum Missas a pio Benefactore relictas, & uti supra applicandas, in Ecclesia Monasterii *a quo*, & quod aliæ Missæ celebrarentur in Ecclesia Monasterii *ad quod*; sed cum subinde animadversum fuisset, quod in casu translationis Monasterii de loco ad locum Laurentius declaraverat se nolle teneri ad solutionem scutorum annuorum 40. habitus idcirco est recursus ad san. mem. Clementem XI. eique supplicatum pro commutatione voluntatis, remissisque precibus ad hanc Sac. Congregationem, cum eadem *die* 8. *Martii* 1721. omnia commiserit arbitrio, & conscientiæ Ordinarii Nucerini, hic *die* 28. *Martii* agnita subsistentia expositorum in supplici libello, declaravit, Cappellaniam cum annua præstatione scutorum 40. pertinere ad Monasterium S. Mariæ Magdalenæ, ad quod translatæ fuerant Moniales S. Luciæ, cum onere tamen, ut ab uno Presbytero Missæ a Laurentio relictæ celebrarentur in veteri Ecclesia Monasterii *a quo*, earumque celebratio ita distribueretur, ut diebus Dominicis, & Festis Missa pro Populi commoditate non deesset.

Habita horum factorum notitia a Confratribus S. Benedicti Perusiæ heredibus a Laurentio institutis, iidem audiri petierunt, & audientiam facile obtinuerunt, quocirca in præsenti proponitur dubium, *an sit standum vel recedendum a decisis*, uti ad calcem hujus restrictus videri potest.

Petunt Confratres recessum a decisis, innixi claræ, & litterali dispositioni Testatoris, a Monialibus acceptatæ, quod scilicet in hypothesi translationis ipsarum ad aliud Monasterium cessare deberet subministratio annuorum scutorum 40. & quia prævident, sibi opponi posse, fuisse quidem scriptos hæredes, sed cum obligatione erogandi reditus hæreditarios in celebrationem Missarum, subdunt, Missas esse celebrandas in Civitate Perusina, & sic menti Testatoris satisfactum non esse per celebrationem Missarum, partim adimplendam in Ecclesia Monasterii *a quo*, & partim in Ecclesia Monasterii *ad quod*, utpote sitis in Diœcesi Nucerina.

Excipi e contra potest a Monialibus, rem integram non esse, & omnia quæ gesta sunt, gesta fuisse tam auctoritate Sac. Congregationis Episcoporum, & Regularium, quam Sac. Congregationis Concilii, rem ulterius bene compositam fuisse, cum capta fuerit providentia, ne Populus Casæ Castaldæ, qui unum habet Parochum, Missa careret diebus festivis; in locis enim, in quibus unus tantum adest Sacerdos, facile est, ut aliqui diebus festivis careant Missa. Additur, scriptam quidem fuisse hæredem Confraternitatem, sed cum onere implicandi reditus in Missarum celebrationem, & hunc eundem effectum haberi, sive in uno, sive in alio loco celebrentur, & demum Moniales translatas, tali paupertate laborare, sicuti recognitum fuit in Sacra Congregatione Episcoporum, & Regularium, ut cessante emolumento scutorum 40. annuorum, earum subsistentia haberi non possit in Monasterio *ad quod*.

Hisque stantibus, quæritur

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

Sacra Congr. respondit

Dilata, & ad D. Secretarium juxta mentem.

QUÆSTIO CCCXI.

In Causa Albanensi Funerum, die 20. Februarii 1723.

EXHIBITUS fuit huic Sac. Congregationi supplex libellus, in quo expositum fuit, Archipresbyterum Castri Gandulphi occasione Funerum, sive associationis Cadaverum consuevisse ab hæredibus Defuncti recipere quoddam Sudariolum suæ Cruci appensum, & hoc modo se gessisse occasione associandi Cadaver cujusdam Mulieris nuper defunctæ, eundemque Archipresbyterum post administrationem Olei Sancti recipere pariter consuevisse Vas, seu Discum, quo utitur in dicta administratione, quique eidem ad dictum usum consignatur ab Infirmo, seu Adstantibus.

Scriptum fuit pro informatione Eminentissimo Episcopo, & præfixus fuit Archipresbytero terminus ad sua jura deducenda, & in informatione habetur, quod licet Discus sit res minimi momenti, non debet nihilominus Archipresbyter illum ad Domum suam asportare, cum teneatur eum reliquere in Domo Ægroti, cui Sacramentum Extremæ Unctionis administrat, sed in eo, quod attinet ad Sudariolum, concludit consuetudinem pro ejus receptione militare, nec eam esse abolendam, cum receptio fiat a sponte dantibus.

Quoad Discum in Taxa Innocentiana *edita anno* 1678. & impressa apud *Pignatell. consultat.* 11. *tom.* 8. hæc habentur, *anzi s'incarica a' Vescovi, e Prelati, e loro Vicarj, ed Offiziali, che non lo permettano a' Curati, ed a' Confessori, ed altri Ministri, e particolarmente nel prendere il piatto, o altro vaso, nel quale sia riposto il vaso dell' Oglio Santo per l' Estrema Unzione &c. dichiarandosi tutto ciò illecito.*

Quoad Sudariolum vis reponitur in antiqua consuetudine, & in receptione a sponte dantibus, pro qua facit *Textus in cap. ad Apostolicam de simonia*, ibi: *pias consuetudines præcipimus observari*; E contra prætenditur Sudariolum non recipi a sponte dantibus, sed exigi, & ab hac Sacra Congregatione *in Tudertina Funerum* 13. *Augusti* 1718. *lib.* 68. *decret. pag.* 324. hæc prohibita fuisse; dictum enim fuit non esse appendendum Sudariolum ad Crucem Parochi, nec illud ab hæredibus esse Parocho consignandum.

His stantibus, quæritur

An permittenda sit receptio Sudarioli, & Disci in casu &c.

Sacra Congr. respondit,

Quoad Sudariolum dilata, & coadjuventur probationes, & quoad Discum non esse permittendam ejus receptionem.

QUÆSTIO CCCXII.

In Causa Cæsenatensi Erectionis Archipresbyteratus, die 20. Februarii 1723.

JOSEPH Demetrius in ultimo, cum quo decessit, Testamento mandavit ex suis bonis hæreditariis erigi in Cathedrali Cæsenatensi Dignitatem Archipresbyteratus; in ea etenim existunt binæ aliæ Dignitates jam erectæ, hoc est Præpositura, & Archidiaconatus. Præterea memoratus Demetrius reservavit jus nominandi ad Archipresbyteratum Christophoro Polazzino, ejusque descendentibus, & in eorum defectum vocavit Bartholomæum Bagnari, & ejus pariter descendentes, & in Codicillis conditis post Testamentum nominavit in primum Archipresbyterum Marcum Antonium dicti Christophori filium.

Capitulum, & Canonici Cathedralis Cæsenæ obsistunt Erectioni hujus Archipresbyteratus, & ne ipsorum dissensus videatur irrationabilis, & idcirco supplendus ab hac Sacra Congregatione, ad quam recursus a Marco Antonio habitus est, plures allegant Causas.

Prima est, quod Dignitas Archipresbyteratus, quoties erigatur, erit de Jurepatronatus Laicorum, & sic aperta erit via personis etiam idiotis ad eam obtinendam. At respondetur novum non esse, quod Dignitates in Cathedralibus sint de Jurepatronatus Laicorum, quoties ex eorum bonis fundatæ sint, nec unicuique personæ viam aperiri obtinendi Dignitatem per hoc, quod Dignitas sit de Jurepatronatus Laicorum; quandoquidem tenentur Patroni præsentare Clericos habiles, & idoneos, alias præsentati ab Episcopo repelli possunt.

Secunda causa constituitur in præjudicio, quod ex erectione novæ Dignitatis redundaret in Canonicos, qui eidem cedere deberent præcedentiam. At respondetur, motivum non esse attendendum, quia præcedentia datur Ordini, non personæ, & præjudicium illud esset ponderandum, si ageretur de novo Canonico instituendo, qui cæteris Canonicis anteire deberet; secus autem quando, prout hic, agitur de nova Dignitate erigenda, quæ ex sui natura præcedentiam habet super Canonicos.

Tertia causa ortum habet a præjudicio bursali. Sed respondetur, præjudicium bursale non adesse; in eo siquidem, quod attinet ad massam distributionum, Fundator reliquit Capitulo scuta 150. investienda ad effectum, ut nova Dignitas admittatur ad participationem distributionum, & quatenus summa hæc non esset sufficiens, Marcus Antonius primus nominatus se offert tam nomine proprio, quam successorum ad solvenda Capitulo annua scuta sex, ad quam summam ascendere dicuntur cæterorum Canonicorum distributiones, dummodo tamen summa scutorum 150. Capitulo a Fundatore relicta investiatur favore Archipresbyteratus, & in eo, quod spectat ad Massam Capitularem, sive ad expensas pro manutentione fabricæ, Sacristiæ, candelarum, & similium, dicitur, quod Capitulum habet pro his expensis annua scuta 180. & erectos fuisse alios Canonicatus, absque eo quod hujusmodi generis expensarum habita fuerit ulla ratio.

Hæc sunt præcipua, quæ fuerunt in partibus a Capitulo excitata, & Scribentes hic in Curia pro eodem Capitulo alia addiderunt, quæ putant esse recensenda inter ea, quæ adversantur naturæ Beneficii Ecclesiastici; quale est illud volitum a Fundatore, quod super nova Dignitate nulla pensio imponatur, & casu quo imponeretur, Archipresbyteratus debeat reduci ad legatum laicalem, translato omnium bonorum dominio in hæredem cum obligatione satisfaciendi Missis; quale pariter est aliud, quod Archipresbyteratus nunquam ab exteris haberi valeat, & casu quo ab extero obtineretur, tunc exterus teneatur ad celebrare faciendum quolibet anno Missas 90. cum eleemosyna duorum juliorum pro qualibet Missa, & ulterius obligatus sit ad solvendum annuam Pensionem scutorum 20. Christophoro Polazzino, & ejus descendentibus.

Jura hinc inde circumferuntur, quocirca quæritur

An, & quomodo sit locus erectioni Archipresbyteratus in casu &c.

Sacra Congr. die 6. Decembris 1723. respondit,

Esse locum erectioni Archipresbyteratus juxta modum; & modus est, quod deleatur conditio reductionis Archipresbyteratus ad legatum pium casu quo pensio imponatur, nec non alia, quod in casu collationis Archipresbyteratus extero teneatur hic solvere Patronis scuta annua 20. titulo pensionis.

QUÆSTIO CCCXIII.

In Causa Salamantina, die 6. Martii 1723.

JOSEPH Gonzalez de Las Heras del Barco Abulen. Diœcesis matrimonium contraxit cum Emanuela Antonia de Figueira, & Vega, exortisque inter ipsos diffidiis, & signanter ex causa sævitiarum, quas Vir adversus Uxorem exercere dicebatur, prolata fuit *anno* 1704. servatis servandis sententia ab Ordinario Salamantino, in cujus Civitate Conjuges habitabant, & in sententia dictum fuit, Conjuges separatim vivere debere, quoad torum, & quoad habitationem, & durante separatione non posse sub pœna excommunicationis Josephum afferre ullas molestias Emanuelæ, & intra spatium sex dierum sub eadem pœna debere Uxori restituere dotem, quam receperat.

Ab anno 1704. usque in præsens, Conjuges vixerunt separati, cumque Joseph Gonzalez ingredi exoptaverit Religionem Hierosolymitanam, & in ea professionem emittere inter Equites Justitiæ, Sanctissimo Domino Nostro supplicavit pro facultate Magno Magistro concedenda recipiendi probationes suæ Nobilitatis, non in Hispaniis, sed in Civitate Neapolitana, in qua degit, & Sanctissimus Dominus Noster petitioni benigne annuit, sed cum adhuc Emanuela Uxor sit in humanis, ejusque idcirco consensus ad rem, & ad effectum, de quo agitur, sit necessarius, ad instantiam Josephi, datæ fuerunt a Secretaria Status litteræ ad Nuntium Hispaniarum, ut Emanuelæ Uxoris voluntatem faceret explorare, communicatoque a Nuntio consilio Episcopo Salamantino, Vicarius Generalis Episcopatus in executionem ordinum sibi a suo Prælato injunctorum *die* 22. *Septembris anno* 1722. ad Emanuelam accessit, jurisque ordine servato ab eadem petiit, ut suam exprimeret voluntatem circa ingressum Josephi Gonzalez Viri in Religionem Hierosolymitanam, & professionem in eadem, & Emanuela solemniter declaravit se Viro suo libentissime assensum præstare, ut quamcunque Religionem sibi magis benevisam ingrediatur, & in eadem profiteatur.

Habito Uxoris consensu sublata credi poterat omnis difficultas, quæ ingressui in Religionem Hierosolymitanam adversabatur. Verum comperto, quod in Statutis hujus Religionis infra referendis prohibetur ingressus illis, qui matrimonium contraxerunt, & consummarunt, opus fuit habere recursum ad Summum Pontificem pro impetranda derogatione Statutorum; cumque a Sanctitate Sua fuerit examen totius negotii remissum huic Sac. Congregationi, proponitur in præsenti dubium ad calcem hujus Restrictus referendum.

Duo autem videntur esse præmittenda, primum est, quod quando jura matrimonii sunt læsa, & diminuta propter sententiam divortii, potest Conjux innocens in sæculo remanere, & alter ad Religionem transire, si Conjux innocens eidem præstet licentiam; quatuor enim adsunt judicata, alterum tempore Innocentii Papæ X. qui accitis Theologis ita pronuntiavit, uti habetur apud *Lezanam consil.* 30. *num.* 27. alterum hujus Sacræ Congregationis *in quadam causa Ferrarien.* 2. *Maii* 1693. *lib.* 43. *decret. fol.* 225. alterum *die* 14. *Novemb.* 1682. prolatum in quadam Causa Lucana ab hac eadem Sac. Congregatione, uti habetur *lib.* 32. *decretorum fol.* 479. Quartum denique hujus ejusdem Sac. Congregationis in Causa Januen. Mariæ Victoriæ Fossæ, quod editum fuit die 2. Maii *anno præterito* 1722. ut ex folio benigne reassumendo poterunt EE. VV. deprehendere, & sola, quæ in hoc puncto superest difficultas, est in videndo, an Conjux innocens in Sæculo remanens emittere debeat votum simplex castitatis, cum in fere omnibus recensitis casibus pro emissione voti fuerit judicatum, sed in postremo, postquam in rescripto addita fuit conditio dictum votum emittendi, recurrente Viro innocente, qui in sæculo remanebat, & reclamante adversus hanc obligationem sibi superimpositam, Sacra Congregatio *die* 23. *Maii* 1722. mandavit, quod dicta conditio deleretur, & quod de deletione admoneretur Eminentiss. Archiepiscopus Januensis, in cujus Civitate Uxor non innocens professionem Regularem emittebat, uti etiam practicatum fuerat in supra citata Causa *Ferrarien.* & optimo jure, cum jura prohibentia professionem, seu mutationem status alterius Conjugis absque voto continentiæ emittendo ab eo, qui in sæculo remanet, procedant in casibus, in quibus matrimonium integrum, & illæsum perseverat, secus autem, quando ejus jura sunt læsa, & diminuta. *Diana in edit. coordin. tom.* 2. *tract.* 6. *resol.* 226. §. 2. *Donat. in praxi rerum regular. tom.* 2. *par.* 2. *tract.* 3. *quæst.* 17. *num.* 7. *Reginald. in praxi Fori Pœnit. tom.* 2. *lib.* 31. *tract.* 5. *cap.* 42. *numer.* 327.

Alterum, quod præmittendum videbatur, est, quod præscindendo a Statutis, nullum videtur interponendum discrimen inter professionem emittendam inter Milites Hierosolymitanos, & professionem faciendam in alia quacumque Religione; sunt etenim dicti Milites veri, & proprii Religiosi juxta receptam in Curia sententiam, de qua *Addens. ad Ludovis. decis.* 87. *num.* 13. & quemadmodum matrimonium ratum, & non consummatum solvitur per Religiosam professionem, quæ in Ordine Monastico, aut Regulari emittatur, *Textus in cap. Verum de controvers. Conjug.* sic eadem dissolutio sibi vindicat locum, si fiat professio inter Milites Hierosolymitanos, uti

uti late probat *Sanchez de Matrim. lib.* 2. *disp.* 8. *num.* 8.

Ad partes itaque positis his, quæ modo relata sunt, & in quibus non videtur, quod adsit difficultas, vera difficultas ad hæc duo alia sequentia capita reduci valet.

Primum, quod præcedentia judicata procedunt in terminis matrimonii læsi propter adulterium, quando hic, & nunc agitur de matrimonio læso ex sententia divortii lata propter sævitiem; in prima etenim facti specie, cum adulterium sit quid perpetuum, nunquam reintegratur matrimonium, nisi Conjux innocens cedat juri suo, & velit Conjugem adulterum emendatum recipere, in secunda vero, cum sævities non sit quid perpetuum, sed temporale, jura matrimonii taliter læsa dici non possunt, ut permissum esse videatur alteri ex Conjugibus in Religione profiteri, altero eorum in sæculo permanente *Clericat. de Sacram. matrim. decis.* 39. *num.* 3. *& Erotemat. Eccles. cap.* 146. *num.* 4.

Secundum est, quod in Statutis Ordinis Hierosolymitani habentur hæc verba: *se alcuno sarà obbligato ad altro per qualche debito d'importanza, ovvero avrà contratto matrimonio, e quello per carnale congiunzione averà consumato, non sia accettato nell'Ordine nostro.*

Quoad primum vero, ponderandum esse videtur, an stante Judicis sententia super divortio non limitata ad aliquod tempus, stante longa conjugum separatione quoad torum, & habitationem, absque eo quod unquam reconciliatio secuta sit, stante expresso Uxoris consensu, permissum esse possit in terminis, de quibus agitur, Oratori profiteri in Religione Hierosolymitana, remanente in sæculo Uxore innocente; in vim quippe harum consimilium circumstantiarum æquiparari videtur casus matrimonii læsi ex sententia divortii propter sævitiem, casui matrimonii læsi ex sententia divortii propter adulterium, etiam ad effectum, ut Conjux transire valeat ad Religionem, altera remanente in sæculo. *Bonacin. de matrim. qu.* 4. *punct.* 5. *sub num.* 23. *versic. addo, Reginald. in prax. for. Pœnitential. tom.* 2. *tract.* 5. *lib.* 31. *cap.* 41. *sub num.* 317. *Sanch. de matrim. lib.* 10. *disput.* 19. *sub num.* 49.

Quoad secundum, resistentia Statutorum clara est, sed Religio suum receptioni Oratoris præstat assensum, quoties a Summo Pontifice dicto Statuto derogetur.

Quocirca his stantibus, quæritur

Quale consilium Sanctissimo Domino Nostro præstandum sit in casu, de quo agitur.

Sacra Congr. respondit
Dilata, & exquirantur exempla.

QUÆSTIO CCCXIV.

In causa Nullius, seu Asculana, die 6. *Martii* 1723.

ABBAS, & Monachi Sancti Eutizii *die* 26. *Augusti* 1561. dederunt in Emphytheusim ad tertiam generationem masculinam Malaspinis de Asculo Ecclesiam S. Gregorii de Murro cum omnibus bonis, & juribus ad eam quomodolibet spectantibus, convento Canone singulis annis quatuor mensurarum olei, vulgo Caldarelle, & inito pacto, quod terminata tertia generatione masculina, tam Ecclesia, quam bona ad Monasterium reverti deberent, & in Instrumento dictum fuit, Ecclesiam S. Gregorii esse membrum Monasterii, & in eodem instrumento facta fuit reservatio directi dominii.

Tertia generatio supradicta suum habuit finem in persona Francisci Malaspinæ, qui mortuus est *die* 28. *Januarii* 1696. quo tempore Abbatia S. Eutizii erat commendata claræ mem. Card. Taurusio, mortuoque *eodem anno* 1696. prædicto Cardinali, collataque in novam Commendam *anno sequenti* 1697. a san. mem. Innocentio XII. eadem Abbatia R. P. Passerino, cum hic suorum jurium tunc esset ignarus, titulo Canonis recepit a Malaspinis supra memoratas olei mensuras, sed cum ipse subinde animadvertisset investituram concessam *anno* 1561. suum finem habuisse *anno* 1696. judicium introduxit coram A. C. de Gentilibus pro manutentione, & reintegratione ad bona comprehensa in citata investitura.

In hoc judicio Malaspinæ totam vim defensionis constituerunt in subsequenti alia investitura, seu in renovatione Emphytheusis sibi concessa *anno* 1646. a clar. mem. Card. Polo tunc S. Eutizii Abbate, sustinendo, quod si terminata dici poterat investitura *anni* 1561. terminata dici non poterat renovatio *anni* 1646. At contendente R. P. Passerino Abbate, dictam postremam renovationem fuisse nullam, & invalidam, A. C. de Gentilibus *anno* 1718. sententiam protulit, in qua dixit, renovationem nullius fuisse momenti, & ulterius manutentionem, & reintegrationem Abbati concessit ad bona, & alia comprehensa in investitura *anni* 1561. reservata sibi facultate cognoscendi de puncto fructuum, tam perceptorum a Malaspinis post motam litem, quam antea decurforum, an iidem videlicet essent debiti Abbati.

Appellatione a Malaspinis interposita ad Sac. Rotæ Auditorium, disputatisque *die* 27. *Januarii* 1719. duobus dubiis, hoc est, *an constet de nullitate investituræ, itaut sit danda manutentio, seu reintegratio*, & alio, *an & a quo tempore, & a quo die debeantur fructus*, Rota fuit in sensu pro validitate secundæ investituræ, seu renovationis concessæ a Cardinali Polo, & sic quod nullus esset locus solutioni fructuum, uti colligitur ex binis decisionibus citata die editis super utroque dubio coram R. P. Corio.

In sequelam harum decisionum nulla fuit a Tribunali prolata sententia, sed repropositа Causa *die* 9. *Junii subsequentis* propter paritatem suffragiorum, responsum fuit, quod iterum proponeretur, & consimile prodiit rescriptum *die* 5. *Decembris ejusdem anni* 1719. cum iterum rescriptum fuerit, quod Causa denuo proponeretur, & viderent quintus, & sextus, editisque subinde aliis rescriptis, tum quoad exhibitionem librorum Abbatis, tum quoad concordationem facti coram Ponente, cum iterum Causa post factum jam concordatum proposita fuisset *die* 9. *Decembris* 1720. responsum fuit dilata, & fiat concordia juxta mentem, & ad DD. Decanum, & Ponentem, nec Partibus ad concordiam devenientibus, Rota *die* 16. *Junii* 1721. jussit quod fieret concordia: *fiat omnino concordia, aucto canone ad annua sc.* 25. *in reliquis nihil.*

In obsequium hujus præcepti deventum est ad concordiam, quæ subscripta fuit tam a Procuratore Abbatis, quam a Procuratore eorum de Malaspinis, sed cum tam de jure, quam ex pacto expresso in ipsa minuta concordiæ opus esset Beneplacito Apostolico, exhibitoque Sanctissimo Domino Nostro supplici libello pro approbatione concordiæ, remissa fuerit a Sanctitate Sua negotii cognitio ad hanc Sac. Congregationem, hæc juxta morem deputavit unum ex Eminentissimis Cardinalibus, qui petitionem examinaret, & votum suum aperiret, & Cardinalis, qui ad id deputatus est, fuit Eminentissimus D. Card. Belluga.

Assumpta ab Eminentissimo D. accurata de more hujus Causæ cognitione, & bene perpensis juribus, seduloque rimatis scripturis ipsi exhibitis, prolatum ab ipso fuit suffragium per manus circumferendum, in quo sensit, attento juris rigore, concordiam confirmari non posse, sed ex æquitate, & indulgentia partibus concedi posse facultatem novam ineundi concordiam, aucto canone a scutis 25. ad scuta 42. impositoque Malaspinis onere expresse declarandi in concordia, proprietatem bonorum pertinuisse, & pertinere ad Abbatiam, & ulterius reficiendi Ecclesiam S. Gregorii modo destructam, erogando in dictam ædificationem fructus decursos, & ab Abbate prætensos usque ab initio, vel saltem a die motæ litis, concludendo, quod in hypothesi, in qua id partibus non placeret, relinquenda sit illis facultas litem prosequendi, & jura sua in judicio experiendi ex fundamentis in dicto accurato voto perlegendis.

Habita suffragii ab Eminentissimo Belluga prolati notitia ab illis de Malaspinis, eorum nomine emissa fuit in actis protestatio, in qua declararunt se nullatenus instare pro concessione Beneplaciti, sed velle sua jura in Rota experiri, sub obtentu potissimum, quod R. P. Passerinus Abbas approbationem Concordiæ revera non exoptat, allegatis nonnullis ad hoc assumptum comprobandum conjecturis, & signanter, quia curavit, negotium committi huic Sac. Congregationi, in qua ad tramites juris, & rigorose proceditur, & non alteri Episcoporum, & Regularium, in qua approbationes Concordiarum absque rigore, & tanto rationum pondere explentur; cumque adversus hæc Abbas opponat, Concordiam fuisse initam in executionem rescripti Rotalis, fuisse ab utroque Procuratore subscriptam, ejus examen a Sanctitate sua fuisse remissum ad hanc Sac. Congregationem, & se, antequam iterum redeat ad judicium, scire velle, an Concordia sit approbanda, & quis sit hujus Sac. Congregationis sensus; disputandum idcirco proponitur dubium super confirmatione, vel infirmatione Concordiæ.

Et retento quidem themate, quod in Concordia per Rotam

Rotam demandata solum Canonis augmentum ad annua scuta 25. factum est, nec aliquid aliud, licet minimum, fuit Abbatiæ concessum, *fiat omnino Concordia aucto Canone ad annua scuta* 25. *in reliquis nihil*, multa sunt in Concordia, quæ fuerunt omissa, & quæ non videbantur omittenda, & ea, quæ in Concordia statuta sunt, alio modo statuenda videbantur, juxta sensum Eminentissimi Bellugæ in puncto Juris, propter quæ hæc Sacra Congregatio ab ejus approbatione abstinere teneatur.

Ad primam classem, hoc est ad ea, quæ fuerunt omissa, licet omittenda non viderentur, pertinet, quod nulla provisio capta est super canonizatione veri, & directi dominii bonorum favore Ecclesiæ Sancti Eutizii; cum etenim dominium fuerit a Malaspinis in controversiam deductum sub obtentu appodiationis, non poterat hic articulus relinqui in suspenso, sed in Concordia, cessante ex facto fundamento ipso appodiationis, erant Malaspinæ adigendi ad recognoscendam Ecclesiam in Dominam directam bonorum. Rursus ex investitura saltem anni 1561. habetur, quod in fundo emphytheutico erat Ecclesia S. Gregorii; cumque hæc hodie non adsit, imponendum videbatur emphytheutis onus eam reædificandi, alias terminata investitura, Abbas bona recipiet sine Ecclesia. Additur, quod favore Abbatis in Concordia nulla fit reservatio Laudemii, non obstante, quod vigore Concordiæ adstringatur ad novum emphytheutam recognoscendum, & approbandum, ex qua approbatione Laudemium causam habet, nec ejusdem Abbatis favore aliquid in Concordia decernitur, in ordine ad fructus, quos emphytheutæ perceperunt dependenter ab investitura, quæ ut infra, nullitate laborare dicenda est; speciale est quippe in alienatione rei Ecclesiasticæ nulliter peracta, quod Possessor teneatur ad fructuum restitutionem, non solum a die motæ litis, sed ab ipsa die, qua fuit contractus celebratus, uti probat *Text. in cap. Si quis de reb. Eccles. non alienandis*, & late prosequuntur *Corrad. in praxi dispensat. lib.* 9. *cap.* 11. *num.* 13. §. *Ex quibus, & §. Sicut, Galles. ad Constitut. Urbani Octavi num.* 138. *Ventrigl. in prax. rerum Eccles. tom.* 1. *annotat.* 1. §. 4. *num.* 6. *Card. de Luca de alienat. disc.* 1. *num.* 105.

Ad alteram vero classem, eorum scilicet, quæ in Concordia statuta sunt, & aliio modo statui debebant, refertur Canonis augmentum ad sola scuta 25. bona quippe sunt in magna dimensione rubrorum 11. Terreni, & eorum valor tempore præsenti juxta æstimationem Peritorum Civitatis Asculi relatam occasione Catastri, confecti anno 1703. est in scutis 2240. in quo rerum themate, sicuti habita ratione Taxæ legalis quatuor pro centenario, annui fructus ascendunt ad scuta 88. sic augmentum Canonis ad sola scuta 25. rite, & recte non videtur fuisse in Concordia statutum, cum in emphytheusi Ecclesiastica, & præsertim non perpetua, sed prout hic temporali, ratione evidentis utilitatis, quæ in ipsa requiritur, annuus Canon debeat æquivalere fructibus, qui ex fundo emphytheutico antea percipi solebant. *Gabriel consil.* 84. *num.* 12. *lib.* 2. *Ciarlin. controvers. tom.* 1. *cap.* 8. *num.* 52. *Marescot. variar. lib.* 2. *cap.* 76. *num.* 28. *Cardinal. de Luca de Emphytheusi discurs.* 36. *sub num.* 6. *Panimoll. decis.* 132. *num.* 10. *tom.* 2.

Haud urgente, quod hucusque deducta locum bene sibi vindicare possent, si non intercessisset dubius litis eventus; unicus siquidem litis punctus consistebat in videndo, an valida fuisset investitura concessa a Cardinali Polo *anno* 1646. & ejus nullitas strenue propugnabatur ab Abbate, tum ex defectu Beneplaciti Apostolici de jure, & ex pacto necessarii, tum ex defectu utilitatis juxta ea, quæ in superioribus modo dicta sunt, & demum, ex quo concessio facta a Cardinali fuerat præventiva, & abusiva; concessio etenim facta fuit *anno* 1646. & Cardinalis mortuus est *anno* 1653. & ultimus ex comprehensis in prima investitura *anni* 1561. mortuus est *anno* 1696. cum a jure permissum non sit Prælato, seu Rectori prævenire investituræ renovationem, & sic successorem supplantare *Turricell. de reb. Ecclesiæ non alienandis cap.* 23. *num.* 6. *& 7. Caldas de renov. Emphyteut. lib.* 1. *quæst.* 20. *num.* 4. *Coccin. decis.* 2254. *Cerr. decis.* 408. *num.* 7.

Absque eo quod fundamenta hæc evitari potuerint, vel quia agebatur de bonis locari consuetis, in quo rerum statu Beneplacitum Apostolicum non requirebatur, vel quia plura in bonis facta fuerant melioramenta, ex quibus utilitas desumi valeat, aut demum, quia, si Franciscus, qui a Cardinali Polo petiit renovationem, tacite renuntiavit priori investituræ, ut faceret locum secundæ, cessare dicendum est objectum præventivæ, & abusivæ concessionis; in eo etenim, quod attinet ad solitum, illud excludebatur ab Abbate, cum ad solitum inducendum, aut una præcedens solemnis investitura, mediante expresso Beneplacito Apostolico, sit necessaria, aut saltem duæ minus solemnes requirantur pacifice observatæ per spatium annorum quadraginta, ut in *decis.* 2. *num.* 9. *coram Benincasa*, itaut de binis investituris constare debeat per distincta, & separata instrumenta, & binæ concessiones comprehendere debeant ipsissima omnino bona, *Pacion. de locat. cap.* 14. §. 4. *num.* 9. *& num.* 11. *Turricel. de reb. Eccles. non alien. cap.* 15. §. 2. *num.* 46. *Rota decis.* 36. *num.* 9. *par.* 7. *recent.* & in eo, quod spectat ad bonorum meliorationem, Abbas contendebat, non esse de illa habendam ullam considerationem, cum utilitas debeat esse de tempore contractus, & melioramenta, si facta sunt, facta fuerint triginta post annos a die renovationis concessæ a Cardinali Polo; cumque in mox memorata renovatione habeantur hæc verba, *tunc, & per quando secutus fuerit obitus dicti Francisci, & non prius, & non alias*, concludebat Abbas, Franciscum voluisse explere renovationem in sui persona, itaut de supplantatione non sit dubitandum; ad eam enim evitandam opus est, ut accedat expressus primi investiti consensus circa se tollendum de medio per viam renunciationis, & quod novus investitus possessionem capiat rei Emphyteuticæ, vivente ipso Prælato concedente, *Textus in cap.* 1. *qui success. feud. dare tenentur*, & prosequuntur *Spada consil.* 51. *lib.* 1. *Marescot. variar. lib.* 1. *cap.* 10. *num.* 14. *Layath in Theat. feud. par.* 4. *dilucid.* 16. *tom.* 1. *num.* 10. *Tondut. quæst. Benefic. cap.* 119. *num.* 6. *& 7. Gob. de permissa feudi alienat. quæst.* 10. *num.* 37.

Alia plura legi possunt in fundatissimo suffragio Eminentissimi Bellugæ, unde quæritur

An sit locus confirmationi Concordiæ in casu &c.

Sacra Congr. die 24. Aprilis 1723. respondit,
Negative.

QUÆSTIO CCCXV.

In Causa Cerviensis Legatorum, die 6. *Martii* 1723.

EQUES Joannes Stephanus Guazzi, in ultimo, cum quo decessit Testamento *anno* 1700. hæredem sibi scripsit Dominicum Hieronymum nepotem, & inter cætera in eodem Testamento sic disposuit: *item jure legati intendo, e voglio ogni anno, che il mio Erede in perpetuo faccia celebrare Messe tre la settimana per l'anima mia, e miei morti, cioè il Mercodì, Venerdì, e Sabato, dalli Reverendi Padri di S. Agostino al mio Altare, e dargli un paolo per ogni Sacrificio, e non volendo, e non potendo supplire li suddetti Padri presenti, o pro tempore, prego il Reverendissimo Capitolo presente, o pro tempore far soddisfare, e per suo comodo all'Altare di S. Rogato, Altare privilegiato il Lunedì.*

Hæres satisfecit legatis, & legata fuerunt adimpleta in Ecclesia S. Augustini, sed secuta translatione Civitatis Cerviæ propter aeris insalubritatem a loco, in quo erat, ad locum Mari viciniorem, habitaque a Patribus facultate antiquum Conventum una cum Ecclesia destruendi, novumque Conventum, & novam Ecclesiam ædificandi in nova Cerviæ Civitate, quæstio exorta est inter Dominicum Hieronymum Joannis Testatoris hæredem, & prædictos Religiosos, contendente illo Missas esse celebrandas in Cathedrali, & in Altari Sancti Rogati, ex quo factus est casus, quod Patres non possunt Missas celebrare in Altari a Testatore designato, & contendentibus e contra Patribus, Missas in sua nova Ecclesia esse celebrandas, cum hæc sit subrogata loco alterius, & translatio Conventus, & Ecclesiæ de loco ad locum, non ex voluntate, sed ex necessitate facta sit, & Animæ suffragium, quod præcipue volitum censeri debet a Disponente, æque habeatur, sive Missæ in una Ecclesia, sive in alia celebrentur, juxta *magistralem decis.* 1149. *coram Seraphino.*

Actum fuit de hac controversia in Congregatione habita *die* 18. *Maii* 1715. & in subsequenti habita *die prima Junii*, nec ulla fuit capta resolutio; cumque in præsenti Partes instent pro resolutione, & jura hinc inde circumferantur, quæritur

An Missæ tres hebdomadales, de quibus agitur, sint celebran-

brandæ in Oratorio Patrum S. Augustini, vel potius in Ecclesia Cathedrali in casu &c.

Sacra Congr. die 24. Aprilis 1723. respondit,
Missas esse celebrandas in Ecclesia PP., & non in Ecclesia Cathedrali, & amplius.

QUÆSTIO CCCXVI.

In Causa Hortana Decimarum, die 6. Martii 1723.

EPiscopus Gozzadinus *anno 1626.* erexit in Territorio Hortano duas Parochias, alteram sub titulo S. Laurentii, alteram sub titulo S. Joseph, *cum honoribus*, sunt verba Instrumenti, *& oneribus solitis, & consuetis, & præsertim Sacramenta habitatoribus a Parocho administrandi, Missam diebus Festivis celebrandi, aliaque faciendi, prout quilibet Parochus facere tenetur, & cum recognitione, & solutione annuali Tinotiæ unius grani tempore recollectionis a quolibet jugum bobum habente, aliaque de jure debita, & consueta, juxta consuetudinem aliarum Terrarum Diœcesis, & aliarum viciniorum.*

Conquerente Parocho S. Joseph, quod Parochiani solutionem detrectabant, Sacra Congregatio, audito Episcopo, *die 13. Februarii 1683. & 19. Augusti 1684.* rescripsit, ut renuentes compelleret.

Non obstantibus hisce rescriptis, quidam Bernardinus filius Dominici Mercurii prætensionem excitavit, asserendo se non teneri ad dictam præstationem frumenti, quia licet conduxisset agrum situm in Parochia S. Joseph, & illum coleret statis temporibus cum uno bobum jugo, habitabat tamen extra Parochiam S. Joseph in Territorio Bassani, & sic in alia Parochia, in qua habitabat, recipiebat Sacramenta, in ea sua habitatione detinebat boves, quos lucescente Sole ad agrum ducebat.

Pro definitione hujus controversiæ opus fuit assumere inspectionem, an Decima esset Prædialis; in celebri etenim apud antiquos controversia, cuinam Parocho debeatur Decima Prædialis, quando Prædium situm est in Parochia unius Diœcesis, & illius Dominus habitat in Parochia alterius Diœcesis; in qua controversia Alexander Tertius censuit pro illius decisione recurrendum esse ad consuetudinem, uti habetur in *cap. cum sint homines de Decimis*, invaluit opinio, quod Decimæ Prædiales debeantur Parocho loci, in qua sita sunt Prædia, quando non adest consuetudo in contrarium, *Gonzal. in cap. cum sint homines vers. Decimæ vero Prædiales tit. de Decimis, Rota decis. 27. num. 16. par. 14. recent.* At excipiente Bernardino Decimam injunctam ab Episcopo Gozzadino, habendam esse uti Decimam Sacramentalem vel mixtam, & in Territorio Hortano vigere consuetudinem non solvendi Decimas Prædiales, Sacra Congregatio *die 22. Septembris 1685.* distulit resolutionem, & dixit, quod videretur de consuetudine Regionis, & an Decima, de qua agebatur, esset Prædialis, vel personalis.

In executionem hujus rescripti exhibitæ fuerunt a Parocho attestationes super consuetudine Regionis, & probationes, quod Decima esset Prædialis, quocirca Sacra Congregatio *die 25. Septembris 1694.* fuit in sensu, quod nonnulli habitatores de Terra Bassani, qui non habitabant in Parochia S. Joseph, licet in ea haberent bona, & illa colerent cum uno bobum jugo, tenerentur ad frumenti præstationem; cumque hæc resolutio emanasset Parocho tantum informante, & obtenta fuisset a succumbentibus nova audientia, disputatumque fuisset dubium, *an esset standum, vel recedendum a decisis*, Sacra Congregatio *die 16. Aprilis 1695.* censuit, non retardata solutione Decimarum favore Parochi S. Joseph, coadjuvandas esse probationes super consuetudine coram Episcopo, auditis etiam Parochis Bassani, & recurrente Communitate Bassani pro nova audientia, vel pro modificatione clausulæ appositæ in præcedenti decreto *non retardata*, Sac. Congregatio *die 30. Aprilis 1695.* concessit novam audientiam, sed non retardata executione decreti; cumque hodie negotium principale reassumatur ex juribus circumferendis.

Quæritur itaque

An Decimæ debeantur in casu, & an sit standum, vel recedendum a decisis die 25. Septembris 1694.

Sacra Congr. die 10. Aprilis 1723. respondit,
Dilata, & extrahantur partitæ citata parte, & examinentur Testes formiter, ac scribatur Episcopo juxta instructionem.

QUÆSTIO CCCXVII.

In Causa Cænetensi, die 10. Aprilis 1723.

JAcobus Garza Laicus Cæneten., & in Civitate Venetiarum a duodecim annis commorans, carnaliter cognovit Mariam Mioli, incussisque sibi vi, & metu ab ejus fratre germano Matrimonium per verba de præsenti coram Parocho, & Testibus, prætermissis de licentia Ordinarii denunciationibus, cum eadem contraxit.

Mortua Maria, Jacobus judicium introduxit in Curia Cæneten. pro declaratione nullitatis dicti Matrimonii, cumque Judex articulos rejecerit, & remissoriam denegaverit pro Testibus super metu interrogandis petitam, habito recursu ad sanctæ mem. Clementem XI. fuit a Sanctitate sua expeditum solitum Breve commissionis directum Episcopis Bellunen., & Sebenicen., & Turcellen., eorumque Vicariis, ut alter ipsorum de causa cognosceret, & in ea pronunciaret.

Assumpta fuit a Vicario Generali Episcopi Turcellen. hujusce causæ cognitio, idemque in contradictorio judicio, & auditis Collitigantium rationibus, hoc est, tam Jacobi, qui instabat pro nullitate Matrimonii, quam Philippi fratris Mariæ, qui metum incussisse dicebatur, sententiam definitivam protulit, & in ea declaravit, Matrimonium contractum *die 2. Maii 1704.* inter Jacobum, & Mariam fuisse ab initio nullum ex defectu liberi consensus, & nullum, & invalidum propter vim, & metum cadentem in constantem virum, & hoc ad quoscumque juris effectus.

Non fuit appellatio interposita a mox memorata sententia, cumque subinde Jacobus vesana libidine victus absque tamen spe facilius obtinendi dispensationem, carnaliter cognoverit Paulinam sororem Mariæ primæ Uxoris, & ne eadem innupta, & diffamata remaneat, velit cum ipsa Matrimonium contrahere, & hac de causa recursum habuerit ad Summum Pontificem pro obtinenda dispensatione cum absolutione a censuris, & pœnis incursis, & per organum Datariæ preces remissæ fuerint ad hanc Sac. Congregationem, nec ullus sit, qui pro miserabilibus Oratoribus scribat; pauperes etenim sunt, operæ pretium esse censui nonnulla ad materiam hic adnotare, uti Eminentissimi Patres suum facilius præstare valeant Summo Pontifici consilium pro concedenda, vel deneganda dispensatione.

Si legitimum in sui initio fuisset Matrimonium inter Jacobum, & Mariam, vel quatenus a principio legitimum non fuisset, ex actibus nihilominus subsequentibus de ejus revalidatione dubitari non posset; obstaret Oratoribus *Textus Concilii in cap. 5. sess. 24. de reform. Matrim.* ubi in fortioribus dicitur, *in secundo gradu numquam dispensetur, nisi inter Magnos Principes, & ob publicam causam*; hic etenim Conciliaris Textus ex declaratione S. Pii V. intelligitur de gradibus affinitatis, & consanguinitatis, uti habetur apud *Gallemart n. 8.* dummodo tamen consanguinitas, vel affinitas orta sit ex legitimo matrimonio, uti prosequitur *Barbos. ad eundem Textum num. 27.*

Ut autem dignoscatur, an Matrimonium a principio legitimum fuerit, vel ex actibus subsequentibus remanserit convalidatum, ex copula videlicet, & cohabitatione, plura essent scitu necessaria, an metus videlicet fuerit gravis, & cadens in constantem virum, an fuerit justus, & demum, an impedimentum a dicto metu procedens fuerit publicum; metus etenim non cadens in constantem virum, & metus ulterius, qui justus est, Matrimonium non inficiunt, juxta late deducta per *Sanchez de Matrimon. lib. 4. disput. 13. num. 3.* & quando metus fuisset occultus, inferri posset ad Matrimonii revalidationem, per copulam animo maritali habitam, cum ad Matrimonii revalidationem sufficiat signum consensus ab eo præstiti, qui metum passus est, nec oporteat, quod ex parte alterius detur de novo consensus, dummodo prior non fuerit retractatus, uti concordantibus allegatis late prosequuntur *Salmanticenses in cursu Theolog. Moral. tom. 2. tract. 9. de matrimon. cap. 9. punct. 4. numer. 57.*

Exclusa necessitate renovandi consensum ad formam Concilii coram Parocho & Testibus, quia quando impedimentum est occultum, & in Matrimonio licet nulliter a principio contracto servata est forma Concilii, non est opus pro revalidatione iterum contrahere, repetitis solemnitatibus, alias rite adhibitis in primo contractu, *Fagnan. in cap. is qui fidem num. 14. de spons. & matrim. Zerola in praxi in verbo dispensatio §. Quintum dubium, Salmanticen-*

censes citato tractatu cap. 3. punct. 5. num. 12. & seqq.

Et dubitantibus Rotæ Auditoribus de veritate hujus Conclusionis, Cardinalis Carafa olim meritissimus hujus Sac. Congregationis Præfectus ad se vocare fecit Dominos Seraphinum, & Comitulum Rotæ Auditores, eisque ostendit Sacræ Congregationis resolutionem innixam stylo Sacræ Pœnitentiariæ, & sic declarationi S. Pii V. de qua apud *Navar. consil. de Sponsal.* & ab inde citra Rotæ Auditorium pro revalidatione Matrimonii, si impedimentum fuerit occultum, & in primo contractu servata fuerit forma Concilii, renovationem consensus coram Parocho, & Testibus necessariam esse non existimaverit, uti habetur *in decis. 900. coram Seraphino, in decis. 395. num. 1. coram Ludovis. in decis. 405. num. 19. & seqq. par. 18. recent. & in Spalaten. Nullitatis Matrimonii 3. Martii 1653. cor. bon. mem. Albergato.*

At quatenus procedendum sit cum facti expositione, vel cum præsumptione militante pro sententia super nullitate Matrimonii, & a tempore sententiæ valeat illatio ad tempus contracti Matrimonii, itaut, sicuti metus tempore sententiæ erat publicus, sic præsumi debeat, quod talis fuerit tempore, quo Matrimonium initum est, in quo rerum themate Matrimonium pro nullo habendum esset, cum illud Matrimonium nullum sit, quod contractum est propter metum a consanguineis Stupratæ incussum Stupratori, cum fuerit justus, sed juste non fuerit incussus, uti probat *Textus in cap. veniens 15. de sponsal. & matrim.* & late prosequitur *Pirhing ad dictum titulum sect. 4. §. 2. num. 102.* nec ex copula, & aliis actibus subsequentibus revalidatum dici posset, deficiente videlicet novi præstatione consensus coram Parocho, & Testibus juxta resolutionem hujus Sac. Congregationis *in Hispalen. 20. Junii 1609. lib. 11. decret. fol. 58. a tergo*, ibi: *Sacra &c. sæpius respondit hodie post Tridentinum Concilium Matrimonium metu contractum, & purgato metu per cohabitationem cum carnali copula, aliosque actus non convalidari, nisi iterum contrahatur, adhibita rursus ejusdem Concilii forma*, & juxta aliam resolutionem *in Constantinopolitana 2. Decembr. 1634. & 16. Decembr. ejusdem anni*, uti habetur *lib. 15. decret. fol. 130. a tergo, & 140. pariter a tergo*, præsens inspectio reduceretur ad dispensationem super impedimento primi gradus affinitatis ex copula illicita in linea collaterali, cui obstat dispositio *Sacri Concilii sess. 24. cap. 4. de reform.* ubi statuitur impedimentum proveniens ab affinitate contracta ex fornicatione, & sic a quocumque illicito concubitu, uti fuse explicat *Sanchez de Matrim. lib. 7. disp. 67. num. 6.* dirimere Matrimonium, sed restringi ad eos tantum, qui in primo, & secundo gradu conjunguntur, ita ut quoad alios Matrimonium nedum sit validum, sed licitum, juxta *Bullam 14. Sancti Pii V. in tertia declaratione Bullar. tom. 2.* Reduceretur ulterius controversia ad videndum, an obstet impedimentum publicæ honestatis; ex uno etenim capite adesse videtur hoc impedimentum, cum Matrimonium, licet nullum ex defectu consensus, per aliquod tamen temporis spatium fuerit saltem in implicito statu validitatis in foro exteriori juxta deducta per *Sanchez l. citato disput. 68. n. 14.* & ex alia parte non adesse videtur dictum impedimentum, cum illud non inducatur ex Matrimonio nullo ex defectu consensus, juxta *Textum in cap. unico, ibique Passerin. num. 10. de sponsalibus in sexto* non obstante, quod Matrimonium fuerit habitum pro valido per aliquod temporis spatium in foro exteriori, uti late prosequuntur *Salmanticenses citato tom. 2. tractat. 9. cap. 12. puncto 7. num. 84. & 85.* & multo magis, quando prout hic, Matrimonium fuit nullum declaratum propter vim, & metum; in hoc quippe rerum statu cessasse videtur indecentia, ex qua ortum ducit impedimentum publicæ honestatis, juxta *Textum in cap. juvenis de sponsalibus*; cumque ad effectum dispensandi, aut super primo, aut super utroque impedimento, sequentes causæ allegentur, diffamatio videlicet Paulinæ stupratæ, periculum, quod eadem innupta remaneat, nec non aliorum malorum, quæ verisimiliter sequi possint, quæritur.

An sit Sanctiss. Domino Nostro consilium præstandum pro dispensatione in casu &c.

Sacra Congr. die 24. Aprilis 1723. respondit,
Negative.

QUÆSTIO CCCXVIII.

In Causa Majoricensi Sponsalium, die 10. Aprilis 1723.

VIcarius Generalis Majoricen. sententiam protulit, in qua declaravit condemnandam fore, & esse Antoniam Mariam Massanes ad contrahendum de præsenti Matrimonium in facie Ecclesiæ cum Medico Mathia Roig, sed interposita appellatione a prædicta sententia, Causa devoluta est ad hanc Sacram Congregationem, in qua duo consueta dubia proponuntur, alterum videlicet, an constet de sponsalibus, & alterum, an sit locus coactioni.

Quidquid autem sit de sponsalibus, Scribens pro Antonia contendit, non esse locum coactioni, tum quia agitur de Puella annorum 18. tum quia eadem fugam arripuit a domo paterna, associante Roig, itaut magna suspicio sit deceptionis.

Adduntur causæ a sponsalibus recedendi, & signanter odium superventum inter Antoniam, & Mathiam, & quod juxta leges Regni, contrahentes sponsalia, seu Matrimonium absque consensu Parentum, ultra alias pœnas corporales possunt exhæredari, & quamvis consimilia statuta, utpote impeditiva libertatis Matrimonii, sint invalida, ex eis tamen consurgit justa causa a sponsalibus recedendi, juxta *decis. 401. num. 8. coram Penia, decis. 1258. num. 2. coram Seraphino, decis. 447. num. 2. decis. 468. num. 1. coram Cavalerio.*

His stantibus, quæritur,

I. An constet de sponsalibus inter Antoniam Massanes, & Mathiam Roig, & quatenus affirmative.

II. An sit locus coactioni in casu &c.

Sacra Congr. die 24. Aprilis 1723. respondit
Ad primum affirmative. Ad secundum negative, sed esse monendam, & amplius.

QUÆSTIO CCCXIX.

In Causa Neapolitana Restitutionis in integrum, die 10. Aprilis 1723.

PHilippus Janninus habitum Religionis Scholarum Piarum suscepit *die 12. Novembris anno 1712.* assumpto nomine Patris Salvatoris a Sancta Anna, & Professionem Regularem emisit *die 8. Aprilis 1714.*

Adversus Professionem idem modo petit restitutionem in integrum, sub obtentu, quod natus erat *die 3. Julii anno 1698.* & non *die 3. Julii anno 1696.* prout suppositum fuit tempore, quo professionem emisit.

Quod autem memoratus Pater Salvator natus esset *die 3. Julii 1698.* comprobatur ex fide Baptismatis extracta servatis servandis, & citato Promotore Fiscali Curiæ Archiepiscopalis, extracta, inquam, ex libris Baptismatum Ecclesiæ Parochialis, in qua idem baptizatus fuit, & concordant Testes examinati super tempore nativitatis ipsius.

Quod pariter idem natus non esset *die 3. Julii 1696.* uti suppositum fuit tempore, quo professionem emisit, nedum colligitur ex his, quæ modo dicta sunt, sed etiam ex Peritis judicialiter a Curia Archiepiscopali electis, qui, recognita fide Baptismatis exhibita Superiori Religionis, concludunt ejus falsificationem per reductionem numeri 8. ad num. 6. & hæc falsificatio adscribitur Jacobo fratri Uterino Patris Salvatoris exoptanti bonorum renunciationem ex ingressu in Religionem.

Notissimæ sunt juris conclusiones in hac materia, quod videlicet professio emissa ante decimum sextum annum completum sit nulla, juxta *cap. 15. sess. 25. de Regul. & Monial.* quod nec tacita professio, nec præcedentis ratificatio induci possunt ex actibus subsequenter gestis, si adfuerit ignorantia nullitatis professionis, juxta deducta in his terminis *in decis. 952. & in decis. 983. coram Emerix juniore*, quod denique totus punctus consistit in examinando, an ignorantia veræ ætatis, tam tempore professionis, quam tempore subsequenti usque ad reclamationem sit, nec ne verisimilis, uti prosequitur *Rota in citata decis. 952. sub num. 23.* adeoque cum in alia Causa Viennen. Nullitatis Professionis, quæ fuit proposita *die 25. Januarii, & die 8. Februarii, & die 13. Septembris 1721.* probata fuisset emissio professionis ante annum decimum sextum, & ignorantia nullitatis professionis, seu veræ ætatis fuisset allegata, Sacra nihilominus hæc Congregatio censuit non esse locum restitutioni in integrum, sub obtentu, quod ignorantia esset inve-

inverisimilis, & sic quod tacita professio esset inducta ex actibus gestis post expressam professionem, licet nullam.

His stantibus, quæritur

An sit locus restitutioni in integrum in casu &c.

Sacra Congr. respondit,
Affirmative.

QUÆSTIO CCCXX.

In Causa Veliternæ Taxæ Seminarii, die 24. Aprilis 1723.

CUM Eminentissimus D. Cardinalis Tanarius Sacri Collegii Decanus possessionem cœpisset Episcopatus Veliternensis, & Seminarium in statu vere deplorabili invenisset, ut oneri sibi imposito a Sacro Concilio Tridentino satisfaceret, animum adjecit ad ejus reparationem, tam augendo numerum Alumnorum, Professorum, & Præfectorum, quam curriculum studiorum instituendo, ad effectum, ut Alumni, qui ab eo exire non debent, nisi Sacerdotali charactere insigniti, tempore exitus in eo gradu reperiantur, ut Diœcesi in obeundis Sacerdotalibus Ministeriis utiles esse possint, & quia hæc præstari non poterant cum propriis Seminarii reditibus, Eminentia Sua ad Taxam devenit Beneficiorum, & Locorum Piorum Civitatis, & Diœcesis ad rationem trium pro quolibet centenario, & anno, non exempta a solutione Mensa sua Episcopali, quam taxavit in annuis scutis nonaginta, & sic in summa fere adæquante medietatem Taxæ, quæ ascendit ad annua scuta 200.

Collegium S. Bonaventuræ Ordinis Minorum Conventualium S. Francisci Urbis, cui a Sixto Papa Quinto unitum fuit simplex Beneficium sub invocatione Conceptionis, seu Nativitatis B. Mariæ Virginis in Cathedrali Veliterna erectum, prætensionem excitavit exemptionis a dictæ Taxæ solutione, cumque huic prætensioni Promotor Fiscalis Curiæ Episcopalis se opposuerit, ambarum Partium consensu controversiæ decisio remissa fuit ad hanc Sacram Congregationem.

Fundamenta Collegii pro exemptione referre non possum, cum pluries insteterim pro communicatione scripturæ, & usque adhuc obtinere non potuerim; quocirca sermonem habendo de fundamentis Mensæ Episcopalis, eadem consistunt in dispositione Sacri Concilii Tridentini *sess. 23. cap. 18. de reform.*, in quo Beneficia, Monasteria, Hospitalia, & alii quicumque Loci Pii licet exempti subduntur Taxæ Seminarii.

Nec Promotor Fiscalis putat, sibi obesse quod Mendicantes sint a dicta solutione exempti, uti habetur *in citato capitulo*; quandoquidem exemptio Mendicantium a contributione Seminarii non prodest pro Beneficiis, quæ Mendicantibus unita sunt, licet in eorum Monasteriis habeantur lectiones Grammaticæ, & Casuum Conscientiæ, uti ex sensu hujus Sacræ Congregationis bene ponderat *Gallemart ad d. cap. 18. num. 25.* & late prosequitur *Ventrigl. in praxi rerum Eccles. par. 2. annot. 29. §. unico num. 35.*

Consimilis generis Promotor Fiscalis putat esse objectum centenariæ libertatis a solutione Taxæ, cum stricte videndum sit, non quid ante Taxam, quæ anno præterito publicata est, gestum fuerit, sed an Collegium Sancti Bonaventuræ, cui Beneficium unitum fuit, jus habeat se eximendi a solutione, licet Taxa anno tantum præterito facta sit; unde videmus, quod facta Beneficiorum, & Capitulorum Taxa pro Seminario Romano a Pio Papa Quarto, Summus Pontifex Urbanus Octavus decrevit, quod si aliqua ex Beneficiis unita subinde fuissent alicui Capitulo, Capitulum a die unionis teneretur solvere Taxam Seminario Romano, uti habetur in ejus *Constitutione 134. §. 8. Bull. tom. 5.*

Denique sæpe memoratus Promotor ait, non posse Collegio suffragari exceptionem, de qua in sæpe citato *c. 18.* ubi eximuntur *Seminaria discentium, vel docentium ad commune Ecclesiæ bonum promovendum*, quasi quod inter hæc sit enumerandum Collegium S. Bonaventuræ; vel quia hoc intelligitur de bonis propriis Collegii, non de Beneficiis Collegio unitis, quæque idcirco in illud cum suo onere transire debent; vel quia hoc procedit in Seminariis in ipsa Diœcesi erectis, allato exemplo Collegii Romani, quod ex fructibus Abbatiæ Clarevallis sibi unitæ, ex resolutione hujus Sacræ Congregationis solvit Taxam Seminario Camerini.

Addi posset, quod allata verba Concilii Tridentini respiciunt *Collegia Secularia, non Regularia*, uti ex sensu hujus Sac. Congregationis ponderat *Gallemart ad d. cap. 18. num. 19.* Item cum a san. mem. Clemente Octavo fundatum fuisset, & erectum in Urbe Collegium Clementinum, & eidem facta fuisset unio Prioratus S. Ægidii Diœcesis Civitatis Castelli, exorta est dubitatio, an Collegium teneretur contribuere Seminario dictæ Civitatis, & negative responsum fuit *die 26. Februarii 1639.*, sed ratione specialis privilegii Clementis Octavi, uti habetur *lib. 16. decret. fol. 152. a tergo* ibi: *Sac. &c. censuit, Collegium Clementinum ex privilegio per san. mem. Clementem Octavum eidem concesso exemptum esse a contributione Seminarii ratione bonorum Prioratus S. Ægidii Diœcesis Civitatis Castelli;* Clemens etenim Octavus Collegium exemerat *etiam a contributionibus a Sac. Concilio Tridentino præfixis;* uti habetur in Bullario PP. Somaschensium *pag. 82.* quæ exemptio in Bulla Sixti V. respectu Collegii S. Bonaventuræ non fuit apposita; quo stante remanet decernendum,

An Beneficium Beatissimæ Virginis erectum in Cathedrali Ecclesia Veliterna, ac per Sixtum V. unitum Collegio S. Bonaventuræ Urbis, sit subjectum Taxæ favore Seminarii in casu &c.

Sacra Congr. respondit,
Affirmative.

QUÆSTIO CCCXXI.

In Causa Sorana Funerum, die 24. Aprilis 1723.

PATRES Carmelitæ Terræ S. Donati Diœcesis Soranæ prætendunt, Flaminium Marinum sepulturam elegisse in sua Ecclesia, & hoc minime obstante ejus Cadaver fuisse sepultum in Ecclesia Matrici ejusdem Terræ, & cohærenter ad hanc electionem petunt exhumationem cadaveris, ejus restitutionem, & alia quæcunque emolumenta ad Ecclesiam tumulantem spectantia; licet enim exhumatio, & restitutio Cadaverum non ita de facili fiant, id tamen non procedit, quando Pars, prout hic, instat formiter pro restitutione, juxta *Textum in cap. Animarum de sepult. in sexto*, ibi *ad restitutionem tam sepultorum corporum, si petantur, quam etiam omnium, quæ occasione sepulturæ illorum pervenerint quomodolibet ad eosdem infra decennium integraliter facienda, ipsos obligatos esse censemus*, & multo magis, quia instantibus iisdem Patribus, repositum fuit Cadaver in vim decreti provisionalis in capsa separata, itaut restitutio quatenus de jure competat, facili negotio valeat expleri.

Redacta itaque difficultate ad electionem sepulturæ in Ecclesia Patrum, eadem desumitur ex dictis quatuor Testium formiter examinatorum, inter quos unus est Sacerdotali charactere insignitus, quando ad rem, de qua agitur, duo Testes sufficiunt juxta resolutionem Sac. Congregationis in *Neapolitana Electionis Sepulturæ 13. Februarii 1666. lib. 25. decret. pag. 29. a terg.* Et quia adversus dictorum Testium testimonia, nonnulla opponuntur, præter responsiones unicuique datas oppositioni, quæ videri possunt in scriptura Patrum, iidem addunt aliorum Testium dicta ad perpetuam. Afferunt attestationes, quod Presbyteri Matricis Ecclesiæ, occasione funeris, dixerunt se in sua Ecclesia velle facere functiones super Cadavere, sed illud deinde Patribus velle restituere. Ponderant præterea, quod Flaminius, de cujus Cadavere est controversia, & Franciscus ejus Pater propriis sumptibus erexerunt Altare in Ecclesia Carmelitarum, & & quod Franciscus, qui pendente lite mortuus est, in eadem Ecclesia habuit sepulturam.

Jura circumferuntur, unde quæritur

I. *An constet de electione Sepulturæ facta per Flaminium Marini in Ecclesia PP. Carmelitarum, & quatenus affirmative.*

II. *An sit locus exhumationi, & restitutioni cadaveris, & emolumenta ad Ecclesiam tumulantem spectantia sint restituenda in casu &c.*

Sacra Congr. respondit,
Ad Primum, & Secundum affirmative in casu &c., & amplius.

QUÆSTIO CCCXXII.

In Causa Firmana Matrimonii, die 24. Aprilis 1723.

BARTHOLOMÆUS Cordella e Civitate Firmi cupiens matrimonium contrahere cum Clara Paradisi e Civitate Mon-

tis Alti devenit ad subscriptionem Capitulorum Matrimonialium, quæ nedum ab ipso, sed etiam a Laurentio Patre Claræ subscripta fuerunt.

Deventum deinde fuit ad probationem status liberi utriusque sponsi, & subsequenter ad denuntiationes in Parochialibus Ecclesiis, & in eo, quod attinet ad Parochiam S. Zenonis Civitatis Firmi, quæ erat Parochia Bartholomæi, expletæ fuerunt omnes tres denuntiationes, & in eo, quod spectat ad Parochiam Montis Alti, sub qua Clara degebat, prima denuntiatio expleta fuit, sed ad alias deventum non est propter impedimentum, uti asseritur præstitum a Sebastiano Colombono fratre Episcopi Montis Alti, qui cupiebat eandem Claram ducere in Uxorem.

Laurentius Claræ Pater abhorrebat a nuptiis filiæ cum dicto Sebastiano, adeoque ut eam averteret a prædicto Matrimonio, quod exoptari dicebatur tam a Sebastiano, quam ab Episcopo ejus fratre, se transtulit una cum ipsa ad Montem Gibertum Diœcesis Firmanæ ea intentione, ut filia permaneret in domo Hieronymi Morigi sui Leviri, usquequo Matrimonium contraheret, etiamsi oporteret, quod in dicta domo quatuor annis permaneret, ad quem effectum Clara secum detulit omnia pro suo usu necessaria.

Accessus hic ad Montem Gibertum contigit mense Julii anni præteriti 1722., & Parochus Montis Giberti testatur, sibi fuisse a Hieronymo Morigio confidentialiter dictum, Claram in sua domo esse permansuram, usquequo Matrimonium contraxisset. Testatur idem Parochus suam Ecclesiam fuisse a Clara habitam tanquam propriam Parochiam, habitaque a se notitia sponsalium ab ipsa contractorum cum Bartholomæo, se fecisse eam examinare tam super Rudimentis Fidei, quam super sua vera voluntate.

Nonnulli menses elapsi sunt, absque eo quod aliquid fuerit gestum. At die 8. Novembris ejusdem anni cum Bartholomæus, & Clara ex improviso ad Ecclesiam accessissent coram Parocho, qui confessiones excipiebat, alta voce mutuum expresserunt consensum de Matrimonio, quod tunc contrahere intendebant, uti colligitur ex depositione trium Testium, qui dicto actui interfuerunt.

Post hæc consummatum fuit Matrimonium, cumque Promotor Fiscalis Curiæ Archiepiscopalis Firmanæ prætenderet, illud nullum fuisse, sub obtentu, quod fuerit contractum coram non proprio Parocho alterutrius ex Contrahentibus, vel ad minus illicitum fuisse, utpote contractum absque denunciationibus, & sic largo modo clandestinum, devoluta Causa ad hanc Sacram Congregationem, disputanda proponuntur bina Dubia ad calcem hujus Restrictus referenda.

Quoad punctum nullitatis nihil occurrit notatu dignum, cum in Congregatione habita *die 20. Februarii hujus ejusdem anni 1723.* occasione Causæ Cæsenaten., seu Forolivien. Matrimonii, deductæ fuerint omnes Theoricæ Doctorum, & Resolutiones hujus S. Congregationis circa Parochum, coram quo contrahendum est Matrimonium, ut illud sit validum, hoc tamen intercedente discrimine inter Causam Cæsenaten., & hanc, de qua nunc agitur, quod in prima alter ex Conjugibus instabat pro nullitate Matrimonii, & in hac tam Vir, quam fœmina instant pro validitate.

Quoad aliud vero punctum, Matrimonii largo modo clandestini, utpote contracti non servato Ritu Ecclesiæ, Bartholomæus, & Clara admittere videntur, se pœnitentiam salutarem mereri, exclusa quacunque pœna corporis afflictiva, & signanter, quia ipsorum intentio fuit præmittere denuntiationes, nisi interpositum fuisset impedimentum, juxta ea, quæ in superioribus dicta sunt; & quia in Constitutionibus Synodalibus imponitur pœna excommunicationis adversus consummantes Matrimonium, non præmissis denuntiationibus, respondetur, id non esse absolute statutum, sed quatenus Parochus Conjuges *admonuerit*, ne ad consummationem deveniant, quæ *admonitio* non fuit facta a Parocho Montis Giberti, ut ipse testatur.

Quocirca, his stantibus, quæritur,

I. *An constet de validitate Matrimonii in casu &c. & quatenus affirmative.*

II. *An, & quæ pœna sit imponenda Conjugibus in casu &c.*

Sacra Congr. respondit.
Ad primum affirmative. Ad Secundum esse solvendam aliquam eleemosynam Ecclesiæ Parochiali Montis Giberti arbitrio Eminentissimi Præfecti, & amplius. Eminentissimus Præfectus subinde decrevit, præfatam eleemosynam esse solvendam in scutis decem.

QUÆSTIO CCCXXIII.

In Causa Giennensi Nullitatis Matrimonii, die 15. Maii 1723.

CONTRACTUM fuit *die 12. Januarii 1699.* Matrimonium inter Marchionem Aloysium de Quero, & Mariam Beatricem de Pedrolla, & Acunna, prævia Apostolica dispensatione, cum essent inter se conjuncti secundo gradu consanguinitatis, & quarto affinitatis.

Ab anno 1699. usque ad *annum 1714.* Conjuges convixerunt. At cum anno prædicto contigisset obitus Christophori, qui erat Pater Beatricis, hæc se a Viro separavit, & se contulit ad habitandum in Palatio sui Majoratus, & cum ad idem Palatium se etiam contulisset Aloysius, res sic composita fuit, ut uterque sub eodem tecto permaneret, sed in mansionibus separatis, & inter se nec cubile, nec familiam, nec reditus haberent communes. Fere per septennium continuavit modus hic habitandi; cumque subinde Vir ad proprios lares rediisset, & exortis diffidiis, Episcopus Giennen. extrajudicialiter agere cœpisset, ut Beatrix accederet ad cohabitandum cum suo Viro, vel causam absentiæ allegaret, res eo devenit, ut intentato a Muliere judicio super nullitate Matrimonii ex capite perpetuæ impotentiæ Viri, Vicarius Generalis juramentum detulerit primum Uxori, & deinde Viro.

In executionem hujus decreti, Mulier juravit Matrimonium nunquam fuisse consummatum, & obtulit sui corporis inspectionem, & Vir juravit se consummasse, & copulam perfectam per vasis penetrationem habuisse, renovatisque a Muliere instantiis pro deputatione Peritorum, & Matronarum pro facienda utriusque corporis recognitione, Vicarius demandavit, ut ad corporum inspectionem procederetur, & hujusmodi decretum fuit subinde in aliis Hispaniæ Tribunalibus confirmatum.

In sequelam hujus decreti Causa nullitatis Matrimonii videbatur, quod esset suam prosecutionem habitura; at eventus fefellit, quandoquidem tot dilationes in partibus, & tot impedimenta contigerunt, ut, ad omnia amputanda Beatrix operæ pretium esse censuerit habere recursum ad Summum Pontificem, qui Causæ cognitionem delegavit huic Sacræ Congregationi.

Porro in Causa nonnulla sunt advertenda quoad factum, nonnulla quoad jus; quoad factum, quod Vir aliam habuit Uxorem Nobilem scilicet Puellam de Gusman, sed dicitur, quod hæc paucos post dies, post contractum Matrimonium, decessit; Item, quod Mulier convixit cum Viro ab anno *1699.* usque ad annum 1714. neque per tantum temporis spatium conquesta est, aut judicium super nullitate intentavit, idque processisse supponitur, ex quo, uti supra expositum est, Marchio Christophorus Pater vixit usque ad dictum annum; si enim, ut ipsa inquit, eidem innotuisset impotentia Viri, & maxime post initum aliud Matrimonium, dissensionibus, & inimicitiis via remansisset aperta.

Præterquam quod *Textus in cap. 1. de frigidis, & maleficiatis*, qui denegat audientiam Mulieri, quæ non reclamavit initio Matrimonii, allegando Viri impotentiam, non procedit, quando Mulier negat copulam, & est parata, prout in casu, ad sui corporis ostensionem, juxta deducta per *Sanchez de Matrimon. lib. 7. disput. 109. num. 6. & 7.* & late prosequitur *Panimol. dec. 51. num. 14. & seqq.*

Quoad jus, si Matrimonium ob impotentiam accusatur, & Vir contendat a se cognitam Uxorem suam, & Mulier neget, præstatur fides Viro firmanti, & juranti, & secundum eum est pronuntiandum, uti probat *Textus in cap. Si quis acceperit 33. quæst. 1.* ibi: *si quis accepit Uxorem, & habuit eam aliquo tempore, & ipsa fœmina dicit, quod nunquam coisset cum ea, & ille Vir dicit, quod sic fecit, in veritate Viri consistat, quia Vir caput est mulieris*; & concordat *Textus in cap. Continebatur de desponsatione impuberum*, ibi: *consultationi tuæ taliter respondemus, quod cum in decretis habeatur expressum, quod si Vir dixerit, quod Uxorem suam cognoverit, & Mulier negaverit, Viri standum est veritati: præfato Viro, qui dicit, se mulierem ipsam cognovisse, fides est adhibenda, si id firmaverit juramento*; quod ipsum habetur, *in cap. Accepisti de frigidis, & maleficiatis*, ibi, *illa autem, si prior post annum, aut dimidium ad Episcopum, aut ejus missum proclamaverit dicens, quod non cognovisset eam, tu autem contrarium affirmas, tibi credendum est, eo quod caput es Mulieris.*

At si Mulier Virum arguat mendacii, & perjurii, & se vir-

se virginem per experimentum juratarum Matronarum probare velit, inspectio est decernenda, & creditur Mulieri, uti probat *Textus in cap. Proposuisti de probationibus*, ibi, *cum partes essent in tua præsentia constitutæ, Mulier proposuit se nec a Viro cognitam, nec potuisse cognosci, quod tam proprio juramento, quam testimonio septem Mulierum probavit, quæ per aspectum corporis eam esse virginem asseverant, Viro per juramentum suum contrarium asserente, &c. videtur igitur nobis, quod juramento Puellæ, & testimonio illarum septem Mulierum fides est potius adhibenda.*

Cohærenter ad hæc Maria Beatrix in scripturis per manus circumferendis se promptam, & paratam exhibet ad sui corporis ostensionem Matronis, & aliis pro dicta inspectione eligendis; At ulterius petit, ut fiat recognitio corporis Viri, & ut eidem terminus præfigatur ad se subjiciendum recognitioni.

Verba idcirco faciendo etiam de Viri inspectione, videtur, quod eidem esse possit locus, tum quia per eam facilius veritas haberi potest, & nihil est omittendum, quando agitur de Matrimonii dissolutione, tum quia hoc ipsum alias factum est, ut plene habetur *in dec.* 141. *Sperell. & signant. num.* 24. *& num.* 46. & tandem quia, contendente Muliere, quod impedimentum Viri sit visibile, inspectio corporis prodesse poterit, ut videatur, an impotentiæ signa sint evidenter, aut verisimiliter, aut præsumptive concludentia, ex quo deinde resultabit, an in ulteriori progressu Causæ, pronuntiandum sit, aut super validitate, aut super nullitate Matrimonii, & rursus super necessitate, aut exclusione experimenti triennalis.

His stantibus, quæritur,

I. An sit locus recognitioni Viri in casu &c. & quatenus affirmative.

II. An sit præfigendus terminus Viro se subjiciendi eidem recognitioni in casu &c.

Sacra Congr. respondit,

Ad Primum esse locum recognitioni tam Viri, quam Mulieris juxta Institutionem, & eam Viri esse explendam attentis circumstantiis in Oppido Matritensi auctoritate Nuncii Apostolici, & eam Mulieris esse explendam in Civitate Giennen. auctoritate Ordinarii, tanquam delegati S. C. Ad secundum affirmative, & præfigendum terminum quatuor mensium tam Viro, quam Mulieri computandum a die præsentis Decreti.

QUÆSTIO CCCXXIV.

In Causa Moguntina Consignationis Fructuum Canonicatus, die 15. *Maii* 1723.

OTTHO a Malsburg Canonicatum obtinuit in Collegiata Ecclesia S. Petri extra muros Civitatis Moguntinæ, una cum dispensatione retinendi etiam Canonicatum in Ecclesia Metropolitana dictæ Civitatis, & alium Canonicatum, & Decanatum Collegiatæ, & Equestris Ecclesiæ ad S. Ferrutium memoratæ Moguntinæ Diœcesis, & post absolutam annalem residentiam, quam vocant rigorosam, & post soluta fabricæ jura, & adimpleta alia, quæ erant adimplenda, admissus fuit ad actualem possessionem, cumque Capitulum S. Petri eidem controvertere cœpisset consignationem fructuum, sub obtentu, quod ad formam antiqui Statuti non habitabat in ædibus claustralibus Ecclesiæ, lis exorta est, & ad hanc Sac. Congregationem delata, quæ incepit tempore utique vitæ Otthonis, sed eodem hoc interim defuncto, suam habet prosecutionem, instantibus ejusdem hæredibus, qui inter noviter ad Fidem conversos enumerantur.

Fundamentum Capituli, uti colligitur ex informatione Ordinarii, constituitur in Statuto demandante, quod Canonicus habitet infra Immunitatem Ecclesiæ in domo sibi assignata ad effectum, ut fructus percipere valeat, de cujus validitate Statuti dicit non esse dubitandum, cum sit antiquum, fuerit ab Ordinario confirmatum anno 1499. nec non a Summo Pontifice Alexandro Sexto, & semper fuerit, & sit in viridi observantia.

Adversus hæc dicitur ab hæredibus Canonici Otthonis, in Ecclesia S. Petri multa reperiri Statuta, quæ adversantur Statuto, cui Capitulum innititur; adest etenim unum Statutum, ut nemo possit admitti ad Capitulum, nisi prius infra immunitatem Ecclesiæ Sancti Petri habitaverit per unum annum, diem, & mensem, & integram fecerit residentiam. Adest rursus aliud Statutum, in quo pro lucrandis fructibus non ponitur in conditione habitatio intra terminos Immunitatis, sed præsentia personalis in primis Vesperis S. Petri ad Vincula, & in primis Vesperis omnium Sanctorum. Adest denique tertium Statutum, in quo disponitur, quod admissus ad Curiam claustralem teneatur in ea cum sua familia continuo habitare, aut eam honestis personis locare, hinc inferendo, non posse dici impositam obligationem continuo habitandi intra Immunitatem pro fructibus consequendis, in sequelam Statuti, cui tot alia Statuta adversantur.

Addit Ordinarius in sua informatione, quod Statutum allegatum a Capitulo fuit quidem confirmatum ab Ordinario, sed non a Summo Pontifice, & quod idem Statutum de inhabitanda Curia, nec olim, nec hodie ab omnibus observatur, quod etiam confirmant tres Notarii Civitatis Moguntinæ.

Alia plura referuntur in scriptura hæredum per manus circumferenda; quocirca quæritur,

An Hæredibus quondam Canonici Otthonis a Malsburg debeantur fructus Canonicatus, de quo agitur, decursi durante illius vita in casu &c.

Sacra Congr. respondit,

Affirmative, & amplius.

QUÆSTIO CCCXXV.

In Causa Monasteriensi, die 15. *Maii* 1723.

CHRISTOPHORUS Bernardus Schedelich Canonicatum obtinens in Collegiata Ecclesia S. Mauritii extra mœnia Civitatis Monasteriensis petit, sibi a Capitulo consignari tam fructus, quam distributiones, non obstante, quod a servitio Ecclesiæ abfuerit.

Et in eo quidem, quod attinet ad fructus, instantia Canonici fundatur in hoc, quod ipse ab Episcopo Monasterien. *anno* 1712. transmissus fuit ad Urbem, ut Diœcesum Monasterien. & Paterbonen. negotia tractaret.

Et in eo, quod spectat ad distributiones, idem probat se binis vicibus ex commissione d. Episcopi visitasse Limina Apostolorum *annis scilicet* 1712. *&* 1717. itaut quoad hoc tempus distributiones sibi non valeant denegari, quod ipsum contendit *post annum* 1718. quo tempore Capitulum eidem controvertere cœpit participationem fructuum Canonicalium; hujusmodi quippe litigium sibi ait justam suppeditasse absentiæ causam, qua concurrente, nedum prætendit se admittendum ad fructus, sed etiam ad distributiones.

Adversus hæc opponitur a Capitulo, Canonicum *ab anno* 1709. a sua Ecclesia abesse, nec aliud hoc tempore intermedio egisse, quam Sacrorum Liminum visitationem *annis prædictis* 1712. & 1717. Addit, quod Canonicus absens pro interesse particulari Episcopi nedum excluditur a distributionibus, sed etiam a fructibus, & demum, quod Sac. hæc Congreg. Canonico Christophoro Bernardo *die* 13. *Maii* 1713. indulsit, ut titulo visitationis Sacror. Liminum fructus, & distributiones per quatuor menses habere deberet, & quod imposterum per alios tres menses abesse posset amissa tertia parte, inferendo ex his omnibus non bene a Canonico peti universi temporis fructus, & distributiones sub obtentu litis introductæ *usque ab anno* 1718.

Quoad Canonicos absentes a Choro, ut sui Episcopi servitio vacent, iidem admittuntur ad participationem fructuum, sed non ad participationem distributionum, uti late ostendit *Barbos. de Canonicis capit.* 25. *num.* 5. *& seqq.* & sæpius resolutum fuit a Sacra Congregatione, & signanter *in Avenionen.* 13. *Januarii* 1635. *lib.* 15. *decret. pag.* 151. *a tergo*, ibi, *Sacra &c. censuit Canonicos Archiepiscopo inservientes percipere quidem debere fructus Præbendæ, non autem distributiones quotidianas in illis Ecclesiis, in quibus fructus Præbendæ sunt distincti a quotidianis distributionibus. Quod si in hujusmodi distributionibus universi reditus consistant, percipere debere ipsas distributiones, dimissa tertia parte, quæ inservientibus accrescat. Verum hujusmodi de causis absentes nullo modo posse recipere eleemosynam pro Missis relictam, vel elargitam, nisi Ecclesiæ per seipsos servitium præstiterint.*

Quoad Canonicos absentes, & missos ab Episcopo ad visitanda Limina Apostolorum, iidem admittuntur ad participationem tam fructuum, quam distributionum, uti prosequitur *Barbosa de Canonicis, & dignitatibus cap.* 24. *num.* 14. & fuit sæpius resolutum a Sac. Congregatione, & signanter in *Culmen.* 23. *Januarii* 1627. *lib.* 13. *decret. pag.* 188. ibi, *Sacra &c. censuit deberi distributiones quotidianas Oratori quoad tempus visitationis Liminum, & in Regien.* 18. *Decembris* 1627. *lib.* 13. *decret. fol.* 362. *a tergo*, ibi *Sacra &c. alias censuit Canonico a suo Episcopo ad visitanda Beatorum Apostolorum Limina misso, pro toto tempore, quo ob dictam causam abfuit, distributiones quotidianas deberi.*

Quoad Canonicos denique absentes, ut assistant liti suos Canonicatus respicienti, nonnulli censent deberi fructus, & distributiones *Barbos. de Canonicis cap.* 24. *num.* 25. *& seqq.* Aliquando fuit facta distinctio inter negotium, quod commode per Procuratorem tractari potest, & negotium, quod personalem requirit assistentiam Canonici, itaut in secundo casu debeantur distributiones, non in primo, *Passerin. in cap. unico num.* 110. *de Clericis non residentibus in sexto, Rota coram Seraphino decis.* 1131. *num.* 4. relicta Ordinario facultate judicandi, an lis requirat, vel non requirat personalem assistentiam juxta resolutionem Sac. Congregationis, quæ ita se habet, *petente Curato, ut sibi concederetur licentia assistendi liti super juribus Ecclesiæ in Urbe, Congregatio censuit ad sex menses, dummodo tamen lis vere sit pro Ecclesia, & Ordinario videatur Oratori necessarium esse, ut per seipsum liti assistat.* Aliquando denique habita fuit distinctio inter litem super titulo Beneficii, & litem super præteritis distributionibus, denegando in hoc secundo casu admissionem ad distributiones pro tempore absentiæ, juxta resolutionem hujus Sac. Congregationis *in Aquilana* 23. *Maii* 1626. *lib.* 13. *decret. pag.* 5. ibi, *Sacra &c. censuit distributiones petitas pro tempore, quo prosequitur litem in Curia pro consecutione aliarum distributionum ei debitarum, non deberi.*

His stantibus, quæritur,

An, & pro quo tempore Canonico Schedelich debeantur fructus Canonicales cum distributionibus quotidianis in casu &c.

Sacra Congr. respondit,

Fructus deberi usque ad diem 23. *Julii* 1718. *distributiones vero deberi per quatuor Menses anni* 1712. *& per unum Mensem anni* 1718.

QUÆSTIO CCCXXVI.

In Causa Malacitana Nullitatis Professionis, die 15. *Maji* 1723.

ANTONIA de Angulo Ramirez Professionem Regularem emisit in Monasterio Monialium S. Bernardini Civitatis Malacitanæ; cumque prætenderit, eam esse nullam, utpote emissam propter vim, & metum cadentem in constantem mulierem, obtinuit a suo Genitore licentiam impugnandi Professionem, & judicium instituit coram Ordinario Malacitano super dicta nullitate *anno* 1713.

Professio fuerat emissa anno 1705. & sic elapsum erat quinquennium; cumque Promotor Fiscalis Malacitanus oppositisset, quod ea, stante lapsu quinquennii, non esset audienda, & e contra Defensores replicaverint, Curiam esse in possessione judicandi super nullitate Professionis, etiam elapso quinquennio, servatis cæteris de jure servandis, pronunciata fuit ab Ordinario sententia definitiva super nullitate Professionis.

Appellatione a Fiscali interposita ad Curiam Metropoliticam Hispalensem, hæc *die* 3. *Augusti* 1716. revocavit sententiam Ordinarii Malacitani, ex quo Monialis non poterat audiri post quinquennium, nisi obtenta restitutione in integrum a Summo Pontifice.

Et merito; prætermissis etenim antiquioribus resolutionibus, cum in *Mechlinen. Restitut. in integrum die* 22. *Martii* 1687. disputata fuissent sequentia dubia. *Primo, An quinquennium, intra quod Regularis prætendens Professionem suam fuisse nullam, potest ex dispositione Sac. Concilii Tridentini audiri, & causas prætensæ nullitatis coram Ordinario, & Superiore locali allegare, incipiat, & continuo currat a die Professionis emissæ, vel solum a die cessantis metus, vel sublati impedimenti, aut impotentiæ reclamandi, & quatenus a die Professionis.*

Secundo, An cognitio, & concessio restitutionis in integrum adversus lapsum quinquennii competat Ordinario loci, & Superiori locali, vel potius sit reservata Sedi Apostolicæ.

Ad primum responsum fuit *incipere a die Professionis.* Ad secundum *non posse concedi, nec cognosci restitutionem in integrum, nisi per Sedem Apostolicam, non obstante quacumque consuetudine contraria.*

Cohærenter ad hæc, supplices preces pro restitutione in integrum fuerunt Summo Pontifici exhibitæ; cumque eas ipse remiserit ad hanc Sacram Congregationem, demandata fuit actorum transmissio, una cum præfixione termini tam Fiscali, quam Monialibus ad sua jura deducenda in hac Sac. Congreg. Circumferuntur Scripturæ una cum Summario, quibus ostenditur magna Monialis repugnantia ad Professionem, ostenditur, quod ad eam inducendam, ut profiteretur, suppositum ipsi fuit, quod Pater præ dolore esset ad ultimam vitæ periodum redactus. Item quod Tertiaria quædam, quæ sancta prædicabatur, minata est illi, quod si pedem ponebat extra Monasterium, octo legiones Dæmonum essent ejus corpus invasuræ, & quod Pater, qui Miles erat, in hypothesi egressus e Monasterio, esset eam ductura ad Civitatem Orani, & in mare projecturus, si navem aliquam inimicam obviam habuisset, ne præda fieret hostium.

Quæritur ergo,

An sit locus restitutioni in integrum in casu &c.

Sacra Congr. respondit,

Affirmative.

QUÆSTIO CCCXXVII.

In Causa Guadixensi Restitutionis in integrum, die 15. *Maii* 1723.

VIVEBAT Magdalena Sanchez in Civitate Bazæ una cum Stephano Patre, & Cecilia Noverca; cumque res Domi esset angusta, recursus habitus fuit ad Andream de Las Navas in Indiis Episcopum Guattimalæ, & Magdalenæ Patruum, ut ad occurrendum necessitatibus aliqua subsidia transmittere dignaretur.

Non destitit Episcopus aliqua transmittere congruo tempore subsidia per modum eleemosynæ, cumque Thomas Canovas, qui stricto Consanguinitatis gradu Magdalenæ conjunctus erat, ad Civitatem Guattimalæ se deinde contulisset, idemque Episcopo repræsentasset, in Domino expedire, ut misericordiæ habenas relaxando dotem dictæ Magdalenæ Nepoti constitueret, memoratus Episcopus Thomæ consignavit pro dote ejusdem Magdalenæ Realia triginta millia.

Habita hac pecuniarum summa, Thomas ad Civitatem Bazæ reversus est, & secum animo reputans, non exiguam pecuniarum summam esse superfuturam, si Magdalena nuberet in Domino, & quod e contra universa summa expendi debebat, si Magdalena Matrimonium carnale contraxisset, non obstante tractatu nuptiarum inito inter ipsam, & Joannem Dura, suasionibus, & minis eam induxit ut sæculo derelicto Monasterium Monialium ingrederetur, prout ingressa est *die* 11. *Sept.* 1697. & in eodem subinde professionem Regularem emitteret, prout emisit *die* 15. *Sept.* 1698. Series facti refertur in scriptura per manus circumferenda, ex qua habetur, Stephanum Magdalenæ Patrem fuisse quidem in humanis tempore, quo filia ingressa est Monasterium, secus autem tempore, quo professionem emisit, & ad extorquendam professionem nedum incussum fuisse a Thoma metum vitæ amittendæ, sed etiam interversionis status, in eo potissimum consistentis, quod idem minabatur se facturum, ut Episcopus a subsidiis cessaret, si Magdalena Monasterium non ingrederetur, aut ingressa professionem in eo non emitteret.

Alia plura in dicta scriptura continentur; quocirca quæritur,

An sit locus restitutioni in integrum in casu &c.

Sacra Congr. respondit,

Negative, & amplius.

QUÆSTIO CCCXVIII.

In Causa Pampilonensi Confirmationis Concordiæ, die 15. *Maii* 1723.

AB Hominibus Castri nuncupati *de Guembe* Diœcesis Pampilonen. ex antiqua consuetudine persolvitur quoddam annuum tributum frumenti, avenæ, novem albarum Galliuarum, & decem Regalium Ecclesiæ Collegiatæ, & Capitulo Beatæ Virginis *de Roncavalle*, quæ Ecclesia sita est ad radices Pirenæorum, & quia prædictum tributum est asportandum ad quendam locum *de Lorca*, qui est sub Capituli jurisdictione, & est persolvendum in manibus certæ personæ ab eodem Capitulo deputatæ, onus prædictum, quod attento valore ascendit ad sola scuta centum annua monetæ, gravosum admodum est Hominibus Castri *de Guembe*, tum

tum quia semper oriuntur contentiones circa qualitatem grani, & albedinem gallinarum, tum quia tributi delatores irrisionibus exponuntur aliorum, per quorum loca transeunt, itaut scandala, & mala ea occasione contigerint.

Ad effectum itaque se a dicto onere eximendi, cum prædicti Homines sint Patroni Ecclesiæ Parochialis Sancti Bartholomæi memorati Castri *de Guembe*, reservato prius beneplacito Apostolico, in animum induxerunt cedendi juspatronatus, seu jus nominandi favore Capituli, ita tamen, ut in qualibet vacatione præsentetur Incola filius loci *de Guembe*; & quatenus idoneus inter Homines loci non reperiatur, alia quæcunque Persona idonea a Capitulo præsentetur, quæ ab Episcopo sit instituenda, curamque exerceat animarum titulo Vicarii perpetui, in sequelam videlicet unionis Ecclesiæ Parochialis Capitulo faciendæ.

Et quia provisum fuit, necessariam esse congruæ assignationem huic Vicario perpetuo, conventa fuit assignatio in scutis 80. monetæ Romanæ; reditus etenim Parochiæ ascendere dicuntur ad ducatos 120. auri de Camera, & in eo, quod attinet ad hujus Congruæ exactionem, Capitulum se obligat ad solvenda Vicario quolibet anno scuta 40. & alia scuta 40. Vicarius retrahet ex emolumentis nuncupatis *de pede Altaris*, ita tamen, ut in casu diminutionis horum emolumentorum, quæ modo ad dicta scuta 40. ascendere dicuntur, Communitas loci *de Guembe*, quæ Ecclesiæ Parochiali uniendæ donat duodecim mensuras Terreni arativi liberas annui reditus quatuor mensurarum frumenti, obligata ulterius remaneat ad supplementum usque ad summam prædictam.

Denique conventum fuit, quod Capitulum Ecclesiæ Collegiatæ, ad quam in posterum Decimæ Parochiales pertinebunt, solvat quartam debitam Episcopo Pampilonen. taxatam in quatuordecim mensuris frumenti transportandi ad locum *de Salinas*, & quod etiam idem Capitulum persolvat Dignitati *Delguiart* Cathedralis Pampilonen. pro fonte Baptismali annuum aliud emolumentum consistens in tribus oneribus frumenti, facta per idem Capitulum ampla remissione, seu perpetua condonatione supra recensiti tributi frumenti, avenæ, novem albarum gallinarum, & decem Regalium monetæ Regionis.

Transactio hæc digna est Apostolico Beneplacito juxta sensum Episcopi, & etiam Eminentissimi Domini Cardinalis Tanarii, cujus suffragium fuit ab hac Sac. Congregatione requisitum, & ultra remotionem scandalorum, & evidentem utilitatem tum Capituli, tum Ecclesiæ Parochialis; & motivum magna consideratione dignum, quod jus præsentandi ad Parochialem Ecclesiam de Laicali evadat Ecclesiasticum, quæ omnia in relatione Episcopi & in suffragio Eminentissimi Tanarii accurate considerata sunt, addi potest, quod licet emptiones, & conventiones, & alia quæcumque pacta consimilia prohibeantur a Sacris Canonibus in materia jurispatronatus, *ut in Cap. quia Clerici, ibique Glossa in verbo advocatio, & in cap. de jure tit. de jurepatronatus*, cum quibus concordat Sac. Concilium Tridentinum *sess. 25. cap. 9. de Reform.* omnia nihilominus cessant, statim ac auctoritas intercedat Apostolica: Scribente etenim Matthæo Parisio, Joannem Angliæ Regem omnia Patronatus jura, quæ habebat in Ecclesiis Anglicanis, pignori dedisse Innocentio Tertio Romano Pontifici, quod prohibitum esse videbatur, ex quo illud, quod venditionem, & emptionem non recepit, nec pignorationem recipere potest, juxta textum *in l. 9. §. primo ff. de pignoribus*, bene adnotavit *Janus a Costa Antecessor Tolosanus* in Summariis decretalium *ad titulum de transactionibus pag. mihi* 230. id recte factum fuisse, intercedente Summi Pontificis auctoritate, ibi, *sed omnem defectum supplere potuit auctoritas Summi Pontificis*.

Quia vero ignoratur, an tributum, quod a Capitulo remittitur, sit quid pure temporale, licet asseratur originem habere a Decimis, nonnullæ proponi possunt animadversiones approbationi concordiæ adversantes, & nonnullæ eidem faventes.

Et præmisso quidem, quod a Capitulo dimittitur aliquid, quod potest esse pure temporale, & acquiritur aliquid, quod est spiritualibus annexum, si non antecedenter, saltem consequenter, juxta doctrinam *Divi Thomæ 2. 2. quæst.* 100. *art.* 4. *in corpore*, quando vetitum est temporale recipere nedum pro re spirituali, vel spiritualibus annexa antecedenter, sed etiam pro re spiritualibus annexa consequenter; unde licet jus præsentandi annexum universitati bonorum transeat cum universitate in emptorem, juxta *Textum in cap. ex litteris de jurepatronatus*, non potest tamen juspatronatus principaliter vendi, nec pretium universitatis bonorum augeri propter illud, juxta doctrinam *S. Antonini in summa 2. parte tit.* 1. *cap.* 5. §. 24. ibi, *similiter vendere tale jus, scilicet Patronatus per se, vel etiam vendere Villam, seu Casale, ubi est Ecclesia, cujus quis est Patronus, quando ratione illius Patronatus, aliquid plus peteret, simonia est*, subditque Lambertinus *de jurepatronatus 2. parte primi lib. art.* 3. *quæst.* 4. principali simoniam committi, si quis donat aliquid temporale, ut juspatronatus acquirat.

Facit contra approbationem, quod agitur de jure præsentandi, non ad Beneficium simplex, sed ad Parochiale, & quidquid sit de Beneficiis simplicibus, pactiones circa Parochiales, & receptiones rei temporalis pro spirituali non sunt simoniacæ, quia prohibitæ, sed prohibitæ, quia simoniacæ, & prohibitæ de jure Divino, itaut in illarum approbatione auctoritas Apostolica non sit interponenda, uti late ostendunt *Cabassut. in Theor. & praxi juris Canonici lib.* 5. *cap.* 3. *num.* 14. *& seqq. Fagnan. in cap. cum pridem num.* 31. *& seqq. & etiam num.* 59. *tit. de pactis*, nulla facta distinctione inter collationem, & præsentationem, juxta doctrinam *Suarez de Relig. tom.* 1. *lib.* 4. *cap.* 28. *num.* 11. ibi, *atque hinc sequitur, actum istius juris, scilicet præsentationem ad Beneficium materiam esse simoniæ contrariæ juri divino*.

Urget e contra pro approbatione, quod juxta receptam apud Canonistas Sententiam, pactiones in Beneficiis, sive simplicibus, sive Curatis sunt prohibitæ, & simoniacæ, non contra jus divinum, sed contra jus humanum, uti late ostendit *Garzias de Benef. par. prima art.* 2. *nu.* 8. *& pluribus seqq.* & multo magis, quando agitur de jure præsentandi, quod in se spirituale dici non potest, sed spiritualibus annexum consequenter, & in quo licet simonia sibi possit locum vindicare, id tamen procedet quoad simoniam, non juris divini, sed juris positivi, quæ juxta praxim accedente Apostolica auctoritate, evitatur, uti late ostendit *Lotter. de re Benefic. lib.* 2. *quæst.* 9. *a num.* 7. *& seqq. & a num.* 78.

Examen hujus Concordiæ commissum fuit Eminentissimo Domino Cardinali Tanario, qui fuit in sensu approbationis Concordiæ, cum per ea scandala removeantur, & in eadem insit utilitas Capituli, & jus præsentandi ad Parochialem Ecclesiam de Laicali evadat Ecclesiasticum, & cum dicto Eminentissimo concordavit Episcopus Pampilonensis, requisitus pro informatione, & voto; cumque ratione officii perpendendum proposuerim, an concurrente ex una parte probabilitate, quod tributum a Capitulo remittendum, esset quid pure temporale, & concurrente ex alia parte circumstantia, quod agebatur de jure præsentandi non ad Beneficium simplex, sed ad Parochiale, simonia in transactione interveniens, dicenda esset simonia a jure Divino prohibita, & sic non sanabilis auctoritate Pontificia, vel potius simonia Juris positivi, quæ accedente Apostolica auctoritate evitatur, pro majori suffragiorum parte visum est, simoniam non ad primam, sed ad secundam speciem esse referendam.

Verum duo alia objecta ab Eminentissimis Patribus in suffragando fuerunt proposita. Alterum quod juxta transactionem Ecclesia Parochialis S. Bartholomæi est unienda Capitulo, & Vicarius perpetuus est in illa instituendus, in quo rerum statu urget *cap.* 13. *sess.* 24. *de Reform.* in quo prohibetur unio Ecclesiarum Parochialium Monasteriis quibuscumque, aut Abbatiis, seu dignitatibus, sive præbendis Ecclesiæ Cathedralis, vel Collegiatæ, sive aliis beneficiis simplicibus, aut Hospitalibus, vel Militiis.

Alterum quod ad tramites transactionis Universitas proponere debet Capitulo suum Concivem idoneum, & Capitulum debet eum Episcopo præsentare, ut ab ipso institutionem ad Parochialem recipiat, & in casu existentiæ plurium Concivium habilium eos omnes Capitulo proponere debet, ut unum eligat, Episcopo uti supra præsentandum, itaut extraneus a Capitulo præsentari non possit, nisi in casu defectus omnium Concivium habilium; in qua facti specie cessare visa est utilitas, quæ habetur statim ac jus patronatus de laicali evadit Ecclesiasticum, & quæ consistit in hoc, quod Concursus non habet locum in Jurepatronatus laicali, sed simplex examen, ad differentiam Jurispatronatus Ecclesiastici, in quo Patronus digniorem inter probatos ab Examinatoribus Episcopo præsentare tenetur, ut ab eo instituatur juxta *Sess.* 24. *cap.* 18. *de reform.*

Fuerunt istæ difficultates communicatæ Defensori Capituli, cui etiam notificatum fuit rescriptum Sac. Congregationis editum hac *die* 15. *Maii* 1723. quod exhiberetur Instrumentum Concordiæ; cumque nova ejusdem scriptura in Congregatione habita *die* 31. *Julii* 1723. per manus circumferatur, quæritur

An concordia sit confirmanda in casu &c.

Sacra Congr. die 28. Augusti 1723. respondit,
Pro approbatione, deleto pacto Jurispatronatus passivi.

QUÆSTIO CCCXXIX.

In Causa Cæsenatensi, die 15. *Maii* 1723.

DIMISSA a Sacerdote Mathia Milandro in manibus sui Ordinarii Cæsenaten. Parochiali Ecclesia Sanctæ Christinæ, abstinuit Ordinarius ab indicendo Concursu, & animadversa redituum tenuitate, cum iidem singulis annis non excedant annua scuta 23. Edictum publicavit, in quo, post expressam deficientiam carentiæ Beneficiorum simplicium, quæ dictæ Parochiæ uniri possent, Parochianos admonuit, ut unusquisque pro rata, & ad sui assis proportionem contribueret pro supplemento Congruæ Parochialis ad tramites Concilii Tridentini *sess.* 24. *cap.* 13. *de Reform.*

Hoc Edicto Parochiani universi commoti sunt, frustraque tentato Ordinarii animo, ut eum a Sententia removerent, repertus fuit quidam Sacerdos Joseph Antonius Festus, qui olim erat Canonicus Regularis Lateranensis, & qui post exitum a Congregatione, prævia licentia suæ Religionis, & prævio assensu S. Congregationis Episcoporum, & Regularium, curam Animarum exercuit in Civitate Anconæ spatio duodecim annorum, quique promptus, & paratus est ad reddendum suæ Patriæ Beneficium, Cæsenas enim est, dotando competenter ex suis bonis Patrimonialibus Ecclesiam Parochialem Sanctæ Christinæ, sed dummodo, intercedente Apostolica auctoritate, eadem sibi in titulum conferatur, & absque concursu, sed non sine examine.

Delata hujus oblationis notitia ad Ordinarium, fuit ab ipso suspensum Edictum, ut recursus haberi posset ad hanc Sacram Congregationem, exhibitoque a Parochianis supplici libello, fuit ille juxta morem remissus ad eundem Ordinarium pro informatione, & Voto.

Ordinarius in sua, quam transmisit, informatione, refert primo, quod ultra examen, quod Sacerdos Joseph Antonius Festus subire teneretur, ejus idoneitas commendationem habuit a clar. mem. Cardinali de Aste, & ab Eminentissimo Buffio Episcopis Anconæ, nec non a Reverendissimo de Matthæis Archiepiscopo Firmano, in quibus Diœcesibus per plures annos animarum curam laudabiliter exercuit.

Refert secundo, quod, etiamsi Concursus indiceretur, difficile esset reperire Concurrentes, propter videlicet paupertatem redituum; qui, uti dictum est, non excedunt annua scuta 23.

Refert denique tertio, sibi congruum videri, ut Sedes Apostolica aperiendo thesauros bonitatis suæ prospiciat communi bono, & publicæ utilitati sexcentarum quadraginta Animarum sub ea Parochia degentium, ut in pluribus, paupertate laborantium; unicuique enim in comperto est contributionem a Parochianis faciendam pro supplemento Congruæ Parochialis, nec sine litibus, nec sine animorum offensionibus ad praxim reduci posse, & multo magis, cum novum non sit aliquando Parochiales sine concursu, & prævio tantum examine conferri, & aliquando etiam conferri illis, qui ex bonis suis patrimonialibus easdem dotarunt.

Quoad provisionem Ecclesiæ Parochialis sine Concursu, & tantum prævio examine, multi dantur in jure casus consimilium provisionum, de quibus *apud Ventrigl. in praxi rerum Eccles. par.* 2. *annot.* 5. §. 2. & apud *Cardinalem de Luca in adnot. ad Concil. discursu* 32. *num.* 31. *& seqq.* & inter hos enumerantur sequentes, quando videlicet conferenda est Parochia, quæ est de jure patronatus Laicorum, vel Parochia adeo exigui reditus, ut operam non ferat Concursus, uti expresse habetur *sess.* 24. *cap.* 18. *vers. quod si juris patronatus, & vers. si adeo tamen exigui*.

Quoad collationem denique Beneficii favore ejus, qui bona sua patrimonialia contulit pro illius dote, & quidem cum pacto præcedenti, ut illud Dotanti conferatur, certum est hac in re contineri simoniam, uti probat *Textus in cap. tua nos de Simonia*, 101, *devotioni tuæ taliter respondemus, quod si quis Clericus cum conditione, vel pacto largiatur, aut offerat bona sua, ut illa postmodum pro Præbenda retineat, & in Canonicum admittatur, hujusmodi oblatio, vel receptio fieri non potest sine vitio simoniæ, cum in talibus omnis pactio, aut conventio cessare debeat juxta Canonicas sanctiones*.

Intercedente autem Apostolica auctoritate, cessare dicitur quæcumque labes simoniaca, nec consimilis Apostolicæ beneficentiæ desunt exempla, *teste Fagnan. in citato cap. tua nos num.* 4. ibi, *cum quidam Clericus non ita pridem sua bona patrimonialia contulisset pro erectione Archipresbyteratus in Cathedrali Ecclesia cum reservatione jurispatronatus, eo pacto adjecto, ut posset ipsum præsentare, & non alios, consultus ab eodem Clerico respondi erectionem, & institutionem inde secutam, fuisse simoniacam, & nullam per hanc Decretalem, & opus esse nova provisione, & erectione Sedis Apostolicæ, quam postea idem Clericus impetravit a Sanctissimo Domino Nostro Urbano Octavo*.

His stantibus quæritur,

An, & quomodo petitis sit annuendum in casu &c.

Sacr. Congr. die 5. Junii 1723. respondit,
Dilata, & expectetur resolutio Sac. Congregationis in Causa Firmana.

Hujus resolutionem vide Quæstione 348.

QUÆSTIO CCCXXX.

In Dubio Præbendæ Theologalis, die 5. *Junii* 1723.

QUANDO Præbenda Theologalis a Dataria Apostolica confertur, & provisus caret gradu Magisterii in Sac. Theologia, in Bulla provisionis sequentia verba leguntur: *volumus autem, quod ut infra annum proximum, gradum Magisterii in Theologia in aliqua approbata Universitate studii generalis, prævio rigoroso examine, ac alias servatis servandis, suscipere omnino teneatis, alioquin Canonicatus, & præbenda vacent eo ipso &c.*

Cum autem sæpe detur casus, quod dicti provisi post collationem se exhibeant promptos, & paratos ad assumendum Doctoris gradum in jure Canonico in aliqua approbata Universitate, recursuque habito ad hanc Sac. Congregationem, responderi consueverit, quod *dentur decretæ*, quibus statui videtur sufficientia Magisterii in jure Canonico ad effectum prædictum, idque difficile captu pluribus videatur, qui putant, decreta non fuisse, nisi particulares quasdam dispensationes, in quibus Viri aliquin idonei pro lectione Sac. Scripturæ absolvuntur ab onere assumendi gradum Magisterii in Theologia in aliqua approbata Universitate, post bene ponderata ea, quæ hinc inde afferentur in discursu Secretarii, quæritur,

An provisis de præbenda Theologali cum clausula de assumendo infra annum gradu Magisterii in Sac. Theologiæ in aliqua approbata Universitate de jure sufficiat, quod Magisterium intra annum recipiant in jure Canonico in aliqua approbata Universitate.

Sacra Congr. respondit,
Negative, & habebitur ratio in Casibus particularibus.

ADNOTATIONES SECRETARII

postea Benedicti Papæ XIV.

Circa dubium propositum Præbendæ Theologalis.

SUMMUS Pontifex Alexander Tertius in Concilio Lateranensi habito anno 1179. statuit quod in unaquaque Cathedrali Ecclesia aliquod competens assignaretur Magistro Beneficium, qui Clericos ejusdem Ecclesiæ, & Pauperes Scholares gratis doceret, uti habetur Canone 11.

Parum religiose tam salubri decreto obtemperatum est, adeoque Innoc. Papa Tertius in Concilio Lateranensi IV. quod habitum fuit anno 1215. illud confirmavit, & ampliavit, & inter cætera decrevit, quod unaquæque Metropolitana Ecclesia Theologum haberet, qui Sacerdotes, & alios in Sac. Pagina doceret, & in his præsertim informaret, quæ ad animarum Curam spectare noscuntur, assignata Theologo Præbenda, non sic tamen, ut ipse efficeretur Canonicus, sed tamdiu reditus perciperet, quamdiu persisteret in docendo, uti habetur in *cap. quia nonnulli de Magistris*; utque quævis Metropolitana Ecclesia facilius Theologum sibi comparare posset, Honorius tertius edixit, ut Capitula mitterent juniores Clericos ad frequentandas Universitates, & veniam facerent residentiæ tum Clericis studentibus, tum Magistris Theologiam profitentibus, uti habetur in *Cap. super specula de Magistris*.

Laudatum Innocentii tertii decretum in Concilio Lateranensi, utpote restrictum ad solos Metropolitanos, fuit extensum a Concilio Basileensi *Sess.* 21. *cap.* 3. ad omnes Cathedrales Ecclesias, & prædictum Decretum Basileense ad verbum

bum insertum fuit in sanctione Pragmatica, & in concordato inter Leonem X. & Franciscum Primum Galliæ Regem, & demum Tridentina Synodus *Sess. 5. cap. 1. de Ref.* reassumpta materia, nedum voluit Theologum statui in quacumque Cathedrali, sed etiam in quacumque Collegiata existente in aliquo Oppido insigni, Præbendamque quomodocumque præter quam ex causa resignationis primo vacaturam, cui aliud onus incompatibile injunctum non sit, constitutam, & deputatam decrevit pro Lectore Sac. Scripturæ, addiditque quod in Monasteriis Monachorum, ubi commode fieri posset, etiam lectio Sac. Scripturæ haberetur, uti colligitur *ex citato cap. 1.* & late historiam erectionis Præbendæ Theologalis enarrando prosequuntur *Thomassin. de veteri, & nova Ecclesiastica disciplina tom. 1. par. 1. lib. 2. cap. 10. Vanespen. in jus Canon. tom. 1. part. 1. tit. 11. cap. 6.*

Si sacrarum litterarum studia postremis temporibus in eo statu permansissent, in quo erant temporibus antiquioribus, nulla profecto irrepsisset controversia de assumendis ad præbendam Theologalem, aut Magistro in Sacra Theologia, aut Juris Canonici Doctore; nulla quippe primis illis temporibus aderat distinctio inter Theologos, & Canonistas, Teste *Joanne Gersonio in Sermone facto ad juris Canonici licentiatos tom. 2.* ibi, *quibus temporibus non erat distinctio Theologorum, & Canonistarum, licet Canones Sacri multi essent citra tenorem traditum in Evangeliis, & cæteris libris Canonicis*, quod argumentum late exornat *Bulæus in historia Universitatis Parisiensis tom. 2. seculo 4. pag.* 580. At cum temporibus posterioribus Sacrorum Canonum disciplina licet Sac. Theologiæ subordinata Theologiam præsupponat, uti Medicina præsupponit Philosophiam naturalem, & Musica arithmeticam, separari cœperit a Sac. Theologia, uti bene adnotatum fuit in Præfatione septimi libri Decretalium Clement. Octavi, qui fuit impressus, sed nunquam publicatus, ubi legitur ad Theologum pertinere proponere dogmata, & ea speculative, & ex professo in scholis legere, & de illis, tamquam de suis axiomatibus disputare, & ad Juris Canonici professorem spectare ea præsupponere tanquam certa, & accepta ex prioribus Theologiæ principiis, hinc factum est ut pleræque exortæ sint contentiones inter Theologos, & Canonistas pro assumptione potissimum Theologi, aut Canonistæ ad aliquod officium; at omissis illis, quæ non faciunt ad rem, ut ea, de qua nunc agitur exponatur, operæ pretium est onus perpendere a Concilio Trid. annexum Præbendæ Theologali.

Concilium citato *cap. 1. sess. 5. de Reform.* Canonico imponit onus exponendi Sacram Scripturam, & eamdem interpretandi ad ipsius Sac. Scripturæ expositionem & interpretationem, & rursus, ut ipsa Sac. Scripturæ lectio habeatur, & paulo post sermonem habendo de Monasteriis Monachorum subdit, in Monasteriis quoque Monachorum, ubi commode fieri queat, etiam lectio Sac. Scripturæ habeatur, & licet ibi sancta Synodus loqui videatur de lectione Sac. Scripturæ tamquam distincta a lectione Theologiæ Scholasticæ, tum quia loquitur de ipsa S. Bibliæ expositione, ne cælestis ille Sacrorum Thesaurus, quem *Spiritus Sanctus summa liberalitate hominibus tradidit, neglectus jaceat*, tum quia occasione memorati decreti inter Abbatem Cassinensem, & Dominicum Sotum in ipso Concilio exortæ sunt disputationes de prælatione, aut lectioni Sac. Scripturæ, aut lectioni Sac. Theologiæ Scholasticæ præstanda, *Test. Card. Pallavic. in Hist. Conc. Trid. sess. 7. cap. 5.* cum nihilominus allegatum Caput primum promiscue loquatur de lectione Sac. Scripturæ, & de lectione Theologiæ, ibi, pro lectoribus Sac. Theologiæ, & rursus ut Theologiæ lectio in eis commode haberi possit, Sac. hæc Congregatio fuit in sensu quod obtinens præbendam Theologalem suo muneri satisfaciat sive Sac. Scripturam interpretetur, sive legat Theologiam Scholasticam, uti habetur in resolutione apud *Gallemart ad dictum capit. 1. num. 16. sess. 5. de Reform.* & prosequuntur *Fagnan. in cap. quia nonnullis num. 29. & seqq. de Magistris, Garzias de Benefic. par. 5. cap. 4. num. 156. Pirhing in jus Canon. tit. 4. lib. 5. tit. 5. §. 1. sub nu. 7. §. Notandum sexto. Pignatell. consult. 62. num. 27. tom. 3.* & concordat Concil. provinciale Benevent. habitum anno 1656. sub Archiepiscopo Joanne Baptista Foppa *tit. 12. de Magistris* ibi, *provisi de hujusmodi præbendis Sac. Script. interpretari, aut docere &c. per se & non per alios compellantur.*

Si onus Canonici Theologi fuisset restrictum ad explicationem S. Scripturæ, vel lectionem Theologiæ Scholasticæ, Doctores in jure Canonico ad dictam præbendam nunquam aspirare potuissent, & de facto in Metropolitana Mediolanensi, in qua Canonicus Theologus sac. explicabat Scripturam, S. Carolus Borromæus distinctam assignavit Præbendam Canonico in jure Doctori, qui Sac. Canones bis in hebdomada explicaret, uti ex Giussano in ejus vita perpendit *Thomassin. loco citato num. 4.* & cum lectioni Theologiæ Scholasticæ fuerit subrogata lectio Casuum Conscientiæ, sive Theologiæ Moralis, hinc aperta est via Doctoribus Jur. Canonici ad obtinendam Præbendam Theologalem.

Descendendo itaque ad dictam subrogationem, fieri hæc cœpit cumulative cum ipsa lectione sac. Scripturæ. Et exemplum hujus cumulativæ subrogationis extat in *cap. 5.* celeberrimæ Synodi Farfen. clar. mem. Card. Caroli Barberini ibi, *Præbendam Canonicalem primo vacaturam, ad usum lectionis S. Scripturæ, & Theologiæ Moralis ut supra habendæ ex nunc, prout ex tunc ad formam Sac. Conc. Trid. perpetuo constituimus, & deputamus*; & in Synodo Montis Falisci habita anno 1710. *cap. 6.* hæc habentur de præbenda Theologali, qui igitur de ea provisi fuerint, statis diebus post *Vesperas in Sacrario super aliquo ex Canonicis libris lectionem habebunt, quod si pro ea scripturæ lectione ex re magis esse videbitur de morum Doctrina disserere, fiet, novis tamen relinquimus, quod maluerimus ex scriptura, vel morali argumentum designare*, & cohærenter ad hæc Monacell. *in formul. num. 1. tit. 2. formula 5. pag. 40. & seqq.* post expositam formulam erectionis Præbendæ Theologalis, scribit *num. 5. & seqq.* Canonicum debere esse paratum ad utrumque, hoc est ad lectionem Sac. Scripturæ, & ad explicationem quæstionum Moralium, & unum debere facere, & aliud non omittere.

Cumulativa lectio sac. Scripturæ cum Theologia morali cessavit, & sub obtentu, quod utilior esset pro Clero in locis potissimum, qui diffiti sunt ab hæreticis, lectio solius Theologiæ Moralis, Canonicus Theologus solos Conscientiæ Casus explicavit; cumque nemo non sciat maximam esse connexionem inter jus Canonicum, & Theologiam moralem, huic fundamento innixi sunt quotquot asseruerunt, satis esse pro obtinenda Præbenda Theologali, quod aliquis sit Doctor in jure Canonico, licet Magisterium in sacra Theologia non receperit, & eo fortius quando in Metropolitana, vel Collegiata, aut Cathedrali mos inolevit, ut loco lectionis sac. Scripturæ aut Theologiæ Scholasticæ lectio Theologiæ moralis habeatur, ut in specie firmant *Ricc. decis. 101. per tot. par. 4. Ventrigl. in prax. ver. Eccles. part. 2. annot. 12. §. 1. n. 13. R. P. D. Petra ad Constit. Apostol. tom. 4. pag. 252. n. 35. & sequitur Rota in Forolivien. Canonicatus Theologalis 25. Junii* 1700. §. 1. *coram bon. mem. Ansaldo.*

Hæc quoad placita Doctorum, & praxim nonnullarum Ecclesiarum; nunc autem sermonem transferendo ad resolutiones hujus Sac. Congregationis, Card. Alciatus notavit, non potuisse Episcopum Cremonensem conferre primam præbendam post Concilium vacantem Canonistæ, licet Theologum idoneum secularem in Civitate non invenisset, & provisum non fecisse fructus suos, & Episcopum indiguisse absolutione Papali propter pœnas impositas in Bulla Pii IV. contra non observantes Conc. Trid. & Card. S. Sixti adnotavit non esse eandem rationem de præbendis Theologalibus, ac de Canonicalibus, & Præbendam Theologalem tunc solum Canonistæ conferri posse, quando facta diligentia non invenitur Theologus in loco, uti refertur apud *Fagnan. in cap. quia nonnullis num. 32. de Magistris.*

Die 16. Aprilis anno 1595. Sac. hæc Congreg. ita rescripsit Episcopo Pharensi, uti habetur *lib. 8. Decretorum pag. 116. Præbendam Theologalem alicui ex Collegii Illyrici Alumnis alioquin idoneis, utique conferri ab Episcopo posse, tametsi is casus conscientiæ tantum sit explicaturus.*

Die 14. Novembris 1626. Sac. Congregat. in Causa Aquilejen. censuit Doctorem in jure Canonico esse admittendum, uti habetur *lib. 13. Decret. pag. 136.*

Die 12. Novembris 1639. Sac. Congreg. ita rescripsit in quadam Polignanen. pro obtinenda Præbenda Theologali sufficere, ut quis sit licentiatus in utroque jure, alias idoneus ad docendam Theologiam moralem, & ideo in hoc casu D. Secretarius faciat extrajudicialiter examinare Oratorem super illius habilitate per Patrem Torquatum de Cupis, uti habetur *lib. 16. Decretal. pag.* 292.

Die 3. Februarii 1646. Sac. Congregatio in quadam Asten. ita respondit, quæritur an Doctor in jure Canonico possit obtinere præbendam Theologalem, & an Theologus non Doctor possit similiter illam obtinere, Sac. &c. ad Primum respondit posse, & ad secundum pariter affirmative respondit, si non adsit Doctor æqualis idoneitatis, uti habetur *lib. 18. Decret. pag. 31.*

Die denique 27. Septembris 1681. lib. 32. Decret. fol. 14. a tergo in quadam causa Vigilien. hæc habentur, Franciscus Venetianus Canonicus Theologus Cathedralis Vigilien. supplicat pro indulto, ut loco se doctorare faciendi in Theologia, possit assumere gradum doctoratus in jure Canonico, Sacr. &c. ad quam Sanctissimus Dominus Noster libellum hujusmodi remisit, attenta relatione Episcopi Vigilien. censuit, si Sanctitati suæ placuerit, posse per suas litteras Apostolicas committi eidem Episcopo, qui veris existentibus narratis, & dummodo prævio diligenti examine Oratorem invenerit habilem, & idoneum docendi Theologiam moralem, & explicandi Sac. Scripturam juxta legem in fundatione Præbendæ Theologalis appositam pro suo arbitrio, & Conscientia cum eo gratis dispenset, ut gradum Doctoris in jure Canonico suscipere valeat, qui sic susceptus Oratori suffragetur, perinde ac si ipse in Sac. Theologia graduatus reperiretur, ita tamen ut Theologiam moralem docendo, & sac. Scripturam explicando vere incumbat, & sedulo præstet operam, & de præmissis facta relatione Sanctissimo *die 25. Octobris* Sanctitas sua Sac. Congregationis sententiam benigne approbavit.

Colligitur ex dictis, Sac. Congregationem primis temporibus voluisse pro Præbenda Theologali Doctoratum in Sac. Theologia, mediis temporibus admisisse etiam Doctoratum in Sacris Canonibus, & postremis temporibus Consilium præstasse Sanctissimo pro dispensatione; at hic ultimus status æquivocus esse potest, cum in tantum forte necessaria existimata fuerit dispensatio, in quantum forte in fundatione Præbendæ apposita fuerat conditio Doctoratus in Sac. Theologia.

Quia vero hæc eadem conditio apponitur in litteris provisionis Præbendæ Theologalis, poterunt EE. VV. benigne perpendere, an ei sufficienter satisfiat per assumptionem Doctoratus in Jure Canonico; pro parte etenim negativa facit, quod sicuti de jure non satisfit dictæ conditioni per Doctoratum in jure Canonico, quando eadem est apposita in fundatione, cum in hoc casu ex supradictis requiratur dispensatio, sic idem dicendum esse videtur in terminis ejusdem conditionis appositæ in litteris provisionis.

E contra pro parte affirmativa facit quod summus Pontifex præsumitur se conformare dispositioni Juris, unde si de jure sufficit pro Præbenda Theologali Doctoratus in jure Canonico, non erit necessarium Magisterium in Sacra Theologia, licet illud præscribatur in litteris provisionis, & ut revera dici posset non satisfieri conditioni per lauream in jure Canonico, opus esset, ut Papæ fuisset expositum, quod Orator esset in jure Canonico graduatus, & quod hoc minime obstante, Papa in litteris provisionis eidem demandasset assumptionem Magisterii in Sac. Theologia; in ea quippe facti specie Doctoratus in jure Canonico non esset sufficiens.

Atque hæc dicta sunt sub censura, salvo semper &c.

QUÆSTIO CCCXXXI.

In Causa Sabinensi, seu Narniensi Parochialis, die 5. Junii 1723.

EMINENTISSIMUS Dominus Cardinalis Franciscus Pignatellus Episcopus Sabinen. commisit Episcopo Nuceriæ Paganorum, ut prædictam suam Sabinensem Diœcesim visitaret, & inter cætera, quæ fuerunt a Visitatore decreta, die 29. mensis Maii 1720. fuit ab ipso statutum, ut pro commoditate incolarum, & habitantium in quamplurimis Villulis, Ecclesia S. Mariæ ad Nives in Parochialem eligeretur; cumque subinde nomine habitantium exhibitus fuisset prædicto Eminentissimo Episcopo supplex libellus pro erectione dictæ Ecclesiæ in Parochialem, Vicarius Generalis in novam Parochialem erexit, & constituit Ecclesiam Sanctæ Mariæ ad Nives, mandavitque ut in Ciborio asservaretur Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, Fons Baptismalis construeretur, & quod ultra duo Prædiola exiguissimi reditus, & ad annuum reditum unius scuti ascendentia, novo Parocho assignata pro ejus subventione, & Ecclesiæ manutentione, eidem Decimæ persolverentur ab habitantibus.

Et fundamentum novam hanc Parochiam erigendi constitutum fuit in magna, quæ aderat, difficultate, & in notabili Parochianorum incommodo adeundi Parochialem Ecclesiam Carbii pro recipiendis Sacramentis, & audiendis Divinis Officiis; absque eo quod ulla vis in oppositum fieri potuerit propter parvum numerum hominum sub nova Parochia degentium; animæ etenim in totum ascendunt ad numerum 565. & familiæ sunt 132. & licet nonnullæ ex his familiis adhuc domicilium retineant in Terra Carbii, & in nova Parochia tuguria habeant, in quibus per aliquam anni partem habitant, occasione videlicet culturæ bonorum, cum autem centum familiæ perpetuo inhabitent, & fixos habeant lares in Parochia, satis hoc habitum fuit pro dicta novæ Parochiæ erectione.

Secuta novæ Parochiæ erectione, nonnulla a Curia Episcopali Sabinen. Edicta prodierunt tum quoad solutionem Decimarum novo Parocho, tum quoad prohibitionem, ne adscripti novæ Parochiæ Sacramenta reciperent tempore Paschatis, vel sine debitis licentiis Matrimonia contraherent in Terra Carbii, & demum ne Parochiani infirmi, & morti proximi, eorumque Cadavera ad d. Terram transportarentur, & ex his, & consimilibus contentiones exortæ sunt inter Promotorem Fiscalem Curiæ Episcopalis Narniæ, & homines Terræ Carbii ex una, & Promotorem Fiscalem Curiæ Episcopalis Sabinen. ex altera partibus.

Delatis ad hanc Sacram Congregationem controversiis, scriptum fuit utrique Ordinario pro informatione, & Vicarius Generalis Sabinen. retulit fines suæ Diœcesis protrahi usque ad foveum Terræ Carbii; nec in hoc ullam esse posse difficultatem, cum pertinentia fuerit declarata in sententia A. C. Cincii, quæ transiit in judicatum, & quam renunciatio liti facta ab Episcopo Narnien. subsequuta est. Retulit insuper novæ Parochialis erectionem servatis servandis a se factam, & demum subdidit Parochianos fuisse commotos a Parocho Terræ Carbii, & se coactum fuisse ad publicanda edicta etiam pœnalia, ut eorum audaciam compesceret, ut jura novæ Parochiæ defenderet, & ut tandem scandalum de medio tolleret, infirmi etenim non adhuc Sacramentis muniti super asellum aliquando versus Terram Carbii asportati sunt, & in itinere absque Sacramentis vitam cum morte commutarunt.

Episcopus e contra Narnien. novam hanc Parochiam in sua informatione inquit erectam fuisse absque reditibus, & subsidiariam populi coactionem esse impracticabilem, tum quia agitur de pauperibus habitatoribus, tum quia nonnulli ex his duplici onere gravantur, solvendi videlicet Decimam novo Parocho, a quo Sacramenta recipiunt, & aliam Decimam Parocho, in cujus Parochia retinent bona. Item novum Rectorem non posse omnium Confessiones excipere, cum miserabiles Parochiani in solemnioribus turmatim confluant ad Sacramenta percipienda, itaut major eorum pars non confessa sit discessura. Rursus habentes domicilium in ipsa Terra Carbii suos esse subditos, nec subditos per consequens censeri posse Episcopi Sabinen. licet aliquando morentur in loco per sententiam A. C. assignato Episcopo Sabinen. cum in eo commorentur causa commodioris culturæ bonorum, & facilioris fructuum recollectionis. Denique mirum non esse, si infirmi ad Terram Carbii deferantur cum solvant collectas pro stipendio Medici, & Chirurgi dictæ Terræ.

Hæc sunt quæ in utraque relatione continentur; cumque jura hinc inde circumferantur, quæritur

I. *An erectio Ecclesiæ S. Mariæ ad Nives in Territorio Carbii in Parochialem demandata in Sacra Visitatione sustineatur in casu &c.*

II. *An Edicta Vicarii Generalis Sabinensis sustineantur in casu &c.*

Sacra Congr. respondit,
Ad primum dilata, & ad mentem. Ad secundum dilata.

QUÆSTIO CCCXXXII.

In Causa Cremonensi, die 5. Junii 1723.

PLURES controversiæ exortæ inter Præpositum Parochialis Ecclesiæ S. Leonardi Casalis Majoris, & Confratres Mortis, & Orationis, Oratorium habentes intra limites dictæ Parochiæ, fuerunt examinatæ, & resolutæ *die 23. Januarii* 1706. ut ex folio dictæ Congregationis colligi potest.

Aliqua tamen dubia indecisa remanserunt, & signanter, an Confratres celebrantes Festum Nativitatis B. Mariæ Virginis in suo Oratorio, invitare tenerentur Præpositum S. Leonardi, & quatenus affirmative, an dictus

ctus Præpositus teneretur per seipsum in dicto Festo Missam solemnem celebrare, & quatenus esset impeditus, teneretur deputare Cappellanum dicti Oratorii, vel potius deputare valeret alium Sacerdotem sibi benevisum.

Adeoque facta horum dubiorum nova propositione in Congregatione habita die 31. Julii 1717. nulla pariter fuit capta resolutio, sed dictum quod interim per modum provisionis, & sine præjudicio jurium partium Præpositus invitaretur ad celebrationem Festi, ipsoque renuente vel impedito, Confratres procederent ad electionem Sacerdotis sibi benevisi, & hoc ipsum fuit confirmatum in decreto provisionali edito die 21. Maii 1718. in quo declaratum est, functiones ordinarias, & juxta institutum fieri consuetas, expleri posse sine præjudicio jurium ambarum partium e Confraternitate per eundem Cappellanum, & electionem Sacerdotis pro celebratione Festivitatis Nativitatis B. M. V. ab iisdem Confratribus esse explendam in casu renitentiæ, sive impedimenti Præpositi.

Provisionalia hæc decreta, quæ pro objecto habuerunt pacem, & Concordiam inter Præpositum, & Confratres, novis diffidiis viam præbuerunt, contendentibus videlicet Confratribus, se absque licentia Præpositi facere posse Processionem die Festo Nativitatis B. M. V. dicto Præposito S. Leonardi invitato, & renuente, aut impedito processioni intervenire, seque ulterius dictam processionem facere posse cum interventu Cappellani, aut alterius Sacerdotis a se, & non a Præposito eligendi, & controversias controversiis addendo, promota fuit a memoratis Confratribus prætentio, quod Præpositus, qui insimul est Confrater Confraternitatis, duo suffragia habere non possit, sed unum duntaxat in Congregationibus, quæ fiunt.

Excipit e contra Præpositus, non esse licitum Confratribus sine sua positiva licentia processiones ducere extra ambitum proprii Oratorii, sive Ecclesiæ juxta resolutiones SS. Congregationum, Constitutiones Synodales, & observantiam, & in casu renitentiæ, vel impedimenti ad se pertinere facultatem deputandi pro interventu Sacerdotem sibi magis benevisum; haud urgentibus supramemoratis provisionalibus decretis, cum eadem utpote loquentia de functionibus intra ambitum faciendis, & in eo, quod spectat ad duplex in Congregationibus suffragium, Præpositus ait se esse in possessione, & duplex suffragium fuisse suo Antecessori concessum.

Relatio Episcopi favet Præposito, quocirca quæritur,

I. An Præposito S. Leonardi invitato, & renuente, aut impedito intervenire Processioni occasione Festi Nativitatis Beatæ Mariæ Virginis adhuc Confratres Mortis Oppidi Casalis majoris illam facere possint absque licentia dicti Præpositi in casu &c.

II. An dicti Confratres facere possint eandem processionem cum interventu Cappellani, aut alterius Sacerdotis per ipsos, non autem per Præpositum destinandi, in casu &c.

III. An Præposito S. Leonardi, & simul Confratri dictæ Confraternitatis competant duo suffragia, vel unum duntaxat in Congregationibus ejusdem Confraternitatis, in casu &c.

Sacra Congr. respondit,
Ad primum affirmative intra ambitum proprii Oratorii, extra vero ambitum negative, nisi Episcopi licentia accedat. Ad secundum affirmative. Ad tertium negative quoad primam partem, & affirmative quoad secundam.

QUÆSTIO CCCXXXIII.

In causa Fanensi, die 5. Junii 1723.

EXTAT in Civitate Fanensi quoddam Collegium fundatum a Vincentio de Nolphis, & in hoc Collegio aluntur duodecim Nobiles Adolescentes, quorum octo studiis Juris Canonici, & Civilis, & alii quatuor Medicinæ incumbere debent.

Inter hujus Collegii Constitutiones una reperitur, in qua sic legitur: *I Superiori del Collegio dovranno essere sempre il Vescovo di Fano, il Rettore della Congregazione di S. Pietro, ed il più antico Dottore del Conseglio*; cumque antiquior Doctor inter Consiliarios esset Joseph de Dionysiis, sed Doctoratus gradum in publica Universitate non recepisset, & e contra Pompejus Zagarellus non esset antiquior in Collegio, sed Doctor, qui gradum Doctoratus in publica Universitate receperat, exorta est controversia, cui ex ipsis superioritas Collegii Nolphi esset deferenda.

Scriptum fuit Episcopo pro Informatione, & Voto, cumque idem utriusque Collitigantis jura audivisset, & fuisset in sensu favorabili pro Zagarello, re proposita inter summaria precum in Congregatione habita *die 19. Septembris* 1722. Sac. Congregatio censuit prælationem deberi Pompejo Zagarello, impetrataque a Dionysio nova audientia, quæritur in præsenti, *An sit standum, vel recedendum a decisis.*

Quoad Beneficia, & Dignitates Ecclesiasticas certum est, Doctoratum non receptum in publica Universitate non suffragari, *juxta Constitutionem 60. S. Pii V. Bullar. tom. 2.* & resolutionem hujus Sac. Congregationis confirmatam a Clemente X. & relatam per extensum apud bon. mem. R. P. D. de Zaulis ad Statut. Favent. *lib. 1. rub. 20. num.* 10.

At licet hic non agatur de Dignitate, vel Beneficio Ecclesiastico, contendit tamen Zagarellus, non posse Dionysio suffragari Doctoratum non receptum in publica Universitate, tum quia consimilia Doctoratus Privilegia, utpote sine examine concessa non attenduntur, juxta *decis. 846. num. 3. coram Emerix Jun.*, tum quia maximopere convenit, ut Collegii superioritas deferatur Doctori publicæ Universitatis, cum Collegium sit institutum ad erudiendos Juvenes pro consequenda Laurea Doctorali, & tandem quia a principio usque in præsens Collegii superioritas semper fuit delata Doctori publicæ Universitatis, excepto ultimo Casu, qui nec fuit pacificus, cum motæ fuerint controversiæ contra Doctorem ex privilegio, & ignoretur, qua de Causa suam prosecutionem non habuerint.

Excipit e contra Dionysius se habere omnia requisita pro obtinenda superioritate, cum sit antiquior inter Consiliarios, & sit Doctor, & ulterius pluribus aliis muneribus functus sit, non attento Doctoratu ex privilegio, cum immediatus Prædecessor fuerit Doctor eodem modo, & fundator non requisiverit Doctoratum Universitatis.

His stantibus, quæritur,
An sit standum, vel recedendum a decisis.

Sacra Congr. die 26. Junii 1723. respondit,
Prævio recessu a decisis superioritatem deberi Dionysio.

QUÆSTIO CCCXXXIV.

In Causa Montis Politiani, die 26. Junii 1723.

VENERABILIS Dei Servus Cardinalis Robertus Bellarminus in Constitutionibus, quas edidit, pro regimine novæ Cathedralis Montis Politiani, quæque subinde Auctoritate Apostolica fuerunt confirmatæ, decrevit, ut Matutinum Officium in posterum diceretur mane circa ortum solis, vel non diu postea, & juxta hanc legem preces Matutinæ, & Laudes circa ortum solis, & tempore hyemali una hora post ortum solis recitatæ sunt.

Ita res se habuit usque ad annum *1616.* quo decurrente, cum Canonici capitulariter uniti, communi calculo, exceptis duobus, resolutionem fecissent de habendo recursu, prout habuerunt, ad hanc Sacram Congregationem, pro mutatione horæ Matutini, hoc est pro facultate illud recitandi de sero, a Kalendis videlicet Novembris ad totum mensem Aprilis, non obstante, quod aliter statutum fuisset in Constitutionibus Apostolica Auctoritate roboratis, uti exposuerunt, datæ sunt litteræ juxta morem Episcopo pro informatione, & voto.

Episcopi informatio fuit favorabilis petitioni Canonicorum, ponderatoque, quod Cathedralis erat sita in Cacumine Montis, quod Canonici tuendæ valetudinis gratia tempore hyemali se abstinebant a Choro, quod gratia demum non carebat exemplo in Provincia, cum in Ecclesiis Pisana, Volaterrana, Clusina, Cortonensi, Collis, S. Miniati, & Pientina Matutinum Officium diei sequentis recitetur die præcedenti propter aeris subtilitatem, Sacra Congr. *die 3. Octobris 1716.* commisit Episcopo Montis Politiani, ut Canonicis gratis indulgeret, quod horas Matutini, & Laudum a die immediate sequenti post festum Epiphaniæ usque ad diem Cinerum exclusive, de sero recitare possent, & valerent.

Fuit hoc rescriptum executioni mandatum, sed cum post plurium annorum lapsum, Canonicus Franciscus Xaverius Ægidii novum ad hanc Sacram Congregationem recursum habuisset, instando, ut gratia jam concessa retractaretur, novæ ad Episcopum datæ sunt litteræ, & Episcopus dubitans de mutata Canonicorum voluntate, cum Capitulum coram se convocasset, & secreta singulorum suffragia per fabas albas, & nigras de more expetiisset, decem ex sexdecim Capitularibus nihil esse innovandum censuerunt, & sic Matutinum, & Laudes esse recitandas ad tramites decreti editi die 3. Octobris 1716.

Ita legitur in nova Episcopi informatione, in qua idem se revera favorabilem ostendit, & consentientem majori parti Canonicorum, & quia recolendæ mem. Antonius Cervinus Episcopus Montis Politiani in suo cum quo decessit testamento quasdam distributiones constituit pro sex Cappellanis Matutini recitationi interessentibus, *da tutta la somma del frutto, quello, che terrà l'amministrazione, ritenga per sua mercede annualmente scudi due, & ogni restante si divida ugualmente fra i detti sei Cappellani, con obbligo d'intervenire tutti quotidianamente a recitare il Matutino in detta Chiesa Cattedrale, e non in Sacristia, come di presente, ma in Coro, e mancando ciò fare, quello, che mancherà intervenirci, resti privo di tal emolumento*, respondetur a Canonicis ex hoc legato nihil aliud inferri posse, quam quod si Cappellani prædicti volunt lucrari distributiones, debent recitare Matutinum, non in Sacristia, sed in Choro, quæ res nihil habet commune cum recitatione Matutini post Completorium per aliquam anni partem.

Jura hinc inde circumferuntur, unde quæritur

I. An decretum Sac. Congregationis anni 1716. concedens recitationem Matutini cum Laudibus de sero post Vesperas Canonicis Cathedralis Montis Politiani, sustineatur, & quatenus negative.

II. An Matutinum cum Laudibus recitari debeat de mane ad formam Constitutionis clar. mem. Card. Bellarmini in casu &c.

Sacra Congr. respondit,
Ad Primum affirmative. Ad Secundum satis provisum in primo.

QUÆSTIO CCCXXXV.

In Causa Sorana, die 26. Junii 1723.

BENEDICTUS Cossa, & Franciscus Francatius, qui sunt Canonici Collegiatæ Ecclesiæ Sancti Michaelis Terræ Arpini Diœcesis Soranæ, recursum habuerunt ad hanc Sacr. Congregationem exponendo, se constitutos esse ob defectum ætatis in minoribus Ordinibus, se per integrum anni circulum absque ulla vacatione subire rigorosum Chori servitium, & se nihilominus non percipere, nisi annuos ducatos circiter viginti, quando annuus reditus cujuslibet alterius Canonici ejusdem Ecclesiæ excedit summam ducatorum 140.

Scriptum fuit Episcopo pro informatione, & voto, & Episcopus retulit exposita in facto subsistere, & Canonicos nihil opponere præter consuetudinem, cumque, missis exceptis, æquale sit onus, quod Canonici sustinent, sive Presbyteri sint, sive Clerici, infert Episcopus fructuum distributionem æqualiter esse faciendam præter emolumenta Missarum.

Contendunt Benedictus Cossa, & Franciscus Francatius consuetudinem non esse ullo modo probatam, durumque profecto videri, ut Canonico Clerico præstetur quarta pars illius portionis, quæ datur Canonico Presbytero, quando certum est, de jure non requiri Sacrum Ordinem in Canonicis Ecclesiarum Collegiatarum, sed sufficere primam Tonsuram. Jura circumferuntur, quocirca quæritur,

An Clerici Benedictus Cossa, & Franciscus Francatius Canonici Ecclesiæ Collegiatæ S. Michaelis Arpini admittendi sint ad integram participationem, tam distributionum quotidianarum, quam alterius cujuscumque reditus provenientis a Massa Communi, & Præbendis Canonicalibus pro æquali cum aliis Canonicis Sacerdotibus ejusdem Collegiatæ, exceptis oneribus Missarum, & aliorum requirentium Sacrum Ordinem in casu &c.

Sacra Congr. respondit,
Negative.

QUÆSTIO CCCXXXVI.

In Causa Vasionensi Præeminentiarum, die 26. Junii 1723.

JOANNES de Bretons, qui Prioratum Ecclesiæ S. Michaelis loci Malaucenæ obtinebat, anno 1572. devenit ad transactionem cum Vicario ejusdem Ecclesiæ, & eidem concessit omnes, & singulas oblationes, impposito onere retinendi Coadjutorem propriis expensis, sibique reservata præeminentia in Ecclesia, in casu personalis residentiæ.

Anno 1598. Prioratus fuit unitus Capitulo Metropolitanæ Avenionensis, firma remanente perpetua Vicaria, uti supra erecta, cumque progressu temporis Populus subjectus Curæ Parochiali prædictæ Ecclesiæ Sancti Michaelis incrementum habuisset, operæ pretium Capitulo visum est demandare Vicario perpetuo, ut ultra Coadjutorem institutum in sequentiam transactionis initæ anno 1572. Vicarius sibi alium adscisceret Coadjutorem ad nutum amovibilem, qui Coadjutor Viceprioris nomen assumpsit.

Vicaria perpetua modo obtinetur a Sacerdote Alexandro Filiol, cumque inter ipsum, & secundum Coadjutorem, sive Vicepriorem exortæ sint controversiæ, an Missæ videlicet, & aliæ functiones solemnes explendæ sint a Vicario perpetuo privative quoad Vicepriorem, allegata a Vicepriore consuetudine immemorabili, fuit eidem data facultas dictam consuetudinem probandi. Cumque post multi temporis lapsum immemorabilis non fuerit ullo modo probata, instante Alexandro Filiol post auditam Episcopi Vasionensis Ordinarii relationem, quæ est eidem favorabilis, sequens in præsenti disputandum proponitur dubium:

An Missæ, aliæque functiones solemnes in festis mobilibus spectent ad Vicarium perpetuum in ejus Ecclesia Parochiali Sancti Michaelis Malaucenæ privative quoad Vicepriorem deputatum in Coadjutorem curæ animarum a Capitulo Avenionensi in casu &c.

Sacra Congr. respondit,
Affirmative, & amplius.

QUÆSTIO CCCXXXVII.

In Causa Isernienſi, die 26. Junii 1723.

CAPITULUM Cathedralis Isernien. componitur ex duabus Dignitatibus, Archipresbytero videlicet, & Primicerio, & duodecim Canonicis, & duodecim Hebdomadarii Choro inserviunt; cumque continua sit Choro interessentia, exclusio etiam beneficio mensium Conciliarium, supplices preces Sanctissimo Domino Nostro exhibitæ sunt pro obtinenda alternativa, quod una videlicet hebdomada una Dignitas, & sex Canonici, & duodecim Hebdomadarii Choro inservirent, & alia hebdomada alia Dignitas, alii sex Canonici, & iidem duodecim Hebdomadarii eidem Choro inservirent, & sic alternatim, exceptis tamen Communibus, quibus omnes interesse deberent.

Supplicatio fuit a Sanctitate Sua ad hanc Sacram Congregationem remissa, quæ audire voluit Episcopum, & Episcopus testatus est de continuo, & nunquam interpolato servitio, de nimia aeris rigiditate, & humiditate, de infirmitatibus habitualibus, quibus Canonici subjecti sunt, de tenuitate Præbendarum, & de simili tenuitate distributionum, cum ex massa communi unusquisque Canonicus distributionum nomine non percipiat, nisi ducatos 20. in pecunia annuos, & modios 10. pariter annuos in frumento, absque eo quod reditus Dignitatum excedant reditus Canonicorum, cum excessus sit in obulis, & tandem concludit Episcopus, per dictam alternativam sufficiens præstari Choro servitium.

In Cathedrali Arianen. viginti aderant Canonici, & sex Hebdomadarii. Supplicatum fuit Sacræ Congregationi pro alternativa, & Episcopus testatus est de rigiditate aeris *attenta nimia rigiditate aeris*, testatus etiam est de habitualibus infirmitatibus Canonicorum, *nonnulli eorundem propter infirmitates habituales sunt inhabiles*, & Sacra hæc Congregatio *die 12. Novembris 1699.* indulsit alternativam cum clausula sequenti, *ita tamen ut Capitulares omnes tempore Adventus, & Quadragesimæ, omnibus diebus festis, ac solemnioribus Nativitatis, & Resurrectionis Domini Nostri Jesu Christi, Pentecostes, & Sanctissimi Corporis Christi, ac per totam Octavam ejusdem, & aliis temporibus Episcopo benevisis interesse, & jugiter inservire teneantur*, uti habetur *lib. 49. Decretorum pag. 447. a tergo.*

His stantibus, quæritur
An, & quomodo petitis sit annuendum in casu &c.

Sacra Congr. respondit
Pro gratia ad formam resolutionis Arianen.

QUÆ-

QUÆSTIO CCCXXXVIII.

In Causa Ordinis Canonicorum Regularium SS. Salvatoris, die 17. Julii 1723.

JOANNES Baptista Simonetta Sacerdos, & celebris Concionator nomen dedit Religioni Societatis Jesu, in qua quartum Votum emisit, & deinde translatus fuit ad Canonicos Regulares Sanctissimi Salvatoris, ubi ad Professionem admissus est: cumque Episcopus Nucerinus puter in Domino expedire, & Populi indigentiæ convenire, ut idem assumatur ad Curam Animarum *in Parochiali Ecclesia Sancti Bartholomei Crocicchi*, ut ex ejus informatione desumitur, & Abbas Generalis dicto Joanni Baptistæ licentiam fuerit impertitus, & Procurator Generalis requisitus pro informatione, & voto crediderit annuendum esse petitis, ex quo præcipue *id suo convenit Instituto*, supplices preces huic Sacræ Congregationi exhibentur pro opportuno Beneplacito, & idcirco in præsenti quæritur, an petitis sit annuendum.

Porro ad partes positis disputationibus ad terminos *Textus in cap. quod Dei timorem de statu Monachorum*, nec non præcedentium decretorum, quæ edita fuerunt a Summis Pontificibus, Sacra Congregatio Episcoporum, & Regularium *die* 18. *Martii* 1671. approbante san. mem. Clemente X. statuit, *ut in posterum futuris perpetuis temporibus nemo ex Canonicis Regularibus Sancti Augustini Congregationis Lateranensis, quamvis non translatus ad Curam Animarum, in Ecclesiis Sæcularibus etiam de Jurepatronatus, in perpetuum, seu ad tempus quocumque titulo exercendam admittatur, nisi præter Abbatis Generalis licentiam, expressum quoque Sedis Apostolicæ indultum accedat, quod juxta Sacrorum Ministrorum penuriam, & prout Animarum postulabit utilitas, in contingentibus casibus concedetur*, & hoc decretum, licet loquatur de Canonicis Regularibus Congregationis Lateranensis, juxta nihilominus probabiliorem sententiam extenditur etiam ad Canonicos Regulares SS. Salvatoris, juxta plene deducta *apud Monacell. in formular. legal. par.* 1. *in append. pag.* 315. *& seqq. & signanter pag.* 316. *n.* 10.

Sola itaque superesse difficultas videtur in casu, ex quo Joannes Baptista translatus fuit a Religione Patrum Societatis Jesu ad Canonicos Regulares SS. Salvatoris, & quoad Translatos urget *Textus Sac. Concilii Tridentini sess.* 14. *de Reform. cap.* 11. ibi, *actaliter translatus, etiamsi Canonicorum Regularium fuerit, ad Beneficia Sæcularia etiam Curata omnino incapax existat*, sed uniformis non est Scribentium opinio super intelligentia prædicti Textus.

Nonnulli putant, Textum Conciliarem loqui de Canonicis Regularibus, qui ad aliam Religionem sunt translati, & non de translatis ab alia Religione ad Canonicos Regulares, in quo rerum themate Textus Conciliaris petitioni Joannis Baptistæ non obstaret, & hoc modo prædictum Textum intelligunt, & explicant *P. Gabriel Penuot. in Histor. Generali totius Ordinis Clericorum Canonicorum lib.* 2. *cap.* 72. *sub n.* 5. *Corrad. in praxi dispensat. lib.* 6. *cap.* 1. *num.* 10. *&* 11. *Tamburin. de Jure Abbatum tom.* 3. *disput.* 9. *quæst.* 8. *num.* 11. *Rota coram Seraphino decis.* 1269. *num.* 1.

Alii e contra credunt, Concilium loqui de Translatis ab una Religione ad Canonicos etiam Regulares, tum quia non erat opus ulla nova providentia circa Translatos a Canonicis Regularibus ad aliam Religionem; cum etenim per secundam Professionem liberati fuissent a prima, & Regulis, & Instituto novæ Religionis subjecti remansissent, jam satis provisum fuerat a jure communi, quoad ipsorum incapacitatem ad Beneficia Curata, *juxta Textum in cap. Monachi de statu Monachorum;* Tum quia cum intentio Concilii *citato cap.* 11. *sess.* 14. *de Reformat.* fuerit auferre Translatis spem manendi extra Claustra, vigore etiam Beneficiorum Curatorum, uti ponderat *Suarez de Relig. tom.* 4. *lib.* 3. *cap.* 15. *num.* 13. *in fin.* ibi, *voluit ergo Concilium in hac parte non solum auferre Translatis intentionem manendi extra Claustra, sed etiam impedire qualemcumque spem, quam concipere possent de hujusmodi libertate obtinenda, mediis hujusmodi beneficiis, quamvis transitus non esset ad eum finem ordinatus*, vacua remaneret intentio Concilii, si Textus allegatus procederet tantum in Canonicis translatis ad alias Religiones, & non in aliis, qui ab aliis Religionibus transeunt ad Canonicos Regulares, & hanc Concilii intelligentiam late propugnant *Pignatell. consult.* 44. *num.* 20. *& seqq. tom.* 1. *Clericat. discord.* 11. *de Regul. num.* 14. *R. P. D. Petra ad Constitut. Apostol. tom.* 2. *pag.* 12. §. *Fundamenta*, & conferunt bene deducta per *Rotam coram Bichio decis.* 360. *num.* 19. *& plurib. seqq.*

Additur, quod Societas Jesu inter alios Mendicantium Ordines connumeratur a S. Pio Quinto, & ab aliis Summis Pontificibus, uti late fuit deductum *in decis.* 245. *num.* 1. *&* 2. *coram Buratto*, & Professi Ordinum Mendicantium, quamvis licite transeant ad non Mendicantes, sunt incapaces Curæ Animarum, uti habetur *in Clementina prima de Regul. & transeuntibus ad Religionem*, ibi, *quodque Animarum Curam, & regimen, nec pro se possint, nec pro aliis exercere.*

Et hæc sunt, quæ ratione officii operæ pretium esse censui EE. PP. insinuare, non ad impediendam gratiam, pro qua Episcopus Nucerinus humillime exorat, sequentibus verbis: *Nè a ciò mi muove altro riguardo, che quello del vantaggio spirituale di questa Diocesi, la quale essendo di non piccola estensione, ma scarsa di Soggetti per la coltura di ventiquattro mila Anime, che in se racchiude, mi parrebbe fusse per ricevere un grand' ajuto dallo stabilimento d' un uomo sì celebre, e fervoroso nella predicazione, sì illuminato nella scolastica, e morale, e sì caritativo nell' insegnare, ed istruire ogni sorte di persone; Laonde quando la somma benignità dell' EE. VV. mi conceda un tal uomo, verrà a donarmi un istromento il più atto, ed il più opportuno, che io possa desiderare per adoperarlo in tutte le occorrenze alla coltura del mio Clero, e del mio Popolo*, sed, ut in memoriam reducantur, quæ a Sac. Concilio Tridentino, & Sacris Canonibus statuta sunt.

Adeoque nunc quæritur,
An petitis sit annuendum in casu &c.

Sacra Congr. respondit,
Negative.

QUÆSTIO CCCXXXIX.

In Causa Firmana Renunciationis, die 17. Julii 1723.

THOMAS de Adamis, qui solemnem Professionem emiserat in Congregatione Canonicorum Lateranensium, sibi resignari obtinuit Parochialem Ecclesiam S. Sabini in Diœcesi Spoletana, & possessionem dictæ Parochialis ingressus est *anno Domini* 1717. servata in omnibus forma decreti editi a Sac. Congregatione Episcoporum, & Regularium *die* 18. *Martii* 1671. & approbati a Clemente Papa X. & impressi *apud Monacell. in Append. ad formul. legal. pract. tom.* 1. *fol.* 314.

Exorta subinde controversia inter ipsum, & suos germanos fratres, tam super delatione habitus Regularis Congregationis Lateranensis, quam super regressu, seu reintegratione ad bona renunciata, occasione Professionis in Congregatione Lateranensi, bina dubia fuerunt proposita in Congregatione habita die 23. Maii 1722. & primum fuit, *an Thomas de Adamis teneatur deferre habitum Regularem Congregationis Lateranensis, tam in Functionibus Ecclesiasticis, quam extra Ecclesiam, & respective habere Socium Regularem dictæ Congregationis;* & secundum, *an eidem Thomæ de Adamis competat regressus, seu reintegratio ad bona renuntiata occasione Professionis in dicta Congregatione Lateranensi in casu &c.* & ad primum responsum est *ad mentem*, quæ fuit, quod deferret habitum juxta solitum, & esset exemptus ab obligatione retinendi socium: *Textus enim in cap. quod Dei Timorem de statu Monachorum, & Decretum Sacræ Congregationis editum anno* 1671. non præscribunt absolute, & simpliciter retentionem Socii, sed cum modificatione, *si commode fieri possit*, & ad secundum dictum est, *competere dicto Thomæ de Adamis regressum, seu reintegrationem ad bona renuntiata quoad usum tantum*, jussumque fuit, quod causa amplius non proponeretur.

Terminata hac instantia, alia promota fuit a sæpe memorato Thoma de Adamis adversus suos fratres super pertinentia videlicet proprietatis, seu dominii bonorum, super quibus usum obtinuit ab hac Sac. Congr. & in scriptura per manus circumferenda contendit, vel ad se, vel ad suam Ecclesiam Parochialem delatam fuisse dictam bonorum proprietatem, & e contra ejusdem germani fratres in alia scriptura per manus pariter circumferenda prætendunt, proprietatem apud se remanere debere in vim renunciationis a Thoma emissæ occasione religiosæ Professionis, itaut pactum regressus ad bona operari quidem valeat, quoad usum, sed præjudicium afferre non possit proprietati jam ad ipsos delatæ in sequelam dictæ renunciationis.

Quia

Quia vero jure spolii Camera Apostolica aliquam habere potest prætensionem, hinc est, quod ratione officii operæ pretium esse censeo sequentia super addere, uti omnibus adæquate de more ponderatis, tutum ab hac Sac. Congregatione ferri possit judicium.

Juxta receptiorem sententiam Religiosus ad Episcopatum promotus remanet obstrictus voto Paupertatis, & proprium habere non potest, *juxta Divum Thomam infra referendum* 2. 2. *quæst.* 185. *art.* 8. *ad* 3. unde licet paternam vindicet hæreditatem juxta *Textum in Can. statutum* 18. *quæst.* 1. ibi, *statutum est &c. ut Monachus, quem canonica electio a Jugo Regulæ Monasticæ Professionis absolvit, & sacra Ordinatio de Monacho Episcopum facit, velut legitimus hæres paternam sibi hæreditatem postea jure vindicandi potestatem obtineat*; hoc tamen intelligitur quoad usum, non quoad proprietatem, & dominium, cum hæc ad suam Ecclesiam deferantur, uti ponderat *Divus Thomas loco citato*, ibi, *proprium autem nullo modo habere possunt; non enim paternam hæreditatem sibi vindicant quasi propriam, sed quasi Ecclesiæ debitam*, & hæc semper fuit sententia Curiæ Romanæ, uti loquendo de Tribunali Rotæ habetur *in decis.* 115. *num.* 7. *& seqq. & num.* 22. *& seqq. part.* 4. *tom.* 2. *rec.* & concordant resolutiones hujus Sac. Congregationis, & signanter *in una Neapolitana* 7. *Decembris* 1639. *lib.* 16. *Decret. fol.* 306. ibi, *Quæritur, an N. Regularis professus incapax bonorum ad Episcopatum assumptus recuperet jus succedendi quoad hæreditates, post assumptum Episcopatum sibi delatas; secundo an eidem obstet cessio, & renunciatio ejusmodi hæreditatum facta ad favorem Fratris ad præscriptum Sac. Concilii Tridentini cap.* 16. *sess.* 25. *de regul. Sacra &c. ad primum respondit recuperare jus succedendi ad hæreditates post adeptum Episcopatum ad utilitatem suæ Ecclesiæ sibi delatas quoad proprietatem, & ad proprium commodum quoad usumfructum; ad secundum eidem non obstare supradictam cessionem, & renunciationem quoad hæreditates, quæ non sint alteri ante adeptum Episcopatum acquisitæ.*

Ea, quæ mox dicta sunt de Monacho ad Episcopatum promoto, procedunt etiam in Canonico Regulari ad Ecclesiam Cathedralem assumpto, & ad aliud quodcumque Beneficium sæculare, ut in terminis Canonici Regularis ad Episcopatum assumpti probat *Textus in cap. cum olim de privilegiis*, ibi, *præterea quia idem N. prædecessor tuus fuerat Canonicus Regularis, & duo millia Marabotinorum, quæ acquisierat, in Episcopatum jam promotus Monasterio dederat memorato, ipsum ad restitutionem eorum Judices condemnarunt*, ubi *glos. in verb. restitutionem* subdit, *quia quidquid post suam consecrationem acquisivit, Episcopatui acquisivit, quare donare illa non potuit, quia qui nihil habet nihil donare potest*, & in terminis Religiosi provisi de Beneficio sæculari extra suam Religionem bene ponderat *Suarez de Religione tom.* 4. *lib.* 3. *cap.* 19. *num.* 28. ibi, *Supposita autem translatione legitima Religiosi ad Beneficium sæculare, quoad paupertatem, idem judicium de illo est, quod de translato ad Episcopatum, servata proportione; nam acquirit suæ Ecclesiæ quocunque titulo acquirat, habet tamen, dum vivit, administrationem talium bonorum*, & prosequuntur *Bonacina oper. moral. tom.* 1. *tit. de clausura quæst.* 2. *puncto* 9. §. 4. *difficul.* 2. *proposit.* 3. *num.* 15. *& seqq. Castropalao oper. moral. tom.* 3. *tract.* 16. *disput.* 3. *punct.* 19. *num.* 15.

Hæc quoad jus Decretalium; sed cum Gregorius XIII. *in sua Constitutione* 43. *Bullar. tom.* 3. res, & bona Regularium extra Conventus etiam cum licentia Superiorum degentium comprehensa esse voluerit sub nomine spoliorum, & ea Cameræ Apostolicæ applicaverit, uti etiam ponderant *Bonacin. loco citato num.* 18. *& Castropal. num.* 21. hinc factum est, quod ea, quæ dicta fuerunt de acquisitione proprietatis favore Ecclesiæ, attento jure novissimo, & in locis, in quibus jus spolii sibi vindicat locum, intelligenda sunt de acquisitione favore Cameræ, *Teste Lucarino de Episcopo Regulari in cap.* 2. *punct.* 1. *in princ.* ibi, *dum in sequentibus dicam, Episcopos acquirere Ecclesiæ suæ, nomine Ecclesiæ accipienda erit Camera Apostolica, ubi ex quocumque jure per suos Ministros colligit illa bona, quæ solent a Doctoribus Ecclesiæ acquisita fuisse declarari.*

Gregoriana Constitutio procedit in his, quæ acquiruntur a Religioso tempore, quo vivit extra Claustra, sive ex causa testatæ, sive intestatæ successionis, ut in puncto dictam Constitutionem interpretando firmat *Rota decis.* 121. *num.* 18. *& seqq. par.* 6. *recent.* sed cum in præsenti rerum statu, renunciatio fuerit a Thoma concepta sequentibus verbis, *Che venendo il caso, che Iddio non voglia, che per qualche accidente tanto volontario, quanto necessario tornasse il detto Tommaso al secolo, in qualunque tempo, & in qualunque modo ciò seguisse, si abbia per non fatta la presente rinunzia, e che ipso jure s' intenda esso Tommaso ritornato ne' piedi primieri, come se fosse stato sempre nel secolo, e non avesse fatta mai alcuna rinunzia, non intendendo detto Tommaso d' entrare in parte in quei beni mobili, e stabili, che saranno compri da' suoi Fratelli dopo detta rinunzia*: quæstionis pondus ad hoc punctum videtur esse redactum, an scilicet verba pacti regressum importent ad bona renunciata, tam quoad usum, quam quoad proprietatem; in quo rerum themate videtur, quod pactum quoad proprietatem prodesse non possit Renuncianti, nec obesse Renunciatario, vel aliquam potius interpretationem admittant inclusivam usus, quoad Renuncianteum, relicta in suspenso acquisitione proprietatis, prout de jure, hoc est, vel favore Ecclesiæ, vel favore Cameræ, uti habetur *in Anconitana Successionis* 23. *Februarii* 1722. §. *Nihilominus, & seqq. coram R. P. D. Calcagnino*, in qua facti specie supposita acquisitione usus quoad Thomam de Adamis, videndum est, an proprietas pertineat ad Ecclesiam, vel ad Cameram.

His stantibus quæritur
Ad quem spectet proprietas, seu dominium bonorum, de quibus agitur in casu &c.

Sacra Congr. respondit,
Non spectare ad Thomam, & amplius.

QUÆSTIO CCCXL.

In Causa Cæsenatensi, die 17. Julii 1723.

ANNO 1656. erecta fuit in Civitate Cæsenæ Congregatio Oratorii Patrum S. Philippi Nerii, sed cum eadem degeret in quibusdam domibus conductitiis apud Ecclesiam S. Marini, curante Eminentissimo Domino Cardinali Ursino tunc dictæ Urbis Episcopo, san. mem. Innocentius Papa XI. per suas litteras Apostolicas in forma Brevis expeditas anno 1689. dictæ Congregationi concessit Ecclesiam S. Severi una cum ædibus annexis, & curam Animarum eidem univit, accedente consensu Sacerdotis Jacobi Navacchiæ dictæ Ecclesiæ Rectoris, ad cujus favorem quoad usque viveret, reservati fuerunt omnes fructus certi prædictæ Parochialis Ecclesiæ.

Post unionem Congregatio, quæ prius sub modio delitescebat, super candelabrum lucere cœpit, ampliata videlicet Ecclesia S. Severi in formam elegantiorem, dilatatis ædibus Sacerdotum, auctis reditibus ad ejus conservationem sufficientibus; cumque mortuo subinde Sacerdote Navacchia, & quod magis est, ad meliorem vitam intra breve tempus translatis nonnullis præstantibus Sacerdotibus Congregationi addictis, ipsa Congregatio imminui incœperit, fueritque animadversum, nonnullos alioquin idoneos Ecclesiasticos ab amplexando instituto S. Philippi abhorrere propter onus curæ Animarum, quod vix expleri potest una cum aliis exercitiis ad institutum S. Philippi pertinentibus, Congregatio in animum induxit Parochiam a se abdicare tanquam sibi præjudicialem, exemplo Congregationis Romanæ, quæ, ut magis proficeret in observantia sui instituti, curam Animarum sibi incumbentem dimisit, superstitibus adhuc S. Philippi Alumnis, qui utique ab ejus mente nunquam recessissent, si Animarum curam ei consonam agnovissent, uti habetur in Vita dicti Sancti conscripta *a Patre Baccio lib.* 1. *cap.* 17.

Res ad Episcopum Cæsenaten. delata fuit, qui diu, multumque Patrum desiderio reluctatus, ne dimissa a Patribus Parochia, suis Parochis perfectum deesset boni Pastoris exemplum, eorumdem tandem voluntati obsecundare cœpit sub obtentu imminentis periculi amittendæ in sua Civitate Congregationis S. Philippi, cum omnes, qui ejus Instituto nomen dare voluissent, id utique potius præstitissent in Congregationibus vicinarum Civitatum, in quibus quies, & pax maximopere vigent, nec onus adest curæ Animarum; sed cum dissolutionem unionis sua auctoritate ordinaria facere non posset, non quidem ex defectu causæ, sed ex defectu potestatis, propter videlicet clausulas in Brevi Apostolico appositas, prædictos Patres admonuit, ut ad Summum Pontificem recurrerent.

Habito a Patribus recursu ad Sanctissimum Dominum Nostrum, eidemque exposito, magnopere suo Instituto expe-

expedire, ut a se cura Animarum Parochialis S. Severi abdicaretur, fuerunt a Sanctitate Sua preces remissæ ad hanc Sac. Congregationem, quæ datis ad Episcopum litteris, cum nedum causas dissolutionis unionis intellexisset, sed ulterius, quod Ecclesiæ S. Severi contermina erat Ecclesia Parochialis S. Joannis Evangelistæ, item quod Parochialis S. Severi complectebatur Animas circiter quinquaginta super septingentas, quodque numerus Animarum subjectarum Parochiæ S. Joannis Evangelistæ quingentas non excedebat, & denique, quod Patres Parochiam essent dimissuri cum omnibus bonis, & fructibus certis, & incertis, præter Ecclesiam, situs, viridarium, ædemque contiguam, & utriusque supellectilem sacram, & profanam, *die* 8. *Augusti anni præteriti* respondit, si Sanctitati suæ placuisset, Episcopo Cæsenaten. committi posse, ut veris existentibus narratis, ad suppressionem, & respective unionem Parochialis Ecclesiæ S. Severi cum conditionibus supra expressis, & juxta modum sibi benevisum pro suo arbitrio, & conscientia, servatis servandis deveniret, factaque Sanctitati suæ relatione, Sanctitas sua benigne annuit.

Transmisso ad Episcopum decreto, ut ipse servatis servandis ad executionem mandatorum deveniret, ipse compilari curavit processum tam super verificatione Causarum in precibus expositarum, quam super necessitate, & congruentia unionis; cumque suppressionem, & unionem subinde decrevisset, reservato ad aliud tempus judicio super translatione Confraternitatis SS. Sacramenti in eadem Ecclesia erectæ, decretum fuit illico acceptatum, & executioni mandatum, & Parochus S. Joannis Evangelistæ, nemine contradicente, visitavit domos Parochiæ S. Severi sibi recenter unitæ, statum Animarum confecit, Sacramenta administravit, bonorum omnium Parochiæ S. Severi possessionem cœpit; at exorto rumore, quod nonnulli unioni refragabantur, & quod eam essent impugnaturi, oblatus fuit supplex huic Sac. Congregationi libellus a Parocho S. Joannis Evangelistæ, ut instantia adversantium unioni rejiceretur, & juxta morem Sac. Congregatio preces remisit ad Ordinarium.

Ordinarius in sua nova informatione retulit ea, quæ a se gesta sunt in executionem decreti supra memorati, & a Sanctissimo approbati, nullam quoque ait adesse conquerendi Causam, tum quia Parochus Sancti Joannis Evangelistæ sibi duos Capellanos adscivit, ut omnibus Populi necessitatibus præsto sit, tum quia Ecclesia S. Joannis Evangelistæ majori recurrentium parti proximior est, & commodior, nec clauditur illa S. Severi, cum eadem in præsenti magis frequentetur, quam in præteritum, Patresque Oratorii, tam in hac, quam in aliis Parochiis solatio infirmorum sedulo pervigilent, & in sua Ecclesia domesticos, juxta suum Institutum, sermones habeant, & confluentibus Sacramenta administrent; & quia unionem jam suo effectu potitam impugnari intellexit, tum propter omissam Parochianorum citationem, tum propter defectum consensus Capituli, subdit Episcopus, Populum in hisce unionibus non esse citandum, sed tantummodo audiendum, quatenus aliquid relevans adducat, juxta firmata per *Pac. Jordan. lucubr. tom.* 2. *lib.* 10. *tit.* 32. *num.* 94. *Barbos. ad cap.* 5. *sess.* 21. *num.* 8. *Monacell. in formul. tom.* 1. *tit.* 2. *formul.* 7. *num.* 3. & adhæsit hæc Sacra Congregatio *in Fulginaten. Unionis* 30. *Jan. currentis anni* 1723. & disputari inter Doctores, an sit necessarius Capituli consensus; nonnulli quippe affirmative, nonnulli negative respondent, juxta ea quæ plene habentur apud *Gallemart. ad cap.* 5. *sess.* 21. *apud Barbos. ad eundem locum num.* 9. *apud Monacell. loco citato num.* 2. sed cessare in hypothesi quamcumque controversiam, primo quia in casu processum fuit ad suppressionem, & unionem, non auctoritate ordinaria, sed delegata, & quidem delegatione speciali ad certum actum, vigore videlicet decreti hujus Sacræ Congregationis a Summo Pontifice confirmati, uti bene ponderat *Garzias de benefic. part.* 12. *cap.* 2. §. 2. *num.* 151. tum quia consensus Capituli subsequi potest, & duodecim ex decem, & octo Canonicis supplicant pro conservatione unionis tanquam tendentis ad publicum bonum, & conservationem Congregationis Oratorii.

Jura circumferuntur, quocirca nunc quæritur

I. An suppressio Parochialitatis, & curæ Animarum S. Severi, ejusque respectiva unio ad aliam Parochialem Ecclesiam S. Joannis Evangelistæ sustineatur in casu &c. & quatenus negative.

II. An sit locus novæ suppressioni Parochialitatis Sancti Severi, ejusque respectivæ unioni ad aliam Ecclesiam Sancti Joannis Evangelistæ in casu &c.

Sacra Congr. die 31. Julii 1723. respondit,

Ad primum affirmative. Ad secundum satis provisum in primo.

QUÆSTIO CCCXLI.

In Causa Aquilana Jurisdictionis, die 31. *Julii* 1723.

DUBIA ad calcem referenda respiciunt visitationem ab Episcopo Aquilano faciendam in Monasteriis Monialium Ordinis Cælestinorum, & quæ sunt subjecta Superioribus ejusdem Ordinis. Cumque jura partium hinc inde circumferantur, mei muneris esse censeo innuere tantum decreta, quæ in Regestis hujus Sacræ Congregationis invenire potui, quæque conducere possunt ad dictorum dubiorum resolutionem.

Sacrum Concilium *Sess.* 25. *de Regular. cap.* 5. in Monasteriis Monialium etiam exemptis, & quæ Regularibus subjecta sunt, commisit Episcopis tanquam Sedis Apostolicæ Delegatis, ut procurarent, Clausuram Sanctimonialium, ubi violata fuisset, diligenter restitui, & ubi inviolata est, conservari; & Gregorius XV. in sua Constitutione 18. *Bullar. tom.* 4. §. 2. addidit, ut Episcopi adversus inobedientes, & contradictores procederent per Censuras Ecclesiasticas, & alias pœnas, & §. 4. quod Regulares delinquentes circa Clausuram Monialium, licet sibi subjectarum, puniri possent, & corrigi ab Episcopis, tanquam Sedis Apostolicæ Delegatis; & Alexander VII. in sua Constitutione 153. *Bullar. tom.* 6. Superioribus Regularibus, quibus incumbit cura, & regimen Monasteriorum Sanctimonialium, prohibuit ingressum in ea, nisi ex causa visitationis localis, & hoc semel in anno, & casu quo necessitas urgeat plures eodem anno ingrediendi statuit, quod non ingrederentur, nisi cum præsentia Episcopi Diœcesani, vel alterius personæ Ecclesiasticæ ab eodem deputatæ.

Acquisito per Episcopos jure delegato visitandi quoad Clausuram Monasteria Monialium Regularibus subjectarum, exorta est controversia, an liceret Episcopis visitare Altaria, quibus cura Animarum personarum Secularium non incumbit, aut Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, seu Tabernaculum, in quo idem conservatur, & loca, in quibus excipiuntur confessiones personarum sæcularium; & responsum fuit negative, uti habetur ex resolutione hujus Sac. Congregationis impressa ad calcem Constitutionis Gregorianæ in responsione ad primum dubium.

Actum subinde fuit de modo, & occasione explendi dictam visitationem, & interroganti de prædictis Episcopo Conimbriensi Sacra hæc Congregatio *die* 26. *Maii* 1640. *libr.* 16. *decret. pag.* 384. *a tergo* sic respondit: Sacra &c. *censuit, Episcopum Conimbrensem, uti Sedis Apostolicæ Delegatum, potuisse quoad Clausuram, Monasterium Monialium Conventus de Cellas Ordinis Cisterciensis Regularibus ejusdem Ordinis subjectum, visitare, etiam assumpto secum Vicario Generali, & Confessario ejusdem Moniglium, Monialesque ipsas in is, quæ ad eandem Clausuram pertinent, examini subjicere, remotis etiam suspicione violatæ Clausuræ, ac quacunque Superiorum Regularium negligentia, ipsisque inconsultis, & irrequisitis.*

Anno 1684. *die* 29. *Februarii* Episcopus Aquilanus monito Procuratore Generali Congregationis Cælestinorum, supplicavit declarari, an Episcopus in visitatione Monasteriorum Monialium subditarum Abbati Collis Madii Congregationis Cælestinorum teneatur vocare Abbatem; sed cum instantia propter angustiam temporis non fuerit in dicta Congregatione proposita, non invenio in Regestis, quod in posterum de ea unquam actum sit.

Die 29. *Julii* 1684. *uti habetur lib.* 34. *decret. fol.* 235. instante Archiepiscopo Florentino fuerunt in Sacra Congregatione proposita, & resoluta dubia, quæ sequuntur.

I. An Archiepiscopus, seu de ejus mandato Vicarius Generalis possit visitare Sanctissimum Sacramentum, Olea Sacra, Confessionalia, & Sepulturas in Ecclesiis Monialium Regularibus subjectarum.

II. An valeat easdem Moniales communicare.

III. An possit ingredi earundem Monialium Clausuram cum Pluviali, & Stola.

IV. An omnes Moniales præfatæ teneantur processionaliter, cum Cruce, & cum Cantico Benedictus Dominus *obviam ire Vicario ingredienti, & visitare volenti Clausuram.*

V. An in visitatione, & ingressu Clausuræ teneantur Vicarii Generales secum ducere Priorem, & Confessarium dictarum Monialium.

Ad hæc autem dubia sic responsum fuit, *Ad primum videlicet negative, nisi in his, quæ concernunt observantiam Clausuræ, & quatenus non adsit legitima consuetudo in contrarium. Ad secundum affirmative, dummodo Moniales velint. Ad tertium, quartum, & quintum negative.*

Anno denique 1686. die 19. Januarii, uti habetur *lib.* 35. *decret. pag.* 15. instante Procuratore Generali Ordinis Minor. de Observ. fuerunt proposita, & disputata sequentia dubia.

I. An Episcopus visitaturus Clausuram Monasteriorum Monialium Regularibus subjectarum teneatur ante accessum, eisdem Monialibus præfinire diem, & horam visitationis, & huic dubio responsum fuit negative.

II. An in Ecclesiis Monialium non curatis visitare possit SS. Eucharistiæ Sacramentum, Oleum Infirmorum, Confessionalia, Sepulturas, & Reliquias inibi existentes, & huic dubio responsum fuit, quod daretur supra insertum decretum in Causa Florentina.

III. An in casu resistentiæ Monialium possit fores Ecclesiæ frangere, Tabernaculum violenter aperire, Ecclesiam interdicere, & SS. Eucharistiæ Sacramentum ad aliam Ecclesiam transferre; & huic dubio responsum fuit negative, nisi in casibus spectantibus ad Clausuram.

IV. An Episcopo Monasteriorum Clausuram visitare volenti dd. Moniales teneantur erigere in Ecclesia exteriori, vel interiori sedem cum Baldachino, vel solummodo sufficiat stratum præparare in utraque Ecclesia; & huic dubio responsum fuit, sufficere præparationem strati.

V. An Episcopus d. Clausuram visitaturus præter convisitatores possit pro suo libito secum deducere intus Monasterium alias personas, sive Ecclesiasticas, sive Sæculares indeterminate, vel in certo, & præfixo numero, & huic dubio responsum fuit, servandas esse Constitutiones Apostolicas, hoc est Bull. 25. *Gregorii XIII. Bull. tomo* 2.

VI. An Episcopum dd. Monasteriorum Clausuram visitaturum teneantur Moniales omnes excipere processionaliter cum Cruce, & cantico Benedictus; *& huic dubio responsum fuit negative.*

VII. An dd. Moniales teneantur in ipso Clausuræ ingressu adornare stratum, ibique genuflectenti Episcopo Monialis aliqua porrigere debeat Crucem deosculandam, & huic dubio responsum fuit negative.

VIII. An Episcopus Clausuram ingressus possit pro suo libito convocare dd. Moniales omnes in Choro interiori, aut in alio loco, & ad eas sermonem habere; & huic dubio responsum fuit, posse.

IX. An absolute, & indifferenter visitare possit cellas dd. Monialium etiam quoad non pertinentia ad Clausuram; & huic dubio responsum fuit negative.

Hæc sunt præcipua, quæ in regestis ad materiam facientia potui invenire, iisdemque præsuppositis onus erit in præsenti EE. VV. decernere.

I. An Episcopo accedenti ad visitandum Monasteria Monialium PP. Cælestinis subjectarum, debeantur in ingressu Ecclesiæ solitæ honorificentiæ, & præeminentiæ, omnesque actus reverentiales, ac associari tam in ingressu, quam in egressu Ecclesiæ a prædictis PP. Cælestinis.

II. An Moniales prædictæ teneantur tradere Episcopo visitanti librum Regularum, & teneantur similiter subire ad solitas Crates onus personalis Visitationis, quoad Clausuram spectantis.

III. An Episcopus possit solus cum suis Convisitatoribus ingredi, & visitare Clausuram prædd. Monialium absque interventu P. Abbatis Cælestinorum.

IV. An Episcopus possit visitare nedum Crates, & Mœnia exteriora prædictorum Monasteriorum, sed etiam Chorum interiorem, dormitoria, cellas, aliaque loca pro Clausuræ Custodia.

V. An possit Episcopus occasione S. Visitationis habere sermonem Spiritualem prædd. Monialibus tam intra, quam extra septa Monasterii.

VI. An possit Episcopus nedum visitare Altaria, & Capellas Ecclesiarum prædictorum Monasteriorum, in quibus Beneficia, aliaque onera Missarum insint, verum etiam & Tabernaculum cum Altari majori.

Sacra Congr. respondit,

Ad Primum affirmative quoad Ministros Officiales Monasterii, & quoad Confessarium ejusdem tantum. Ad secundum negative quoad primam partem, affirmative quoad secundam. Ad tertium, quartum, & quintum affirmative. Ad sextum negative.

QUÆSTIO CCCXLII.

In Causa Provinciæ Romanæ Capuccinorum Nullitatis Professionis, die 31. *Julii* 1723.

QUÆSTIO, quæ inter Doctores agitatur, an valida sit professio in Religione emissa ab eo, qui morbo aliquo gravissimo puta epileptico laborat, & in qua affirmativa opinio de jure Decretalium est verior, cessat statim, ac in Constitutionibus Religionis ab Apostolica Sede confirmatis cavetur, ut professio in dictis terminis nulla sit; in eo quippe rerum statu communis opinio est, professionem nullitatis vitio laborare, uti plene prosequuntur *Rodericb. quæst. Regul. tom.* 3. *part.* 17. *art.* 9. *Navar. Consil.* 48. *num.* 2. *lib.* 3. *tit. de Regul. Pignatell. consult.* 89. *num.* 3. *tit.* 1. *Rota cor. Ubaldo dec.* 38. *num.* 2. *& seqq. & dec.* 394. *num.* 1. *& seqq. cor. eod.*

Ad tramites eorum, quæ huc usque dicta sunt, cum in Constitutionibus Ordinis Capuccinorum cap. 2. hæc habeantur: *Qui elipbantiæ, morbo caduco, aut alia infirmitate contagiosa afficitur, non recipiatur, & si quis talis receptus fuerit, eo quod interrogatus talem infirmitatem manifestare noluerit, declaratur, Religionem ad eum retinendum minime velle esse obligatam*: Franciscus Spadarus contendit, professionem a se emissam anno 1709. in religione Capuccinorum, assumpto nomine Joannis Francisci de Messina, nullam fuisse, & sic se adversus lapsum quinquennii impetrare posse restitutionem in integrum, cum morbo epileptico laboret, eodemque laboraverit, dum erat in sæculo, antequam Religionem ingrederetur; inquit enim, ex allegatis verbis Constitutionis inferri, non adesse consensum Religionis in admissione ad professionem ejus, qui morbo epileptico laborat, & consensu deficiente, non esse dubitandum de professionis nullitate; uti relictis generalibus in specie Constitutionum Ordinis Capuccinorum probat Pater Bartholomæus de Vecchis in libro *cui titulus, Praxis observanda in admittendis ad religionis statum Novitiis, disp.* 13. *dub.* 15. *num.* 4. *& plur. seqq. & signanter num.* 8.

Auditus fuit super hac instantia P. Jo. Francisci de Messina P. Prior Generalis Ordinis, qui nullo facto verbo super existentia morbi Epileptici, vel tempore præsenti, vel ante emissam professionem, subdit, nullitatem, de qua in superioribus sermo habitus est, inductam esse favore Religionis, & non Religiosi, & sic Religionem nullatenus validitati professionis contradicente, non posse nullitatem a Professo allegari.

Addi posset, non irrationabile forte futurum esse affertum, si quis diceret, validam fuisse in dictis terminis professionem; in Constitutionibus etenim Ordinis non adest decretum irritans, & simplex interdictum sine decreto irritante non efficit nullam professionem. *Fagnan. in cap. qui Presbyterum num.* 8. *& seqq. de pœnitent. & remiss. Portell. in dubiis regularium in verbo professio nulla ex defectu ætatis num.* 54. *Bordon. in controv. moralibus controv.* 21. *de ætate professionis; quæst.* 9. *R. P. D. Petra ad Constit. Apostol. tom.* 2. *pag.* 525. *num.* 23. *& seqq.* & facultas, quam habet Religio expellendi taliter professum, compatibilis est cum validitate professionis, cum superior possit judicialiter procedere contra Professum, ut eum castiget propter peccatum, quod commisit non aperiendo defectum, quem tenebatur in ingressu confiteri, & in pœnam peccati eum expellere a Religione, & habitu privare, ut in simili argumentatur *Navar. Cons.* 48. *num.* 3. *lib.* 3. *de Regul.*

Nulla fuit in hac Sacra Congregatione capta resolutio, sed dictum *die* 2. *Julii* 1723. quod Causa iterum proponeretur.

Auctoritate Eminentiss. D. mei Cardinalis Barberini Protectoris Ordinis Capuccinorum, cum de facultate Religionis ejiciendi eum, qui Professionem emisit, dum morbo epileptico laborabat, nulla esse posset controversia, res eo devenit, ut Superiores suum benigne dederint assensum prædicto Joanni Francisco, ut ad sæculum redire posset, & in eorum Decreto expressa fuit causa morbi epileptici, ne videatur, quod ille ejectus fuisset a Religione tanquam incorrigibilis, & gesta a Patribus Superioribus fuerunt ab hac Sacra Congregatione confirmata.

Terminata modo prædicto lite inter Religionem, & memoratum Joannem Franciscum, alia consimilis insurrexit controversia inter eandem Religionem, & Patrem Joseph Maria de Palliano contendentem, Professionem a se emissam in Ordine Capuccinorum *anno* 1714. esse nullam ex eodem capite morbi epileptici, quo laboravit usque ab infantia, laboravit tempore proximo susceptioni

habitus Religiosi, laboravit paulo post emissam Professionem, & actu etiam laborat, uti colligitur ex plurium Testium, licet formiter non examinatorum, attestatione, itaut dicatur, non esse dubitandum de morbi existentia tempore Professionis, cum in morbis habitualibus, probatis extremis, media præsumantur.

Antequam quidquam in causa peragaretur, actum fuit cum P. Procuratore Generali, ut videretur, an Superiores Ordinis se gerere vellent erga Patrem Josephum, sicuti se gesserunt erga P. Joannem Franciscum? At eodem expresse dissentiente, juxta morem dictum fuit, ut formiter audiretur, & suam exararet in scriptis informationem.

Paruit Procurator Generalis mandatis, recitatisque verbis suarum Constitutionum jam supra relatis; inquit ex illis inferri, competere Religioni facultatem ejiciendi taliter Professos, sed volente Religione Professionem ab eis emissam esse validam, & multo magis, cum in Capitulo Generali habito *anno 1633.* propositum fuerit sequens dubium, *utrum profitens cum taciturnitate morbi Neapolitani, aut alterius incurabilis contra Statuta Ordinis sit vere Professus*, & fuerit responsum *esse verum Professum, quia nostra Constitutio non irritat Professionem*.

Pro Patre Josepho scriptura exhibetur R. P. D. mei de Lanfrendinis utriusque Signaturæ Referendarii, & Pauperum in Civilibus doctissimi, & diligentissimi Advocati, in qua strenue probare contendit, Religiosam professionem involvere contractum correspectivum, & ultro citroque obligatorium, itaut deficiente consensu ex parte Religionis, professio debeat esse nulla, & irrita etiam ex parte Professi.

Allegantur in eadem scriptura punctuales auctoritates *Capon. discept. 53. num. 33. & seqq. Patris Bartholomæi de Vecchiis Capuccini in libro, cui titulus Praxis observanda in admittendis ad Religionis statum Novitiis disput. 13. dub. 15. n. 4. & num. 8. & Patris Thesauri Capuccini in libro Romæ impresso, cui titulus, Espozizione sopra la Regola del Serafico Padre S. Francesco cap. 2.* qui in terminis Constitutionum Ordinis Capuccinorum pugnant pro nullitate Professionis ab eo emissæ, qui morbo Epileptico laborabat.

Alia plura tum ex facto, tum ex jure petita legi possunt in eadem elaborata scriptura per manus circumferenda; quocirca proposito dubio

An constet de causis restitutionis in integrum in casu &c.

Sacra Congr. die 8. Julii 1724. respondit
Ad Eminentissimum Protectorem juxta mentem.

Mens autem fuit, ut Superiores Ordinis assensum darent egressui, prout etiam de facto dederunt.

Hæc quoad præteritas instantias; cumque in Congregatione habita die 8. Junii 1726. Pater Joannes a Roma similiter instet pro Restitutione in integrum adversus Professionem a se emissam in eadem Religione Capuccinorum, ex quo ante Professionem, & ab infantia nephritico morbo taliter laborabat, ut non sine gravi, acerboque dolore urinam guttatim emittere posset, & ejus scriptura una cum relatione Patris Procuratoris Generalis circumferatur, quæritur

An sit locus restitutioni in integrum in casu &c.

Sacra Congr. die 6. Julii 1726. respondit,
Negative.

QUÆSTIO CCCXLIII.

In Causa Pampilonensi Indulti, die 31. Julii 1723.

CLERUS universus Civitatis, & Diœcesis Pampilonensis supplicavit Sanctissimo Dom. Nostro pro facultate assumendi, & eligendi personam in dignitate Ecclesiastica constitutam in suum Judicem Conservatorem, qui cognoscere posset de injuriis, & aliis Causis, etiamsi hæ judicialem indaginem requirerent; cumque a Sanctitate Sua preces fuissent remissæ ad hanc Sac. Congregationem, & ab hac responsum sit quod Eminentissimus Ptolomeus dignaretur rem perpendere, & votum suum aperire, doctum de more ab E. S. editum fuit suffragium, in quo plura continentur. Primum est, quod a Clero non petitur generalis Conservator pro omnibus bonis, rebus, & juribus suis, sed tantum pro observantia trium Constitutionum Apostolicarum, unius scilicet Clemen. X. & duarum san. mem. Clem. XI. Secundum est, nihil in dictis Constitutionibus contineri, quod non respiciat bonum regimen, disciplinam, morum correctionem, & œconomicam curam bonorum Ecclesiasticorum ejusdem Cleri, absque ullo præjudicio jurisdictionis Episcopalis. Tertium est, deputari posse Conservatorem pro observantia prædictarum Constitutionum Apostolicarum, sed ad certum tempus, hoc est ad quinquennium, juxta *cap. 5. sess. 14. de Reform.* Quartum est quod abstinendo ab odiosa nominatione Judicis Conservatoris, qui forte non conceditur ad duo vel tria dumraxat Apostolica Indulta tuenda, fieri posset assignatio unius, vel plurium Executorum, ac Defensorum in dignitate Ecclesiastica constitutorum, qui facultates haberent opportunas, ut a Clero requisiti executionem omnium contentorum in dictis tribus litteris Apostolicis promovere possent.

Actum fuit de hac petitione Cleri Pampilonensis in Congregatione habita *die 8. Augusti anni præteriti* inter summaria precum, & responsum fuit *lectum*, tum quia exorbitantia quædam, & nimis ordinariæ auctoritati præjudicialis visa est consistere in hoc, quod Clerus universus suum haberet conservatorem, licet cum facultate restricta ad sæpe memorata tria Apostolica Brevia: tum quia in editione Brevium non fuerint designati executores, novum, & insolitum visum est, quod ex post iidem deputentur; & tandem quia in hypothesi, in qua disputationes oriantur, & controversiæ, vel circa intelligentiam, vel circa executionem Brevium, potest Clerus adire Tribunal Nuntii Apostolici, & instare pro justitia.

Hisce rationibus Clerus non acquievit, obtentaque facultate describendi instantiam in folio, & per manus distributa scriptura impressa, una cum Brevibus, & suffragio Eminentissimi Ptolomei, quæritur

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

Sacra Congr. die 28. Augusti 1723. respondit,
In decisis, & amplius.

QUÆSTIO CCCXLIV.

In Causa Albinganensi Concursus, die 28. Augusti 1723.

CUM in Mense Apostolicæ Sedi reservato vacasset Ecclesia Parochialis SS. Nazarii, & Celsi loci Mari, indictusque fuisset de more Concursus *die 12. Septembris 1722.* & tres essent Examinatores Synodales, omnium trium vota conspirarunt favore Vicarii Generalis Albinganensis, & Sacerdotis Nicolai Antonii Marualdi, Sacerdosque Bernardus Cascionus duo habuit vota favorabilia, & unum contrarium; cumque Vicarius Generalis renuntiasset cuicumque juri sibi ex Concursu quæsito, resque redacta esset inter Marualdum, & Cascionum, Episcopus secum reputans majorem idoneitatem ex sola scientia non desumi, sed magis idoneum pro Parochiali esse posse illum, qui est simpliciter inter approbatos quoad litteraturam, sed aliis excellentius fruitur qualitatibus maxime necessariis pro exercenda cura animarum, magis idoneum pro Parochia declaravit Sacerdotem Cascionum, & appellatione interposita a Sacerdote Marualdo, non potuit esse locus eidem, nisi in devolutivo, itaut relaxatis a Dataria Bullis, Sacerdos Cascionus possessionem obtinuerit Parochialis, & Sacerdoti Marualdo jus tantummodo remanserit prosequendi devolutivam appellationem, & probandi in hac Sacra Congregatione dubium super prætenso irrationabili Episcopi judicio.

Ducto itaque initio a doctrina, eædem omnino quæstiones, uti de jure est in Concursibus, fuerunt omnibus Concurrentibus propositæ. Prima fuit, *ex quo Sacrarum litterarum textu desumatur auctoritas ferendi sententiam excommunicationis*, & uterque ex Concurrentibus de quibus agitur, attulit illud, de quo in Evangelio Matthæi *Accipite Spiritum Sanctum, quodcunque solveritis &c.* & sola quoad hunc punctum differentia inter responsionem Sacerdotis Cascioni, & responsionem Sacerdotis Marualdi fuit hæc, quod Cascionus asseruit, ex nullo alio Sacrarum litterarum Textu prædictam auctoritatem desumi, quæ restrictiva non fuit a Marualdo apposita in sua Responsione.

Secunda quæstio proposita fuit hæc, quæ sequitur, *an excommunicati vitandi possint inter se communicare*, & huic Sacerdos Marualdus respondit *affirmative*, quia ligatus majori excommunicatione, utpote privatus bonis spiritualibus non subest periculo labendi in minorem excommunicationem, & e contra Sacerdos Cascionus *negative* respondit, exceptis illis casibus, in quibus potest quis communicare cum excommunicato, allata inter cæteras etiam

etiam hac ratione, quod delictum non debet delinquenti patrocinari.

Tertia quæstio, quæ fuit proposita, est hæc, *quomodo se gerere debeat, qui Clericum occidit aggressorem, & declaratus fuit excommunicatus si revera homicidium facit ad sui defensionem, & cum moderamine inculpatæ tutelæ*, & uterque respondit occidentem in foro externo se gerere debere tanquam excommunicatum, sed non in foro interno.

Quarta quæstio fuit, *quænam vere dicatur Laureola Martyrii, & an Catholici Milites occumbentes in Bello, quod habet Augustissimus Imperator Christianorum cum Tyranno Turcarum, dici possint Martyres Christi*, & huic quæstioni Sacerdos Marualdus respondit, Laureolam Martyris esse præmium consistens in quibusdam insignibus, & decore cicatricum, & Milites occumbentes esse Martyres Christi, si Bellum fuerit a Tyranno Turcarum motum in odium Fidei, & non ex alia causa, & Sacerdos Cascionus, uti legitur in actis originalibus, licet in summario non habeatur, respondit, illam dici Laureolam Martyrii, quæ acquiritur profundendo vitam pro servanda Fide Catholica, & Milites in Bello occumbentes, si pugnarunt pro conservanda Catholica Religione, esse Martyres, secus autem, si pugnarunt pro Cæsare defendendo, quamvis habendo intentionem defendendi Cæsarem, possint & habere intentionem implicite defendendi Religionem, quæ per mortem Cæsaris periculum subiret.

Quinta demum quæstio proposita fuit hæc, *quid, & quotuplex sit cambium, & an si Titius indigeat pecuniis, & petat a Campsore sibi dari centum aureos, & Campsor non aliter det nisi Romæ solvendos, & petat a Titio pretium, quod solet dari pro tali loco, an iste contractus sit licitus, si dictus Titius revera non cogitat reddere in dicto loco, & id constet Campsori*, & ulterius, *an accipiens occasione cambii pecuniam adulterinam, possit illam expendere*. Huic autem quæstioni Sacerdos Marualdus respondit, distinguendo inter cambium siccum, & cambium reale, & utriusque naturam explicavit; & in eo, quod attinet ad primum dubium, dixit, contractum prædictum esse contractum Mutui, & sic illicitum, & usurarium, cum præcise ex Mutuo habeatur lucrum ultra sortem, & ulterius dici posse cambium siccum prohibitum a Bulla S. Pii Quinti; & in eo, quod spectat ad secundum dubium, ait, non posse prædictam pecuniam adulterinam expendi, nisi secundum valorem intrinsecum, si quem habet, non autem secundum valorem extrinsecum, qui solet apponi a Principe; & Sacerdos Cascionus, uti habetur in Actis originalibus concursus, respondit, cambium nihil aliud esse, quam permutationem pecuniæ cum aliena pecunia, & esse quadruplex, aliud minutum, aliud per litteras, aliud reale, aliud fictum, & siccum, aliud denique ad nundinas, vel cambium Francofurtense; & loquendo de casu proposito Campsoris, respondit contractum ex ejus parte esse usurarium, & illicitum, & esse etiam cambium siccum, cum Campsor fingat se dare nummos in uno loco, & det in alio, sed ex parte Titii esse licitum, quia idem ductus necessitate pecuniarum potest frangenti fidem frangere, & compensare damnum, quod passus est propter tale cambium, servata tamen æqualitate; & denique eum, qui accepit pecuniam adulterinam, non posse illam expendere, cum rem vitiosam contractare non possit, nisi detecto vitio rei.

Huc usque deducta respiciunt utriusque collitigantis doctrinam ad tramites responsionum ab utroque datarum quæsitis, quæ fuerunt proposita ab Examinatoribus Synodalibus; at ad alias qualitates sermonem transferendo, Scribens pro Sacerdote Marualdo contendit, eum nedum esse doctum, sed etiam Doctoris privilegio decoratum, esse omnibus acceptissimum, & a Parochianis summopere exoptatum, esse insigni prudentia præditum, & e contra Sacerdotem Cascionum esse Clero, & Populo invisum, esse vilibus parentibus ortum, esse præ paupertate incapacem ad subveniendum necessitati Ecclesiæ Parochialis, non esse humilem, non prudentem, nec bona quo ad mores fama præditum, tum quia ex altari prædicavit, sola contritione posse indulgentias acquiri, tum quia suspectas habuit cum mulieribus amicitias; Scribensque pro Sacerdote Casciono ejus qualitates extollit, cum sit major ætate, cum sit antiquior in Sacerdotio, cum usque ab anno 1715. fuerit approbatus ad audiendas confessiones, & curam animarum exercuerit tanquam Œconomus, & quidem cum magna laude, cum sit denique Teste Episcopo virtutibus humilitatis, & prudentiæ insignitus; in nihilum urgentibus, vel suspecta amicitia, cum mulier esset persona honestissima, & optimæ famæ, vel exaggerata imprudentia, cum ad lucrandam indulgentiam per modum suffragii pro Defunctis non sit necessaria confessio, nec communio, sed actus contritionis sufficiat cum proposito quamprimum peccata confitendi; uti asserit Scribens pro sæpe memorato Casciono.

Pro complemento, cum plura alia habeantur in scripturis per manus circumferendis, nonnulla videntur quo ad responsiones datas adnotari posse, primum potestatem ferendi censuras nedum fundatam esse in illis verbis, *Quæcumque alligaveritis &c.* sed in aliis Apostoli prima ad Corinthios 5. *Auferte malum ex vobis ipsis*, uti explicat S. Augustinus *lib. 2. retract. cap. 17.* & eundem Apostolum hanc potestatem exercuisse, cum incestuosum Corinthium excommunicavit *prima ad Corinthios primo*, uti docent Theologi, qui etiam ponderant illud, quod habetur secunda ad Thessalonicenses tertio, *Quod si quis non obedit verbo nostro per epistolam, hunc notate, & ne commisceamini cum illo, ut confundatur*.

Secundum est, aliud esse Laureolam, aliud Aureolam. Si quæsitum, prout in actis originalibus scriptum est, refertur ad Laureolam, hæc esse videtur corona, seu diadema, quod depingitur circa caput Sanctorum, uti interpretando Decreta Generalia Urbani VIII. quæ prohibent Laureolas circa caput non Beatorum, nec Sanctorum, probat *Card. Albit. de Inconst. in fide cap. 40. num. 180.* Si vero quæsitum de Aureola sit intelligendum, qua præ ceteris Martyres potiuntur, & de qua *S. Thomas in supplem. ad tertiam partem quæst. 96. art. 6.* hæc est gaudium superadditum Beatitudini essentiali, & eam exornans, & Aureola dicitur, ad distinctionem Aureæ, conjunctionis scilicet hominis ad Deum per ejus perfectam visionem, & fruitionem, quæ corona aurea, seu aurea absoluta per modum substantivi appellatur.

Tertium est, nonnullos afferere Milites Catholicos in Bello pugnantes adversus Infideles, Martyres esse, si mortem inductam voluntarie acceptent; uti post Divum Thomam 2. 2. *quæst. 124. art. 5. ad 3.* late prosequitur *Cardinalis Capisuccus in suis controver. Theolog. controv. 27. de Martyrio* §. 12. nonnullos e contra sustinere, Martyres non esse dicendos dictos Milites, licet pura intentione pugnent pro fide, & in Bello moriantur, *Salmanticenses in cursu Theolog. tom. 3. tract. 9. disp. 3. dub. 2. §. 2. num. 23. Lessius de justitia, & jure lib. 3. cap. 1. dub. 3. num. 36.* cum aliis, quos cumulat, & sequitur *Schiara in Theologia Bellica tom. 2. lib. 8. diff. 23.* cæteros denique docere, prædictos Milites rigorose Martyres dici non posse, sed improprie, eo quod licet moriantur pro Fide, moriuntur tamen contrapugnando, & resistendo, uti late probat *Theophil. Raynaud. oper. tom. 18. de Martyrio per pestem cap. 5. n. 4. & seqq.*

Ultimum demum est, statum gratiæ esse necessarium pro acquisitione Indulgentiarum, sed statum gratiæ per confessionem non esse necessarium, nisi in Bulla exprimatur confessio, uti late prosequuntur *Reginald. in praxi fori Pœnitentiarii lib. 7. quæst. 2. num. 171. & seqq. Bonacina oper. Moral. tom. 1. disput. 6. quæst. 1. punct. 5. proposit. 2. n. 4. & seqq.*

His positis, quæritur

An constet de irrationabili judicio Episcopi in casu &c.

Sacra Congr. die 18. Septembris 1723. respondit,
Negative, & amplius.

QUÆSTIO CCCXLV.

In Causa Herbipolensi, & Fuldensi Concordiæ, die 28. Augusti 1723.

POST longam litem magno utriusque partis dispendio, & magnis animorum motibus agitatam in Rotæ Auditorio inter Episcopum Herbipolensem, & Abbatem Fuldensem super jurisdictione in locis Cis Amnem Fuldæ positis, & in qua Abbas victor evasit, cum tres ejus favore emanaverint Sententiæ conformes super jurisdictione quasi Episcopali, & Territorio perfecte separato una cum positiva exclusione Episcopi Herbipolensis, deventum tandem est ad Concordiam sub reservatione Beneplaciti Apostolici; nedum etenim privatæ, sed etiam publicæ quieti convenire existimatum est, ut Principes Ecclesiastici Territoria contermina habentes, & Hæreticorum Regionibus admodum vicini nullam habeant inter se litigandi occasionem; ut autem Eminentissimi Patres, quorum judicium exposcitur pro approbatio-

batione Concordiæ, omnia ad rem facientia sub oculis habeant, tenor Concordiæ per extensum exhibetur, una cum Relatione Secretarii ad calcem impressa, in qua tota judicialis series, & alia, quæ scitu opportuna visa sunt, exponuntur. Porro in hac Congregatione Causa non fuit proposita, sed propositio facta est in sequenti Congregatione habita *die 18. Septemb. ejusdem anni*, disputatoque dubio *an Concordia esset confirmanda in casu &c.* dilata fuit resolutio, & dictum, quod scriberetur juxta Instructionem.

Instructio exarata fuit, & transmissa ad Episcopum Herbipolensem, & instructionis tenor per extensum refertur in supplici ejusdem Episcopi libello per manus circumferendo. Circumfertur etiam alius supplex libellus Abbatis Fuldensis, & utexque exorat pro confirmatione Concordiæ; quapropter perpensa relatione Causæ supra memorata, perpenso tenore Instructionis supradictæ, cæterisque perpensis, quæ ab utraque parte afferuntur, quæritur

An concordia sit confirmanda in casu &c.

Sacra Congr. die 9. Septembris 1724. respondit,
Dilata, & expectetur novus Episcopus.

Relatio Causæ Herbipolen. seu Fulden. Jurisdictionis extensa a Secretario (postea Benedicto Papa XIV.) pro faciliori examine instantiæ, quæ in Sacra Congregatione proponitur super approbatione Concordiæ initæ inter Episcopum Herbipolensem, & Abbatem Fuldensem.

CUM anno 1662. Joannes Philippus Episcopus Herbipolensis concordiam fecisset cum Abbate Fuldensi, & in ea declarasset, Abbatiam Fuldensem esse nullius Diœcesis, & Abbati, ejusque pro tempore successoribus jurisdictionem Ordinariam privativam in eadem Abbatia, & in illius Clerum, & Populum cessisset una cum facultate cognoscendi Causas Civiles, Matrimoniales, Criminales, Beneficiales, & alias quascumque Ecclesiasticas, nec non instituendi, ac destituendi, visitandi, Synodum congregandi, & generaliter explendi omnia alia ad jurisdictionem quasi Episcopalem pertinentia, nullo prorsus jure penes se retento, seu reservato, promota fuit in Rotæ Auditorio ab Episcopo successore controversia super validitate prædictæ Transactionis, eodemque tantum informante, Rota sensit, locum esse rescissioni Concordiæ, tum quia inita fuit absque Apostolico Beneplacito, tum quia pro parte Episcopi doctum fuit, Abbatiam sitam esse intra limites Diœcesis Herbipolensis, & Episcopos pro tempore in eadem Abbatia, nec non in illius Clerum, & Populum gessisse plures actus Ordinariæ jurisdictionis, uti videri potest *in Herbipolen. rescissionis Concordiæ 4. Februarii 1692. coram Emerix Juniore, quæ est decisio 1028. inter ejus decisiones impressas, & hæc eadem decisio fuit confirmata 21. Junii 1695. uti habetur in decis. 1267. coram eodem, & demum in præcedentium confirmatoria 25. Junii 1696. coram clar. mem. Card. la Tremoille.*

Terminato judicio super rescissione Concordiæ, acrior inter Episcopum, & Abbatem controversia insurrexit, prætendente Episcopo, ad se pertinere jurisdictionem spiritualem, & Ecclesiasticam in Territorio Cis Amnem Fuldæ posito, & excipiente Abbate, eam ad suam Abbatiam Fuldensem spectare; delataque pariter ad Rotæ Auditorium hac nova controversia, cum propositum fuisset dubium, *An, & de cujus bono jure constaret etiam ad effectum manutentionis, seu reintegrationis*, nulla fuit capta resolutio die 14. Aprilis 1698. neque die 12. Junii 1699. & solum die 28. Junii 1700. responsum fuit, constare de bono jure Abbatis etiam ad effectum manutentionis, uti plene desumitur ex decisione dictis die, & anno edita coram citato clar. mem. Card. la Tremoille, & Auditorium Rotæ triplici innixum fuit fundamento, quorum primum desumptum fuit ex erectione Abbatiæ ante fundationem Episcopatus Herbipolensis, hinc inferendo ad nativam libertatem, & ad jurisdictionem acquisitam in ipso tempori momento, quo erecta est, quæque idcirco appellata fuit Jurisdictio Nativa; secundum constitutum est in Privilegiis Abbati concessis per Summos Pontifices, hinc arguendo ad jurisdictionem Dativam; & tertium ex possessione immemorabili, & quadragenaria cum titulo colorato desumptum est; & hæc Jurisdictio nomen habuit Præscriptivæ.

Episcopus adversus hanc decisionem novam postulavit audientiam, eademque concessa, cum propositum fuisset die 16. Februarii 1703. consuetum dubium, *An esset standum, vel recedendum a decisis*, Rota respondit pro persistentia in decisis, sed ex triplici fundamento allato pro Abbate Fuldensi in allegata decisione clar. mem. Cardinalis de la Tremoille, rejectum fuit primum Jurisdictionis Nativæ, rejectum fuit alterum Jurisdictionis Dativæ, & ad partes posita præscriptione immemorabili, tota vis pro Abbate fuit repolita in quadragenaria cum titulo colorato, uti habetur ex decisione edita citata die 16. Febr. 1703. coram bon. mem. Molines Decano §. 1. & §. *finali, quæ decisio est vigesima inter impressas post Prosperum de Territorio separato*; cumque non obstantibus binis decisionibus, Causa ab Auditorio Rotæ non fuisset per sententiæ prolationem expedita, fuit illa iterum proposita die 27. Aprilis 1705. habitoque responso, quod constabat de bono jure Abbatis Fuldensis etiam ad effectum manutentionis in possessione, & exercitio Jurisdictionis Ordinariæ, quasi Episcopalis in omnibus locis ditionis Fuldensis, non ex motivo tamen Jurisdictionis Nativæ, nec ex motivo Immemorabilis, sed Dativæ, & Præscriptivæ præscriptione quadragenaria cum titulo colorato, uti legitur *in decisione edita dicta die 27. Aprilis 1705. §. 3. & §. 16. coram bon. mem. Molines, quæ est decisio 23. post memoratum Prosperum de Territorio separato*; tandem deventum fuit ad Causæ expeditionem *die 20. Decemb. ejusdem anni*, sed extensa alia brevi decisione, in qua cæteris fundamentis rejectis, unicum momentum constitutum fuit in quadragenaria cum titulo colorato, *in eo autem constitutum fuisse declararunt Domini bonum jus Abbatis, quod ad sui favorem concurrit possessio quadragenaria cum titulo colorato*, quemadmodum legitur *in decisione edita die 20. Decembris 1705. §. Et in primis, & §. In eo autem coram sæpe citato Molines Decano.*

Prolata itaque prima sententia favore Abbatis Fuldensis, & interposita ab Episcopo appellatione, Causa delata fuit ad bon. mem. R. P. D. Ansaldum, propositoque die prima Julii 1708. dubio, *An Sententia Rotalis esset infirmanda, vel confirmanda*, responsum fuit pro confirmatione, & uti colligitur ex voluminosa decisione ab eodem edita, nullus fere fuit ex DD. Rotæ Auditoribus, qui adhæserit fundamento jurisdictionis Nativæ. Major quoque pars suffragiorum existimavit, jurisdictionem Dativam Abbatis non subsistere, & licet major unio suffragiorum fuerit pro præscriptione quadragenariæ cum titulo colorato, unus tamen ex Dominis illam fortiter impugnavit, juxta ea, quæ habentur §. 18. *& pluribus seqq. &* §. 101. *& seqq. &* §. 131. *& seqq.* usque in finem decisionis *diei 1. Junii 1708. coram eodem Ansaldo, quæ est decis. 24. post memoratum Prosperum de Territorio separato*; & cum post hæc fuisset ab Episcopo petita, & obtenta nova audientia, & ad tramites ordinis judicialis fuisset propositum dubium, *an esset standum, vel recedendum a decisis*, perstitum fuit in decisis, & duo ex DD. amplexati sunt omnia fundamenta deducta pro parte Abbatis, jurisdictionis scilicet Nativæ, Dativæ, & Præscriptivæ; alter perstitit in decisis ex solo fundamento jurisdictionis Dativæ; quatuor convenisse videntur in præscriptione quadragenaria cum titulo colorato; & unus dissensit ab omnibus, & jurisdictioni Præscriptivæ cum titulo colorato fortiter obstitit, cui subinde unus accessit, & alter eo audito, in eam descendit opinionem, ut differretur resolutio, & ut actus particulares examinarentur, quos Abbas prætendere poterat se præscripsisse, uti legitur *in decis. edita die 2. Junii 1710. §. 3. §. 9. §. 33. §. 35. coram citato R. P. D. Ansaldo*, & non obstante hac votorum scissura in ipsis decisionibus Rotalibus patefacta, deventum est ad Causæ expeditionem, & sic ad prolationem secundæ sententiæ favore Abbatis.

Habitus est ab Episcopo recursus ad Eminentissimum Corradinum tunc san. mem. Clementis XI. Auditorem, deductoque coram ipso sequenti fundamento, quod dici non poterat, suffragia Auditorum Rotæ ex diversis motivis in unum finem conspirare, sed esse potius inter se taliter discordantia, ut unum aliud destrueret, placuit eidem insinuare DD. Auditoribus Rotæ, quod in Causa Herbipolen. seu Fulden. Jurisdictionis expediebat dubia separare, itaut unum Nativam, alterum Dativam, & tertium Præscriptivam jurisdictionem respiceret, editoque idcirco ab eadem Rota responso die 13. Aprilis 1711. pro dictorum dubiorum separatione, unius videlicet super Nativa, alterius super Dativa, & tertii super Præscriptiva cum titulo colorato, proposita fuit Causa super Nativa die 12. Junii

12. Junii 1701. & responsum fuit, Sententiam Rotalem esse reformandam quoad Nativam, uti colligitur *ex decisione edita dicta die coram bon. mem. R. P. D. Caffarello*; cumque die 15. ejusdem mensis, & anni proposita pariter fuisset Causa super aliis duobus dubiis Dativæ, & Præscriptivæ, responsum fuit quoad Dativam, quod iterum proponeretur, & Sententiam Rotalem esse confirmandam quoad Præscriptivam, extensaque decisione super Præscriptiva ab eodem R. P. D. Caffarello, deventum fuit ad expeditionem Causæ, & sic ad tertiam Sententiam.

Ad evitanda præjudicia ex prolatione trium Sententiarum Rotalium in se derivantia, supplices preces ab Episcopo exhibitæ sunt san. mem. Clementi Papæ XI. qui Congregationem Particularem deputavit loco Signaturæ Gratiæ, promotaque in hac Congregatione instantia pro avocatione causæ a Tribunali Rotæ ad hanc Sacram Congregationem Concilii, cum in dicta Particulari Congregatione ponderatum fuisset, totam decidendi rationem pro Abbate Fuldensi constitutam fuisse in Quadragenaria cum titulo colorato, & esse articulum Juris Conciliaris, an post Concilium Tridentinum Quadragenaria cum titulo colorato sufficiat pro acquirenda jurisdictione Activa in Clerum, & Populum una cum Territorio separato, responsum fuit die 29. Augusti 1714. *eidem Rotæ cum facultate manutenendi quem de jure, ac constito de tribus, discusso tamen prius articulo in Sac. Congregatione Concilii, an Quadragenaria cum titulo colorato sit sufficiens ad constituendum Territorium separatum*; nec mirum, cum etenim Sixtus V. *in sua Constitutione 74. Congregat. 8. §. 1. Bullar. tom. 2.* privativam indulserit huic Sac. Congregationi auctoritatem interpretandi decreta Sac. Concilii, hinc factum est, ut quoties incidit quæstio super intelligentia alicujus decreti Concilii, si casus sit dubius, & alias a Congregatione non decisus, Rota ipsa, aut Congregationem consulat, aut significet Partibus, ut ipsæmet adeant Congregationem, a qua ubi resolutionem obtinuerint, redeant postea cum ipsa ad Rotam pro Causæ expeditione, quemadmodum totidem verbis testatur *Fagnan. in cap. Quoniam num. 38. de Constitutionibus*, & late etiam prosequitur *R. P. D. Petra ad Constitutiones Apostolicas tom. 4. in notis ad Constitut. 10. Martini Quinti num. 31. & 32.*

Cohærenter ad hæc in Sacra Congregatione Concilii habita *die 3. Octobris 1716.* propositum fuit dubium, *an Quadragenaria cum titulo colorato sit sufficiens ad præscribendum Territorium separatum in casu*; cumque tunc nulla fuisset capta resolutio, sed Secretario tunc temporis demandatum, ut Partibus insinuaret recursum ad Auditorem Sanctissimi pro præcisa declaratione Controversiæ a Sacra Congregatione decidendæ; scripturæ quippe Episcopi Herbipolensis articulum in abstracto proponebant, & scripturæ Abbatis Fuldensis non solum erant in concreto exaratæ, sed totam causam comprehendebant, *die tandem 15. Maii 1717.* cum ea, quæ a Partibus erant adimplenda, non fuerint adimpleta, responsum est, causam non esse in abstracto proponendam, *uti habetur lib. 67. decret. pag. 218.*

Dubium sufficientiæ, vel insufficientiæ Quadragenariæ cum titulo colorato pro acquirendo Territorio separato, nec in abstracto, nec in concreto fuit amplius unquam in hac Sac. Congregatione propositum, sed cum nonnulli in Italia, & alii extra Italiam Episcopi constituti in litteris san. mem. Clementi Papæ XI. scriptis humiliter exposuissent propositionem admissam, & formiter comprobatam in Rotalibus decisionibus, acquiri videlicet posse ab inferiore Prælato Territorium separatum per Quadragenariam præscriptionem cum titulo colorato, nedum Episcoporum, sed etiam Sanctæ Sedis auctoritati esse præjudicialem, nec cohærere cum principiis Juris Canonici, & cum opinionibus in eodem Rotæ Auditorio, & Sacris Congregationibus receptis, placuit Beatitudini Suæ Congregationem Particularem ad referendum deputare, a qua sequens prodiit Decretum auctoritate subinde Apostolica roboratum.

Decretum Sacræ Congregationis Particularis.

In Congregatione Particulari a Sanctissimo Domino Nostro die 3. Augusti 1718. specialiter deputata, Eminentissimi Domini Judice, Vallemani, Paracciani Præfecti Sacræ Congregationis Episcoporum, & Regularium, Corradini Præfecti Sacræ Congregationis Concilii Tridentini Interpretis, Scotti Præfecti Signaturæ Justitiæ, nec non RR. PP. DD. Petræ prædictæ Sacræ Congregationis Episcoporum, & Regularium Secretarii, Lancettæ Sacræ Rotæ Romanæ Decani, Cerri ejusdem Rotæ Auditoris, Ansidei Assessoris Sanctissimæ Inquisitionis, & mei infrascripti Secretarii memoratæ Congregationis Concilii Tridentini Interpretis, & hujus quoque Particularis Congregationis Secretarii, ut in ea videlicet examinaretur, an ad tramites Sacrorum Canonum, Sacrique præsertim Concilii Tridentini, posset inferior Prælatus Territorium separatum, & Jurisdictionem Ordinariam, & quasi Episcopalem in Clerum, & Populum, cum ipsius Episcopi exclusione, in aliquo speciali loco acquirere per Quadragenariam præscriptionem, una cum titulo colorato, prædicti Eminentissimi Domini, & RR. PP. Particularem Congregationem constituentes, insimul congregati in Ædibus Eminentissimi Judice die 3. Januarii hujus anni 1721. post maturum, & diligentissimum materiæ examen, unanimiter responderunt, non posse, sed pro acquisitione Territorii separati, prædictæque Jurisdictionis, omnino requiri, aut clarum, & undequaque subsistens Apostolicum Privilegium, aut consuetudinem immemorabilem cum suis omnibus requisitis rite probatam, per quam Apostolicum Privilegium de jure præsumi valeat. An autem admisso vero Apostolico Privilegio de sui natura apto ad separationem Territorii, & concessionem Jurisdictionis Ordinariæ quasi Episcopalis in Clerum, & Populum cum exclusione Episcopi in aliquo determinato loco, sed aliquam rationabilem dubietatem, aut disputationem admittente, subsequens informis Quadragenaria, aut per aliud legitimum tempus continuata observantia favens Prælato inferiori in qualibet actuum specie Ordinariæ, & quasi Episcopalis Jurisdictionis deservire valeat pro dicti Apostolici Privilegii interpretatione, prædicti Eminentissimi Domini, & RR. PP. dixerunt, id dependere a singulis casuum, & factorum circumstantiis, & sic dandum esse responsum a suis Judicibus super hac re in casibus particularibus.

Factaque per me prædictorum omnium Sanctissimo Domino Nostro relatione, die 14. Januarii hoc anno 1721. Sanctitas Sua approbare dignata est, & præsens Decretum publicari mandavit.

Prosper de Lambertinis Sacræ Congregationis Particularis Secretarius.

Hæc est tota series eorum, quæ gesta sunt in causa Nullius Fulden. seu Herbipolen. Jurisdictionis, & in quorum sequelam declaratum, & confirmatum remansit Territorium separatum favore Abbatis Fuldensis cum exclusione Episcopi Herbipolensis, & pro complemento nihil aliud remanet, quam nonnulla exponere, quæ in ipsis Decisionibus Rotalibus habentur, & alia quædam superaddere, quæ deducuntur ex Decretis hujus Sac. Congregationis Sacrorum Rituum.

In Decisione itaque edita 16. Februarii 1703. §. *finali coram bon. mem. Molines* hæc habentur, *ex motivo itaque præscriptionis Quadragenariæ tantum Domini in decisis persistiterunt, addentes, quod si in aliquibus particularibus locis Territorii Fuldensis, Episcopus Herbipolensis prætendat ex aliis peculiaribus rationibus, & documentis jurisdictionem, ut insinuaverat in ejus commissione nostro Tribunali directa, vel si idem Episcopus prætendat, quod ipse solum privative ad alium Episcopum debeat conferre Ordines, vel Dimissorias Subditis Abbatis, juxta concordiam anni 1613. vel ex alio titulo, illi præservarunt jus, & facultatem ejus prætensiones deducendi in alio judicio.* Consimilia habentur in alia Decisione edita die 27. Aprilis 1705. coram eodem Molines §. *finali*, ubi post repetitam dictam præservativam, subditur *reservando alteri examini ea, quæ sunt Ordinis, & consecrationem requirunt, & alia quæcumque, quæ Inferioribus Ordinariis quasi Episcopalem jurisdictionem habentibus Concilii Tridentini decretis sunt adempta, prout eisdem verbis, & inter easdem partes asseritur, & exprimitur in Voto Sacræ Congregationis Concilii 2. Decembris 1604. & in Brevi subinde dato a san. mem. Clemente octavo die 23. Decemb. 1604. super quibus voluerunt DD. ut particulariter videretur.*

Transeundo ad ea, quæ habentur in Regestis hujus Sac. Congregationis, operæ pretium est prænoscere, quod Julius Episcopus Herbipolensis anno 1576. violenter expulit ab Abbatia Fuldensi Abbatem Balthasarrem; Gregorius autem XIII. Summus Pontifex Julio demandavit, ut sub pœna excommunicationis omnem Abbatiæ administrationem statim deponeret, & Maximilianum Imperatorem hortatus est, ut Pastorem suo Gregi restitueret.

Maxi-

Maximilianus habitis Pontificiis litteris, præcepit Episcopo Julio, ut jurisdictionem deponeret, & eam loco sequestri cederet Magno Magistro Ordinis Theutonici; sed mortuo, re infecta, Maximiliano, delatoque Imperio ad Rodulphum, tam Gregorius, quam ejus Successor Sixtus Papa Quintus negotium restitutionis strenue prosecuti sunt; cumque anno 1602. supervenisset Sententia Imperatoris Rodulphi, in qua rescissis omnibus gestis in ditione Fuldensi ab Episcopo Julio, declaratum est, eidem non licuisse sese articulato modo immiscere, & Diœcesim Fuldensem de facto apprehendere, Abbas ad suorum jurium possessionem reversus Summo Pontifici Clementi Octavo supplicavit pro confirmatione suæ jurisdictionis, & pro nonnullis aliis, negotioque a dicto Summo Pontifice ad hanc Sacram Congregationem remisso, editum fuit die 2. Decembris 1604. sequens Decretum uti habetur *lib.* 10. *decret. fol.* 104. *Congregatio Concilii censuit quo ad primum si Sanctissimus annuat, concedendas esse Oratori*, scilicet Abbati Fuldensi *litteras in forma Brevis, quibus excitetur jurisdictio alias ei competens, nempe ut in locis sibi pleno jure subjectis jurisdictionem quasi Episcopalem exercere, visitationem obire, Parochos instituere, cæteraque ad eandem jurisdictionem pertinentia peragere queat, sine tamen alicujus præjudicio; atque exceptis tum his, quæ sunt Ordinis, & consecrationem requirunt, quam aliis quibuscunque, quæ inferioribus quasi Episcopalem jurisdictionem habentibus adempta sunt Trident. Conc. Decretis. Quoad secundum de novandis, sive de integro concedendis facultatibus, alias sibi ad tempus a felic. record. Gregorio XIII. concessis, Congregatio quoad facultates absolvendi ab hæresi, atque apostasia, consultius esse putavit adire Congregationem Sanctissimæ Inquisitionis, sed ad postremam facultatem quæ in litteris Gregorii habetur de præsentandis Alumnis suis cuicumque Catholico Antistiti, ut si idonei sint, & annorum 23. ad Sacros etiam Presbyteratus Ordines possint promoveri, Congregatio censuit, concedendum esse ad sexennium dumtaxat; ad Tertium dispensandi facultatem quo ad matrimonia jam contracta, esse, si Sanctissimo placuerit, concedendam*, & cohærenter ad hanc resolutionem editæ fuerunt Apostolicæ Litteræ in forma Brevis a Summo Pontifice Clemente Octavo.

Anno denique 1703. die 22. Septembris, cum Abbas Fuldensis vigore Brevis obtenti ab Urbano Octavo communicationis privilegiorum Congregationis S. Justinæ, sequens dubium in Sacrorum Rituum Congregatione proposuisset, *an possit suis subditis vigore ejusdem Brevis Sacramentum Confirmationis conferre*, responsum fuit *cum Sanctissimo pro Indulto*; sed recurrente Episcopo Herbipolensi, & exponente, quod adhuc lis inter se, & Abbatem pendebat super qualitate Nullius, & Territorii separati, & quod Rota in Decisionibus præservaverat cognitionem eorum, quæ exposcunt Ordinem, & consecrationem, responsum fuit die 27. Decembris 1706. *dilata, & expectetur exitus Causæ in Sacra Rota*, uti plene refert *R. P. D. Petra ad Constitutiones Apostolicas tom.* 3. *pag.* 562.

Et hæc sunt, quæ Secretarius colligere potuit pro faciliori examine instantiæ, quæ in Sacra Congregatione proponitur super approbatione Concordiæ initæ inter Episcopum Herbipolensem, & Abbatem Fuldensem.

QUÆSTIO CCCXLVI.

In Causa Civitatis Castellanæ, die 28. *Augusti* 1723.

ANNO 1704. Martha Uxor Philippi Pulcinelli ita disposuit in suo, cum quo decessit testamento, *item jure legati, & alias omni &c. mandavit per infrascriptos ejus hæredes celebrari fieri quolibet anno in perpetuum Missas duodecim, nempe unam quolibet mense in Altari Sanctissimi Salvatoris pro salute animæ suæ, & suorum Prædecessorum*; cumque relicto usufructu suorum bonorum Philippo suo Viro, quousque viveret, relictaque Blasio Filio quadam Terreni portione pro toto eo, quod a sua hæreditate prætendere possit, hæredes his verbis scripserit, *in omnibus suis bonis hæredes universales instituit Franciscum Mariam ejus Nepotem filium Blasii Pulcinelli ejus filii, quo moriente sine filiis legitimis, & naturalibus substituit Hippolytam, & Mariam alteras filias dicti Blasii, & ejus neptes, & una ex eis moriente, una alteri succedat, & succedere debeat*, contigit, ut adhuc vivente Testatrice, decesserit Franciscus Maria hæres institutus, caducatoque per hæredis prædecessum testamento, hæreditas ad Blasium filium devenerit ab intestato cum obligatione tamen vigore clausulæ codicillaris appositæ in testamento Marthæ, restituendi hæreditatem Hippolytæ, & Mariæ hæredibus vocatis post obitum Francisci Mariæ prædefuncti, & retenta tantum a Blasio legitima, quæ ei debita est in bonis Matris.

Stante hæreditatis tenuitate, quæ detractis detrahendis, ascendit ad capitale scutor. 91. circiter, Hippolyta, & Maria hæredes institutæ, & filiæ Blasii hæreditatem Marthæ acceptare recusant, & quamvis dictus Blasius asserat, se ex caducatione Testamenti potuisse excitare controversiam super caducatione legati, non obstante, quod pium sit, & respiciat suffragium animæ Testatricis, hac nihilominus controversia relicta, cum ab hac Sacra Congregatione declarationem quæsiverit, quod legatum Missarum non esset perpetuum, sed restrictum ad vitam hæredum, juxta morem scriptum fuit Episcopo pro informatione, & voto.

Supervenit Episcopi informatio, in qua post enarratum factum mox recensitum, sic concludit: *Licet autem in præsenti Testatrix mandaverit Missas celebrari fieri in perpetuum, nihilominus onus restrinxisse videtur ad infrascriptos hæredes, qui nominati fuerunt, & quibus nullus datus fuit substitutus; unde licet favor piæ causæ late soleat interpretari, nihilominus quia dispositio restricta fuit ad personas hæredum nominatorum, expectabo oraculum EE. VV. quibus potestas est interpretandi supremas voluntates.*

Præter informationem Ordinarii, per manus circumfertur scriptura, in qua ostenditur, verba Testatricis fuisse directa ad hæredes, & sic denotare personalitatem, & Testatricem loquendo *de infrascriptis hæredibus*, intellexisse de illis, qui oculis corporeis legi poterant in suo Testamento, hinc inferendo, nunquam dici posse, quod onus Missarum sit perpetuum, cum verbum illud *in perpetuum* coarctetur ab aliis *per infrascriptos ejus hæredes*, in quo rerum themate perpetuitas non extenditur ultra vitam hæredum scriptorum; nullatenus urgente favore piæ causæ, cum ille operetur ad summum in dubiis, non in claris, & juris solemnitates suppleat, sed intellectum verborum non detorqueat ad sensum a mente Testatoris alienum.

Quibus stantibus, quæritur

An Legatum duodecim Missarum sit restrictum ad vitam hæredum, vel eorum vitam prætergrediatur, & sit revera perpetuum in casu &c.

Sacra Congr. die 18. Septembris 1723. respondit,
Ad primam dubii partem negative. Ad secundam affirmative.

QUÆSTIO CCCXLVII.

In Causa Bononiensi Indulti, die 18. *Septembris* 1723.

CELEBRIS quæstio de Canonicis Regularibus Ordinis Lateranensis assumendis, vel non assumendis, ad Parochiales Ecclesias sæculares cum sola licentia sui Patris Abbatis Generalis, de qua *in cap. quod Dei timorem de statu Monachorum*, licet resoluta fuerit in Sacra Congregatione Episcoporum, & Regularium, & ejus responsum fuerit a san. mem. Clemente X. confirmatum, quod videlicet assumi non possint, nisi præter Abbatis Generalis licentiam, expressum quoque Sedis Apostolicæ indultum accedat, uti colligitur ex decreto impresso apud *Monacell. in formul. legal. part.* 1. *in appendice pag.* 314. *& seqq.* fuit iterum reassumpta in Sacra Congregatione Concilii in quadam Causa Placentina Præsentationis *die* 14. *Novembris* 1693. in qua Canonico Regulari concessum fuit Indultum obtinendi Parochialem Ecclesiam sæcularem, sed infimul additum ut unirentur decreta, & causa super capacitate, vel incapacitate Canonicorum Regularium cum sola licentia Patris Generalis proponeretur, citatis omnibus Procuratoribus Generalibus Canonicorum Regularium, quam resolutionem san. mem. Innocentius Papa XII. confirmavit, & jussit super ea Breve expediri, ut omnibus innotescceret, & ut tandem lex omnibus præscriberetur in posterum omnino servanda, uti habetur *lib.* 43. *decret. pag.* 549. *a tergo*.

Id, quod contigit in capacitate Canonicorum Regularium in ordine ad Beneficia curata sæcularia, contigit etiam in Beneficiis simplicibus, & signanter in Canonicatibus; quæstio etenim, an iidem citra dispensationem Apostolicam ad Canonicatus in Cathedralibus præsertim Ecclesiis assumi possint, de qua *in cap. super eo de regul. & in can. placuit* 16. *quæst.* 1. & in qua negativa opinio fuit a plerisque Scribentibus late propugnata, *Fagnan. in cap. quod Dei timorem num.* 18. *de statu*

ut Monachorum, Pirhing. ad eundem titulum decret. lib. 3. *tit.* 35. §. 2. *num.* 18. *Vanespen. juris Ecclesiastici tom.* 2. *tit.* 18. *cap.* 3. *num.* 17. *Garzias de benef. part.* 10. *num.* 28. *&* 29. *Tondut. quæst. benef. tom.* 1. *cap.* 80. *num.* 10. *Corrad. in Prax. benef. l.* 6. *cap.* 1. *n.* 26. *Navar. consil.* 11. *num.* 6. *lib.* 3. *de statu Monachorum, Bellamer. decis.* 172. *tit. de præbendis*, quæque etiam opinio a fortiori confirmari potest ex Rescripto Sac. Congregationis Episcoporum, & Regularium supra memorato, & per Clementem Papam X. confirmato, iterum excitata fuit temporibus san. mem. Clementis Papæ XI. ad quem habito a Procuratore Generali Canonicorum Lateranensium recursu, ut controversiæ examen huic Sac. Congregationi committeret, tam quoad Beneficia curata, quam quoad Canonicatus, ita tamen, ut examen fieri deberet in puncto Juris communis, Concilii Tridentini, Professionis, & Instituti eorundem Canonicorum, independenter, & præcisive ab omnibus Resolutionibus, & Decretis Sacrarum Congregationum, Judicatis quorumcunque Tribunalium, Rescriptis, & Oraculis Summorum Pontificum, tam favorabilibus, quam contrariis a temporibus Gregorii XIII. Sanctitas Sua *die* 30. *Aprilis* 1713. Causam ad hanc Sacram Congregationem Concilii remisit juxta petita; Canonici quippe Lateranenses nimium insistunt Professioni, quam emittunt, & quæ concepta est sequentibus verbis: *Voveo, & promitto &c. & quod nunquam Beneficium acceptabo cum cura, vel sine cura intra, vel extra Ordinem nostrum absque licentia Capituli Generalis, vel ejus auctoritate fungentis, renunciando omnibus juribus, & privilegiis, & consuetudinibus in contrarium mihi competentibus, vel quomodolibet competituris.*

His ad ornatum materiæ præmissis, cum in Metropolitana Bononien. mensibus elaptis Canonicatus vacaverit, & Eminentissimus Cardinalis Archiepiscopus ad eum præelegerit Joannem Baptistam Zanchinii Canonicum Regularem Lateranensem, dummodo suorum superiorum accederet licentia, & Sedis Apostolicæ Indultum, quatenus illud necessarium sit, ad amputandam quamcumque controversiam, & potissimum, cum articulus in genere nec fuerit propositus, nec sit cito proponendus, & resolvendus, memoratus Zanchinus supplices preces huic Sac. Congregationi exhibuit pro Indulto obtinendo, cumque auditus fuerit Procurator Generalis Ordinis, qui in sua Relatione per manus circumferenda censuit annui posse petitis, allatis tum rationibus, tum exemplis, quæritur

An sit indulgendum Joanni Baptistæ Zanchini Canonico Regulari Lateranensi pro conjecutione Canonicatus sæcularis in Metropolitana Bononiensi in casu &c.

Sacra Congr. respondit,
Affirmative.

QUÆSTIO CCCXLVIII.

In Causa Melevitana Jurisdictionis, die 18. *Septembris* 1723.

VACANTE Sede Episcopali Melevitana, electoque in Vicarium Capitularem Dominico Xiberras tunc Coadjutore Archidiaconi, exorta est controversia circa jus, & facultatem convocandi Capitulum, & alios nonnullos actus gestos a Vicario Capitulari; quocirca habitis prius de more necessariis informationibus, deventum fuit ad subscriptionem infrascriptorum Dubiorum.

Primum dubium respicit facultatem Decani Cathedralis super jure convocandi Capitulum Sede Episcopali vacante, nulla petita a Vicario Capitulari licentia.

Promotor Fiscalis curiæ Episcopalis Melevitanæ contendit, necessariam esse prædictam licentiam; quidquid enim sit de jure communi, juxta Constitutionem Synodalem in hac Sacra Congregatione discussam, & approbatam, non potest Capitulum in Cathedrali Melevitana convocari a Canonicis sine licentia Episcopi ex consuetudine ibidem recepta; cumque Vicarius Capitularis succedat in juribus Episcopi, etiam si hæc acquisita sit ex consuetudine, vel præscriptione, hinc Promotor infert, quod si vivente Episcopo petenda erat ab ipso licentia, hoc ipsum, mortuo Episcopo, fieri debet erga Vicarium Capitularem, & multo magis cum non probetur, quod in aliis Sedibus Vacantibus facta fuerit convocatio Capitulorum sine licentia Vicarii Capitularis.

Decanus e contra prætendit, dictam licentiam non requiri, tum quia de jure convocatio Capituli libera est, nec requiritur licentia Episcopi, & intantum dicta licentia est necessaria in Diœcesi Melevitana, in quantum viget pro Episcopo consuetudo, quæ cum non militet pro Vicario, hinc est, intactam remanere juris communis censuram tempore Sedis Vacantis favore Capituli, tum quia septem Canonici antiquiores amplissime testantur, nunquam in præteritis convocationibus Capitulorum petitam fuisse a Vicario Capitulari licentiam.

Secundum dubium respicit facultatem convocandi Capitulum, si Decanus absit, vel sit impeditus, an eadem, inquam, devolvatur ad successivas Dignitates, & Canonicos gradatim, exclusis eorum Coadjutoribus.

Promotor Fiscalis super hoc dubio non se opponit, cum illud non respiciat Jura Episcopatus, nec minus Vicarii Capitularis; Decanus e contra stat pro devolutione ad Dignitates, & Canonicos, exclusis Coadjutoribus, cum Coadjutores sint improprie, & ficte Canonici, & titulum non habeant in Canonicatu, & assertioni Decani ex iisdem rationibus adhæret Capitulum Cathedralis in sua scriptura.

Tertium dubium respicit Vicarium Capitularem, an idem videlicet procedere valeat ad Censuras contra Decanum, Dignitates, & Canonicos, si ab illis fine sua licentia Capitulum convocetur.

Promotor Fiscalis, qui, uti supra dictum est, vult Capitulum esse convocandum petita licentia a Vicario Capitulari, exorat pro affirmativo responso ad tertium dubium, cum Vicarius armis etiam spiritualibus uti possit pro suorum jurium defensione; & Decanus e contra, qui asserit dictam licentiam non esse petendam, dicit consequenter huic dubio esse negative respondendum, & multo magis, quia quatenus licentia esset necessaria, satis esset pro pœna nullitas actus absque recursu ad Censuras, quæ sunt remedium subsidiarium.

Quartum dubium consistit in examinando, an in casu, quo Cursores, & Cancellarius recusent suum Officium præstare in convocatione Capitulorum, possint Decanus, Dignitates, & Canonici Capitulum convocantes uti quacunque alia persona pro Capitularibus intimandis.

Promotor Fiscalis ait, negative esse respondendum, si renitentia Cursorum, & Cancellarii proveniat, vel ex quo non fuit petita licentia Vicarii Capitularis, vel ex quo ipsi sunt legitime impediti. Decanus e contra, qui procedit cum præsupposito exclusivo necessitatis petendi licentiam, sustinet, proposito dubio esse affirmative respondendum, ne abstinentibus Cursoribus, aliisque Ministris Curiæ Episcopalis a sui Officii præstatione ad rem gratam faciendam Vicario Capitulari, Vicarius per indirectum obtineat id, quod directe obtinere non potest. Quintum dubium refertur ad prætensam obligationem, quod Dignitas, seu Canonicus Capitulo præsidens certiorem reddat Vicarium Capitularem absentem de resolutionibus in Capitulo captis, & quatenus affirmative, quibus remediis procedendum sit contra recusantem.

Promotor Fiscalis pugnat pro dicta obligatione, necnon pro facultate utendi Juris, & Facti remediis in casu renitentiæ; sicut enim Episcopo denegari non potest copia resolutionum Capitularium, sic eadem copia non est deneganda Vicario Capitulari, ut in terminis Archidiaconi Gerunden., qui tempore Sedis Episcopalis vacantis succedit in Episcopali jurisdictione, exceptis his, quæ sunt ordinis, firmavit *Rota in Gerunden. Jurisdictionis super exhibitione resolutionum Capitularium* 12. *Junii* 1702. *coram clar. mem. Cardinali Priolo, quæ est decisio* 25. *apud Scharfanton. in suis animadversionibus tom.* 1., & Decanus e contra se opponit, & innititur observantiæ non participandi Vicario resolutiones, quam asserit in Cathedrali Melevitana vigere.

Sextum dubium causam habet a facto sequenti. Tempore postremæ Sedis Vacantis, cum esset Capitulum convocandum, & Decanus ad ejus convocationem procedere vellet, audivit a Vicario Capitulari prætendi, quod præcedens a se licentia peteretur, & ad sedandas controversias Decanus Vicarium Capitularem convenit. In discursu inter ipsos, semotis arbitris facto, Decanus asserit, sibi fuisse a Vicario suppositum, quod Canonicus Mangion, qui fuerat in anteacta Sede Vacante Vicarius Capitularis, fatebatur, se fuisse requisitum pro licentia convocandi Capitulum, & sub hac suppositione, & sub expressa conditione, quod Mangion ita loquutus fuisset, admittit, se licentiam petiisse, *se il Sig. Mangion dice, che sono obbligato a domandarla, ve la domando cento volte*, Vicarius vero Capitularis rem modo diverso exponit, cum dicat Decanum sibi absolute pro licentia supplicasse, & excusationem petiisse pro præterita renitentia,

ex

ex quo Constitutionem Synodalem ignorabat; cumque Vicarius subsequenter mandavit Cancellario, ut id inter Acta referret, & quidem non eo modo, quo Decanus ait, rem sequutam fuisse, sed alio modo, quo ipse sustinet, eam se habuisse, sextum ex his dubium suam originem habet, instante videlicet Decano pro annullatione, & deletione actus registrati, interposito juramento super petitione conditionali, & contestantibus hoc ipsum octo Canonicis, nec non Magistratu Civitatis Notabilis.

Transeundo ad septimum dubium, cum Vicarius Capitularis Canonicis inhibuerit convocationem, & celebrationem Capituli absque sua licentia sub pœnis Censurarum, & Excommunicationis majoris ipso facto incurrendæ, in septimo dubio disputandum proponitur, an dicta inhibitio sustineatur.

Porro Promotor sustinet validitatem inhibitionis, cum vetitum esse non debeat Vicario sua jura tueri gladio etiam excommunicationis. E contra autem Decanus vult, dictam inhibitionem esse reprobandam, non solum quia Vicario innotescebat, Capitulum convocari pro habendo recursu ad Sedem Apostolicam a gravaminibus, quæ injuste se pati prætendebat, sed etiam quia pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ, & sic latæ, & non ferendæ sententiæ, habetur pro exorbitanti ab hac Sacra Congregatione etiam in casu boni juris, & prætensioni Decani adhærent Canonici in sua particulari scriptura.

Octavum denique dubium pertinet ad materiam sexti dubii, cum petatur, an subsistat, vel potius sit annullandus actus registratus in Cancellaria Episcopali de ordine Reverendissimi Episcopi, in quo supponitur, Decanum petiisse a Vicario Capitulari licentiam sub conditione.

Jura tum Promotoris Fiscalis, tum Decani, tum Capituli circumferuntur; quocirca quæritur

I. An Decanus Cathedralis Ecclesiæ, ad quem spectat convocare Capitulum, teneatur, Sede Episcopali vacante, petere licentiam a Vicario Capitulari pro convocandis Capitularibus in casu &c.

II. An ipso Decano absente, renuente, aut alias quomodolibet impedito, facultas convocandi Capitulum devolvatur ad successivas Dignitates, & Canonicos gradatim, exclusis eorum Coadjutoribus in casu &c. & quatenus affirmative.

III. An Vicarius Capitularis possit procedere ad Censuras contra Decanum, Dignitates, & Canonicos convocantes Capitulum sine licentia in casu &c.

IV. An Decanus, Dignitates, & Canonici convocantes Capitulum, uti valeant quacunque persona pro intimandis Capitularibus, nec non quocunque Notario casu, quo Cursores, & Cancellarius eorum officium præstare recusent in casu &c.

V. An Dignitas, seu Canonicus Capitulo Præsidens teneatur certiorem reddere Vicarium Capitularem absentem de resolutionibus Capitularibus; & quatenus affirmative, quibus remediis procedi possit contra recusantem in casu &c.

VI. An actus registratus in Cancellaria Episcopali die 30. Augusti 1721. de ordine Vicarii Capitularis, in quo supponitur, Decanum petiisse ab eo licentiam convocandi Capitulum, subsistat, vel potius sit annullandus, & delendus in casu &c.

VII. An sustineatur inhibitio transmissa Decano, & Canonicis die 13. Aprilis 1722. de mandato Vicarii Capitularis sub pœna excommunicationis majoris ipso facto incurrendæ in casu &c.

VIII. An actus registratus in Cancellaria Episcopali die 7. Octobris 1722. de ordine Reverendissimi Episcopi, in quo supponitur, Decanum petiisse a Vicario Capitulari licentiam sub conditione, subsistat, vel potius sit annullandus in casu &c.

Sacra Congr. respondit,
Ad Primum negative. Ad secundum affirmative quoad primam partem, & quoad secundam habebitur ratio in Casibus particularibus, visis litteris Coadjutoriarum. Ad tertium negative. Ad quartum affirmative. Ad quintum negative. Ad sextum, & octavum ad mentem, & mens est quod deleantur. *Ad septimum negative.*

QUÆSTIO CCCXLIX.

In Causa Tirasonensi Matrimonii, die 18. Septembris 1723.

MARIA Teresia Marchionissa de Falces amore capta erga Marchionem de Camerana Matrimonium per verba de præsenti cum eodem contraxit *anno* 1713. assignata marito pinguissima dote, cujus fructus ascendere dicuntur *ad annuos ducatos* 100000.

Tempore contracti Matrimonii Marchionissa erat in florida ætate *annorum* 19. & licet osculis, & amplexibus, & assumpta etiam aliquando veste plebeja; Marchio etenim asserebat se plebejas diligere, & nobiles mulieres odio habere; ipsum ad copulam, & Matrimonii consummationem excitasset, Matrimonium tamen ex viri impotentia consummari non potuit.

Tres, & ultra anni a die contracti Matrimonii elapsi sunt, absque eo quod potuerit Matrimonium consummari, & absque eo quod opportunæ diligentiæ fuerint a Marchionissa omissæ; cumque eadem amplius hanc infelicem vitam ducere non valeret, & conscientiæ scrupulis vexaretur, & se a violentiis immunem non esse videret; Marchio etenim manibus, & digitis aliquando tentaverat ejus claustra virginalia disrumpere, consulentibus Theologis, & Directore Spirituali, se *anno* 1718. recepit in Monasterium Monialium Excalceatarum Ordinis S. Augustini, & judicium introduxit super nullitate Matrimonii in Curia Episcopali Tirasonenti.

Introducta causa in prædicta Curia Ecclesiastica post emissam ab utroque Conjuge juratam depositionem de Matrimonio triennii spatio non consummato, prolata est *anno* 1717. a Judice sententia, in qua mandatum fuit, ut Marchionissa accederet ad cohabitandum cum viro, & quod triennalis experientia a Sacris Canonibus demandata *in cap. laudabilem de frigidis, & maleficiatis*, non a die contracti Matrimonii, sed a die executionis sententiæ initium haberet, juxta late firmata per *Sperell. decis.* 141. *num.* 59. *&* 60. & ad præcavendas Marchionis violentias, voluit idem Judex, ut Marchionissa secum duceret omnes famulas, quas habebat in Monasterio, & quod duæ ex iisdem in cubiculo propinquiori dormirent alteri, in quo Conjuges dormiebant.

Accessit Marchionissa ad novam cohabitationem, novasque adhibuit diligentias, ut virum ad Matrimonii consummationem excitaret; sed cum hæc spatio trium, & ultra mensium in cassum cecidissent, & Marchio iterum manibus, & digitis tentaverit id, quod alias tentaverat, Judex *anno* 1717. *die* 30. *Novembris* decrevit, ut Conjuges separarentur, causaque nullitatis Matrimonii nullatenus derelicta, electæ sunt septem Obstetrices, deventumque fuit ad examen septimæ manus Propinquorum, & Marchionissa intacta, & Virgo reperta est, superventisque hoc interim Apostolicis litteris san. mem. Clementis Papæ XI. quibus Judici committebatur, ut quatenus Matrimonium ob viri impotentiam intra triennium consummari non potuisset, procederet ad ulteriora prout de jure, absque alio triennali experimento, *die tandem* 3. *Julii* 1720. prolata est a Judice sententia pro nullitate Matrimonii propter impotentiam naturalem Marchionis.

Appellatione a Marchione interposita ad Tribunal Archiepiscopi Toletani, cum Marchionissa videret se ad eum redigi statum, ut sua prius vita, quam lis esset absolvenda, recursum habuit ad Sanctissimum Dominum Nostrum, eidem supplicando pro dispensatione Matrimonii rati, & non consummati, & a Sanctitate Sua preces fuerunt remissæ ad hanc Sacram Congregationem, datisque juxta morem litteris ad Episcopum Tirasonen. ut informaret, & terminum utrique Parti præfigeret ad sua jura deducenda in hac Sacra Congregatione, adimpleta fuerunt ab Episcopo ea omnia, quæ adimpleri debebant, cumque ut magis instructam redderet hanc Sacram Congregationem, servatis servandis Marchionissam jusserit in Balneo reponi juxta cautelam *Hostiensis in c. causam matrim. num.* 4. *de probationibus*, quam etiam cæteri secuti sunt *Abbas in cap. Fraternitatis num.* 4. *de frigidis, & maleficiatis, Sanchez de matrim. lib.* 7. *disput.* 113. *num.* 11. *Panimol. decis.* 51. *adnot. prima n.* 8. *Rota decis.* 392. *sub num.* 16. *par.* 4. *tom.* 2. *recent. & decis.* 10. *&* 11. *post Card. de Luca ad materiam de matrim. tom.* 2. & referentibus obstetricibus, quod eadem intacta reperta sit, perinde ac si esset Puella novem annorum, disputandum in præsenti proponitur dubium ad calcem hujus Restrictus referendum.

Quoad Summi Pontificis in dissolvendo Matrimonio rato, & non consummato potestatem, nulla juxta veriorem, & in praxi receptam sententiam videtur esse posse difficultas; quemadmodum etiam certum esse videtur, quod concurrente legitima probatione non consummationis, uti potest Summus Pontifex dicta potestate, etiamsi prius actum fuerit judicialiter de nullitate Matrimonii ex capite impotentiæ, & etiam si vir dissolutioni obstat, dummodo ejus resistentia sit irrationabilis, uti materia

teria funditus examinata, admissum fuit annis præteritis in celebri causa Januen. Matrimonii, itaut difficultas redigi videatur ad causam dispensationis, cum hæc debeat esse magna, & urgens, & publica, vel per se, vel reductive.

In litteris Apostolicis san. mem. Clementis XI. expeditis in dicta causa Januen. Matrimonii die 6. Martii 1720. cohærenter ad resolutionem hujus Sac. Congregationis causa sequentibus verbis exponitur, *cum autem, sicuti eadem expositio subjungebat, nisi dictum Matrimonium auctoritate nostra Apostolica dissolvatur, difficiles, ac infelices habiturum sit exitus, auctisque, ac recrudescentibus non minus inter ipsos assertos conjuges, quam inter tot primarias eorum respective propinquorum familias in Civitate libera degentes, ac in partem regendæ Reipublicæ Januensis adscriptas, jam inde enatis inimicitiis, & dissensionibus, non tantum privata, sed & publica incommoda, aliaque mala, cum non mediocri tranquilli status ipsius Reipublicæ perturbatione timeri possint, quemadmodum plerique ex ipsis Senatoribus, & Patritiis Januensibus jure jurando contestati fuerunt: Hisque etiam accedat, quod pristinum super prætensa nullitate Matrimonii institutum judicium secundum juris tramites continuari, ac terminari vix, aut ne vix quidem posset, eo quia asserente dicto Joanne Jacobo se Matrimonii consummandi potentem existere, Canonicum novæ cohabitationis experimentum foret adhibendum, a quo tamen eadem Anna Maria, tum propter acerbam animorum exulcerationem, tum propter sibi certum conscientiæ labefactandæ periculum, ac æternæ salutis discrimen plane abhorret, eique nunquam se consensuram fore constanter protestetur &c., nos igitur præfatis justis, & rationabilibus ex causis adducti &c.*

In Matrimonio, de quo nunc agitur pro ejus dissolutione afferuntur scandala, jurgia, & dissensiones inter conjuges, & eorum propinquos. Jura circumferuntur, quocirca quæritur,

An sit Sanctissimo Domino Nostro consilium præstandum pro dispensatione Matrimonii rati, & non consummati in casu &c.

In hac Congregatione habita die 18. Septembris demandatum fuit, ut dubium hujus causæ reformaretur; fuit hoc executioni mandatum; quocirca quæritur

An sit locus dissolutioni Matrimonii in casu, vel potius Sanctissimo Domino Nostro consilium præstandum sit pro dispensatione ejusdem tanquam rati, & non consummati, in casu &c.

Sacra Congr. die 2. Octobris 1723. respondit,
Esse locum dissolutioni Matrimonii.

QUÆSTIO CCCL.

In Causa Mediolanensi, die 18. Septembris 1723.

E MINENTISSIMUS Archiepiscopus Mediolanen. die 4. Augusti currentis anni sequentem scripsit epistolam huic Sac. Congregationi.

Parochi hujus Mediolanen. Diœcesis præcipue illi, qui præsunt Ecclesiis in montanis, & vallibus, recursum habuerunt penes me, significantes quamplurima scandala, quæ in dies oriuntur ex sponsalibus contractis, dilato matrimonio non solum per menses, verum etiam ad plures annos, cum non modico animarum dispendio. Incolæ enim illarum partium, vel sterilitate soli, vel ex sua origine pauperes ad diversas, & longinquas Italiæ, aut Germaniæ Regiones divertunt victum quæventes ex industria, & labore. Aliqui, appropinquante hyeme, redeunt ad patrios lares, nonnulli nisi post annos, & licet in exteris ex humili pinguiorem sortiantur fortunam, tamen vel Patriæ, vel sanguinis amore capti, non nisi apud suos nubere curant; sed pactis sponsalibus de futuro, antequam de præsenti contrahant, sæpe sæpius illecti dulcedine lucri ad consuetas occupationes se transferunt, aliquando post annos, vel saltem post diuturnum tempus non reversuri. Hinc Puellæ sponsalium promissione adstrictæ, periculo incontinentiæ expositæ, non raro ex dilato matrimonio occasionem scandali præbent, inde odia, rixæ, & lites cum maxima animarum jactura, & matrimoniæ, quæ esse debent inter consanguineos, & affines vinculum charitatis, eosdem dissecant, & inimicitias pariunt usque ad Homicidia. Hisce malis sæpius occurrere cogitavi, præfigendo terminum ad contrahendum matrimonium, fretus Sacrorum Canonum, & legum præsidio, ut ex Sanchez de matrimonio lib. 1. *disput.* 54. *Verum cum hoc remedium ex malitia hominum solito appellationum clypeo possit eludi, & loco secandi lites, daretur ansa magis illas in longum protrahendi cum majori fomento discordiarum. Quocirca Parochi, quorum curæ subsunt populi, preces dederunt EE. VV. opportunum implorantes auxilium, ad impedienda enarrata scandala; Et ut votum meum aperiam, expediens censerem pro hujusmodi casibus ab ista Sac. Congregatione præfigi competentem terminum sex, vel octo mensium ad contrahendum matrimonium, quibus elapsis liberum sit puellis ad alia vota convolare, minime attentis præmissis sponsalibus, me tamen submitto infallibili EE. VV. oraculo, ac earum manus humillime deosculor.*

Hactenus epistola Eminentissimi Archiepiscopi Mediolanensis; in eo vero, quod attinet ad juris dispositionem, & signanter juris civilis, si sponsus, contractis sponsalibus, ad aliam se conferat Provinciam, tenetur sponsa eum expectare per triennium, uti habetur *in leg.* 2. *Cod. de repudiis*, ibi, *liberum est filiæ tuæ, si sponsum post tres peregrinationis annos expectandum sibi ultra non putet, omissa spe hujus conjunctionis matrimonium facere.* Si autem sponsus absit, sed degat in eadem Provincia, tenetur sponsa expectare per biennium, ut habetur *in leg.* 2. *Codic. de sponsalibus:* ibi *si is, qui puellam suis nuptiis pactus est, intra biennium exequi nuptias, in eadem Provincia degens, supersederit, ejusque spatii fine decurso in alterius postea conjunctionem puella pervenerit, nihil fraudis ei fit, quæ nuptias maturando, vota sua diutius eludi non passa est.* Si vero sponsus absit ex causa necessaria, tenetur sponsa illum expectare, usquequo cesset impedimentum, uti habetur *in leg.* 17. *ff. de sponsalibus*, ibi: *sæpe justæ, & necessariæ causæ non solum annum, vel biennium, sed etiam triennium, & quadriennium, & ulterius trahunt sponsalia, veluti valetudo sponsi, sponsæve, vel mortes parentum, aut capitalia crimina, aut longiores peregrinationes, quæ ex necessitate fiunt.* At in Jure Canonico sequens habetur dispositio Alexandri Tertii *in cap. de illis de sponsalibus*, ibi: *de illis autem, qui præstito juramento promittunt, se aliquas mulieres ducturos; & postea eis incognitis dimittunt terram se ad partes alias transferentes; Hoc tibi volumus innotescere, quod liberum erit mulieribus ipsis (si non est amplius in facto processum) ad alia vota se transferre, recepta tamen de perjurio pœnitentia, si per eas stetevit, quominus fuerit matrimonium consummatum.*

Disputatur inter Doctores, an jus Canonicum derogaverit in hac materia Juri Civili, & nonnulli affirmative respondent, *Barbos. in citat. cap. de illis num.* 5. *de sponsalibus, & matrimon.* Nonnulli negativam amplectuntur sententiam, sub obtentu, quod dispositio Juris Canonici procedat, postquam fuerit expectatum tempus statutum a Jure Civili, *Pirhing in Jus can. tom.* 4. *tit. de sponsal. sect.* 2. §. 1. *n.* 49. Alii putant, Jus Civile nihil habere commune in præsenti materia cum Jure Canonico, ex quo Jus Civile loquitur de sponsalium dissolutione ad effectum lucrandi sponsalitias largitates, de quo casu jus Canonicum non loquitur *Gibalin. de univer. negotiat. tom.* 2. *lib.* 4. *cap.* 1. *art.* 5. *consect.* 3. *sub n.* 5. Alii denique volunt, dispositionem Juris Civilis non extendi ad sponsalia contracta inter baptizatos, cum contractus sponsalitius initus inter istos habeat pro materia, & objecto contractum Matrimonii elevatum ad esse Sacramenti, *Perez de matrim. disput.* 9. *sect.* 9. *numer.* 10.

At quidquid sit de his, licet verba *textus in cap. de illis de sponsalibus, & matrimoniis*, ibi, *dimittunt terram se ad alias partes transferentes*, importare videantur domicilii translationem, uti prosequitur *Perez loc. citat. n.* 2. communis esse videtur opinio, quod si sponsus absque sponsæ licentia in aliam terram se conferat, vel animo non redeundi, vel sine spe brevis reditus, locus est ipso jure dissolutioni sponsalium, & quod hoc ipsum sibi vindicet locum, etiamsi Sponsus degat in Regione propinqua, sed postquam fuerit ei præfixum tempus a Judice Ecclesiastico, in qua termini præfixione Judex attendere debet circumstantias, & signanter periculum incontinentiæ *Sanchez de matrim. lib.* 1. *disput.* 54. *Anaclet. in Jus Canonicum tom.* 4. *tit.* 1. *de Sponsalibus* §. 7. *n.* 212. *Cleric. de Sacram. Matrim. decis.* 17. *n.* 29. 30. *Gibalin. de univers. negot. tom.* 2. *lib.* 4. *cap.* 1. *art.* 5. *consect.* 3. *sub n.* 5. *Perez de matrim. disp.* 9. *sect.* 9. *n.* 9. *Salmanticenses in cursu Theolog. moral. tom.* 2. *tract.* 9. *de matrim. punct.* 4. §. 58. *& seqq.*

His positis, quæritur

An, & quomodo sit providendum in casu &c.

Sacra Congr. die 2. Octobris 1723. respondit,
Publicandum esse ab Eminentissimo Archiepiscopo Edictum juxta instructionem, etiam auctoritate Sac. Congregationis.

QUÆSTIO CCCLI.

In Causa Caputaquensi Jurisdictionis, die 2. Octobris 1723.

ANTIQUA est controversia inter Episcopum Caputaquen. & Abbatem Sanctæ Mariæ Angelorum Terræ Centulæ, contendente hoc se plenariam ab Episcopi Jurisdictione habere exemptionem una cum Territorio separato, & contendente illo se posse in Terra Centulæ omnem Jurisdictionem plenariam exercere.

Omissa autem serie antiquarum contentionum, operæ pretium esse videtur tantummodo adnotare, quod ab hac Sacra Congregatione *die* 10. *Maii* 1698. *& die* 18. *Julii* 1699. commissum fuit Episcopo Caputaquen. ut nomine ejusdem Sacræ Congregationis, & sine præjudicio jurium ambarum Partium, tam in petitorio, quam in possessorio deveniret ad approbationem Confessariorum Terræ Centulæ ad sex menses, & quod Abbas hoc interim jura sua deduceret super prætensa exemptione.

In sequelam horum rescriptorum assumptus fuit tractatus amicabilis concordiæ, sed cum ille suum effectum habere non potuisset, & subsequenter expletæ fuissent Visitationes dictæ Terræ ab Episcopis Caputaquen. tam *de anno* 1703. quam *de anno* 1709. modernus Episcopus *anno præterito* 1722. ad eandem Terram accessit pro visitatione peragenda, & in Terra Centulæ Ecclesiam, & Sacramenta visitavit, Confirmationis Sacramentum administravit, & Sacerdotibus Confessariis examen indixit.

Bini Sacerdotes ad examen accesserunt, & alii, qui ad examen accedere noluerunt, fuerunt suspensi a facultate audiendi Confessiones, & suspensionis edictum consignatum est Cursori Curiæ Episcopalis, ut illud affigeret ad valvas Ecclesiæ.

Factum hoc tumultum in Populo excitavit, adeoque omne genus Personarum comparuit sclopis, fustibus, & aliis armis munitum in Platea Palatii Episcopalis, cumque Cursores, & cæteros Episcopi Ministros contumeliis, & uti prætenditur, etiam verberibus affecisset, Episcopum ipsum per horam obsessum detinuit, usquequo sedato pacifice tumultu, potuit ipse a Terra Centulæ discedere, & confugere ad Oppidum Pixunti, in quo tam auctoritate Ordinaria, tam quatenus opus esset, auctoritate delegata a Sacro Concilio Tridentino Terram Centulæ, & ejus Populum, vim vi repellendo, Interdicto Ecclesiastico locali supposuit, & Interdicto personali subjecit omnes illos, quos etiam in calce Interdicti specialiter nominavit, quique tumultui causam dederunt.

Suam habuit Interdictum observantiam spatio circiter quindecim dierum, sed cum publicato quodam folio super Interdicti nullitate, publice, & palam fuerit Interdictum violatum, & consequenter celebrata fuerint magna cum solemnitate Officia Divina, delata ad hanc Sacram Congregationem ex rescripto Auditoris Sanctissimi controversia, bina proponuntur dubia ad calcem Restrictus referenda, quorum alterum respicit Interdictum, alterum Jurisdictionem Episcopi in Terra Centulæ.

Quoad Interdictum, novum non est, quod illud feratur ob Populi nequitiam, uti habetur *in cap. Si sententia de sententia excommunicationis in sexto*, unde in celebri dissertatione impressa *anno* 1715. *de sententia Ecclesiastici Interdicti* hæc habentur *pag.* 58. *Interdicti ob nequitiam Populi sæpius iterati*. Absque eo quod validitati Interdicti obstare valeat defectus citationis, quia citatio fuisset inopportuna, quoties, prout in casu, Episcopus vim vi repellendo extrajudicialiter procedere professus esset; & quatenus Interdictum validum non fuisset, subdit Episcopus semper locum esse posse declarationi incursus in Excommunicationem propter impedimentum præstitum exercitio suæ Jurisdictionis in visitanda dicta Terra Centulæ.

Quoad Jurisdictionem denique Episcopo in dicta Terra competentem, pro Episcopo militat situatio Abbatiæ in sua Diœcesi, militant actus Jurisdictionis longa serie relati ab Informante, & demum maximopere facit, quod Abbas non affert Privilegium Apostolicum, aut immemorabilem canonizatam per tres sententias conformes, vel per sententiam, quæ in judicatum transierit.

Hisce proinde stantibus, quæritur

I. An Interdictum sustineatur, seu potius quibus pœnis sit locus in casu &c.

II. An, & quæ Jurisdictio competat Episcopo in Terra Centulæ in casu &c.

Sacra Congr. respondit,

Ad primum, Interdictum sustineri. Ad secundum dilata, non retardato interim exercitio Jurisdictionis Delegatæ in Terra Centulæ, & præfigatur novus terminus interesse habentibus ad sua jura deducenda in Sacra Congregatione.

QUÆSTIO CCCLII.

In Causa Neapolitana Cappellaniæ, die 2. Octobris 1723.

IN ultimo, cum quo decessit Testamento Dominicus Guglielmini Cappellaniam erexit, & jus nominandi Cappellanum detulit ad suos hæredes, & successores, & prima vice Testator nominavit Hyacinthum Ramirez suum nepotem, & in hypothesi, in qua ipse acceptare noluisset nominationem, jussit, quod Cappellania deferretur ad Stephanum Scognamilium Parochum.

Hyacinthus Ramirez post obitum Testatoris Cappellaniæ possessionem obtinuit; eoque subinde mortuo, ab hæredibus, & successoribus Dominici nominatus fuit ad Cappellaniam memoratus Stephanus Scognamilio Parochus Casalis Portici, cum omnibus & singulis conditionibus in Testamento Fundatoris enunciatis.

Cum autem inter cæteras conditiones adesset & illa, quod Parochus uti supra nominatus teneretur in Missæ celebratione expectare Nicolaum Guglielminum, quando idem moreretur in Casali Portici, ut Missam audire posset, exortis hac de causa controversiis, licet Curia Archiepiscopalis Neapolitana tempus celebrationis Missæ statuisset, sub obtentu nihilominus, quod Parochus tempus præfixum non expectaret, fuit ipse amotus a Cappellania, & alius in ejus locum subrogatus, quo stante in præsenti disputatur, an Cappellania sit amovibilis, & an amotio Sacerdotis Stephani sustineatur.

Contendit Nicolaus Guglielminus Cappellaniam esse amovibilem, cum ea non sit Beneficium Ecclesiasticum, sed legatum pium, utpote instituta absque Ordinarii auctoritate, & ad hoc assumptum comprobandum affert etiam verba Testamenti, ubi Testator loquendo de nominatione Hyacinthi Ramirez inquit, *quale Don Giacinto tantum non possa esser amosso dalla detta celebrazione sua vita durante*, & licet consimilia verba habeantur etiam in nominatione Sacerdotis Stephani, ut infra, dicitur nihilominus, quod hæc Testatoris dispositio evanuit, cum fuerit restricta ad casum, in quo Hyacinthus Cappellaniam non acceptasset, *item voglio, che ogni qual volta il detto Don Giacinto non volesse accettare la detta Cappellania ec. sia data a Don Stefano ec.* itaut Stephani nominatio non ad Testatoris dispositionem, sed ad liberam hæredum voluntatem sit referenda.

Contendit quoque idem Nicolaus, amotionem ad odium referri non posse, cum odii probatio non adsit, & causa amotionis non desit, quæ constituitur in non adimplemento voluntatis Testatoris, expectandi videlicet ipsum Nicolaum pro Missa celebranda.

Excipit e contra Sacerdos Stephanus, Cappellaniam quoad se censendam esse perpetuam, cum in Testamento habeantur hæc verba, *voglio, che detta Cappellania sia data al R. Don Stefano ec. sua vita durante, e colle medesime condizioni, e circostanze, ut supra*. Suamque nominationem non habere causam ab hæredibus, & successoribus Testatoris, sed ab ipso Testatore, cum imperceptibile sit, quod concurrente stricta necessitudine inter se, & dictum Testatorem, voluerit idem Testator, ut nominatio penderet taxative a non acceptatione Hyacinthi juxta verba supra relata.

Addit consequenter, sibi non fuisse onus impositum expectandi Nicolaum pro Missa celebranda, cum hoc onus fuerit impositum futuris Cappellanis, *e se detti Don Giacinto, e Don Stefano non volessero accettarla, voglio, che il Cappellano, che s' instituisce da i miei eredi, abbia la bontà d' aspettar il Signor Don Niccola Guglielmino per sentire la Messa*.

Concludit denique, amotionem habuisse originem ab odio Nicolai concepto, ex quo ipse Sacerdos Stephanus, uti relictus Executor Testamentarius a Testatore pro distributione nonnullorum subsidiorum dotalium, omnem lapidem movit, ut prædicta pia voluntas executioni demandaretur, in quo rerum statu amotio nunquam sustineri potest.

Jura circumferuntur, quocirca quæritur

An Cappellania erecta in Ecclesia Parochiali Casalis Portici sit amovibilis, & amotio Rev. D. Stephani Scognamilio sustineri debeat in casu &c.

Sacra Congr. respondit

Ad primam dubii partem affirmative, præter quoad vitam Stephani, & ad secundam dubii partem provisum in prima.

QUÆSTIO CCCLIII.

In Causa Nullius Provinciæ Compostellanæ, die 2. Octobris 1723.

PRESBYTER Alphonsus Sanchez Garido ex Villa de Quintana Nullius Diœcesis Provinciæ Compostellanæ domum frequentabat cujusdam mulieris conjugatæ, & cum paterne monitus a suo Ordinario, ut a frequentatione desisteret, monitioni non paruisset, contigit, ut Petrus vir prædictæ mulieris domum suam ex improviso petens, eum illic invenerit.

Presbyter Alphonsus, ut sibi consuleret, in quoddam domus cubiculum se recepit, & sub lectisternio ibi existente latebras quæsivit, cumque adversus eum Petrus stricto pugione irruisset, uxor se interposuit, brachioque mariti apprehenso eum rogavit, ne Sacerdotem occideret, aut mutilaret; cumque memoratus Petrus uxorem a se removere tentasset, ipsam accidentaliter vulneravit, & vulnerata paulo post vitam cum morte commutavit.

Dum hæc peragebantur Sacerdos fugam arripuit, dumque adversus ipsum processus contumacialis compilabatur, idem se coram suo Superiore constituit, a quo fuit condemnatus in exilium ad sexennium, & declaratus irregularis, & Ordinarii sententia fuit a Judice Appellationis confirmata.

Desumuntur hæc omnia ex supplici libello Sacerdotis, & ex dicti Ordinarii informatione, quæ fuit de more requisita, & in præsenti de duobus dubitari contingit, an Presbyter videlicet irregularitatem incurrerit, & quatenus incurrerit, an eidem sit per Apostolicam Dispensationem subveniendum.

In hac Sacra Congregatione *die* 22. *Aprilis* 1679. fuit propositum, & resolutum sequens dubium, uti habetur *lib.* 30. *decret. pag.* 295. ibi: *Clericus Palentinus Orator alias cum Conjugata deprehensa a Marito vulnere affectus fuit; post longum temporis spatium in idem commercium reincidit, ex quo factum est, ut quadam nocte marito superveniente, Orator aufugerit; sed Maritus de fuga animadvertit, quare Uxorem interfecit; propter hoc Ordinarius irregularitatis prætextu denegat Oratori ascensum ad Sacros Ordines; proinde per libellum a Sanctissimo remissum, quæritur, an propter hoc incurrerit irregularitatem, Sacra &c. respondit negative.*

Auctores de materia tractantes distinguunt inter casum, & casum; si enim Amasius temere mulierem periculo mortis expofuit, tunc si uxor a marito occidatur, Amasius evadit irregularis; secus autem, si mors uxoris sequatur, eademque a viro interficiatur, & cum sufficienti cautela Amasius se gessit, itaut periculum mortis probabiliter prævidere, aut timere non potuerit; in prima etenim facti specie Amasius moraliter est causa necis mulieris, quod in secunda facti specie verificari non potest, *Suarez de Censuris tom.* 5. *disp.* 45. *sect.* 6. *num.* 7. ibi: *Sic enim resolvendum censeo casum illum de adultero, nam si temere accessit ad uxorem alterius, exponens illam periculo mortis, irregularis manet, quia moraliter est causa talis homicidii, secus vero erit, si cum sufficienti cautela morali id fecit, quia tunc effectus nullo modo est voluntarius in tali causa*, & late pariter distinguendo prosequuntur *Sayrus de Censuris lib.* 5. *cap.* 17. *num.* 20. *Thesaur. de Pœnis Eccles. par.* 2. *cap.* 1. *in verbo Adulterium num.* 2. *Majol. de Irregularitate lib.* 5. *cap.* 48. §. 3. *num.* 15. *Filliuc. Oper. Moral. tom.* 1. *tract.* 20. *de Censuris cap.* 3. *num.* 80. *Gibalin. de Irregular. cap.* 4. *confect.* 3. *per totum*, *Salmanticenses in cursu moral. tom.* 2. *tract.* 10. *cap.* 8. *punct.* 3. *num.* 36.

Applicabilis hypothesi esse videretur hæc distinctio, si vir ex proposito uxorem occidisset; at cum intendens vulnerare, aut occidere Amasium, uxorem accidentaliter vulneraverit, & interfecerit, occasio oritur dubitandi, an cum dicta distinctione in his terminis procedendum sit, vel potius dici debeat, Presbyterum absolute, & simpliciter Irregularitatem non incurrisse.

Quæritur itaque

I. An Orator Irregularitatem incurrerit in casu &c. & quatenus affirmative.

II. An cum eo sit dispensandum in casu &c.

Sacra Congr. respondit,

Pro dispensatione ad cautelam.

QUÆSTIO CCCLIV.

In Causa Anglonensi, & Tursensi, die 2. Octobris 1723.

REDACTA fere ad nihilum antiqua Civitate Anglonensi, Paulus Papa Tertius *die* 8. *Augusti* 1546. Cathedram Episcopalem Anglonensem transtulit ad Tursium ejusdem Diœcesis Oppidum, quod titulo Civitatis insignivit, necnon Parochialem Ecclesiam S. Michaelis in medio memorati Oppidi consistentem in Cathedralem erexit, uti habetur in Actis Consistorialibus, & fuse refertur *in Italia Sacra Ferdinandi Ughelli recenter impressa tom.* 7. *pag.* 69. *& plur. seqq.*

Capitulum hujus Ecclesiæ Cathedralis componitur ex tribus Dignitatibus, & decem Canonicis, quibus pro servitio Chori alii decem Presbyteri, qui Participantes vocantur, superadditi fuerunt; cumque ex his omnibus octo pro tertia quaque hebdomada Choro interfint, exceptis Dominicis, cæterisque festivis diebus, quibus omnes Missæ, & Vesperis assistunt, & assistentes juxta expositam turnariam divisionem feriatis diebus Primam, Tertiam, Sextam, & Nonam horas, & Missam ritu minus solemni recitent, & Dominicis, cæterisque festis integre horas canonicas absolvant, & ultra assistentiam Missæ, & Vesperis, in qua, uti dictum est, Dominicis, festisque diebus omnes conveniunt, conveniant & omnes in festis primæ, & secundæ classis, horasque integre recitent, & solemni Missæ assistant, idque in sequelam antiquissimæ consuetudinis, innixæ fortasse redituum modicitati, cum Canonicorum reditus non excedant ducatos 36. annuos pro quolibet, & reditus Participantium consistant in ducatis annuis 25. modernus Episcopus secum reputans, consuetudinem corruptelæ potius, quam legitimæ observantiæ nomen mereri, edictum publicavit, quo omnes Canonicos adstrinxit ad interessendum quotidie in Choro, & assistendum omnibus horis canonicis, & Missæ; urget enim dispositio *Clementinæ primæ de celebratione Missarum*, ibi, *necnon, ut in Cathedralibus, Regularibus, & Collegiatis Ecclesiis horis debitis devote psallatur; in aliis vero convenienter debite celebretur divinum diurnum, & nocturnum Officium*, urget dispositio *capituli dolentes eodem titulo* ibi, *districte præcipientes in virtute obedientiæ, ut Divinum Officium nocturnum pariter, & diurnum, quantum eis Deus dederit, studiose celebrent pariter, & devote*, urget denique dispositio *Capituli Presbyter eodem titulo*, ibi, *septies in die laudem dixi tibi, qui septenarius numerus a nobis impletur, si Matutino, Primæ, Tertiæ, Sextæ, Nonæ, Vesperæ, & Completorii tempore nostræ servitutis Officia persolvamus*, & quoad celebrationem Missæ Conventualis urget dispositio *Text. in cap. cum creatura eodem titulo*, ibi, *& pro festo, vel feria, secundum temporum congruentiam Missarum solemnia, & conventualiter celebretis, & faciatis conventualiter celebrari*.

Actum fuit de hoc Episcopi Anglonensis edicto in Congregatione habita *die* 24. *Aprilis* 1723. nec ulla fuit capta resolutio; nonnulli etenim ex EE. PP. fuerunt in sensu, nihil esse quoad obligationem Canonicorum innovandum, attenta redituum modicitate, & attenta pervetusta consuetudine, quibus concurrentibus circumstantiis, tolerari posse videtur, ut non solum Canonici, cæterique per Turnum inserviant, sed etiam aliquibus horis, & non aliis interfint, juxta doctrinam *Cajetani in summa verbo horæ Canonicæ num.* 14. cujus doctrinam sequitur *Suarez de Relig. tom.* 2. *lib.* 4. *cap.* 10. *num.* 5. ibi, *ratio dictat, ut minuatur onus ubi stipendium tenuissimum est, cum semper maneat obligatio alias dicendi officium integrum, & inserviendi Ecclesiæ in aliis oneribus*; Alii e contra ex Eminentissimis PP. existimarunt, tolerari posse consuetudinem, ut Canonici inserviant per Turnum, sed eam consuetudinem esse improbandam, juxta quam in Cathedrali potissimum Ecclesia quotidianum ab assistentibus integrum non persolvitur officium Divinum; quocirca nulla dicta die capta fuit resolutio, sed dictum, quod *exquireventur exempla*.

Ad exempla itaque descendendo, multa sunt tum antiqua, tum recentia, quibus concessum fuit, ut Canonici, cæterique Choro addicti per Turnum inserviant, exceptis

exceptis Dominicis, festisque diebus, Quadragesima, & Adventu, quibus temporibus omnes inservire teneantur; at in eo, quod attinet ad exempla, aut consuetudinis admissæ, aut indulti concessi, quod assistentes Choro in Cathedrali Ecclesia integrum in eodem non persolvant officium Divinum, nec a Scribente, nec a me ratione muneris ullum reperiri potuit exemplum.

In Cathedrali Novarien. antiqua vigebat consuetudo, approbata a Cardinali Papiensi Legato de Latere, ut pro integra affectione distributionum sufficeret interventus Canonicorum in Matutino, Laudibus, Missa Conventuali, & Vesperis. Consuluit Episcopus hanc Sacram Congregationem, an hæc consuetudo tolerari posset, & licet pro Canonicis scripserit Cardinalis de Luca, qui consuetudinis antiquitatem, & quotidianum interventum Canonicorum omnibus horis, tanquam onus nimis grave ponderavit, obtinere tamen non potuit, cum responsum fuerit, consuetudinem tolerari potuisse, si aliqui saltem divisa hebdomada per Turnum, punctaturis subjecti fuissent, si aliis horis interessentiam non præstitissent: secus autem, quando, prout in casu prædicto, aliquæ horæ indefinite punctaturis non erant suppositæ; cum casus dari posset, ut omnes abessent, & quod horæ prædictæ per unum, vel duos recitarentur, uti videri potest *apud eundem Cardinalem de Luca de Canonicis discurs.* 19. *num.* 7. Idem quoque Cardinalis de Luca *in sequenti discursu* 11. *num.* 3. tanquam rationabilem admittit consuetudinem, quod Canonici in pietatis officiis occupati, diebus feriatis Missæ tantum Conventuali interfint, & in festivis Missæ solemni & Vesperis, dummodo quotidianum integrum Pensum in Choro persolvatur a Beneficiatis, seu Portionariis, ex quibus argui posse videtur, non ita facile admittendam esse consuetudinem, per quam ab Assistentibus in Choro aliquæ horæ omittantur, itaut integrum officium Divinum quotidie in Choro non recitetur,

Scriptura Canonicorum per manus circumfertur; quocirca quæritur,

An, & in qua parte moderandum sit Edictum Episcopi Anglonen. in casu &c.

Sacra Congr. respondit,
Moderandum Episcopi Edictum quoad deletionem Turnariæ divisionis, in reliquis sistinendum.

QUÆSTIO CCCLV.

In Causa Urbinatensi, die 2. Octobris 1723.

JO. Andreas senior de Rubeis construi curavit in Civitate Urbini sua Patria Ecclesiam, quam Sancto Andreæ Apostolo dicavit.

Quoad usque Pius hic Vir fuit in humanis, omnia necessaria prædictæ Ecclesiæ suppeditavit; solvit enim eleemosynam Cappellano pro celebratione Missæ quotidianæ, & pecunias exbursavit pro celebratione festi S. Andreæ, & in ultimo, cum quo decessit Testamento, Ecclesiæ, seu ejus Cappellano ultra habitationem reliquit annua scuta 40. retrahenda ex pensionibus quarundam Domorum.

Et ad ulteriora procedendo in eodem Testamento sic disposuit, *item lascio alla mia Chiesa di S. Andrea tutta la mia Possessione con le Case tutte chiamate di* Cacondio &c. *con dichiarazione espressa, che durante la vita dei miei quattro figli maschi, e della Signora Gabriella mia moglie, voglio ne siano padroni del frutto, e casa di detta Possessione, assieme colle Donne dei miei figli loro Mogli, loro vita durante, e morti, che saranno tutti li suddetti, voglio, che questa Possessione chiamata Cacondio, sii di detta mia Chiesa in perpetuo.*

Quatuor Filii masculi Testatoris, & Gabriella ejus Uxor vita cum morte jam commutarunt, & solum est in humanis Lavinia Antaldi uxor Francisci de Rubeis unius ex filiis dicti Testatoris; cumque Pensiones domorum assignatæ a Pio Testatore pro salario Cappellani, & aliis oneribus explendis sint insufficientes, oritur quæstio, an supplementum sit desumendum ex memorato Prædio *di Cacondio*, & aliis bonis a Testatore in suo Testamento designatis.

Joannes Andreas junior de Rubeis filius Josephi alterius ex filiis Testatoris, in sua scriptura per manus circumferenda pugnat pro prædicto supplemento, tum quia Ecclesia S. Andreæ sua dote careret, adversus dispositionem juris communis, & decretum R. P. D. de Angelis Archiepiscopi pariter Urbinaten. in sua visitatione peracta *anno 1676.* expresse demandavit, quod defectus scutorum 40. a Testatore assignatorum suppleretur ex fructibus Prædii, de quo nunc agitur, ibi, *mandavit supplevi ex fructibus recolligendis ex Prædio in vocabulo* Cacondio *assignatis pro dote dictæ Ecclesiæ;* & tandem quia in publico Instrumento stipulato *anno* 1677. tam in executionem ultimæ voluntatis Joannis Andreæ senioris, quam in adimplementum memorati Decreti editi ab Archiepiscopo Candiotto, filii ejusdem Testatoris, & Gabriella ejus uxor Prædium di Cacondio locarunt pro annuis scutis 60. facta assignatione scutorum 40. pro Ecclesiæ Cappellano, ad effectum supplendi id, quod deerat ex Pensionibus domorum jam ab eodem Testatore, uti dictum est, assignatarum.

Absque eo quod quidquam referat superviventia Laviniæ, quæ fuit uxor Francisci de Rubeis unius ex filiis Testatoris, hinc inferendo non posse supplementum desumi ex Prædio *di Cacondio*, vel quia usus fructus ejusdem Prædii non fuit a Testatore principaliter relictus filiis a se dilectis, & eorum uxoribus, sed accessorie, in quo rerum themate, mortuo Viro, Uxor nullum jus in usufructu obtinere potest; vel quia cum dos Ecclesiæ in memorato Prædio consistat, quod evincitur tum ex Decretis Archiepiscoporum, tum ex facto filiorum, qui Fundatori immediate successerunt, uti supra dictum est, non potest aliquid ex usufructu acquiri, nisi prius satisfactum sit Ecclesiæ manutentioni, & cæteris oneribus Cappellano injunctis, quoties, prout hic, bona ad dictum effectum a Testatore relicta non sufficiunt.

Scriptura circumfertur, unde quæritur

An a die obitus Francisci de Rubeis juxta Testamentariam dispositionem Joannis Andreæ sit factus locus traditioni Prædii di Cacondio *favore Ecclesiæ S. Andreæ, itaut onera injuncta Cappellano sint adimplenda, sive supplenda tam ex reditibus ejusdem Prædii, quam aliorum bonorum a dicto Testatore designatorum in ejus Testamento in casu &c.*

Sacra Congr. respondit,
Ad Judices suos.

QUÆSTIO CCCLVI.

In Causa Cajetana, die 2. Octobris 1723.

JOANNES Baptista de Aro huic Sac. Congregationi exposuit, se per vim, & metum adactum fuisse ad contrahendum matrimonium de præsenti cum Catharina Moncado, & se ulterius fuisse a Curia Episcopali excommunicatum, ex quo cum illa renuebat cohabitare.

Datæ fuerunt juxta morem litteræ ad prædefunctum Episcopum Cajetanum, qui respondit, Catharinam fuisse a Joanne Baptista stupratam, eum fuisse Carceribus mancipatum, & in Carceribus de stupro commisso confessionem emisisse, & ulterius voluntatem patefecisse de Catharina in uxorem ducenda, & cum illa tandem matrimonium in facie Ecclesiæ contraxisse, & excommunicationis sententiam passum fuisse, ex quo cum dicta Catharina cohabitare renuebat.

Adversus hæc Joannes Baptista repofuit se nunquam stuprum commisisse, sed illud confessum fuisse, ut se a Carceribus liberaret, itaut de nullitate matrimonii subsequenter contracti, & de censurarum injustitia dubitari non possit.

Proposita itaque ejus Causa in Congregatione habita *die* 23. *Maii* 1722. nulla fuit capta resolutio, sed dictum, quod præfigeretur novus terminus Catharinæ ad sua jura deducenda in Sac. Congregatione, & quod per Joannem Baptistam coadjuvarentur probationes super negativa stupri, & quod demum ipse absolveretur a Censuris per tres menses cum reincidentia.

In nova Causæ propositione, quæ habita fuit *die* 21. *Novembris ejusdem anni* allati fuerunt a Joanne Baptista nonnulli Testes pro negativa stupri coadjuvanda, sed S. Congregatio distulit resolutionem, & renovata absolutione cum reincidentia, censuit, Testes esse formiter examinandos, citato Patre Catharinæ, & eodem negligente jura prosequi suæ filiæ, quæ est absens, & ignoratur, in quo loco degat, danda esse a Fiscali curiæ interrogatoria ex officio.

In executionem hujus rescripti, cum Catharinæ Pater propter paupertatem non posset exhibere interrogatoria, eadem fuerunt exhibita a Procuratore Fiscali, & vocatis ad examen Angelo, & Theodoro Testibus, qui extrajudicialiter deposuerant de mora Joannis Baptistæ de Aro ultimis diebus Bacchanalium, & initio Quadragesimæ *anni* 1718. in Terra Spinei, ex quo inferebatur negativa stupri, quod commissum dicebatur prædicto tempore in Civitate Cajetana, fuit a prædictis Testibus comprobata supra recensita extrajudicialis depositio, sed cum die sequenti iidem Testes insteterint pro sui dicti correctione, & dixerint, Joannem Baptistam de Aro in dicta Terra Spinei mansisse tempore Bacchanalium, & initio Quadragesimæ, sed anno 1719. & non anno 1718. uti præcedenter deposuerant.

Hinc Joannes Baptista contendit, primum, & non secundum dictum esse attendendum. Contendit ulterius, eosdem fuisse a Patre Catharinæ sollicitatos ad correctionem præcedentis depositionis, & secundam esse omnino falsam, cum ipse anno 1719. esset Carceribus mancipatus in Civitate Cajetæ.

Jura Joannis Baptistæ circumferuntur, quocirca quæritur,

I. An matrimonium sit validum in casu &c. & quatenus affirmative.

II. An Clericus Joannes Baptista de Aro sit absolvendus a Censuris a Curia Episcopali inflictis in casu &c.

Sacra Congr. respondit,
Dilata.

QUÆSTIO CCCLVII.

In Causa Romana Matrimonii, die 2. Octobris 1723.

DIE 31. Januarii 1707. Bartholomæus Casissus Pistoriensis, sed Incola Civitatis Albani, præviis denunciationibus, matrimonium de præsenti contraxit hic in Urbe cum Catharina Cerona Puella Romana.

Post aliquot menses agi cœptum est de nullitate Matrimonii, utpote contracti ab eadem Catharina, sed per vim, & metum sibi incussum ab Anna Maria Sangiorgi sua Matre, & ad effectum comprobandi prædictum metum, duo Testes fuerunt formiter examinati, Angela videlicet Stendardi Vidua, & Joseph Mannus Levir memoratæ Catharinæ, ex quorum depositionibus habetur, primo Annam Mariam fuisse Mulierem terribilis naturæ; secundo, Catharinam fuisse ab ipsa verberibus, & pugnis, & calcibus adactam ad celebrandum matrimonium cum Bartholomæo; tertio, se interfuisse matrimonio contracto, & Sponsam vidisse jracundo vultu, conjunctorum congratulationes respuisse, & Sponsi inter prandendum benevolentiæ actus abhorruisse, quarto, ex Annæ Matris machinatione Bartholomæum introductum fuisse in cubiculum Catharinæ, quæ a somno expergefacta clamoribus eum repellere non potuit, itaut violentum concubitum prima nocte passa sit; quinto, Conjuges Albanum petiisse, & post eorum reditum ad Urbem tam ab illis, quam ab Anna Matre se audivisse, Catharinam nunquam, non obstantibus virorum Religiosorum hortationibus, induci potuisse, ut cum Bartholomæo dormiret.

Addit alter ex his Testibus, quod ante celebratum in Ecclesia Matrimonium, cum Catharinam suam adversam voluntatem Parocho jam defuncto aperuisset, fuit ab eo objurgata, & ad contrahendum inducta.

Alia metus argumenta desumpta fuerunt ex responsione Viri ad positiones, & ex dictis duorum aliorum Testium extrajudicialiter deponentium, sed proposito in hac Sac. Congregatione dubio *die* 2. *Augusti* 1710. *an constet de nullitate Matrimonii in casu*, dilata fuit resolutio, & dictum, quod *probationes coadjuvarentur coram Eminentissimo Urbis Vicario, dato pro Defensore Matrimonii Fiscali Sacræ Visitationis.*

Rescriptum hoc sua caruit executione, tum propter absentiam Mulieris a Statu Ecclesiastico, tum etiam quia ab antecessore Fiscali Sacræ Visitationis nihil actum fuit; cumque post plurium annorum intervallum Catharina Neapolim degens apud honestam Matronam, insteterit iterum pro declaratione nullitatis Matrimonii, & consignatis scripturis Cajetano Ivones Fiscali Eminentissimi Urbis Vicarii, & Sacræ Visitationis Apostolicæ, fuerit ab eodem doctus de more, & elaboratus editus pro veritate discursus, per manus circumferendus, discutiendum proponitur dubium, quod juxta supradicta non fuit resolutum in Congregatione habita *die* 2. *Augusti* 1710.

Porro Promotor Fiscalis ingenue admittit, sibi maximopere placuisse probationum impinguationem a Sacra Congregatione demandatam, sed eam moraliter impossibilem fuisse propter multi temporis lapsum, itaut nonnullæ solum attestationes ad perpetuam haberi de novo potuerint. In eodem discursu bene examinantur antecedentia, concomitantia, & ea, quæ matrimonium subsecuta sunt, ex quibus, sicuti plus quam semiplenam metus probationem desumi certum est, sic videtur, esse posse locum delationi juramenti suppletorii a Catharina emittendi, quia licet in Causa matrimoniali uti gravissima non deferatur juramentum suppletorium, & præsertim si agatur contra fœdus Matrimonii, id tamen non procedit, quoties pensatis circumstantiis, præcessit plusquam semiplena probatio, cum in hoc rerum themate juramentum suppletorium etiam Mulieribus deferatur post factam seriam, & gravem admonitionem de juramenti importantia, juxta late tradita per *Sperel. dec.* 75. *n.* 58. *& seqq.*

Transmissus fuit per manus citatus Discursus, propositaque iterum Causa die 2. Octobris 1723. nulla fuit capta resolutio, sed dictum *dilata, & contra Matrem procederetur.*

In hujus rescripti executionem datæ fuerunt Epistolæ ad Episcopum Interamnensem, ut auctoritate etiam Sacræ Congregationis procederet adversus Annam Mariam Matrem in sua Diœcesi commorantem, propter violentias adversus Filiam exercitas, ut Matrimonium contraheret cum Bartholomæo Casisso, compilatoque Processu Remissoriali, eodemque ad Urbem transmisso, novus editus fuit Discursus a supra memorato Fiscali, in quo probabat Annam Matrem esse omnino conformem depositionibus aliorum Testium de metu deponentium, itaut impinguatio probationum olim ab hac Sacra Congregatione exoptata in præsenti non desit, concludendo pro nullitate Matrimonii tanquam contracti per vim, & metum incussum a Matre sæviente adversus Filiam tunc in anno decimoquinto constitutam.

Novus Discursus circumfertur, quocirca quæritur,

An constet nullitate Matrimonii in casu &c.

Sacra Congr. die 4. Augusti 1727. respondit,
Proponatur in sequenti.
In qua tamen non fuit proposita.

QUÆSTIO CCCLVIII.

In Causa Liparitana, die 20. Novembris 1723.

LICET pluries in Consistorialibus decretis fuerit demandatum, ut in Civitate Liparitana Episcopale Seminarium erigeretur juxta dispositionem Sacri Conc. Trident. *sess.* 23. *cap.* 18. *de reform.* id tamen nunquam potuit executioni demandari, tum propter tenuitatem redituum Mensæ Episcopalis ab impositione Pensionum ut plurimum derivante, tum propter totalem deficientiam Beneficiorum, super quibus Taxa ad tramites Concilii imponi posset.

Tempore quo R. P. Nicolaus de Tedeschis Archiepiscopus Apamiensis Ecclesiæ præerat Liparitanæ, cogitavit de Seminario erigendo, & non obstantibus Pensionibus, quibus erat obstrictus, suam obtulit Mensam gravare annua contributione scutorum 200. monetæ Romanæ pro substentatione Alumnorum Seminarii, & quia id sufficere non poterat, meditatus est habere recursum ad Sedem Apostolicam, ut accedente consensu Executorum Testamentariorum Doctoris Bartholomæi Russi fas esset ex ejus hæreditate ascendente ad annua scuta 300. Romanæ monetæ, quæque juxta ejus dispositionem erogari debuissent in erectione cujusdam Hospitalis sub invocatione S. Bartholomæi, quolibet anno desumere scuta 300. in prædictam Seminarii causam eroganda, facta applicatione reliquorum scutorum 200. favore alterius Hospitalis jam erecti in eadem Civitate Liparitana.

Dimissus fuit Episcopatus Liparitanus a memorato R. P. de Tedeschis, eodemque a Sancta Sede Apostolica collocato moderno Episcopo R. P. Vincentio Platamonio, promovetur ab ipso supplicatio a suo Prædecessore excogitata; utque ejus fundamenta sint bene perspecta, prætermissa necessitate Seminarii, quæ omnibus est notoria, & signanter in Insula, quæ pauperibus habitatoribus abundat, itaut impossibile sit, ut filios Ecclesiasticam vitam ingressuros ad alias Civitates, in quibus studiis vacare possint, transmittere valeant, operæ pretium esse videtur aliqua adnotare quoad dispositionem Testamentariam Bartholomæi Russi, quoad consensum Executorum Testamentariorum, quoad Hospitale a dicto pio Testatore demandatum, & demum quoad exempla, quæ facere possunt pro instantia præsenti.

Itaque

Itaque loquendo de Testamento Doctoris Bartholomæi Ruffi, hic in ultimo, sub quo decessit Testamento condito *de anno* 1708. hæredem sibi scripsit suam uxorem, ejusque obitu secuto, voluit, ut in domo suæ habitationis erigeretur Hospitale sub titulo S. Bartholomæi, in quo octo lectisternia esse deberent pro pauperibus infirmis, *volse che s' abbino da mettere otto letti per servizio de' poveri infermi*.

Transitum faciendo ad consensum Executorum Testamentariorum, ille non deest; ipsi quippe ponderando necessitatem erectionis Seminarii libentissime assensum præstiterunt, & præstant, ut annua scuta 300. desumenda ex hæreditate Doctoris Ruffi Seminario applicentur, & quod reliquum dictæ hæreditatis assignetur pro augmento redituum alterius Hospitalis jam erecti, & existentis in Insula Liparitana.

Post hæc nihil aliud remanet, quam, ut aliquid dicatur de opere pio, de Hospitali videlicet erigendo ad tramites Testamenti sæpe memorati Bartholomæi, & de exemplis, quæ favere possunt instantiæ.

Quoad Hospitale, ex supradictis colligitur, aliud jam adesse Hospitale erectum in Insula Liparitana, ad quod difficile admodum est, quod exteri, & peregrini accedant, cum agatur de Insula, quæ caret Portu, idemque difficilis accessus verificari dicitur etiam in Civibus, & habitatoribus, qui licet paupertate laborent, indecorum nihilominus esse reputant tempore ægritudinis se in Hospitale recipere, ex qua etiam circumstantia infertur, quod quatenus esset erigendum Hospitale novum ad tramites Testamenti Bartholomæi, illud inutile remaneret, & periculum urgeret dilapidationis omnium redituum.

Demum quoad exempla, quæ favere possunt instantiæ, Sac. hæc Congregatio *die* 10. *Aprilis* 1645. *lib.* 17. *decret. fol.* 460. in causa Sarsinaten. unionis censuit, *concedendam esse facultatem Episcopo Sarsinaten. uniendi reditus Hospitalium Castri Ciolæ, & Castri Taipi Seminario Sarsinaten., salva tamen Hospitalitate, & salvis reditibus pro dicto effectu necessariis*, & in causa Montis Alti *die* 4. *Septembris* 1655. *lib.* 19. *decret. pag.* 515. *a terg.* indulsit *ut medietas redituum Hospitalis Montis Elbari non exactorum posset ab Episcopo applicari Seminario*, & in Melevitana Erectionis Seminarii, & unionis, cum Episcopus, & Capitulum, accedente consensu administratorum Hospitalis *S. Nicolai de Savora*, occasione erectionis Seminarii, exorassent pro applicatione redituum dicti Hospitalis tanquam inutilis, & superflui, promissa etiam accollatione omnium, & quorumcumque aliorum onerum impositorum ab Erectore Hospitalis, postquam S. Congregatio cognovit, reditus Taxæ Cathedralis, & Beneficiorum erectioni Seminarii obligatos, a Summo Pontifice Clemente Octavo Patribus Societatis Jesu fuisse applicatos, cum onere aperiendi scholas Humanitatis, & Grammaticæ, & proventus Hospitalis *de Savora* esse in annuis scutis 1091. & impensam pro alimonia pauperum esse in scutis 337. circiter singulis annis, proposito *die* 18. *Februarii* 1690. uti habetur *lib.* 40. *decret. pag.* 129. dubio, *an sit locus prædictæ erectioni Seminarii, & Unioni, affirmative* respondit, *salva in totum hospitalitate, & satisfactis oneribus*.

Hisque stantibus, quæritur

An, & quomodo petitis sit annuendum in casu &c.

Sacra Congr. respondit,

Consulendum Sanctissimo pro gratia applicationis scutorum 200. *favore Hospitalis jam erecti, & residui favore Seminarii erigendi, nec non pro facultate imponendi pensionem perpetuam scutorum* 200. *annuorum super mensa Episcopali, apposito lapide tam in Seminario, quam in Hospitali prædictis in memoriam pii Testatoris*.

QUÆSTIO CCCLIX.

In Causa Barchinonensi Matrimonii, die 20. *Novembris* 1723.

JUXTA receptam in hac Sacra Congregatione sententiam Cappellanus Castrensis, si non habet specialem facultatem a Sede Apostolica, vel expressam licentiam ab Ordinario, interesse nequit Matrimoniis, quæ fiunt a Militibus, sive hi degant in Præsidiis, sive in Castris, & stationibus Hybernis, aut Æstivis, sive etiam sint positi in actuali expeditione, uti habetur in Resolutionibus editis *apud Anacletum in Jus Canonicum tom.* 4. *tit.* 3. *de Clandestina desponf.* §. 2. *n.* 97. *Schiavam in additionibus ad suam Theologiam Bellicam fol.* 139. *&* 140. *Urfayam tom.* 2. *discept. par.* 1. *discept.* 14. *num.* 59. *& seqq.*

Concesso a san. mem. Innocentio XI. Alphonso Archiepiscopo Mechliuensi amplissimo Brevi ad quinquennium pro salubri directione, & animarum salute eorum, qui Belgii in Castris degebant, & versabantur, exortisque super ejus intelligentia nonnullis controversiis, Sac. hæc Congregatio *in causa Belgii Matrimoniorum* die 29. Maii 1683. respondit, Cappellanum exercitus habere facultatem assistendi Matrimoniis militum, dum iidem reperiuntur in actuali expeditione, non tamen privative quoad Contrahentium Parochos, & nullatenus Cappellanum interesse posse Matrimoniis, quæ a Militibus contrahuntur, dum commorantur in Hybernis, vel Æstivis Castris, aut etiam in Præsidiis.

Expirato tempore præfixo in citato Brevi, deputata fuit Particularis Congregatio, cui interfuerunt clar. mem. Card. Carpineus, Columna, Bonvisius, & Albanus deinde ad Summum Pontificatum evectus, quorum sensus fuit, ut in novo Brevi nonnulla verba corrigerentur, itaut Cappellani exercitus deputati tantum intelligerentur pro iis Sacramentis, quæ administrari consueverunt a simplicibus Parochis, & quidem pro tempore, quo exercitus est in actuali expeditione; secus autem quando Milites in stationibus degunt, & Præsidiis, uti habetur ex resolutionibus editis *die* 10. *Julii, &* 29. *Septembris anno* 1690. de quibus *R. P. D. Petra ad Constitutiones Apostolicas tom.* 2. *pag.* 353. *& seqq.*

Editis a Congregatione Particulari prædictis decretis, contigit casus, quod Episcopus Celsonensis occasione relationis status suæ Ecclesiæ ad hanc Sac. Congregationem transmissæ, inter cætera postulata examinandum proposuit & illud, an videlicet Cappellanus Regii Exercitus in Hispaniis, cui Sacramentorum administrandorum Militibus facultas data fuerat in Brevi san. mem. Innocentii X. expedito anno 1644. posset Matrimoniis eorumdem Militum interesse; cumque Sacra hæc Congregatio in responsionibus ad eumdem transmiserit memorata decreta Particularis Congregationis Deputatæ, uti habetur ex responsione edita *die* 22. *Mensis Septemb. anno* 1691. hinc factum est, quod in Concilio Provinciali Tarraconensi, habito *anno* 1699. sub Archiepiscopo Josepho Linas reassumpta fuerit universa hæc materia, & insimul statutum, allegatis, & insertis supra recensitis decretis, quod Breve Innocentii Decimi pro Cappellanis Exercitus Regis Hispaniarum sic esset explicandum, ut ejus vigore possent prædicti Cappellani ea sola ministrare Sacramenta, quæ a simplicibus Parochis administrantur, & quod hæc administratio respiceret Milites in actuali expeditione existentes, & nullatenus Milites in stationibus, & Præsidiis degentes, additumque fuit in prædicto Concilio, ut hæc Constitutio inter Missarum solemnia publicaretur.

A mox relatis dispositionibus originem trahit disputatio, quæ in præsenti proponitur, & quæ respicit validitatem, seu nullitatem Matrimonii contracti 30. Novembris 1688. in Civitate Barchinonæ inter Franciscam Ferriol, & Blasium Ximenes de Lillo; non fuit etenim contractum coram Parocho unius ex Contrahentibus, sed coram Cappellano Regiminis Militum Germanorum; vir siquidem, & mulier, non obstante nonnullorum mensium cohabitatione, conjunctim instant pro declaratione nullitatis, ut ex eorum mandatis Procuræ colligitur, & ne pro Matrimonii validitate excipi valeat, quod tunc Milites erant in expeditione, fides exhibetur Secretarii Regii Principatus Cataloniæ in qua dicitur, Bellum inter Hispanos, & Gallos fuisse indictum *die tantum* 11. *Maii* 1689.

Fuerunt hæc omnia deducta in folio Congregationis habitæ *die* 5. *Junii* 1723. sed proposito dubio, *an constet de nullitate Matrimonii in casu &c.* nulla fuit capta resolutio, & a nonnullis ex EE. PP. binæ fuerunt excitatæ difficultates, quarum altera desumpta fuit ex longo temporis spatio, quod intercessit inter diem contracti Matrimonii, & diem, quo agi cœptum est de ejus nullitate, & altera desumpta fuit, ex quo vel ante contractum Matrimonium nulla præcesserat hujus S. Congregationis declaratio, in qua dictum esset Cappellanos Exercitus non posse assistere Matrimoniis Militum, quando degunt in Hybernis, vel Æstivis Castris, vel quando sunt in Præsidiis, sed illis tantum, quæ a Militibus contrahuntur, dum sunt in actuali expeditione, aut resolutionem Belgii Matrimoniorum, quæ utpote edita *die* 29. *Maii* 1683. Matrimonium antecessit, se retulisse non ad Breve Innocentii Papæ X. concessum Regi Hispaniarum, cum quo præsens controversia est dirimenda, sed ad aliud Breve san. mem. Innocentii XI. quod fuit concessum Archiepiscopo Mechliniensi.

Fue-

Fuerunt hæc communicata scribenti pro nullitate Matrimonii, qui in eo, quod attinet ad longam taciturnitatem, plures affert facti circumstantias, quibus ostendere nititur, fuisse alias a Conjugibus cogitatum de obtinenda dissolutione Matrimonii, sed instantiam deinde suam prosecutionem non habuisse, vel quia Blasius, utpote Militiæ addictus juxta occurrentes Belli contingentias ad diversas Regni Provincias se contulit, vel quia inter armorum strepitus, qui fuerunt in Principatu Cataloniæ, litis civilis prosecutio effecta est quodammodo impossibilis, additque, hanc longam taciturnitatem de jure veteri potuisse robur obtinere, sed non post Concilium Tridentinum, quo attento, præsentia Parochi est de forma, nec Matrimonium sine ea contractum validari potest quocumque temporis lapsu, licet intercedat mutua Conjugum cohabitatio cum copula, itaut novus consensus coram Parocho, & Testibus pro validitate sit de novo præstandus.

In eoque quod spectat ad punctum, quod ante Matrimonium, de quo nunc agitur, Sac. Congregatio invalida non declarasset matrimonia contracta coram Cappellano exercitus, multa in jure ab eodem Defensore afferuntur, & signanter, quod declarationes hujus Sac. Congregationis in hac materia non sunt inductivæ novi juris, sed veteris declarativæ; in quo rerum themate nedum subsequentia, sed antecedentia matrimonia adversus earum tenorem contracta invalida censeri debent. Subdit sæpe memoratam resolutionem *in Belgii Matrimoniorum* editam fuisse ante celebrationem præsentis matrimonii; nec eam eludi posse sub fundamento, quod prodierit declarative ad Breve san. mem. Innocentii XI. & non ad aliud consimilis memoriæ Innocentii X. vel quia utraque Brevia consimilia sunt, vel quia in folio Congregationis habitæ super *Causa Belgii Matrimoniorum* fuit utrumque Breve commemoratum, quo stante dici nequit, resolutionem editam fuisse pro declaratione unius, & non alterius Brevis, & multo magis cum juxta in superioribus relata Sac. hæc Congregatio consulta ab Episcopo Celsonensi super intelligentia Brevis Innocentii X. in responsione transmiserit Decreta Congregationis Particularis edita cohærenter ad aliud Decretum *in causa Belgii Matrimoniorum*, quod non fecisset, si hujus causæ resolutio coarctata fuisset ad Breve tantum Innocentii XI. vel demum quia ex ipso Brevi Innocentii X. non desumitur facultas, quod Cappellani exercitus interesse valeant matrimoniis, quæ a militibus contrahuntur, & eo fortius, si non sunt in expeditione.

Præter docte deducta a Defensore, addi posset, ante contractum Matrimonium, de quo nunc agitur, viguisse in Hispaniis opinionem, quod Cappellani exercitus assistere non possent Matrimoniis Militum vigore Brevis Innocentii Papæ Decimi, uti colligitur ex declaratione Academiæ Salmanticensis edita *anno* 1660. de qua *Gonzal. in cap. quod super his num.* 3. *de consang. & affin.* ibi: *hodie tamen in exercitibus Magni nostri Monarchæ sunt quidam Vicarii Generales habentes sub se Cappellanos exercitus, qui sunt Judices delegati, & cognoscunt de causis Matrimonialibus Militum, & eorum divortiis, non tamen posse eos ut Parochos Matrimoniis Militum adesse, respondit Academia nostra Salmanticensis anno* 1660. *ad consultationem factam per supremum Belli Consilium pro expositione Bullæ Innocentii X.*

His stantibus, quæritur

An constet de nullitate Matrimonii in casu &c.

Sacra Congr. die 4. Decembris 1723. respondit,

Matrimonium esse nullum.

QUÆSTIO CCCLX.

In Causa Pampilonensi Unionis, die 20. *Novembris* 1723.

COMMUNITAS Villæ Casedæ Diœcesis Pampilonen. Sanctissimo Domino Nostro exposuit, erecta reperiri in Ecclesia Parochiali tredecim Beneficia cum alio dimidio, quorum reditus cum sint maximopere imminuti, & imminutus pariter sit Villæ Populus, eadem Communitas humillime exoravit, ut Beneficia ad numerum septenarium reducerentur, & a Sanctitate Sua preces fuerunt remissæ ad hanc Sac. Congregationem.

Juxta morem exquisita fuit informatio Episcopi, quæ supervenit, & in qua censet, annuendum esse petitis. Exhibentur ulterius Capitula in hac reductione statuta, atque servanda, quoties accesserit Apostolicum Beneplacitum. Non deest consensus Patronorum Laicorum, nec non Beneficiatorum, qui actu possident Beneficia, & demum Dignitatis Hospitalariæ Cathedralis Ecclesiæ Pampilonen. ad quam Dignitatem pertinet jus conferendi dicta Beneficia. Causa unionis constituitur in majori servitio Parochialis Ecclesiæ, cui Beneficiati utpote carentes congrua substentatione inservire non curant. Scriptura una cum enunciatis documentis per manus transfertur; quocirca quæritur

An sit locus gratiæ suppressionis, & respective unionis, in casu &c.

Sacra Congr. die 4. Decembris 1723. respondit,

Affirmative.

QUÆSTIO CCCLXI.

In Causa Aquensi, die 20. *Novembris* 1723.

CURIA Episcopalis Aquen. *die* 30. *Januarii* 1719. pronuntiavit, Hippolytum Macchiolo Præpositum Ecclesiæ Parochialis Loci Uvadæ suspensum ab officio per quatuor menses, sub obtentu, quod absque ordine, & licentia ejusdem Curiæ unam publicationem fecisset de Patrimonio constituto a Nicolao Molphino Bartholomæo proprio filio, in cujus publicationis sequelam fuit ille ordinatus ad Sacrum Subdiaconatus ordinem ab Eminentissimo Archiepiscopo Januensi in præjudicium jurisdictionis Episcopi Aquensis.

Eadem quoque Curia Episcopalis Aquensis *die* 25. *Martii* 1721. declaravit eundem Hippolytum incurrisse suspensionem a Divinis, ex quo non obstante præceptorum intimatione, sub qua vocatus fuerat, ut ad Curiam accederet, accedere recusavit; vocatus etenim fuerat, ut rationem redderet de processu ab ipsa Curia fabricato contra ipsum, & contra Molphinum, quem transmittere debebat ad Vicarium Generalem Januensem, ut hic eum ad Sac. Congregationem faceret deferri, quemque Præpositus multo tempore apud se retinuerat.

Denique eadem Curia *die* 12. *Maii* 1721. eundem Præpositum declaravit incursum in irregularitatem, quia *die* 15. *Aprilis* Missam celebravit in Ecclesia Parochiali, licet *die* 29. *Martii antecedentis* declaratum fuisset, quod incurrerat suspensionem a Divinis.

Adversus hæc Præpositus multa opponit; & in eo quidem, quod attinet ad suspensionem per quatuor menses ab officio, dicit, eam fuisse nullam, & injustam; nullam, quia non fuit personaliter citatus; injustam, quia putavit se habere licentiam a Curia Aquensi pro facienda publicatione, cum id sibi asseruisset Nicolaus Pater Bartholomæi, qui erat vir probus, & cui credere tenebatur; multoque magis, quia ad unicam tantum publicationem, & non ad alias duas subsequentes, prout necesse erat, deventum fuit; parum urgente, quod unica publicatio facta fuit pro tribus, cum id ex Testibus non probetur, & Eminentissimus Archiepiscopus Januensis in sua informatione de una tantum publicatione loquatur.

Et quia Præpositi crimen a Curia Episcopali auctum est, quasi quod non facta per ipsum debita recognitione librorum Baptismatis, hinc factum sit, quod Ordinatio peracta fuerit ab Ordinario Januensi, respondet se juxta pagellam transmissam perquisivisse in libris Baptismatis *per totum annum* 1692. *& annum sequentem*, & idcirco mirum non esse, si non invenerit partitam Baptismatis Bartholomæi, de qua agebatur, cum ea esset adnotata in *anno* 1697.

Et in eo, quod spectat ad contumaciam sive in remissione processus, sive in non accessu ad Curiam, quibus rebus innixa fuit intimata suspensio a Divinis, dicitur a Præposito, hanc etiam fuisse nullam ob defectum citationis, fuisse injustam, cum ipse transmiserit Processum ad Curiam Januensem, & hæc eum ad se remiserit, nec ipse certiorare destiterit Curiam Aquensem; additque Præpositus se vocatum non accessisse propter infirmitatem.

Hoc ipsum contendit, esse dicendum de irregularitate; quandoquidem concurrente injustitia suspensionis, ait non potuisse esse locum declarationi incursus in Irregularitatem.

Scriptura per manus circumfertur, unde quæritur:

I. An Sententia lata a Vicario Generali Aquensi contra Præpositum Macchiolum Rectorem Ecclesiæ Parochialis loci Uvadæ sustineatur in casu &c.

II. An suspensio a Divinis, & Irregularitas, in quas declaratus fuit incursus idem Præpositus, sustineatur in casu &c. & quatenus negative ad utrumque Dubium.

III. An Curia Ecclesiastica Aquensis teneatur ad refectionem

nem damnorum, expensarum, & interesse præfato Præposito in casu &c.

Sacra Congr. die 4. Decembris 1723. respondit,
Dilata, & expectetur novus Episcopus, concessa interim relaxatione suspensionis, & dispensatione ab irregularitate ad cautelam usque ad exitum Causæ.

QUÆSTIO CCCLXII.

In Causa Ordinis S. Francisci, die 20. Novembris 1723.

POST Institutum a S. Francisco suum Ordinem Regularem, cum plures Personæ desiderarent ei nomen dare, idque esset impossibile, vel saltem admodum difficile, ex quo nec domum aptam, nec Ecclesiam habebat, fuerunt a dicto Sancto exhibitæ preces Abbati Benedictino Montis Subasii, qui eidem concessit parvam Ecclesiam Beatæ Virginis Angelorum *de Portiuncula* appellatam, uti habetur in celebri opere, cui titulus: *Speculum Vitæ S. Francisci cap.* 55. ibi: *fuit ergo ad Episcopum Assisii, cui dixit Episcopus: Fratres, nullam Ecclesiam habeo, quam valeam vobis dare, & idem Canonici responderunt: Tunc ivit ad Abbatem Sancti Benedicti de Monte Subasio. Abbas vero, habito consilio cum Monachis, operante gratia, & voluntate Divina, concessit Beato Francisco, & Fratribus suis Ecclesiam S. Mariæ de Portiuncula.*

Acquisita a Sancto Francisco prædicta Ecclesia, idem Sanctus humillime a Deo postulavit plenariam Indulgentiam pro illis, qui suorum peccatorum ex corde pœnitentes, prævia confessione Sacramentali, eam visitassent, & a Deo fuerunt sui Servi preces exauditæ, ita tamen, ut Indulgentiam postularet ab Honorio Tertio Summo Pontifice, qui anno 1223. perpetuam concessit Indulgentiam illis, qui post Confessionem Sacramentalem parvam eam Ecclesiam visitassent a Vesperis primi diei mensis Augusti usque ad Vesperas diei sequentis, uti legitur in secundis Lectionibus Breviarii Franciscani pro die 2. Augusti, ibi: *Tandem intelligens Pontifex divinam voluntatem, concessit eam B. Francisco plenariam quidem, & liberam, ac perpetuam, sed unius dumtaxat diei naturalis cujuscumque anni, hoc est a Vesperis Kalendarum Augusti usque ad Vesperas sequentis diei, qui est anniversarius dies Consecrationis supradictæ Ecclesiæ.*

Atque latissime comprobatur ex testimonio Petri Calfanni, qui Sanctum Franciscum prædicantem audivit, & dictam Indulgentiam publicantem, & duorum aliorum Religiosorum, Benedicti videlicet, & Rainerii de Arerio, qui retulerunt anno 1277. se rem totam intellexisse a Patre Matthæo de Marignano Socio Sancti Francisci, quæ omnia continentur in antiquo monumento Bibliothecæ Colbertinæ edito a *Stephano Balutio in Miscell. lib.* 4. *pag.* 491. & concordant *Sancti Bernardinus Senensis serm.* 9. *de cultu Sanctissimæ Trinitatis in Dominica Quadragesimæ art.* 3. *cap.* 2. *& Antoninus* 3. *part. hist. tit.* 24. *cap.* 7. §. 4. cum aliis probatis Historicis, quos plena manu cumulavi in discursu a me impresso primum Romæ, & deinde Fulginei, & postmodum Venetiis anno 1720.

Tractu temporis pia quædam invaluit opinio, quod prædicta Indulgentia non esset restricta ad unam diem naturalem cujuscumque anni, a Vesperis videlicet Kalendarum Augusti ad Vesperas sequentis diei; ex authentico quippe testimonio Maffei Bardi Episcopi Clusini desumebatur, Summum Pontificem Paulum Papam Tertium anno 1544. dum in Civitate Perusina commorabatur, declarasse, quod Christifideles Cappellam Portiunculæ ingredientes qualibet die Indulgentiam consequebantur, uti consequebantur Kalendis Augusti, quemadmodum plene habetur in opere Octavii Episcopi Assisiensis, cui titulus: *Lumi Serafici di Porziuncula*, quocirca apposita fuit super Cappella sequens inscriptio: *Augusti hic veniam dat tibi quæque dies.* At instituta formali disputatione in Congregatione Sanctissimæ Inquisitionis, an sæpe memorata Indulgentia esset revera restricta ad diem supra relatam, vel esset potius quotidiana, *die* 3. *Octobris anno* 1691. sic responsum fuit: *facta relatione per Patrem Magistrum Bernardinum Ordinis Prædicatorum de juribus hinc inde deductis a Patribus Ordinis Minorum Conventualium, & Minorum de Observantia respective, super prætensa Indulgentia perpetua, & quotidiana tanquam concessa a Paulo Tertio Ecclesiæ Sanctæ Mariæ Angelorum Fratrum Ordinis Minorum de Observantia, Eminentissimi Domini prædictis juribus visis, & auditis, dixerunt, ex hactenus deductis non constare de dicta Indulgentia quotidiana perpetua, & proinde abradendam, seu removendam esse inscriptionem super janua Cappellæ Ecclesiæ S. Mariæ Angelorum Assisii, scilicet, Augusti hic veniam dat tibi quæque dies*, & in hujus Decreti executionem abrasa fuit prædicta inscriptio, uti plene refertur ex authenticis documentis in opere edito a Pompejo Binio anno 1721. cui titulus, *la verità scoperta, tit.* 6. §. 9. & licet *anno* 1695. san. mem. Innocentius Papa XII. plenariam, & quotidianam concesserit Indulgentiam omnibus Christifidelibus, qui pœnitentes, & confessi, & Sacra Communione refecti visitassent Ecclesiam Sanctæ Mariæ Angelorum, & Ecclesiam Sancti Francisci sitam in Civitate Assisiensi, uti habetur *in ejus Constitutione* 49. *& in sequenti Constitutione* 50. *in suo parvo Bullario*, hæc nihilominus Indulgentia quotidiana plenaria in pluribus differt ab Indulgentia Portiunculæ, uti late ostendi in citato discursu §. 2. & me allegato, prosequitur *Pompejus Binius citato tit.* 6. §. 11.

Indulgentia Portiunculæ fuit a Summis Pontificibus extensa ad omnes Ecclesias Fratrum, & Monialium Ordinis S. Francisci, juxta Apostolicas Constitutiones relatas apud *Lantuscam in Theatro Regularium verbo Indulgentia, & apud Wadingum in Annal. ad annum* 1223. *n.* 3. cumque pius mos inoleverit pluries ingrediendi, & visitandi tam Cappellam Portiunculæ sitam in Ecclesia Sanctæ Mariæ Angelorum, quam reliquas Ecclesias Ordinis Fratrum Sancti Francisci a Vesperis Kalendarum Augusti usque ad Vesperas sequentis diei, sub obtentu dictam Indulgentiam lucrifaciendi quolibet ex dictis ingressibus, idque Episcopo Labacensi difficile visum fuerit, ex quo Indulgentia concessa illis, qui aliquam Ecclesiam certis diebus visitant, vel aliud pium opus peragunt, non acquiritur nisi semel dumtaxat in die, querela Episcopi delata ad hanc Sacram Congregationem, *pergunt Fratres Ordinis Sancti Francisci Reformatorum Provinciæ Carniolæ Populo persuadere Indulgentiam pro die* 2. *Augusti de Portiuncula nuncupatam eorum Ecclesiam visitantibus concessam, toties quoties eadem die lucrifieri posse*, Sac. hæc Congr. *die* 17. *Julii* 1700. post auditas informationes Procuratoris Generalis, & Ministri Provincialis censuit servandum esse solitum. Hisce minime obstantibus, nonnulli Parochi tam publice, quam privatim asserunt, sæpe memoratam Portiunculæ Indulgentiam acquiri quidem a Visitantibus Ecclesias Ordinis S. Francisci a Vesperis Kalendarum Augusti ad Vesperas diei sequentis, sed semel tantum in dicta die, itaut toties repetitus eadem die accessus ad memoratas Ecclesias, & ingredientibus, & visitantibus non prosit, ut pluries in eadem die Indulgentiam lucrentur, & hujus Sacræ Congregationis responsum, quo dictum fuit *servandum esse solitum*, sic interpretantur, ut relationem habeat non ad acquisitionem Indulgentiæ pro qualibet ingressu in Ecclesiam, sed ad consuetudinem, juxta quam non acquiritur, nisi semel dumtaxat in die Indulgentia concessa visitantibus certis diebus determinatam Ecclesiam, vel aliud opus pium peragentibus: cumque hæc interpretatio nimis absona videatur Ordini Sancti Francisci, tum quia decretum de lucrifacienda semel dumtaxat in die Indulgentia, concessa visitantibus Ecclesiam certis diebus, editum fuit *die* 7. *Martii* 1678. & eo minime obstante Sacra hæc Congregatio noluit deferre querimoniis Episcopi Labacensis, qui Patres Reformatos accusaverat, quod falso persuaderent, Indulgentiam Portiunculæ posse lucrifieri a Christifidelibus toties, quoties die 2. Augusti ipsorum Ecclesiam visitassent, uti colligitur ex decreto supra memorato edito *die* 17. *Julii* 1700. tum quia cum Indulgentia Portiunculæ prosit etiam animabus Defunctorum, juxta litteras Apostolicas san. mem. Innocentii XI. impressas apud *Matthæuc. in Official. Curiæ cap.* 26. *n.* 7. nil prohibet, quin eadem Indulgentia pluries eadem die applicetur modo pro una, modo pro alia Anima in Purgatorio existente; hinc est, quod instante Procuratore Generali Ordinis Sancti Francisci Minorum Observantium, ut aliquando dissensionibus finis imponatur, disputandum in præsenti proponitur, & declarandum

An Decretum hujus Sacræ Congregationis editum die 17. *Julii* 1700. *quo dictum fuit, servandum esse solitum, ita sit intelligendum, ut Indulgentia Portiunculæ acquiri possit a Christifidelibus a Vesperis Kalendarum Augusti ad Vesperas diei sequentis non semel, licet pluries debitis intercedentibus requisitis, Ecclesias Ordinum S. Francisci pluries visitaverint, sed toties, quoties easdem Ecclesias dicta die debitis intercedentibus requisitis visitaverint.*

Sacra Congr. die 4. Decembris 1723. respondit,
Servetur solitum.

QUÆ-

QUÆSTIO CCCLXIII.

In Causa Melevitana, die 4. Decembris 1723.

CUM pia quædam Mulier Isolda, in ultimo, cum quo decessit, Testamento condito anno 1662. omnia bona, quæ in Insula Melitensi possidebat, reliquisset Monasterio Sancti Nicolai de Arena Ordinis Sancti Benedicti Congregationis Cassinensis Civitatis Cataniæ, hac imposita lege, *quod Fratres, seu Monachi habitent in quadam Ecclesia vocata sub vocabulo Beati Nicolai existente in dicta Insula in Terris Testatricis ipsius, qui celebrent Divinum Officium pro Anima dicti quondam Mariti sui, & quondam Parentum suorum*, sub fundamento moralis impossibilitatis exequendi Testatricis voluntatem, fundando scilicet Monasterium in loco ab eadem designato, habitus fuit a Monachis recursus ad Hilarium Corradum Episcopum Melitensem, qui bene ponderatis impedimentis, quæ dictæ voluntatis executioni adversabantur, anno 1364. volens consulere Animabus Monachorum, & dictæ Testatricis, mutavit ejus voluntatem sub forma, quæ sequitur, *voluit, quod in dicto Monasterio S. Nicolai Cataniæ, ubi viget numerus Monachorum quinquaginta, & ultra, isti continuo orarent pro Anima Testatricis, & quod omnia ejus bona essent, & converterentur in utilitatem dicti Monasterii*, & hæc commutatio uti rationabilis, & congrua, fuit approbata ab Executoribus Testamentariis Isoldæ Testatricis, itaut anno 1365. Monasterium Catanense cœperit possessionem bonorum ab eadem relictorum, & in possessione pacifice continuaverit usque ad annum 1708.

Hoc anno Procurator Fiscalis Reverendæ Fabricæ in Jus vocavit memoratum Monasterium Ordinis Sancti Benedicti Civitatis Cataniæ, & sub obtentu non impletæ recensitæ piæ dispositionis Isoldæ obtinuit, primo, ut Monasterium condemnaretur ad solvendum Depositario Fabricæ fructus perceptos, & qui percipi potuissent ex bonis in piam causam legatis, qui ascendere dicti sunt ad summam scutorum circiter 300000. secundo, ut eidem Monasterio terminus trium mensium præfigeretur ad habendum a Sede Apostolica facultatem, & licentiam exequendi in Insula Melitensi voluntatem piæ Testatricis, novum in ea erigendo Monasterium, vel impetrandi commutationem ultimæ voluntatis Isoldæ in aliud opus ad Beneplacitum Sedis Apostolicæ; tertio, ut dicto termino sine effectu præterlapso, bona Reverendæ Fabricæ applicarentur; cumque hæc sententia ab alio Judice de Partibus in gradu appellationis fuisset confirmata, præterquam quoad fructus, quorum restitutionem restrinxit ad summam scutorum 72000. habito a Monachis recursu ad Sac. Congreg. Generalem Rev. Fabricæ, hæc bonorum possessionem interim captam a Promotore Fiscali duobus ampliffimis decretis circumscripsit, Causæque cognitione delegata R. P. D. Sinibaldo, præcedentes hic sententias ita infirmavit, ac si editæ, aut prolatæ non fuissent.

Post hanc sententiam Causa siluit per decennium, itaut eidem impositum esse finem a Monachis existimatum sit: At res aliter se habuit; instante siquidem Promotore Fiscali Fabricæ, ulterior Causæ cognitio commissa fuit Reverendissimo Lancettæ Sac. Rotæ Decano, disputatoque in prædicto Tribunali die 26. Junii 1722. dubio, *an constaret de re judicata, seu potius de causis restitutionis in integrum*, responsum est *constare de re judicata*, & extensa iuxta morem decisione, quæ per manus circumfertur, cum deventum fuerit ad Causæ expeditionem, Fabricæ Ministri novum ad Sacram Congregationem Generalem ejusdem Fabricæ recursum habuerunt, instando pro appellatione, vel saltem declaratione, quod Monachi S. Nicolai de Arena Congregationis Cassinensis Civitatis Cataniæ teneantur in perpetuum ad onus celebrationis Divini Officii, & Missæ Conventualis cum applicatione particulari in suffragium animæ piæ Mulieris Isoldæ, & ejus Conjunctorum, editoque a dicta Congregatione rescripto *de causis restitutionis in integrum sine præjudicio rei judicatæ, & quoad onus Divini Officii, ejusque adimplementum ad Sacram Congregationem Concilii*, in prædicti rescripti sequelam proponitur in præsenti dubium ad calcem hujus Restrictus referendum.

Prætendit Promotor Fiscalis, Monachos teneri in perpetuum ad quotidianum onus celebrationis Divini Officii cum Missa Conventuali, & applicatione particulari pro Anima Isoldæ, & ejus Conjunctorum, ex quo sic in ejus Testamento cavetur, *qui celebrent Divinum Officium pro Anima dicti quondam Mariti sui, & quondam Parentum suorum*, absque eo quod huic prætensioni, juxta sensum Fiscalis obstare valeant, vel impetrata commutatio ab Episcopo Melitensi, vel plurium sæculorum lapsus; in eo enim, quod attinet ad memoratam commutationem, contendit per eam impetratum tantummodo fuisse, ne novum Monasterium erigeretur in Insula Melitensi, sed nullam in ea concessam fuisse exemptionem a perpetua, & quotidiana celebratione Divini Officii, & Missæ Conventualis cum particulari applicatione pro Anima Testatricis, & ejus Conjunctorum, itaut continua oratio ab Episcopo demandata in Monasterio Cataniæ esse debeat, ejusdem speciei, ac oratio volita a Testatrice in novo, quod erigendum putabat, Monasterio, & in eo, quod spectat ad magnum temporis lapsum, subdit Promotor, de eo non esse habendam rationem ad effectum, de quo agitur, hoc est futuræ in posterum celebrationis, & applicationis particularis, & multo magis, cum bona ab Isolda relicta, & a Monasterio possessa, sint non exigua, & onus perpetuæ celebrationis, & applicationis Officii Divini, & Missæ Conventualis fufferre valeant.

E contra Monasterium S. Nicolai de Arena excipit, fuisse ab Hilario Episcopo commutatam voluntatem Isoldæ, non solum quoad novi Monasterii ædificationem, sed etiam quoad orationes, cum loco celebrationis, & applicationis Divini Officii pro Anima Mulieris, & Animabus Mariti, & Parentum ejusdem, quæ in novo Monasterio fieri debuisset, subrogaverit continuas Orationes in communi, & singulariter faciendas a Monachis in numero quinquaginta, & ultra, degentibus in Monasterio Catanensi, itaut nunquam post commutationem expleta fuerint Officia cum eorum applicatione particulari pro Testatrice, & aliis ab ea nominatis, nec esse quæstionem excitandam circa facultatem Episcopi Melitensis, vel circa intelligentiam commutationis ab eodem injunctæ; plurium etenim sæculorum lapsus præsumptionem inducit Apostolici Beneplaciti, & melioris, uti dicitur, tituli de mundo, & uniformis, & continuata per eamdem sæcula observantia patefacit, qualis fuerit intentio Episcopi commutantis, & eo fortius, cum Judicum sententiæ huic assumpto favere videantur, posito quippe, quod sententiæ de partibus statuentes in genere non adimplementum piæ voluntatis Isoldæ, fuerint in Curia revocatæ, & quod in decisione Reverendissimi Lancettæ, quæ sententiam Rotalem præcessit, fuerit animadversum, non esse post tot sæcula refricandam quæstionem de commutatione non rite facta, ex quo nullum Missarum onus Monachis fuit injunctum, uti videre est in citata decisione §. *Quamobrem & seqq.* sequitur rei etiam judicatæ auctoritate, nihil aliud a Monachis Monasterii Catanensis exigi posse pro adimplemento voluntatis Isoldæ, quam quod in futurum faciant totum id, quod in præteritum a die commutationis ad diem præsentem præstiterunt.

Additur a Scribente pro Monasterio, non modicas esse profecto preces, & orationes, quæ a Monachis S. Nicolai fiunt tam in communi, quam singulariter, & ad quarum participationem vigore commutationis Anima Isoldæ admissa est; bis siquidem in die ad Primam scilicet, & ad Completorium recitatur Psalmus *De profundis* cum Oratione *Deus veniæ largitor*; de mense Septembris quolibet anno celebratur solemne Anniversarium in suffragium Benefactorum, quolibet præterea die tres Missæ Cantatæ absque ulla obligatione, & in solum grati animi monumentum pro Animabus eorumdem applicantur, & demum pro Benefactoribus defunctis fit distributio eleemosynæ panis, & vini Pauperibus, quæ ascendit ad annuam summam scut. 1510. Affertur quoque depositio duorum Monachorum Archivistarum, qui plura testantur insignia legata facta fuisse Monasterio absque ullo onere applicationis Missarum, & cum sola obligatione orandi Deum pro Animabus legantium. Et demum contenditur, non subsistere in facto exaggeratam quantitatem bonorum ab Isolda relictorum, cum ex paucitate redituum pro subsistentatione Monasterii, & Monachorum motus fuerit Episcopus Melitensis ad faciendam commutationem, de qua pluries in superioribus actum est.

Jura hinc inde circumferuntur; quocirca quæritur

Ad quod onus teneantur Monachi S. Nicolai de Arena pro Anima quondam Isoldæ Carolenæ, ejusque Mariti, & Parentum.

Sacra Congr. die 18. Decembris 1723. respondit,
Monachos non teneri ad ullum novum onus præter solitum.

QUÆSTIO CCCLXIV.

In Causa Eugubina, die 4. Decembris 1723.

SACERDOS Guidubaldus Rossettus in ultimo, cum quo decessit, Testamento condito mense Septembris anno 1719. unam instituit Capellaniam, pro cujus dote affiguavit Censum in forte scutorum 300. quo deficiente, voluit supplementum desumi ab aliis suis bonis hæreditariis, ut videlicet semper Missæ ab ipso demandatæ celebrarentur.

In eodem Testamento Testator hæredes instituit tres suos Nepotes, quos pro æquali portione ad successionem invitavit, impolito ipsis onere *di distribuire, ed erogare tutto il Capitale, che resterà della sua Eredità, adempiti li Legati suddetti, in Doti di tante Zitelle povere, ed onorate da maritarsi, o monacarsi, alla ragione di scudi* 50. *per ciascheduna, quali Zitelle siano, e debbano essere del secondo, e terzo grado Parenti, e del sangue di esso Testatore, di maniera tale, che le Zitelle più prossime del detto Testatore in Concorso siano sempre preferite all' altre più remote.*

Et quia dari poterat casus, quod tempore sui obitus Puellæ non extarent, quæ spirituales, aut carnales nuptias inire possent, in eo rerum statu sæpe memoratus Testator voluit, quod fructus hæreditatis multiplicarentur, ut deinde fieri posset distributio Dotium, quando adessent Puellæ, *e non essendovi dopo la morte d' esso Testatore Zitelle nubili, o da monacarsi, il frutto della sua Eredità vuole, che si ponga, e metta a moltiplico per distribuirlo come sopra alle suddette Zitelle, insino a tanto che vi saranno Zitelle capaci di questa sua disposizione.*

Super hac testamentaria dispositione Sacerdotis Guidubaldi binæ exortæ sunt controversiæ, quas Episcopus Eugubinus censuit esse pro recta decisione ad hanc Sacram Congregationem remittendas, quarum altera consistit in examinando, an solutio dotium a Testatore demandata peragenda sit expendendo capitale, vel potius fructus erogando, & altera relidet in hoc, an distributio Dotium, quæ fieri debet ad tramites Testamenti Puellis Testatori conjunctis in secundo, aut tertio gradu, intelligenda sit de conjunctis in secundo, & tertio gradu juxta computationem Juris Civilis, vel potius juxta computationem Juris Canonici.

Quoad primam videtur, ex una parte, solutionem Dotium ex Capitali esse faciendam, attentis videlicet verbis supra relatis *coll' obbligo, e peso di distribuire, ed erogare tutto il Capitale, che resterà della sua Eredità ec. in Doti di tante Zitelle povere, ed onorate ec.* & eo fortius, cum Capitale vix ascendere dicatur ad scuta 900. monetæ Romanæ. Ex alia vero parte prædictarum Dotium solutio facienda videtur ex fructibus, tum quia deficiente fundo pro Cappellania assignato, Testator voluit, quod supplementum desumeretur ex aliis effectibus suæ hæreditatis, *e mancando detto Censo, debba supplirsi cogli altri effetti della sua eredità*; tum quia ipse quoque voluit fieri multiplicum in hypothesi non existentiæ Puellarum tempore sui obitus, *il frutto della sua Eredità vuole, che si ponga, e metta a moltiplico ec.* uti habetur in verbis supra relatis.

Quoad alteram vero quæstionem, videtur ex una parte, computationem secundi, aut tertii gradus esse faciendam juxta jus Civile, cum jus Canonicum in graduum computatione attendatur, quando agitur de matrimonio, vel de causa pure spirituali, itaut si vocentur Clerici consanguinei, & agatur de Cappellania fundata sine Episcopi auctoritate, consanguinitatis decisio desumenda sit a jure Civili, & non a jure Canonico, *juxta late firmata per Grat. disp.* 77. *per tot.* At procedendo ad tramites juris Civilis nullæ adsunt Puellæ *da maritarsi, o monacarsi*, uti voluit Testator, cum suæ sorores, & neptes jam ante ejus obitum essent nuptæ; ex alia vero parte videtur, computationem secundi, vel tertii gradus esse in casu faciendam ad tramites juris Canonici; Testator enim plurium annorum spatio Parochus fuerat, & verisimile admodum est, ut consanguinitatis mensuram desumpserit a matrimoniis, seu a regula, quæ in illis contrahendis observatur, qua concurrente verisimilitudine in dubioni etiam casu successionis computatio fit non secundum jus Civile, sed secundum jus Canonicum, *juxta bene firmata per Rotam in Reatina Successionis* 4. *Maii* 1696. *coram clar. mem. Card. Caprara*; sed procedendo ad tramites juris Canonici adsunt quidem in casu Puellæ constitutæ in tertio gradu, sed aliæ secundi gradus deficiunt, itaut concursus a Testatore volitus sit impracticabilis.

His stantibus, quæritur

An solutio Dotium fieri debeat ex capitali, vel ex fructibus, & an Puellis constitutis in secundo, vel tertio gradu juxta jus civile, vel jus canonicum in casu &c.

Sacra Congr. die 18. Decembris 1723. respondit,

Solutionem dotium fieri debere ex capitali juxta modum, & computationem graduum esse faciendam juxta jus Canonicum. Modus autem est, quod pro nunc octo tantum dotes assignentur persolvendæ tempore Matrimonii, vel Professionis, & quod Dona valoris scutorum 400. *ex residuo hæreditatis fiure debeant pro evictione, & supplemento fundi Cappellaniæ, & tam ex horum, quam aliorum Bonorum hæreditariorum fructibus, aliæ dotes tempore debito persolvantur in summa a Testatore demandata.*

QUÆSTIO CCCLXV.

In Causa Montis Alti Sponsalium, die 4. Decembris 1723.

MAGDALENA Teresia, quæ sponsalia contraxerat cum Laurentio Vicio, ad nova sponsalia devenit cum Hyacintho Saccono, exortaque controversia, quænam ex dictis sponsalibus prævalere deberent ad effectum contrahendi matrimonii, eademque proposita in Congregatione habita die 28. Augusti proxime præteriti, nulla fuit capta resolutio, sed dictum, quod Puella collocaretur in Monasterio extra Diœcesim ab Archiepiscopo Firmano eligendo, & quod ejus voluntas ab eodem Archiepiscopo exploraretur.

In hujus rescripti executionem Magdalena Teresia translata fuit ad Civitatem Firmanam, & collocata in Domo Religiosa nuncupata de Convictricibus; cumque Archiepiscopus Firmanus ad dictam domum accesserit, & ejus voluntatem exploraverit, Puella protestata est, se fuisse deceptam in subscriptione folii exarati super sponsalibus initis cum Laurentio Vicio, seque idcirco eum nolle in maritum, sed velle matrimonium de præsenti contrahere cum Hyacintho Saccono.

En verba Epistolæ Archiepiscopi Firmani, *Referre itaque non prætermitto, eam*, hoc est Magdalenam Teresiam, *libere asseruisse subscriptionem cujusdam folii sibi a duabus callidis mulierculis porrecti, nesciendo tamen quod suam contineret promissionem nubendi cum Laurentio Vicio, & fuisse deceptam in simulatione prætextus conscribendi nomen proprium ad redarguendum de mendacio eos, qui puellam affirmabant omni prorsus peritia scribendi esse destitutam, protestans intrepide nunquam intellexisse contrahere Matrimonium cum supradicto Laurentio, sed velle pro Viro suo Hyacinthum Sacconum, cum quo vere juxta facultatem sui arbitrii contraxit sponsalia, & cui fidem usque ad extremum vitæ spiritum servare decrevit.*

His stantibus, quæritur

An, & ad cujus favorem constet de sponsalibus ad effectum celebrandi Matrimonium in casu &c.

Sacra Congr. respondit,

Constare de Sponsalibus cum Saccono, ad effectum contrahendi Matrimonium cum ipso.

QUÆSTIO CCCLXVI.

In Causa Neapolitana, seu Cavensi, die 18. Decembris 1723.

MONASTERIUM Monialium Consolationis Civitatis Cavensis possidens in Civitate Neapolitana quædam membra domorum, quæ erant locata pro summa ducatorum 73. reservato Apostolico Beneplacito, eadem concessit in Emphyteusim Cajetano de Leto pro consimili annuo canone ducatorum 73. conventa renovatione Emphyteusis de 29. in 29. annos cum solutione Laudemii, & conventa exhursatione ducatorum 425. pro unica vice favore ejusdem Monasterii, habitoque pro approbatione recursu ad hanc Sac. Congregationem, censuit hæc, prævia informatione Eminentiss. Archiepiscopi Neapolitani, contractum esse utilem, & sic locum esse expeditioni Beneplaciti Apostolici, expeditisque consuetis litteris Apostolicis *si in evidentem* fuerunt eædem executioni mandatæ a Vicario Generali Neapolitano, & novus Emphyteuta possessionem bonorum ingressus est.

Non solum antequam fuissent expeditæ litteræ Apostolicæ, & bonorum possessio capta fuisset, sed etiam ante editionem rescripti hujus Sac. Congregationis, Joannes Jacobus Cantisanus aliam quandam Monasterio Monialium fecerat oblationem, recipiendi videlicet ad Emphyteusim eadem memorata bona, solvendi pro annuo Canone summam ducatorum 73. & unica vice aliam summam duca-

ducatorum 600. quam subinde auxit ad ducatos 1000. cumque pro hujus Contractus approbatione, atque prælatione ad alium initum a Cajetano de Leto Cantisanus recursum habuisset ad Sac. Congregationem Episcoporum, & Regularium, & quosdam actus fecisset tum coram Episcopo Cavensi, tum coram Tribunalibus Archiepiscopi Neapolitani, & Nuntii ejusdem Civitatis, exorta ex his est controversia, quæ ab Auditore Sanctissimi fuit ad hanc Sacram Congregationem remissa cum facultate etiam purgandi attentata, & quia pro recta causæ resolutione maximopere videtur conducere posse, si omnia hinc inde gesta juxta seriem temporis exponantur, res idcirco ab una, & altera parte gestæ una cum temporis adnotatione in præsenti exponuntur.

Die itaque 23. *Maii* 1722. prævia licentia Episcopi Cavensis, una cum reservatione Apostolici Beneplaciti deventum fuit a Monasterio ad stipulationem Instrumenti cum Cajetano de Leto.

Paulo post Cantisanus suam fecit Monasterio oblationem, quæ prævio decreto Episcopi Cavensis Monialibus notificata fuit *die* 30. *ejusdem mensis Maii*, interpositaque ab hoc decreto per Cajetanum de Leto appellatione ad Nuntiaturam Neapolitanam, hæc *die prima Junii ejusdem anni* 1722. decrevit, ut acta a Curia Cavensi ad se transmitterentur, & *die* 9. *ejusdem mensis Junii* appositum est a Cantisano *nihil transeat* in actis Curiæ Archiepiscopalis Neapolitanæ, & aliud simile *nihil transeat die* 10. *Junii* in actis Nuntiaturæ dictæ Civitatis.

Quo tempore præciso Cajetanus de Leto huic Sacræ Congregationi supplicaverit pro approbatione Contractus ignoratur, idque, quod tuto asseri potest, est, quod Eminentissimus Archiepiscopus Neapolitanus requisitus pro informatione, & voto, suam dedit ad hanc Sac. Congregationem epistolam *die* 4. *Augusti* 1722.

Quo tempore pariter præciso Cantisanus recursum habuerit ad Sacram Congregationem Episcoporum, & Regularium ignoratur, sed hoc unum tutum est, quod datis ab eadem Congregatione litteris pro informatione ad Episcopum Cavensem, Episcopi informatio scripta fuit *die* 11. *Augusti* 1722. qua censuit, præferendam Cantisani oblationem alteri oblationi jam factæ, & in contractum deductæ inter Monasterium, & Cajetanum de Leto, eademque Episcoporum Congregatio *die* 21. *ejusdem mensis* decrevit, quod utrique Parti terminus præfigeretur ad sua jura coram se deducenda, & *die* 10. *Septembris* Cavensis Episcopus mandavit, ut fieret termini præfixio, & Cursor Ordinarius *die* 24. retulit, se termini præfixionem Collitigantibus more consueto fecisse.

Et post hæc, prosequendo enarrationem cæterorum gestorum, Sacra hæc Congregatio *die* 19. *Septembris* 1722. perpensa Cajetani instantia rescripsit *pro gratia*, & expeditio litterarum Apostolicarum cum clausula *si in evidentem* facta est *nonis Octobris* 1722. eædemque fuerunt executioni mandatæ a Vicario Neapolitano, ad quem fuerant directæ *die* 11. *Decembris* 1722. factaque a Procuratore Cantisani hic in Urbe consueta citatione coram Auditore Sanctissimi *die* 18. *Decembris* 1722. pro impedienda suo Competitori possessione bonorum, eadem hoc minime obstante capta supponitur *die* 4. *mensis Januarii currentis anni* 1723.

Ab exposita facti serie, Cantisanus infert, concessionem in Emphyteusim factam favore Cajetani, & expeditionem Apostolici Beneplaciti non sustineri, cum hæc omnia sequuta sint, absque eo quod huic Sacræ Congregationi, & Summo Pontifici sua major oblatio fuerit exposita, licet hæc esset bene nota Cajetano; Item executionem Beneplaciti non sustineri, cum in Beneplacito adesset clausula *vocatis ad id, qui fuerant vocandi*, & ipse vocatus non fuerit, qui, si vocatus fuisset, sua jura deduxisset, suamque majorem oblationem ab Episcopo Cavensi approbatam allegasset, una cum pendentia litis in Sacra Congregatione Episcoporum, & Regularium; nullam denique superesse difficultatem quoad suæ oblationis acceptationem, attenta evidentissima ejusdem utilitate, & quoad purgationem attentatorum, cum possessio capta fuerit post præsentatam personaliter citationem Auditoris Sanctissimi.

Excipit e contra Cajetanus de his omnibus nullam esse habendam rationem, cum sua oblatio justa sit, & utilis Monasterio, nec Ecclesia, utpote cultrix, & Mater Justitiæ deferre debeat alteri licet majori oblationi, utpote factæ ad æmulationem, quæ specialiter desumitur tum ex augmento a summa scutorum 600. ad summam scutorum 1000. tum ex judicio a se introducto *in principio anni* 1622. in Consilio Neapolitano super redditione rationis cujusdam societatis explenda a dicto Cantisano.

Jura hinc inde circumferuntur, solumque mihi superest adnotandum, quod cum inter acta gesta nomine Cantisani sæpius dicatur, hanc Sacram Congregationem non habere in facultatibus concedere posse Apostolica Beneplacita in hisce alienationibus, & concessionibus in Emphyteusim, *E tal censuazione fattale roborare con assenso Apostolico, seu Breve sorrettizziamente ottenuto dalla Sacra Congregazione del Concilio Tribunale incompetente*, id nullo modo subsistit; cum enim *post Extravagantem Ambitiosæ*, in qua prohibita fuit alienatio bonorum Ecclesiæ sine licentia Apostolica, prætenderent Regulares se in vim suorum Privilegiorum posse alienationes, & concessiones facere in Emphyteusim; Sacra hæc Congregatio vetuit, id ab eis fieri posse *absque ipsius Congregationis Concilii expressa licentia*, & decretum fuit a Summo Pontifice Urbano VIII. confirmatum *die* 7. *Septembris* 1624. & relative ad hoc decretum, quod dicitur *de rebus Regularium non alienandis*, editum fuit *die* 9. *Novembris* 1647. in hac Sacra Congregatione aliud decretum, uti habetur *lib.* 18. *decret. fol.* 416. *a tergo*, quod est conceptum sequentibus verbis: *Sacra &c. injunxit Eminentissimo Cardinali Ginneto Præfecto Congregationis Episcoporum, & Regularium præsenti, ne in dicta Congregatione in futurum expediantur facultates alienationum, hypothecarum, locationum, & aliorum contentorum in decreto de rebus Regularium non alienandis, cum hæc facultas privative spectet ad hanc Sacram Congregationem*; cumque Secretarii Congregationis Episcoporum, & Regularium, nec non hujus Sacræ Congregationis consuevissent hasce instantias remittere, vel ad Secretarium Brevium, vel ad Datariam, re a Regularibus ad Summum Pontificem delata, Sanctissimus *die prima Decembris* 1691. mandavit, *ut gratis, & per Sacram Congregationem Concilii, Regularium in eodem decreto Urbani scilicet Octavi contentorum contractus expediantur*, uti habetur *lib.* 41. *decret. pag.* 349.

His stantibus, quæritur

I. *An concessio in Emphyteusim facta favore Cajetani, & Beneplacitum Apostolicum, ejusque executio sustineatur, seu potius recipienda sit oblatio Joannis Jacobi in casu &c.*

II. *An constet de attentatis, & quomodo sint purganda in casu &c.*

Sacra Congr. die 15. Januarii 1724. respondit,

Ad primum quoad Primam partem negative, quoad secundam assignantur Edicta. Ad secundum affirmative & circumscribantur omnia gesta post intimationem Citationis Auditoris Sanctissimi.

QUÆSTIO CCCLXVII.

In Causa Lyciensi Visitationis, & Censurarum, die 18. Decembris 1723.

ACCESSERUNT Visitatores ab Episcopo Lycien. deputati ad quandam Ecclesiam sitam in loco Galliani Diœcesis Lycien. & nonnulli Monachi Olivetani Monasterii SS. Nicolai, & Cataldi Civitatis Lycien. se huic Visitationi opposuerunt sub obtentu exemptionis memoratæ Ecclesiæ, & pertinentiæ ad suum Monasterium.

Paulo post cum Ecclesiæ festivitas immineret, Archipresbyter Oppidi Turchiaroli ad eam pariter accessit, ut Sacerdoti Andreæ de Laurentio Sacristæ opem ferret parando necessaria pro decenti Ecclesiæ ornatu, sed nonnulli Monachi Olivetani Conversi, vi adhibita utrumque ab Ecclesia expulerunt, delataque ab expulsis notitia expulsionis ad Curiam Episcopalem, percussores fuerunt declarati excommunicati, & sic ab omnibus utriusque sexus Christi Fidelibus evitandi.

Ex his autem, quæ modo dicta sunt, quæstio mota est inter Promotorem Fiscalem, & Monasterium, & in ejus sequelam duo dubia disputanda proponuntur, quorum alterum respicit visitationem, alterum Censuras.

Monasterii jura ad me delata non sunt, & sic ea referre non possum; at in eo, quod attinet ad jura Promotoris Fiscalis, asserit ipse, non esse dubitandum de situatione in Diœcesi Lycien. Item Ecclesiam nullo modo pertinere ad Monasterium, cum Ecclesia pertinens ad Monasterium non sit illa Sanctæ Mariæ, de qua nunc agitur, sed alia esset sub Titulo S. Anastasiæ, quæ ex injuria temporum fuit æquata solo, & demum exemptionem Monachis suffragari non posse in puncto Censurarum, cum in præsenti agatur de Censuris a jure latis, & de simplici declaratione ab homine facta, quæ expleri potest etiam in Exemptos.

Absque eo quod opponi possit, Ecclesiam nunquam fuisse visitatam; quia sufficit situatio in Diœcesi, & suffi-

sufficit exercitium jurisdictionis in toto Territorio, ut Episcopus visitare possit Ecclesiam, quæ de exemptione non docet, licet hæc non fuerit a præcedentibus Episcopis visitata.

Additur, non solum competere Episcopo jus visitandi quoad concernentia Curam Animarum, & Sacramentorum administrationem, quando agitur de Ecclesiis Regularium, quibus dicta imminet cura, *juxta Sess. 25. cap. 11. de Regul. & Monial.* sed etiam eidem Episcopo competere jus visitandi quascumque Ecclesias quomodolibet exemptas jure delegato, etiamsi illis Cura Animarum non immineat, *juxta cap. 8. Sess. 7. de Reform.* quæ conciliaris dispositio procedere dicitur etiam in Ecclesiis, quæ pertinent ad Regulares, & ab eis dependent, dummodo illis per sæculares deserviatur, juxta late firmata per *Rotam in Firmana Jurisdictionis 15. Aprilis 1701. §. 21. coram bon. mem. Molines*, nisi forte Ecclesiæ non curatæ taliter ad Monasterium exemptum pertinerent, ut essent ejdem subjective unitæ, juxta firmata per eandem *Rotam in Firmana Jurisdictionis super modo visitandi 20. Martii 1702. §. 4. coram eodem Molines.*

Proposita hac Causa in Congregatione habita hac *die 18. Decembris 1723.* cum tunc nulla fuerit capta resolutio, & in Congregatione habita die 15. mensis Januarii 1724. concessa fuerit Monachis dilatio quoad primum Dubium, & quoad secundum dictum sit, quod instarent Partes coram Auditore Sanctissimi super declaratione pertinentiæ prædicti Dubii, vel ad hanc Sacram Congregationem, vel ad Sacram Rotam, bina tandem fuerunt dubia disputata in Congregatione habita *die 29. Januarii 1724.* quorum primum fuit, *an Ecclesia Ruralis S. Mariæ Galliani sit subjecta jurisdictioni, & Visitationi Episcopi in casu*, & huic dubio nulla data fuit responsio, ex quo ignorabatur, an Auditor SS. Causam etiam remisisset ad hanc Sac. Congregationem quoad punctum Censurarum; cumque quoad primum dubium impetrata fuerit a Monachis nova audientia, & certa sit in præsenti remissio Causæ ad hanc Sac. Congregationem etiam quoad punctum Censurarum, bina idcirco proponuntur in præsenti dubia disputanda, quæ ad calcem restrictus referuntur.

Pluribus in locis Sacrum Tridentinum Concilium loquitur de Jure Episcopis competente in visitando Ecclesias Regulares, & alio modo exemptas; si etenim alicui Monasterio immineat Cura Animarum personarum sæcularium, personæ tam Regulares, quam sæculares hujusmodi curam exercentes subsunt immediate in iis, quæ ad Curam pertinent, & administrationem Sacramentorum jurisdictioni, visitationi, & correctioni Episcopi, in cujus sunt Diœcesi, uti habetur *Sess. 25. de Regul. cap. 11.* & hæc Episcoporum jurisdictio non est delegata, sed ordinaria; cum Concilium loco citato nullum faciat verbum delegationis Apostolicæ, & ante Concilium exemptio Regularium in eo, quod attinet ad Curam Animarum, jam fuisset de medio sublata in *cap. per exemptionem de privilegiis in 6.* & est Sententia hujus Sac. Congregationis, de qua apud *Fagnan. in cap. cum dilectus num. 42. de Religiosis Domibus*, & discusso articulo, firmavit *Rota in Firmana jurisdictionis 10. Maii 1700. §. 22. & seqq. & in Firmana jurisdictionis super modo visitandi 13. Martii 1702. per totam, & signanter num. 22. & seqq. cor. bon. mem. Molines Decano.* Item Sacrum Concilium *Sess. 7. cap. 7. de Reform.* dat Ordinariis facultatem singulis annis visitandi Beneficia Ecclesiastica Curata, quæ perpetuo unita sint, & annexa Monasteriis, & quando agitur de Monasteriis & Abbatiis commendatis, in quibus non vigeat Regularis observantia, necnon de Beneficiis tam Curatis, quam non Curatis, Sæcularibus, & Regularibus, qualitercumque commendatis, tunc Episcopus uti Sedis Apostolicæ Delegatus potest ea singulis annis visitare *juxta caput 8. Sess. 21. de Reform.* quod procedere dicitur tam in Monasteriis Commendatis, quam in eorum membris, quoties in eis non vigeat Regularis observantia, uti late ostendit *Rota in Firmana Jurisdictionis super reservatis 15. Aprilis 1701. §. 25. coram bon. mem. Molines.*

Hæc quoad Ecclesias Regulares, in quibus adest Cura Animarum, vel quoad Ecclesias commendatas, & Monasteria pariter commendata, in quibus non viget Regularis observantia, quoad reliquas autem quascumque Ecclesias, quomodolibet exemptas, sive illis immineat cura Animarum, sive non, idem Sacrum Concilium *sess. 7. cap. 8. de Reform.* dat locorum Ordinariis auctoritatem easdem singulis annis visitandi, & auctoritas ibi data a Concilio est delegata, uti ex Textu colligitur, & benе adnotavit *Fagnan. in cap. cum dilectus num. 43. de Religiosis Domibus*, & quamvis caput hoc pertinere videatur, & respicere Ecclesias Sæculares, extenditur nihilominus ad Ecclesias, quæ spectant ad Regulares, si eisdem deserviatur a sæcularibus, juxta Resolutionem hujus S. Congregationis 15. *Februarii 1596. lib. 8. decret. pag. 163. a tergo*, ibi, *Congregatio Concilii respondit, posse Episcopum visitare quascumque Ecclesias sæculares intra fines suæ Diœcesis existentes vigore capitis 8. sess. 7. etiamsi ad Regulares pertineant, & ab eis dependeant, dum tamen per Sæculares eis deserviatur*, nisi forte ageretur de Ecclesiis non Curatis, & quæ essent de Mensa Monasterii, seu subjective unitæ Monasterio, hæ siquidem nec Jure Ordinario, nec Jure Delegato possunt ab Episcopo visitari, juxta late firmata per *Rotam in Firmana Jurisdictionis super modo visitandi 20. Martii 1702. §. 4. & seqq. cor. bon. mem. Molines, & in Burgen. Jurisdictionis, seu Visitationis 3. Julii 1713. §. Quoad reliqua, & 19. Januarii 1714. §. Respectu vero cor. bon. mem. Barbadico.* Jurisdictio a Sacro Concilio tributa Episcopis *cap. 7. & 8. sess. 7. de Reform. cap. 11. sess. 25. de Regul.* de qua supra, non est privativa, sed cumulativa cum Inferioribus, juxta Resolutiones hujus Sac. Congregationis apud *Fagnan. in cap. Quanto num. 31. & 32. de Officio Ordinarii, & in cap. Ut privilegia num. 40. de privilegiis*, & secuta est *Rota in Firmana Jurisdictionis supra citata 1700. §. 39. coram bon. mem. Molines, & in citata pariter Burgen. Jurisdictionis 19. Januarii 1714. §. Ubi prætermittenda cor. bon. mem. Barbadico*: ita tamen ut Visitantibus tam Episcopo, quam Inferiore, & Decreta edentibus prævalere debeant Episcopi Decreta, si hæc adversentur Decretis Inferiorum, juxta Resolutionem hujus Sac. Congregationis 29. *Julii 1628. in Causa Veronen. lib. 13. Decret. pag. 490. a tergo* ibi: *non prohiberi dictis Superioribus Regularibus Decreta facere, dummodo Decretis Episcopi non adversentur, quæ tali casu prævalere, & observari debent.*

Ad tramites eorum, quæ hucusque deducta sunt, contendunt Monachi Olivetani, se, & suas Ecclesias omnes esse exemptas a Jurisdictione Episcopi, nec ullo modo sibi posse vindicare locum dispositionem Sacri Concilii, aut *sess. 21. de Reform.* aut *sess. 25. de Regul.* cum in præsenti non agatur aut de Ecclesia habente Curam Animarum, aut de Ecclesia commendata, idemque judicium ferendum esse de *cap. 8. sess. 7. de Reform.* cum deficiat in facto suppositum, quod Ecclesiæ Rurali S. Mariæ Galliani deserviatur a Presbyteris Sæcularibus, uti fusius videri potest in ipsorum Scriptura per manus circumferenda, in qua etiam contendunt, Censuras latas nullitatis vitio laborare, cum latæ fuerint post interpositam appellationem, & cum factum non esset notorium, in quo solo casu Episcopus potest exemptos declarare incursos in Censuras. Addunt, eumdem Ordinarium judicialiter processisse, quod est ipsi vetitum, quando agitur de exemptis, licet factum sit notorium, & demum concludunt, factum non esse probatum, & sic Censuras non tam nullitate, quam injustitia laborare.

Quando alias actum fuit de hac eadem Causa in hac Sacra Congregatione nonnulli ex EE. PP. ponderarunt, ut videretur, an applicabilis esse posset dispositio *Bullæ 55. Innocentii X. Bull. t. 5.* in qua subduntur visitationi, & correctioni Ordinarii, uti Sedis Apostolicæ Delegati Conventus, & Granciæ Monasteriorum, in quibus sex Religiosi non aluntur, & etiam an applicabiles sint Resolutiones Sac. Congregat. super statu Regularium, quæ referuntur *num. 4. inter Constitutiones Alexandri VII. Bull. tom. 6.* ubi dicitur, Ecclesias, & Cappellas Granciarum, in quibus degunt Conversi pro Agrorum cultura, posse ab Episcopo visitari, & etiam subesse visitationi Episcopi Ecclesias & Cappellas Granciarum, in quibus nullus degit Conversus.

Jura circumferuntur, quocirca quæritur

I. An sit standum, vel recedendum a Decisis.

II. An Censuræ sustineantur in casu &c.

Sacra Congr. die 23. Junii 1725. respondit,

Ad primum in Decisis, Jure tamen Delegato. Ad secundum negative, & amplius.

QUÆ-

QUÆSTIO CCCLXVIII.

In Causa Clusina Reparationis Ecclesiæ, die 18. Decembris 1723.

PAROCHIANI Parochialis Ecclesiæ S. Leonardi Terræ Arcidorsi instant, ut Monachis Monasterii S. Salvatoris Montis Amiati demandetur, ut debitas faciant prædictæ Ecclesiæ labenti reparationes, juxta alias ab Episcopo demandata in sua Visitatione, & comprobata ab hac Sac. Congregatione in responsione ad relationem super statu Ecclesiæ suæ, a dicto Episcopo de more transmissam.

Fundamentum petitionis consistit in hoc, quod bona Ecclesiæ per unionem incorporata dicuntur Monasterio, itaut cum Vicarius perpetuus Sacerdos sæcularis curam Animarum exerceat, & quidem cum modico reditu, quando bona Ecclesiæ magni valoris sunt in potestate Monasterii, onus reparandi nunquam ad Vicarium, sed ad Monachos pertinere dicendum sit, cum ad Vicarium tantum pertineant onera, quæ curam Animarum respiciunt, & Sacramentorum administrationem.

Simile est, quod adnotari consuevit in consimilibus Controversiis inter Abbatem Commendatarium, & Vicarium perpetuum, ad quem videlicet ex ipsis spectet onus reparandi Ecclesiam. Variæ quippe extant hujus Sacræ Congregationis resolutiones, sed quæ in hoc concordare videntur, ut onus pertineat ad Commendatarium in hypothesi tantum, in qua non fuit assignata Vicario perpetuo portio sufficiens, nedum pro alimentis, sed etiam pro reparationibus, uti colligi potest ex resolutionibus impressis *apud Bertachin. voto* 100.

Et quia Parochiani prævident, opponi posse, quod a Monachis fuerunt omnes reditus Ecclesiæ dimissi favore Vicarii Antecessoris, respondetur, id revera in facto non subsistere, cum majorem partem bonorum apud se retineant, & portio quædam miserabilis fuerit Vicario antecessori consignata, absque eo quod Vicarius congruam obtineat in summa scut. 80. sibi ab Episcopo statutam in numerata pecunia.

Alias processum fuit cum supposito, quod Monachi essent tantum Patroni hujus Parochialis Ecclesiæ; at quidquid sit de hoc, subditur, quod jure novo Tridentini Concilii *Sess. 21. cap. 7. de reform.* deficientibus Ecclesiæ reditibus, Patroni ad ejus restaurationem tenentur, licet tantum percipiant fructum præsentationis, uti bene ponderat *Sperell. decis. 67. num. 10. & seqq.*

Proposita fuit hæc instantia in Congregatione habita hac *die 18. Dec.* 1723. nec ulla tunc fuit capta resolutio, repropositaque eadem Instantia in Congregatione habita *die 12. Februarii sequentis anni* 1724. demandatum fuit, quod factum concordaretur, & quod scriberetur Nuntio Apostolico Florentino pro informatione super præsenti statu Ecclesiæ Parochialis.

Nuntius Florentinus respondit, Ecclesiam esse in statu imminentis ruinæ, & pro ejus reparatione esse necessariam expensam scutorum 150.

Pro parte vero Monachorum exhibita mihi fuerunt nonnulla documenta, quibus ostenditur, introductam olim fuisse in Sacra Congregatione Episcoporum, & Regularium controversiam super puncto, an Monasterium omnia bona dimisisset pertinentia ad hanc, & ad alias Ecclesias Parochiales, & in eadem Congregatione resolutum fuisse, quod licuerat Monachis dimittere omnia bona spectantia ad Ecclesias loco Congruæ alias ab Episcopo Vicariis in pecunia assignatæ.

Alia quoque documenta ostendunt, Curatum S. Leonardi Arcidorsi instetisse pro assignatione Congruæ in pecunia, eidemque factam fuisse assignationem per modum provisionis, facta tamen restitutione per eundem bonorum a Monachis dimissorum, sed subsequenter recessum fuisse a decisis, & factam fuisse omnium remissionem ad Nuntium Florentinum, coram cujus Tribunali, cum cæteri Parochi, & etiam ille, de quo nunc agitur, comparuissent, ut ostenderent, non fuisse a Monachis dimissa omnia bona ad suas Ecclesias pertinentia, causa subinde ulteriorem non habuit prosecutionem, & lapsus est terminus iisdem præfixus ad suam probandam intentionem.

Hæc sunt, quæ ex documentis mihi exhibitis deduci potuerunt; cumque hoc interim labatur Ecclesia, nisi prompta adsit reparatio, quæritur

An Monasterium teneatur ad reparationem Ecclesiæ in casu &c.

Sacra Congr. die 22. Septembris 1725. respondit,

Ad Sac. Congregationem Episcoporum, & Regularium, & interim per modum provisionis Ecclesia omnino restaurentur expensis Monachorum, & deinde cujus de Jure, & exequatio committatur Nuntio Florentiæ, qui de eadem certioret, & amplius.

QUÆSTIO CCCLXIX.

In Causa Urbis, die 18. Decembris 1723.

PAROCHUS S. Spiritus in Saxia hujus Almæ Urbis supplicem exhibuit S. Pœnitentiariæ Libellum, in quo retulit, præter Infantes recenter natos ad Archihospitale ejusdem S. Spiritus sæpissime etiam Infantes deferri duorum, quatuor, vel sex, aut decem mensium, & etiam unius anni cum dimidio, absque ullo certo signo Baptismatis recepti, & ne ex una parte suo munere in re tanti momenti deficiat, Baptismum omittendo, & ex alia parte Baptismum conferendo, se exponat periculo irregularitatis impositæ rebaptizantibus, ad terminos textus *in cap. ex litterarum de Apostatis*, humillime quæsivit, quid a se esset agendum, & a Sacra Pœnitentiaria supplex libellus ad hanc Sacram Congregationem remissus est.

Plures adsunt Canones a Gratiano collecti *de Consecratione dist. 4.* quibus cavetur, Parvulos, & Infantes esse baptizandos, quando certa non afferuntur documenta de eorum Baptismo; sic *in Canone Parvulos*, ibi: *Parvulos, qui a Parentibus subtracti sunt, & an baptizati sint, ignorant, hos, ut baptizare debeas, secundum Patrum traditionem, si non fuerit, qui testificetur, ratio poscit*; sic *in Canone placuit*, ibi: *placuit de Infantibus, quoties non inveniuntur certissimi Testes, qui eos baptizatos esse sine dubitatione testentur, neque ipsi sunt per ætatem idonei de traditis sibi Sacramentis respondere, absque ullo scrupulo eos esse baptizandos*; sic in Canone *cum itaque* ibi: *cum itaque Baptismi sui nihil recordetur, qui regenerationis est cupidus, nec alter attestari de eo possit, qui sciat consecratum, nec ille, qui consecratur &c. quoniam non potest in iterationis crimen venire, quod omnino factum esse nescitur, atque ideo quoties persona talis inciderit, sollicita primum examinatione discutito, & longo tempore, nisi forte supremus finis imminet, indagato, utrum nemo penitus sit, qui testimonio suo juvare possit ignorantiam nescientis, & cum constiterit hunc, qui Baptismatis indiget Sacramento, sola inaniter suspicione prohiberi, accedat intrepidus ad consequendam gratiam, cujus in se nullum scit esse vestigium, nec vereamur huic salutis januam aperire, quam nunquam ante docetur ingressus.* Sic denique legitur *in Canone si nulla*, ibi: *si nulla extant indicia inter propinquos, aut familiares, nulla inter Clericos, aut vicinos, quibus hi, de quibus quæritur, baptizati fuisse videantur, agendum est, ut renascantur, ne manifeste pereant, in quibus, quod non ostenditur gestum, ratio non finit, ut videatur iteratum.*

In Decretalibus autem Summus Pontifex Innocentius Tertius *in Cap. Veniens de Presbytero nondum baptizato* ita loquitur: *& certe de illo, qui natus de Christianis parentibus, & inter Christianos est fideliter conversatus, tam violenter præsumitur, quod fuerit baptizatus, ut hæc præsumptio pro certitudine sit habenda, donec evidentissimis forsitan argumentis contrarium probetur*, celebreque est pariter in iisdem Decretalibus Alexandri Tertii responsum *in cap. 2. de Baptismo*, ibi, *de quibus dubium est, an baptizati fuerint, baptizantur his verbis præmissis, si baptizatus es, non te baptizo, sed si nondum baptizatus es, Ego te baptizo.*

Cohærenter ad hæc in terminis Puerorum expositorum, distinguunt Doctores inter eos, de quibus omnimode ignoratur, an fuerint baptizati, nec ullam habent pro baptismo conjecturam, & inter alios, qui collati Baptismatis conjecturam habent, puta schedulam collo, vel alteri corporis parti appensam, in qua scriptum sit, eos esse baptizatos, & dicunt, Baptismum in primo casu esse absolute conferendum, & in secundo esse sub conditione ministrandum, *Romaguer. ad Synod. Gerund. lib. 3. tit. 18. cap. 5. a num. 9. & seqq. Monacell. in formul. legal. tom. 1. tit. 10. num. 3. pag. mihi* 205. & confert resolutio hujus Sac. Congregationis *in Neapolitana Matrimonii prima Septembris* 1714. in qua responsum fuit baptizandam esse sub conditione, & secreto, antequam Matrimonium contraheret, quandam virginem annorum circiter 30. quæ cuidam Mulieri fuerat consignata, dum erat in ætate sex dierum, absque ullo documento collati Baptismatis, licet Mulier prædicta formiter interrogata asseruisset, se credere eam fuisse baptizatam, cum ad suas manus delata est.

Alii contra censent, Puerum inter Catholicos natum, licet expositum censendum esse baptizatum, nec esse sub conditione rebaptizandum, nisi forte concurrerent aliquæ circumstantiæ, quæ suscipionem ingererent, puta si in loco essent Infideles, aut Anabaptistæ, qui filios

suos

suos non baptizant *Enriquez lib. 2. cap. 31. num. 1.* Alii putant hoc dictum non subsistere, quia Mulieres etiam Catholicæ ad scelus tegendum, partum occulte effundunt parum sollicitæ de spirituali salute Infantis, sed sustinent, non esse locum Baptismo, quamvis sub conditione, si Infans reperiatur cum schedula teste Baptismi *Tanner. in 3. part. disput. 4. quæst. 2. dub. 4. num. 113. Diana in Edit. Coord. tomo 5. tract. 5. resolut. 42.* ubi ait, baptizandum sub conditione puerum, qui schedulam non habeat, etiamsi ex colore, & aliis indiciis natus videretur ante mensem. At alii mordicus tuentur, debere esse locum Baptismo sub conditione, etiamsi penes infantem schedula reperiatur de Baptismo recepto, cum ut plurimum ignoretur, a quo illa scripta sit, & per consequens ejus vigore nunquam constare dici possit de Baptismo recepto. Fuse id ostenditur *a Quintanadvenas tom. 1. singular. 9. de Baptismo*, ubi ait suæ sententiæ subscripsisse alios sapientissimos Theologos Societatis Jesu, & late etiam prosequuntur *Leander oper. moral. tom. 1. tract. 2. de Baptismo disputat. 3. quæstion. 44. Diana in Edition. coordinat. tom. 1. tractat. 1. resolut. 81.*

Et hæc sententia de conferendo sub conditione Baptismo etiam his, qui memoratam schedulam deferunt collo appensam, fuit in praxi recepta in Archiepiscopatu Hispalensi, & in Diœcesi Cordubensi, *Teste Quintanadvenas loco citato*; item in magno Hospitali Expositorum Toletanæ Civitatis, *Teste Leandro loco pariter citato*. Eidem quoque favet Concilium Mediolanense Tertium sub S. Carolo Borromæo *tit. de Baptismo Infant.* ibi: *Infans Expositus, licet appensum collo scriptum habeat, quo ille baptizatus significetur, si tamen re diligenter prævequisita, quemadmodum in Concilio Romano, adhuc dubium sit, eum baptizatum esse, ea conditionis forma baptizetur, si tu es baptizatus, Ego te iterum non baptizo &c.* & confert demum Rituale Romanum Pauli Quinti, ubi sic legitur: *Infantes expositi, & inventi, si re diligenter investigata de eorum Baptismo non constet, sub conditione baptizentur*, cum verbum *constet* claram significet probationem, & clara dici non possit probatio, quæ ex schedula prædicta resultat.

Stantibus his, quæritur,

Quomodo se gerere debeat Parochus Sancti Spiritus in Saxia in collatione Baptismatis Infantibus, qui ad Archihospitale deferuntur, sive iidem habeant schedulam de Baptismo testantem, sive non habeant, & etiamsi ex colore, & cæteris qualitatibus deprehendatur, eosdem esse constitutos in ætate sex, aut decem mensium, vel unius anni cum dimidio.

Sacra Congr. die 15. Januarii 1724. respondit,

Esse baptizandos sub conditione in omnibus casibus expositis juxta instructionem, & instructio est, quod excipiatur a Baptismo sub conditione casus Schedulæ, quæ haberet certitudinem.

QUÆSTIO CCCLXX.

In Causa Prænestina Taxæ Seminarii, die 18. Decembris 1723.

NOMINE Capituli, & Canonicorum Civitatis Prænestinæ fuit huic Sac. Congregat. expositum, quod in solutione Taxæ Seminarii gravamen patiebantur, quando potius levamen experiri debuissent propter unionem Beneficiorum eidem Seminario factam, & ejus annuos reditus auctos.

Juxta morem exquisita fuit informatio Eminentissimi Episcopi, qui retulit, multos Canonicos saniorem forte Capituli partem constituentes prædicto recursui assensum non præstitisse; ulterius se omnem lapidem, licet frustra, movisse, ut scire posset, cur Canonici nonnullis ab hinc annis Taxam canonice præscriptam non persolvant Seminario, quando tam Mensa Episcopalis, quam cætera alia Diœcesis Beneficia integram faciunt dictæ Taxæ solutionem, & sibi demum rem undequaque absonam videri, quod Canonici absque ullo Privilegio, absque Episcopali decreto, & propria tantum intercedente auctoritate Taxam præscriptam diminuerint.

Seminarii Prænestini Procurator in sua scriptura exponit, Seminarium erectum fuisse anno *1669.* & taxata fuisse omnia Diœcesis Beneficia ad rationem scutorum duorum pro quolibet centenario, hanc Taxam solutam fuisse usque ad annum 1685. quo tempore a Vicario Generali Prænestino facta est imminutio, itaut Archidiaconatus, qui habebat in reditu annua scuta 100. quique taxatus fuerat in scutis duobus, fuerit in reductione anni 1685. taxatus in annuis juliis 17. & Canonicatus de Massa antiqua, qui habebant in reditu annua scuta 75. & fuerant taxati in juliis 15. pro quolibet, minorationem obtinuerint ad summam juliorum 12. ex quo fortasse in primæva Taxæ impositione non fuerat facta detractio distributionum, prout de jure fieri debet; idemque tandem Seminarii Procurator ait, Taxam anni 1685. fuisse pacifice a Canonicis persolutam usque ad annum 1697. quo tempore hæc etiam secunda Taxa decrevit arbitrio cujusdam Canonici Lucatelli, qui erat Exactor Seminarii, cujus exemplum utpote sibimet favorabile, cæteri Canonici absque ulla alia indagine in exigendo secuti sunt; in quo rerum themate concludit, Canonicos eximi non posse a solutione Taxæ *ad normam anni 1685.*

Nec idem Procurator putat, suæ intentioni obesse posse, quod Seminarium anno *1694.* nactum sit possessionem cujusdam simplicis Beneficii erecti in Ecclesia S. Cæsarii, & cujus annui reditus ascendere dicuntur ad scuta 60. præter etenim cætera, quæ in ejus scriptura legi possunt, duo videntur ponderatione digna; alterum, quod fabrica Seminarii Prænestini adeo angusta est, ut Alumni Cappellam non habeant, & una, eademque mansio inserviat pro Refectorio, & pro Schola; alterum, quod in eodem Seminario septem tantum recipiuntur, & recipi possunt Alumni, licet Diœcesis sit ampla, & in ea numerentur tredecim Oppida, in quorum nonnullis quatuor mille, & in aliis tres mille homines degunt; quo stante factus dici nequit casus remissionis in totum, vel pro parte portionis a Beneficiis solvendæ, ex quo per uniones effectum sortitas Seminarium in totum, vel in parte dotatum reperiatur, *juxta cap. 18. sess. 23. de Reform.*

Et quia a Canonicis recurrentibus prætendi potest, se, & non alios Diœcesis Beneficiatos Taxæ diminutionem obtinere debere, ex quo Beneficium Sancti Cæsarii unitum Seminario, erat de pertinentiis, & juribus Capituli, provisiones Apostolicæ ab eodem Procuratore exhibentur, ex quibus infert Beneficium nunquam fuisse de juribus prædicti Capituli, absque eo quod vis ulla fieri possit in quodam decreto, quod supponitur editum *anno* 1587. a Cardinali Marco Antonio Columna Episcopo Prænestino, in quo prædictum Beneficium univit favore Mensæ Capitularis, cum unio fuerit ineffectuata, & post dictam unionem Beneficium habitum fuerit tanquam liberæ Collationis.

His stantibus, quæritur,

An, & in qua summa Taxa Seminarii a Capitulo, & Canonicis Cathedralis Prænestinæ debeatur in casu &c.

Sacra Congr. die 29. Januarii 1724. respondit,

Dilata, & ad Eminentissimum Præfectum, qui Peritum eligat ad effectum firmandi statum super reditu Canonicatuum detractis distributionibus, & aliis oneribus.

FINIS PRIMÆ PARTIS.